

PHILIPPI MELANTHONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

POST

CAROL. GOTTL. BRETSCHNEIDERUM

EDIDIT

HENRICUS ERNESTUS BINDSEIL.

VOLUMEN XXIV.

BRUNSVIGAE.
APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM
(M. BRUHN.)
1856.

LIBRI PHILIPPI MELANTHONIS

IN QUIBUS ENARRAVIT SCRIPTURAM SACRAM.

VOLUMEN XXIV.

POSTILLAE MELANTHONIANAE

PARTES I. ET II.

Prolegomena XIII sqq.

POSTILLAE MELANTHONIANAE

PARS I.

A DOMINICA ADVENTUS AD DOMINICAM QUINQUAGESIMAE.

PARS II.

A DOMINICA QUINQUAGESIMAE USQUE AD FESTUM TRINITATIS.

POSTILLA MELANTHONIANA.

Hic quidem liber non ab ipso Melanthone literis consignatus, sed ex eius familiariter disserentis ore a discipulis quibusdam calamo exceptus et a Christophoro Pezelio, fideli eius discipulo, qui etiam Epistolas et Consilia eius atque Philippica Argumenta edidit, in hunc ordinem redactus est: tamen non dubitavi hoc opus inter eius scripta recipere: eodem enim iure inter haec referendum est, quo eius Locorum theologicorum prima adumbratio et quaedam alia*), quae item non ab ipso perscripta aut certe non edita, sed ab aliis calamo ex eius ore excepta atque evulgata sunt, inter Melanthonis libros referuntur.

Historiam huius operis Pezelius editor in Partis I. praefatione infra recudenda prolixius enarravit, ex qua h. l. haecce refero. Quum, bello Schmalcaldico finito, Academia Witebergensis instaurata esset, Philippus Melanthon a. 1549. multis Hungaris, quippe qui Germanicas conciones in templis intelligere non poterant, domi suae instituit diebus festis explicationem Evangeliorum Dominicalium; mox autem, aliorum concursu aucta frequentia auditorum, in auditorium publicum transtulit eas sive praelectiones sive conciunculas, quas usque ad mortem suam a. 1560. continuavit. In his familiari sermone insigniora singulorum textuum explicabat, et, ad captum auditorum praesentium, quorum plerique adolescentes erant, multi etiam adhuc pueri, enarrationes suas dirigens, tum grammatica et historica, tum vero etiam catechetica et theologica miscere solebat, ut non modo utilis, sed etiam suavis et iucunda ea praelectio esset. Quam ob rem vix alia tunc temporis lectio Witebergae magis erat frequentata, quam haec ipsa.**)

Etsi autem Melanthon dictare nihil solebat, extemporaneo sermonis genere utens, ut et subirent animos celerius quae dicebantur, et ipse ad horae clepsydram plura absolveret: non defuerunt tamen, qui,

---

*) Conf. Prolegomena mea in Melanthonis Scholia in Batrachomyomachian Homeri, in huius Corporis Vol. XVIII. p. 137 sq., item in Locorum theol. primam adumbrationem, in Vol. XXI. p. 5 sq., denique quae in Prolegomenis in eius Catechesin puerilem in Vol. XXIII. p. 103 sqq. nota ††) de Brentianae huius libri editione attuli.

**) Conf. quae Pezelius in Praefatione Partis II. infra recudenda de hoc auditorio refert hisce verbis: „Non enim cogitant, quae ratio fuerit auditorii illius, in quo Comites, Barones, nobiles, et omnium ordinum ac professionum studiosi, senes, iuvenes, pueri in maxima frequentia ab ore docentis pendebant."

cum manus celeritate in scribendo valerent, pleraque ex ore familiariter disserentis excipere, ac in chartas referre studebant; fuitque tanta aliquorum industria, ut ne πάρεργα quidem praetermitterent, quin ea quoque annotarent. Harum conciuncularum memoriam cum recordatione suavissima conservarunt multi ex auditoribus, qui quidem vehementer optarunt illarum reliquias, ne plane perirent, colligi atque in publicum edi. Quorum ex numero fuerunt inprimis Dr. Andreas Pauli Iurisconsultus, Dr. Caspar Peucerus, gener Melanthonis, aliique. Hi a Dr. Christophoro Pezelio, Ecclesiae et Scholae Bremensis Pastore ac Professore Theologiae, quem nominis et doctrinae Melanthonianae amantissimum esse sciebant, contenderunt, ut eum laborem in manus sumeret.

His iudiciis ac votis praestantium virorum confirmatus, suaque sponte ad colligendas reliquias doctrinae Melanthonianae incitatus, Pezelius ad hunc laborem accessit, quamquam initio adminiculis necessariis destitutus erat; nam pauca tantum inter chartas suas reperiebat, quae ex docentis ore manu sua exceperat, quia ei non licuerat in Academia Witebergensi diu audire Melanthonem. Verum opportune ei accidit, ut aliorum collectanea nancisceretur. Primum enim M. Ioachimus Meisterus, eiusdem Scholae Bremensis Rector, ei praebuit collectanea quaedam lectionum Philippicarum, quae, antequam illuc venerat, ab Abrahamo Bucholcero, necessario suo, nactus fuerat, in quibus erant annorum 1549 — 1551. Rhapsodiae evangelicae. Quorum annorum Rhapsodias suas etiam Henricus Mollerus Theologiae Doctor cum eo communicavit. Postea et Doctor Andreas Pauli, cuius supra mentio est facta, per affinem suum Dr. Andream a Dham, consiliarium Ducum Luneburgensium, Rhapsodias annorum 1555. et 1556. ei curavit, quas in privatum suum usum conscripserat Andreas Schoppius Leobergensis. Ad has accesserunt Rhapsodiae diversorum annorum, quas D. Iacobus Monavius, cum in Pannonias aliquando ex patria negotiorum suorum causa exspatiatus esset, a pastoribus illorum locorum editori impetraverat. Postea cum Pezelius Noribergae esset, biennio iam et aliquanto amplius exacto, ibique cum amicis de reliquiis illis Scholarum Philippicarum in colloquium venisset, hi, inprimis D. Mauricius Hellingus, M. Laurentius Durnhoferus et M. Matthias Schilerus, non modo eum hortati sunt, ut laborem susceptum publicae utilitatis causa urgeret atque perficeret, sed etiam, quas in Bibliothecis suis habebant, consignationes annorum plurium cum eo communicarunt. Denique etiam Andreas Scato, artis Medicae Doctor et Professor, explicationem Philippicam anni 1551. cum editore, quum Witebergam transiisset, communicavit, ut cum aliis exemplaribus conferret.

Postquam hoc modo Pezelius a pluribus viris spectatissimis humanissime haud exigua adminiculorum copia ad hoc opus instructus erat, ab aliis vero aliquot annorum Rhapsodias, quas ad continuandam seriem annorum ab anno 1549. usque ad annum 1560. invicem se subsequentium adhuc desiderabat, frustra requisiverat, tandem manum operi suscepto admovit, idque initio sic instituit, ut exemplaria non unius saltem, sed plurium annorum conferret, insigniora ex singulis Rhapsodiis notaret, excerperet, in ordinem redigeret et suis quaeque locis reponeret, non ex singulis Rhapsodiis singulas conciunculas, sed ex universis annorum plurium unam concionem adornans et quasi in unum corpus redigens, hoc ordine plerumque servato, ut primum *grammatica* et *historica*, postea vero *doctrinae locos* recitaret, quo ipso ordine videbat et Melanthonem magna ex parte usum fuisse, qui tamen aliis atque aliis annis aut plura aut minora, quae ad grammaticam spectabant, et doctrinae locos alios atque alios hoc aut alio ordine libere tractare solebat. In hoc labore sic instituto editori quidem religio fuit discedere a verbis et phrasibus Philippicis, tamen subinde haec ex parte eo mutavit, quod Germanica multa inter docendum adspersa Latine reddebat, aut ex Rhapsodiis diversorum annorum evidentiora deligebat, aut quae in pluribus Rhapsodiis diversa, sed ad unam eandemque doctrinam illustrandam utilia se offerebant, quomodocunque connectebat.

Hunc modum postquam inter initia huius laboris aliquamdiu prosecutus erat editor, postea tamen certis de causis mutavit: primum, quia nimium temporis ad illum requiri videbat; deinde, si unam saltem concionem ex omnibus, quas annorum diversorum penes se haberet, Rhapsodiis contexere pergeret, metuebat, ne prolixitas fastidium lectori pareret. Ad haec experiebatur ordinem subinde mutandum, quem Melanthon usurpaverat, saepe etiam earumdem rerum declarationes uberiores aut alio loco inserendas, aut plane omittendas esse. Sed et lectori gratum fore putabat, integras aliquas conciunculas eo modo descriptas videre, quo erant habitae a Melanthone. Denique singula maiorem fidem habitura existimabat, atque suaviora iis, qui Philippum ipsum audivissent, fore sibi persuadebat, si, quae de textu proposito uno tempore familiariter et dictione extemporanea ille disseruisset, una etiam conciuncula eodem prorsus modo, quo illa a Melanthone habita esset, suo quaeque loco retineretur. Has ob rationes mutato priori instituto, tum non plures Rhapsodias una concione complecti, sed ex toto cumulo Rhapsodiarum, quas ad manum habebat, conciunculam eam ad Dominicas singulas, quae visa fuit plenior, integram describendam curavit, neque demptis, neque additis

aliis, quae in ea concione non haberentur. Huic vero integrae concioni seorsim subiecit, quae ex Rhapsodiis singulis ad pietatem et eruditionem pertinentia utiliter addi posse videbantur.

Hoc opus ex illis variis collectaneis ratione descripta compositum, in quatuor tomos, quos diversis dedicavit, dispertitum Pezelius sic inscripsit:

Postilla | *Melanthoniana.* | *Hoc est:* | *Lectionvm Evange-* | *licarum: qvae more re-* | *cepto et vsitato, in plaerisque Ecclesiis Christianis, diebus Dominicis et festis* | *proponuntur:* | *Explicationes* | *piae ac eruditae* | *Philippi Melanthonis,* | *totius quondam Germaniae praeceptoris: In vnum quasi corpus collectae:* | *à* | *Christophoro Pezelio,* | *Theologiae Doctore.* | *In qvibus grammatica quadam* | *diligentia, vocabulorum Enarratio traditur, et Circum-* | *stantiarum, quae se in Concionibus Christi, et narrationi-* | *bus Evangelistarum offerunt: Et familiari atque ad captum rudiorum accommodata Methodo, et Orationis genere per-* | *spicuo et simplici exponuntur Praecipui loci vniuersae do-* | *ctrinae Christianae. Et de plaerisque Locis Discrimen monstra-* | *tur humanae et diuinae sapientiae.* | *Pars I.* | *A Dominica Aduentus, ad Dominicam* | *Quinquagesimae.* | *Heidelbergae,* | *Apud Iosuam Harnisch, impensis Matthiae patris.* | *Anno MDXCIV.* 51½ plagg., quarum prima cruce †, ceterae litteris A—Z, Aa—Zz, Aaa—Eee (Eee ½ plag.) signatae sunt, prima 8 foll. non num., seqq. 808 pagg. num., 8°. (fol. † 2ᵃ — 8ᵇ Chrph. Pezelii epistola dedicatoria ad Georgium Tribelium, Curatorem venarum metallicarum Schmelnicensium, data Bremae m. Martio a. 1594.: pag. 1 — 808. [fol. A 1ᵃ — Eee 4ᵇ] Postillae pars inde a Dominica I. Adventus usque ad Dominicam Sexagesimae, cum permultis annotationibus marginalibus).

Explicatio- | *nvm Melanchtho-* | *niarvm in Evangelia* | *Dominicalia,* | *Pars II.* | *A Dominica Quinquagesimae vsque* | *ad Festum Trinitatis.* | *Dedicata Pastoribvs* | *et Magistratibvs in Ecclesiis* | *Pannoniae et Transsyluaniae, purio-* | *rem doctrinam Euangelii profitentibus.* | (Infra haec est Insigne typogr.) *Hanoviae* | *Apud Guilielmum Antonium, sumptibus Matthaei Harnisch.* | *Anno MDXCIV.* 64½ plagg., quarum prima signo)(, ceterae litteris A—Z, AA—ZZ, AAA—SSS (SSS ½ plag.) signatae sunt, prima 8 foll. non num., seqq. 1013 pagg. num., extremae 3 pagg. albae. 8° (fol.)(2ᵃ — 8ᵃ Pezelii epistola dedicat. ad pastores, iudices regios, consules et senatores urbium Pannoniae et Transsylvaniae, quae puriorem doctrinam Evangelii profitentur, data Bremae m. Iunio a. 1594.: fol.)(8ᵇ Epigramma Casp. Peuceri in Philippomastigas: pag. 1—1013. [fol. A 1ᵃ — SSS 3ᵃ] Postillae pars inde a Historia de Zachaeo, quae explicationi Evangelii Dominicae Esto mihi seu Quinquagesimae proxime antecedit, usque ad explicationem capitis V. Actorum, propositam in feriis Pentecostes, cum permultis annotatt. margg.: fol. SSS 3ᵇ — 4ᵇ vacant).

Philippi | *Melanchthonis,* | *viri svmmi et incompa-* | *rabilis, et totius Germaniae olim* | *praeceptoris,* | *Explicationvm in* | *Academia Witembergensi traditarum su-* | *per textus Euangeliorum Domi-* | *nicalium,* | *Pars III.* | *A Dominica Trinitatis, et deinceps.* | *Dedicata Illustriss. Principi ac Domino, D. Mar-* | *ricio, Principi Auraico, Comiti Nassouio, etc.* | *Gubernatori Hollandiae, Selandiae, et aliarum pro-* | *uinciarum vnitarum Belgii. In qua est Gratula-* | *tio de recenti expugnatione vrbis Groningae* | *in Frisia occidentali.* | 15 (Insigne) 94. | *Hanoviae* | *Apud G. Antonium, impensis Matthaei Harnisch.* 53 plagg., quarum 1½ priores asteriscis *, **, ceterae litteris a—z, aa—zz, aaa—fff (fff ½ plag.) signatae sunt, prima 12 foll. non num., seqq. 812 pagg. num., ult. folium album, 8° (fol. *2ᵃ — **4ᵇ Pezelii epistola dedicat. ad Principem Mauricium data Bremae sub finem m. Iulii a. 1594.; pag. 1 — 812. [fol. a 1ᵃ — fff 3ᵇ] Postillae pars inde a Dominica Trinitatis usque ad Dominicam XIV. post Trinitatis, cum permultis annotatt. margg.; fol. fff 4 vacat).

Explicationvm | *Melanthoniarvm* | *in Evangelia* | *Dominicalia,* | *Pars postrema.* | *A Dominica post Trinitatis* | *vsque ad finem anni.* | *Dedicata illustri et generoso Domino* | *Wilhelmo-Ludovico, Comiti in Nassaw, et Cattenelnbogen,* | *etc. Gubernatori Frisiae Occiduae: et* | *Amplissimis Ordinibus eiusdem Frisiae Occi-* | *dentalis.* | *Cum gratulatione de expugnata vrbe Groninga, et hi-* | *storicis nonnullis de Ioanne Wesselo Groningensi, etc.* | 15 (Insigne) 95. | *Hanoviae* | *Apud Guilielmum Antonium, impensis* | *Matthiae Harnisch.* 54 plagg., quarum duae

priores signis)(,)( )(, ceterae litteris Aa—Zz, Aaa—Zzz, Aaaa—Ffff signatae sunt, prima 16 foll. non num., seqq. 829 pagg. num., ult. 3 pagg. albae, 8° (fol.)(2^a — 7^b Pezelii epistola dedicat. ad Comitem Wilhelmum-Ludovicum data Bremae m. Augusto a. 1594.; fol.)(8^a —)( )(8^b In Epitome Bibliothecae Gesneri; Iudicium Lutheri de Wesseli scriptis; Sententiae aliquot Wesseli; pag. 1—829. [fol. Aa 1^a — Ffff 7^a] Postillae pars inde a Dominica XV. post Trinitatis usque ad Historica de Nicolao, quibus Postilla finitur, cum permultis annotatt. margg.; fol. Ffff 7^b — 8^b vacant). *)

Praeter hos quatuor Tomos a Pezelio collectos editosque in mea Bibliotheca sunt duo Codices manuscripti forma quaternaria, qui h. l. accuratius describendi sunt:

Codex 1. continet 7 foll. non num., 645 pagg. num., 7 pagg. non num., ult. fol. album. Primi folii pars antica habet inscriptionem:

Ex ore domini philippi Melanch | thonis collecta anno domini 1550 et 1551 | (his tribus lineis rubro colore scriptis ab alia manu atro colore subiunctae sunt haece duae:) *Fridericus Einwag | potten steinensis.*

Fol. 2—7. cont. Indicem alphabeticum rerum et verborum binis columnis scriptum; seqq. pagg. num. 1—645. cum subseqq. 7 pagg. non num. exhibent Postillam Melanthonianam inde a *Dominica Trinitatis. Ioannis 3.* usque ad *Feriam III. Pentecostes, explicationem lectionis Actorum capite quinto.* (Evangelium de vinea. Matth. 20. suo loco pag. 354. praetermissum, in huius Cod. parte extrema, post Feriam III. Pentecostes, supplementi loco adiectum est.) In margine aliquot annotationes brevissimae rubro colore adscriptae sunt, et una longior atro colore.**)

Conciones, quae in hoc Cod. continentur, sic dispositae sunt:

	pag.			pag.	
Dominica Trinitatis. Ioannis 3	1	sqq.	Dominica VIII. post Trinitatem. Matth. 7.	111	sqq.
Dominica I. post Trinitatem. Lucae 16.	12	—	Dominica IX. post Trinitatem. Evangel. (Luc. 16.) explicatum anno 1551.	117	
Dominica II. post Trinitatem. Luc. 14.	23	—	Dominica X. (post Trinitatem). Luc. 19. Die S. Laurentij.	124	—
Dominica III. post Trinitatem. Luc. 15.	37	—	Dominica XI. post Trinitatis festum. Luc. 18.	130	—
In die Ioannis Baptistae	49	—	Dominica XII. post Trinitatis festum. Marc. 1.	137	—
Dominica IV. post Trinitatem. Luc. 6.	61	—	Dominica XIII. post Trinitatis festum. Luc. 10.	143	—
In Festo Petri et Pauli	72	—	Dominica XIV. Trinitatis. Luc. 17.	152	—
In die Visitationis Mariae	85	—			
Dominica V. post Trinitatem. Luc. 5.	97	—			
Dominica VI. post Trinitatem. Matth. 5.	100	—			
Dominica VII. post Trinitatem. Luc. 7.	104	—			

*) Hoc opus integrum IV tomos complectens exstat in Halensibus Bibliothecis Academica, Mariana atque Orphanotrophei, in Bibliotheca regia Berolinensi, academicis Vratislaviensi et Erlangensi, ducalibus Gothana et Guelferbytana, atque senatoriis Hamburgensi et Norimbergensi. Tom. 1—3 in meis libris sunt, Tom. 1. etiam in Bibl. magniducali Wimariensi et Tom. 2—4 in Bibl. regia Dresdensi reperiuntur. — Recensetur hoc opus a Strobelio in l. *Historisch-Litterarische Nachricht von Philipp Melanchthons Verdiensten um die heilige Schrift* (Altdorf und Nürnberg 1773. 8.) p. 88—94. et in huius Corporis Vol. XIV. p. 161—164.

**) Ad hunc Codicem spectant, quae Friedr. Galle in l. *Versuch einer Charakteristik Melanchthons als Theologen und einer Entwickelung seines Lehrbegriffs* (Halle 1840. 8.) p. 16. nota 1. adnotavit: „*Ich habe Gelegenheit gehabt, ein altes Manuscript, welches die Vorlesungen Melanchthons über die Evangelien vom ersten Trinitatissonntage 1550 bis zum dritten Pfingsttage 1551 enthält, zu vergleichen, in welchem sich so manche Bemerkungen, die in der Postille nicht gedruckt sind, finden. Die Schrift ist überaus deutlich und der Schreiber hat Melanchthons Hand nachahmend das ganze Heft überschrieben:* Ex ore domini philippi Melanchthonis collecta anno domini 1550 et 1551.“

Codex 2. continet 2 foll. non num. et 391 foll. num. (primitus, id quod ex Indice Miscellaneorum infra afferendo intelligitur, 394 foll. num. continuit, quorum tria extrema nunc desunt). Primum folium non num. in parte antica habet inscriptionem:

> *POSTILLA* | *MELANCHTHONIANA.* | (cui ab alia manu superscriptum est nomen:) *Barthol: FRENZEL.*

Infra hanc inscriptionem adscriptae sunt sex sententiae graecorum auctorum Pindari, Thucydidis et al. partim latine, partim graece et latine (quibus in interiore parte anterioris involucri 17 sententiae graecorum ac latinorum scriptorum praecedunt). Fol. 1^{b} cont. Capita Concionis De castis Angelis. Fol. 2^{a} — 2^{b}. *Index Contentorum in hoc Codice manuscripto*, quem h. l. integrum adscribo. Prior eius pagina, praeter illam inscriptionem haecce duabus columnis scripta exhibet:

Postilla Melanthoniana.

In Evangelia Dominicalia.

In Evangelia festivalia.

*) In ipso Cod. Ms. non *fol.*, sed *p.* in hoc Indice ubique leguntur; at non singulae *paginae*, sed singula *folia* in hoc Cod. numerata sunt, quapropter loco *p.* 1., *p.* 5., *p.* 11. etc. scripsi *fol.* 1a, *fol.* 5b, *fol.* 11a etc.

**) Haec concio in Indice, hoc quidem loco omissa, in fine concionum in Evangelia festivalia post concionem de Angelis memoratur.

In altera Indicis pagina haecce leguntur:

Postillae Melanchthonianae accesserunt
Miscellanea quaedam, nempe:

1. Quaedam insignia obiter excerpta ex ore D. Martini Lutheri in mensa ab eo narrata fol. 281ᵇ.

2. De infantibus in utero matris baptizandis: de abortubus et puerperis fol. 330ᵃ. Ad hoc argumentum pertinent Epistolae quatuor Lutheri, quarum prima inscripta est Ioanni Sorimano, fol. 330ᵇ, secunda Antonio, fol. 332ᵃ, tertia Leonharto Baier, fol. 333ᵃ, quarta Hieronymo Wellero, fol. 334ᵃ.

3. Epistola D. Philippi Melanthonis ad concionatores Goldpergenses, quae continet 1. utrum arcendi sint a ceremoniis baptismi, qui aliter sentiant de coena Domini, quam nos? 2. Quaestio hic agitatur de elevatione Sacramenti. fol. 334ᵃ.

4. Rationes, propter quas ceremonia elevationis corporis et sanguinis Domini Wittembergae abrogata sit Anno 44. fol. 335ᵃ.

5. An et quomodo orandum sit pro adversariis Philippi iudicium fol. 335ᵇ.

6. Vitulus Iudaeorum fol. 337ᵇ.

7. Confutatio Iudaeorum ibid.

8. De Iudaeis baptizandis, postquam conversi sunt. fol. 338ᵃ.

9. Quaedam insignia obiter inter legendum narrata, et ex annotationibus Ph. Melanthonis excerpta fol. 339ᵃ. Huc referenda puto esse et ea, quibus fol. 343ᵃ praescriptum est: Paulus Eberus, quamquam suspicari quis posset, ea ex Pauli Eberi lectionibus aut colloquiis fuisse hausta.

10. Hendecasyllabi, quos dictabat in Schola Ihenensi Ioannes Stigelius, poeta facundus et castus Anno 1553. 30. die Maij, initium eorum: Sic nos haec terit et fatigat aetas. fol. 349ᵃ.

11. Sententia D. Praeceptoris Philippi Melanthonis de propositione: Utrum bona opera sint necessaria ad salutem etc. 1553. fol. 350ᵃ.

12. Discrimen doctrinae Osiandri, adversariorum doctorum, et nostrae Ecclesiae in articulo de Iustificatione. fol. 351ᵃ.

13. Distributio et Numeratio dierum mensis Attici. fol. 352ᵇ.

14. Duplex ordo Mensium Ebraicorum. fol. 353ᵇ.

15. Tabula exhibens certarum Stellarum ortus et occasus cum Sole et aliis Planetis, iuxta seriem signorum Zodiaci ad horizontem Witebergensem. fol. 354ᵇ (cui fol. 353ᵇ — 354ᵃ praemissa est instructio: De usu Tabulae sequentis).

16. Colloquium D. Doctoris Erhardii Schnepfii et Theobaldi Thameri 1553. Ienae ad Salam. fol. 357ᵇ.

17. Historia publice recitata a D. Vito Ortel. Winshemio Anno 1546. fol. 381ᵇ de Comite quodam a Gleichen. Historiam hanc aliae excipiunt historiae, dicta, sententiae, vel his similia.

18. Epistola inscripta Ioanni Stolsio, Christi ministro in aula Vinariensi (cui subscriptum nomen Nicolai Amsdorfii) fol. 392.

19. Alia D. Erhardi Schnepffii ad Alexium Bresnicenum Pastorem et Superintendentem Aldenburgensem. fol. 394.

20. Carmen in obitum Mauricii Ducis Saxonum, Electoris. *)

---

*) Haec tria extrema nr. 18—20. in hoc Cod. nunc desunt, quoniam fol. 392—394. exscissa sunt.

Hunc Indicem ab alio serius confectum atque praefixum subsequitur ipse Codex Postillae et Miscellaneorum ei annexorum, a quodam annis 1552 et 1553. manu exaratus; nam fol. 219^a in fine Explicationis Actor 5. leguntur haec verba: „*Descripsi Ronneburgi Anno Christi* 1552 *postridie S. Matthaei Apostoli.*“ et fol. 2[illegible] in fine Explicationis Passionis Christi: „*Ronneburgi Anno christi* 1552. 3. *Octobris absoluj.*“ atque fol. 348^a in fine eorum, quae in Indice Miscellaneorum nr. 9. afferuntur: „*Descripsi Ronneburgi Anno* 1553. 6. *Idibus Ianuarij.*“ Fol. 145^a idem in concione Dominicà Quinquagesimae habita, ad verba „Hoc ipso in loco sedens Vitus Amerbachius ante aliquot annos disputabat de dicto Geneseos 15.“ rubro colore adnotavit: „*Huic disputationi intereram Witebergae, si bene memini, Anno* 1538.“ Praeter hanc multae quoque aliae annotationes in margine eadem manu adscriptae sunt rubro colore, quo etiam inscriptiones paene omnium concionum, ac interdum singulae earum voces exaratae sunt. Denique memorandum est in interiore parte posterioris involucri legi Epitaphium Eccii per Philipp. Melanthonem et varia aliquot dicta.

Hi duo Codices modo descripti ordine quidem concionum Postillae Melanthonianae, quas exhibent, inter se differunt, at verbis ipsis consentiunt, et tantummodo scriptione quarundam vocum et praesertim scripturae compendiis dissentiunt. Quodsi vero cum Pezelii editione Postillae Melanthonianae eos conferas, multas diversitates reperies, quarum causae ex illius collectoris consilio supra proposito explicandae sunt. Fortasse lector reprehendet, quod has diversitates singulis concionibus Pezelianae collectionis non adscripserim, quoniam vero ex bibliopolae voluntate omnes annotationes criticae in hoc libro sunt omittendae, coactus sum, ut primum illam Pezelii collectionem integram, omissis tamen notis ab eo in margine adscriptis, recudendam curem, tum vero in Appendice diversitates maioris momenti addam, quibus illi Codices ab hac collectione discrepant.

Priusquam autem ad Postillae Melanthonianae collectionem Pezelii transgredimur, duae Praefationes eius, quas duabus prioribus Partibus praefixit, afferendae sunt, in quarum priore historiam huius collectionis proposuit, in altera autem docet, quantum fructum praebeat. Duarum vero posteriorum Partium Praefationes, quippe quae nihil continent, quod ad hoc opus ipsum spectet, omittendas esse censui.

Praefatio Partis I.

Clarissimo viro, vera in Deum pietate, sapientia, virtute, ac dignitate praestantissimo:
D. Georgio Tribelio, Curatori venarum metallicarum Schmelnicensium:
patrono suo reverenter colendo, S. P. D.

Christophorus Pezelius Theologiae Doctor: et in Ecclesia ac Schola
Bremensi Pastor et Professor.

Constat primis Ecclesiae veteris temporibus integros Scripturae sacrae libros populo Christiano praelectos singulasque eorum partes continua serie a Doctoribus explicatas fuisse. Ostendunt id in Graeca et Latina Ecclesia scriptorum vetustissimorum Enarrationes in libros tum Veteris, tum Novi testamenti, quae extant. Sed, nisi tituli Sermonum de tempore fallunt, qui Augustini nomen prae se ferunt, apparet paulatim ex integris Evangelistarum scriptis selectas quasdam lectiones excerptas, ac certis anni temporibus accommodatas fuisse. Continetur igitur et inter Gregorii Magni opera liber Secundino Laurimitano Episcopo inscriptus: in quo Homiliae recitantur quadraginta in totidem particulas textuum Evangelicorum, quae in Ecclesia Romana diebus certis legi ex more solitae fuerunt. Sed et Beda Anglus, qui Venerabilis cognomentum ex vitae sanctitate, morumque gravitate adeptus est, Homilias aestivales ac hyemales, de tempore, et de sanctis edidit in particulas seu lectiones certas, excerptas ex Evangelistarum narrationibus.

Is vero, qui hodie in Postillis, quas vocant, ordo Dominicalium lectionum conspicitur, et in magna parte orbis Christiani adhuc usurpatur, ab aliis ad Alcuinum Caroli Magni praeceptorem, ab aliis ad Paulum Diaconum refertur: haud alio argumento, quam quod homilias certas patrum particulis illis Evangeliorum

Dominicalium accommodavit, ut ostendit liber ille, qui **Homiliarius** inscribitur: in cuius praefatione Imperator Carolus Magnus fatetur, se Paulo Diacono familiari suo iniunxisse, ut patrum dicta super Evangelia in ordinem redigeret, et certos flosculos ex florentissimis eorum pratis legeret, et in unum quasi sertum aptaret. Quod cum ille fecisset, opere absoluto his versibus Carolo Magno laborem suum commendat:

Utere felix, Munere Christi, Pluribus annis
Luxque decusque Magne tuorum, Carole princeps,
Atque togatae Arbiter orbis, Dardanidaeque
Gloria gentis.

Inde vero nondum satis liquet, Paulum Diaconum ipsas lectiones primum distinxisse, sed lectionibus iam ante usitatis, homilias saltem patrum, quae una cum lectionibus illis Evangelicis in Ecclesia recitarentur, adiunxisse. Quocunque ergo auctore distributio textuum Dominicalium constituta ab initio fuerit, eam tamen ob caussam communi consensu Ecclesiae Christiani orbis tot seculis lectiones istas retinuerunt, ut rude vulgus, cum nec integra Biblia legere, nec ab aliis praelecta conservare memoria possit, historiam Christi et praecipua aliqua testimonia de articulis fidei itemque de poenitentia serio agenda, deque officiis omnibus dilectionis erga Deum, et proximum, ex usitatis, et quolibet anno repetitis et inculcatis lectionibus Dominicalium Evangeliorum et Epistolarum addisceret.

Eandem ob caussam (etsi sub Papatu abusus accesserunt non leves, ut quod Bibliorum lectio adeo in desuetudinem venit, ut Theologi multi extiterint seculis superioribus, qui ne viderint quidem unquam Biblia integra: et quod ad Missas fucandas palliandasque textus illi translati fuerunt) tamen Ecclesiae etiam repurgatae pleraeque per Germaniam, ut infirmitati rudiorum consulatur, consuetudinem illam receptam in lectionibus certis, singulis Dominicis et festis diebus proponendis ad populum retinent, salvo nihilominus usu libertatis Christianae, ut vel in festis praecipuis vaticinia prophetarum de Christo maxime illustria explicentur, vel etiam integrum aliquod scriptum, sive Prophetae alicuius, sive Evangelistae continuo ordine enarretur. Quod quidem in Ecclesiis frequentioribus fere fit diebus profestis, quibus ad conciones sacras populus in templis convenire solet.

Hac libertate relicta, ut par est, Ecclesiis diversis (neque enim omnia omnibus conveniunt) citra superstitionem conservatus fuit etiam in Wittembergensi Ecclesia, mos annuatim repetendi, atque in suggestu et pulpito enarrandi textus Dominicales.

Instaurata igitur Academia post bellum Germanicum, quia Hungari multi Germanicas conciones in templis intelligere non poterant, **Philippus Melanchthon**, qui vere erat *ἀνὴρ ἐσθλὸς κοινὸν ἀγαθόν*, in illorum gratiam domi suae instituit diebus festis explicationem Evangeliorum Dominicalium: Mox aliorum concursu aucta frequentia auditorum, in auditorium publicum transtulit eas sive Praelectiones sive conciunculas, in quibus familiari sermone insigniora singulorum textuum explicare solebat. Nam ut in docenda iuventute exercitatissimus erat, et copia multiplicis doctrinae instructissimus; sic ad captum auditorum praesentium, quorum plerique adolescentes erant, multi etiam adhuc pueri, enarrationes suas dirigens, tum Grammatica et Historica, tum vero etiam Catechetica et Theologica miscere solebat, ut non modo utilis, sed etiam suavis et iucunda ea praelectio esset omnibus. Ac meminerunt, qui ab anno 1549, usque ad beatam illius ex hac vita migrationem, quae anno 1560 contigit, Witebergae operam dederunt studiis, vix aliam fuisse lectionem magis frequentatam, quam hanc ipsam, in qua perpetuo ille praeceptum hoc veteris dicti sequebatur:

Οὔ μοι λέγε κόμψα, ἀλλ' ὧν δεῖται πολύς.

Et Horatianum illud:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Vel potius quod Dominus et Salvator noster inquit Matth. 13. Omnis scriba doctus in regno coelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

Etsi autem dictare ille nihil solebat, extemporaneo sermonis genere utens, ut et subirent animos celerius quae dicebantur, et ipse ad horae clepsydram plura absolveret: non defuerunt tamen, qui, cum manus celeritate in scribendo valerent, de qua a Poeta dictum est:

Currant verba licet, manus est velocior illis.

pleraque ex ore familiariter disserentis excipere, ac in chartas referre studebant: fuitque tanta aliquorum industria, ut ne πάρεργα quidem praetermitterent, quin ea quoque annotarent. Tantus tunc fervor, tantum studium erat in audiendo praeceptore optimo, et excipiendis monitis sanctissimis, quibus et iudicium formari, et pietas atque eruditio augeri posse videretur.

Post obitum viri tanti, cui parem futura non habebunt saecula, cum gubernatores studiorum publicorum in Academia Witembergensi iudicarent propter adolescentes externarum nationum, conservandam esse consuetudinem enarrandi Evangelica Dominicalia: **Paulus Eberus** Ecclesiae pastor, vestigia praelectionum Philippicorum sequi conatus, interdum conciunculas Philippi integras de scripto recitavit; nonnunquam vero alia addendo, alia demendo, suas quasdam conciones scholae proposuit. Extant hae **Pauli Eberi** conciunculae post mortem eius, etsi non magno cum iudicio collectae, et editae a **Ioanne Cellario Budissino**: quae tamen vel propter hanc solam opinionem, quod Philippicum aliquid retinerent, avide a multis arreptae sunt.

Post Eberum vir clarissimus D. **Caspar Cruciger** explicationem Evangeliorum Dominicalium in se recepit, et ut auditores repetendi, quae docerentur, occasionem haberent, non diu ante dissipationem Academiae (quam saevi quidam hypocritae praetextu certaminum de persona Christi, et Coena Domini Anno 1574. moliti sunt) dictando proposuit Scholae homilias, in quibus suo quodam consilio summas explicationum Philippicarum sic contexebat, interdum oratione continua, saepe etiam quaestionibus adhibitis, ut doctrinam Melanchthonianam retinere studeret: methodum autem et genus orationis aliud stilo suo proprio adhiberet.

Sed huius laboris sui editionem impetrari a se hactenus passus non est: vel molestiam retexendi inter aerumnas exilii multiplices, vel varietatem diversitatemque iudiciorum veritus; vel etiam, quia satisfecisse suo muneri se existimavit, quod viva voce illa auditoribus suis olim proposuisset, quorum multos sciebat adhuc asservare, quae dictata ab ipso essent. Quae mihi tamen caussae, quod pace illius dixerim, cum ad excusandum non videantur satis idoneae (Nemo enim lucernam accensam ponit subtus modium, sed supra mensam collocat, ut luceat omnibus, qui in domo sunt) etiamnum meo et Ecclesiae nomine eum rogo, ut collegam et amicum veterem, adeoque propter publicam utilitatem obtestor, ut illa tamquam ἐρείπια Scholae Witembergensis veteris in publicum proferat, si non **Philippi**, saltem suo praescripto nomine.

Conciuncularum autem a Philippo ipso habitarum memoriam cum recordatione suavissima conservarunt multi ex auditoribus, quorum aliqui ad summos in Republica honores postea evecti sunt, qui quidem vehementer optarunt illarum reliquias tamquam fragmenta de uberi mensa cadentia, ne plane perirent, colligi, atque in publicum edi.

Horum ex numero fuit vir eximius, Doctor **Andreas Pauli** Iurisconsultus, qui duobus Saxoniae Electoribus, Augusto et Christiano, piae memoriae, propter prudentiam et fidem charus fuit. Saepe etiam in legationibus ad Reges et Principes potentes missus est: ubi summi viri, eius integritatem et in omni officio diligentiam valde probarunt: nos etiam eruditionem et pietatem, et curam Ecclesiae iuvandae vere celebrare possumus. Hic, ut publice docentem Melanchthonem multis annis audiverat, et domestico eius convictu usus fuerat sic aetate atque iudicio iam confirmatus, nihil magis in votis habebat, quam ut ea, quae adolescens maxima cum voluptate ex illo didicerat, sua et aliorum caussa publice extarent.

Itaque per amicos a me contendere, eum ut laborem in manus sumerem, quem nominis et doctrinae Melanchthonianae amantissimum esse ignorare non poterat ex qualibuscunque scriptis a me editis, ac potissimum ex **Obiectionibus et Responsionibus theologicis**, quas **Philippicorum argumentorum** titulo in usum iuventutis Scholasticae in publicum emisi, de quibus ipse aliquando ad me scripsit Iudicare se doctrinam Ecclesiarum, quae Dei beneficio restituta esset in Germania per magnos illos heroas, Dominum Lutherum et Philippum Melanchthonem, ita in scripto illo argumentorum Philippicorum repetitam atque explicatam esse, ut spes sit illam ea ipsa ratione feliciter ad posteritatem propagari: atque etiam rixis fanaticorum et opinionum novarum commentis corruptam, et obscuratam, instaurari inde posse. De quo aliorum sane iudicium esto, qui conferre atque comparare laborem illum volent cum norma Scripturae Sacrae, et perpetuo consensu repurgatorum doctrinae Evangelii, quod ad fundamentum fidei Orthodoxae attinet, quod fideliter illustrare me studuisse optima conscientia affirmo.

Accessit ad Andreae Pauli votum atque desiderium, etiam aliorum auctoritate praestantium iudicium: et inter hos viri praestantissimi, generi Melanchthonis, et veritatis Orthodoxae constantis Confessoris D. Caspari Peuceri, quem dicere memini: Existimare se, quicquid sit divinae et humanae sapientiae, quae in hac vita cadere in hominem possit, eius imaginem relucere tum in caeteris scriptis Melanchthonianis, tum inprimis in Praelectionibus eius Evangelicis et Chronicis.

His iudiciis praestantium virorum confirmatus, et mea sponte ad colligendas reliquias doctrinae Melanchthonianae incitatus, in optima tamen voluntate atque proposito cunctantius ad laborem hunc accessi, quod et adminiculis necessariis destitui me videbam: nam quia per fortunae iniquitatem non licuerat mihi in Academia Witebergensi diu audire suavissimam vocem Melanchthonis, pauca inter chartas meas reperiebam, quae ex docentis ore manu mea excepissem: Et cum nullus sit usus diligentiae, nisi tempus ad laborem suppetat, sentiebam me propter vocationis meae operas in Ecclesia et Schola assidue praestandas, ne quidem otii tantum habere, ut tentare laborem eiusmodi auderem.

Verum opportune accidit, ut Scholae nostrae Rector esset, vir et Poeta doctissimus M. Ioachimus Meisterus, qui, antequam huc venisset, ab Abrahamo Bucholcero necessario suo, collectanea quaedam lectionum Philippicarum nactus fuerat, in quibus erant anni quadragesimi noni, et duorum sequentium annorum Rhapsodiae Evangelicae. Quorum annorum Rhapsodias suas etiam Henricus Mollerus Theologiae Doctor, et collega quondam meus charissimus, paulo ante mortem suam amantissime mecum communicavit.

Postea et Doctor Andreas Pauli, qui laboris istius suscipiendi auctor mihi fuerat, per cognatum atque affinem suum virum Clarissimum D. Andream a Dham, consiliarium Illustrissimorum Ducum Luneburgensium, Rhapsodias anni quinquagesimi quinti, et quinquagesimi sexti mihi curavit, quas in privatum suum usum conscripserat vir pietate et eruditione insignis, Dominus Andreas Schoppius Leobergensis.

Ad has accessit studium viri ornatissimi, et propter doctrinae excellentiam, et humanitatem, et promptitudinem in officiis honestis praestandis, omnibus in universa pene Europa bonis ac doctis charissimi, D. Iacobi Monavii, qui, cum me in hoc labore versari cognovisset, non desiit esse *ἐργοδιώκτης* in urgendo hoc instituto; et cum in Pannonias aliquando ex patria negotiorum suorum caussa exspatiatus esset, a pastoribus illorum locorum Rhapsodias diversorum annorum mihi impetravit, quibus magnopere me adiutum esse ingenue profiteor.

Ad extremum, Noribergae cum essem, biennio iam et aliquanto amplius exacto, ibique cum amicis *φιλοφιλίπποις* de reliquiis illis Scholarum Philippicarum in colloquium venissem, non modo hortati me illi sunt, ut laborem susceptum publicae utilitatis caussa urgerem atque perficerem, sed etiam, quas in Bibliothecis suis habebant, consignationes annorum plurium, humanissime mecum communicarunt, iisque, donec ad metam optatam labor perductus esset, uti me haud inviti permiserunt. Ex his honoris caussa, et ut posteri gratitudinem se eis debere intelligant, non possum non nominare viros Reverendos D. Mauritium Hellingum et M. Laurentium Durnhoferum, et doctrina ac virtute et usu rerum politicarum ornatissimum virum M. Matthiam Schilerum, Reipublicae Noribergensi ab epistolis secretioribus.

Suum etiam *ἐπιβάλλον μέρος* contulit ad hunc laborem vir humanissimus Andreas Scato, artis Medicae Doctor et Professor, qui anni quinquagesimi primi explicationem Philippicam, ut cum aliis exemplaribus conferrem, perhumaniter, cum Witebergam transirem, mecum communicavit.

Quamobrem singulari Dei providentia adminiculis istis instructus, etsi dolebam aliquot annorum Rhapsodias ad manum mihi non esse, quas ad continuandam seriem annorum ab anno quadragesimo nono, ad annum sexagesimum invicem se subsequentium frustra ab aliquibus requisiveram (qui collectanea sua nescio quo consilio premere maluerunt, quam ut vel ipsi ad publicam utilitatem eis uterentur, vel alios uti sinerent: similes cani illi Aesopico, qui corpore suo stratus in praesepi, neque ipse vesci foeno poterat, neque equos aut boves eo pasci sinebat).

Ne tamen aliorum annorum consignationes temere accepisse ab amicis viderer, Deo ducente, manum tandem operi admovi, idque horis succisivis, quas impendere huic labori malui, quam polemicis scriptis pluribus adornandis, in tanta adversariorum veritatis rabie, qua exemplo caprae efferentis se propter loci securitatem, et leoni petulanter ac contumeliose insultantis, multo nunc studio habent, petulanter incessere alios neque vivis parcentes, neque mortuis.

Non possum autem non profiteri, multo labore et temporis impendio non exiguo, mihi praesertim initium operis huius suscepti constitisse. Nam quia Rhapsodiae pleraeque celeri manu exceptae erant, et notis abbreviationum plurimis constabant, difficile mihi fuit assequi legendo, quae festinanti calamo, sine distinctionibus membrorum et periodorum plerumque scripta erant. Deinde non sine taedio fuit, conferre exemplaria non unius saltem, sed plurium annorum, praeterea insigniora ex singulis Rhapsodiis notanda, excerpenda, in ordinem redigenda, et suis quoque locis reponenda fuerunt, propterea quod initio non ex singulis Rhapsodiis singulas conciunculas, sed ex universis annorum plurium, unam concionem adornare, et quasi in unum corpus redigere institueram: hoc ordine plerumque servato, ut primum grammatica et historica, postea vero doctrinae locos recitarem: quo ipso ordine videbam et D. Philippum magna ex parte usum fuisse; qui tamen aliis atque aliis annis, aut plura aut pauciora, quae ad Grammaticam spectabant, et doctrinae locos alios atque alios, hoc aut alio ordine libere tractare solebat.

Etsi autem religio mihi fuit, discedere a verbis et phrasibus Philippicis, tamen subinde res postulavit, ut aut Germanica multa inter docendum aspersa Latine reddenda: aut ex Rhapsodiis diversorum annorum evidentiora deligenda, aut quae in pluribus Rhapsodiis diversa, sed ad unam eandemque doctrinam illustrandam utilia se offerebant, connectenda quomodocunque fuerint.

Hanc σωματοποιΐαν cum inter initia huius laboris aliquamdiu prosecutus essem: postea tamen certis de caussis mutavi: primum, quia nimium temporis ad illam requiri videbam, quo inter assiduas vocationis meae operas, et impedimenta studiorum plurima, minime equidem abundabam. Deinde si unam saltem concionem ex omnibus, quas annorum diversorum penes me haberem, Rhapsodiis contexere pergerem, metuebam, ne prolixitas fastidium lectori pareret. Ad haec experiebar ordinem subinde mutandum, quem Melanchthon usurpaverat saepe etiam earundem rerum declarationes uberiores aut alio loco inserendas, aut plane omittendas esse. Sed et lectori gratum fore putabam, integras aliquas conciunculas eo modo descriptas videre, quo erant habitae a Melanchthone. Denique, singula maiorem fidem habitura existimabam, addo etiam suaviora, iis qui Philippum ipsum audivissent, fore mihi persuadebam, si quae de textu proposito uno tempore familiariter, et dictione extemporanea ille disseruisset, una etiam conciuncula eodem prorsus modo, quo iila habita a D. Philippo esset, suo quaeque loco retineretur.

Mutato ergo priori instituto, iam non plurium Rhapsodiarum σωματοποιΐαν una concione complecti, sed ex toto cumulo Rhapsodiarum, quas ad manum habere potui, conciunculam eam ad Dominicas singulas, quae visa fuit plenior, integram describendam curavi, neque demptis, neque additis aliis, quae in ea concione non haberentur. Huic vero integrae concioni seorsim subieci, quae ex Rhapsodiis singulis, ad pietatem et eruditionem pertinentia, utiliter addi posse videbantur.

Nec vero arbitror opus esse, ut qualiacunque ista collectanea lectori commendem, cum eorum utilitas et suavitas ex ipsa lectione facile percipi possit. Et eduntur ista, non nasutulis aut fastidiosis lectoribus, sed studiosis atque amantibus doctrinae Melanchthonianae, cuius pene singula verba, oraculorum instar sunt afferenti studium meditationis: ut de Euripide pronuntiavit Cicero, *Singulos eius versus, singula esse oracula.*

Tuae vero dignitati, vir amplissime, dedicandam atque inscribendam hanc primam operis huius partem existimavi, quod ex literis Iacobi Monavii, viri Clarissimi et amici utriusque nostrûm singularis, quin et ex tuis ipsius ad me literis, humanissime aliquoties perscriptis, lucide, non obscure perspexi, unum te esse ex iis, qui et nomen et scripta Philippi Melanchthonis admirantur, magnifaciunt, et amant.

Deinde quod ex fama publica cognovi, te pietate sincera, et aliis virtutibus multis excellentibus praeditum (ubicunque enim vera in Deum pietas est, ibi chorus aliarum virtutum deesse non potest) inprimis vero studio beneficentiae, optime mereri de Ecclesiis istarum regionum, et in universum de studiis eruditis, et de literatis hominibus.

Est autem haec virtus eximia, et rarum Dei donum, excitantis subinde aliquos, qui ad fovendas et ornandas Ecclesias et Scholas, et provehendos eos, qui doctrinarum studiis dediti sunt, liberalitatem suam exerceant et beneficentiam. Nec exiguum est magnorum et praestantium virorum elogium illud, quod apud Comicum exstat, *Et habet quod det, et nemo dat eo largius.* Nam si qui tales sunt, decus multarum virtutum exercent: quia et facto probant, se intelligere, quis sit verus divitiarum usus, et cum hilari animo operam dant, ut de fontibus suis rivuli ad alios iuvandos promanent, multipliciter fidem suam erga Deum ostendunt.

Statuunt non casu obiici bona, sed vere a Deo dari: Obtemperant voluntati Dei, qui iubet sperare, non in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus, prompte tribuere, et communicare aliis, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendatur vera vita: Denique petunt et expectant a Deo praemia et compensationem secundum promissiones eius: Foeneratur Domino, qui iuvat pauperem iustum.

Accipe ergo vir clarissime hunc laborem nostrum iam pridem animo meo tibi destinatum, tamquam observantiae erga te meae testimonium, et virtutum tuarum, quibus de bonis bene mereri assidue studes, monumentum perpetuum; et quicquid utilitatis ex hoc scripto ad iuventutem studiosam redire poterit, sub augusto tuo nomine ad alios promanare sine.

Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum et resuscitatum pro nobis, et gloriose regnantem ad dexteram patris toto pectore oro, ut Ecclesias Pannonias, quarum tu decus es et praesidium, clementer tueatur depulsis armis Turcicis: Te etiam tuosque in praesentis belli periculis salvos et sospites servet, et omni benedictionis genere in perpetuum cumulet, et augeat. Bene et feliciter vale, vir praestantissime, et perpetua observantia mihi colende. Bremae, mense Martio, Anno Christi 1594.

Praefatio Partis II.

Reverendis et amplissimis clarissimis viris, pietate, eruditione, sapientia et omni virtutum genere praestantibus Dominis pastoribus: iudicibus regiis: consulibus et Senatoribus urbium Pannoniae et Transsylvaniae, quae puriorem doctrinam Evangelii profitentur; Dominis et amicis suis reverenter colendis, S. P. D. Christophorus Pezelius D.

Memorabile est hoc Xenophontis dictum: *Οὐ πάνυ γε ῥᾴδιόν ἐστιν εὑρεῖν ἔργον, ἐφ' ᾧ οὐκ ἄν τις αἰτίαν ἔχει. Χαλεπὸν γὰρ, οὕτω τι ποιῆσαι ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν. Χαλεπὸν δὲ, καὶ ἀναμαρτήτως τι ποιήσαντας, μὴ ἀγνώμονι κριτῇ περιτυχεῖν:* hoc est, Non facile est invenire opus, in quo quis non habeat quod culpet. Difficile enim est, aliquid ita facere, ut non aberres: Difficile est quoque eos, qui sine errore aliquid fecerint, in malignum iudicem non incidere. Non igitur in hoc labore (in quo reliquias Scholarum Melanchthoniarum in Evangelia Dominicalia colligere, et ab interitu vindicare conatus sum) praecipuam aliquam fortunam mihi polliceri debeo, neque vel diversitatem iudiciorum, vel etiam multorum reprehensiones effugiturum me sperare possum.

Ut autem me ipsum erigo, atque sustento partim testimonio conscientiae propriae, partim spe rectorum iudiciorum, in his, qui candide, et sine malevolentia iudicaturi sunt: sic aequum lectorem haud inique laturum confido, si aliquibus saltem improborum calumniis, aut non prorsus malorum, pravis opinionibus atque praeiudiciis aliquo modo occurrere studeam.

I. Sunt enim aliqui, qui etiam memoriam nominis et scriptorum Philippi aversantur, odio erga personam tanti viri tam pertinaciter concepto, ut ne quidem post mortem eius exuere illud, atque deponere posse videantur. Hi vero cum animi sui morbum ipsi prodant et ingratitudinem, curandi mihi non esse videntur. Ut enim Moyses surrexisse in Aegypto scribit, qui ignorarunt Ioseph: ita isti horribili cum ingratitudine obliti omnium meritorum Melanchthonis, etiam memoriam scriptorum eius abolitam esse cuperent. Illud autem dolendum est, eo rem devenisse, ut nec in scholis ferantur amplius, nec impune edantur aut distrahantur scripta Melanchthonis iis ipsis in locis, ubi ille ad annos quadraginta fideliter docuit, et ut est in eius Epitaphio:

Vitam fortunasque suas studiumque laboris,
Atque operam sanctam consiliique fidem
Impendit, divina tuis, Ecclesia, rebus:
Teque pius varia iuvit et auxit ope.

Multo vero magis serio motu pectoris deploranda est haec Ecclesiae calamitas, quod isthic locorum, ubi ex immota verbi divini auctoritate veritatem orthodoxam de omnibus Christianae religionis capitibus sincere D.

Philippus tradidit, ibi nunc Ubiquitarii regnant, qui extincta veteri doctrina ac luce, mera sophismata et tenebras Ecclesiae obtrudunt de persona Christi: de naturarum distinctione et proprietatibus: de vera atque unica caussa invocationis Christi: de legitimo Sacramentorum usu: receptis paradoxis absurdissimis de communicatione reali proprietatum in naturis: de omni-praesentia seu ubiquitate carnis Christi: de adoratione ad Christi humanitatem dirigenda, propter omni-maiestatem divinam in eam translatam, sive realiter effusam: de vi et efficacia Sacramentorum ex opere operato: de rei in Sacramentis promissae participatione piis ac impiis, fide vera praeditis, et ea omnino carentibus, communi.

De his falsissimis persuasionibus cum errores suos mordicus retineant harmostae illi novi, et veritatem orthodoxam persequantur Vatiniano odio, comprehensam in scriptis Philippi (in quibus toties hoc inculcatur), *Physicam, seu realem communicationem idiomatum re ipsa Eutychianam naturarum confusionem esse, et Sacramenta tantum in his, qui vera fide sumunt, rationem Sacramenti, id est, σφραγίδος πίστεως habere, nec aliter fieri applicationem Christi et beneficiorum eius, quam sola fide.* Mirum non est, iilis etiam eos invisos atque odiosos esse, qui scripta Philippi sarta tecta conservari in Ecclesia cupiunt.

Sed ut Orphei lyra dicitur abiecta in fluvium, aliquamdiu edidisse sonum: sic quam diu volet Dominus in aliquibus Ecclesiis, tum in Germania, tum extra Germaniam retinere aliquid puritatis, servabit sonum vocis Melanchthonianae ex scriptis eius adhuc resultantem.

Isti autem novi harmostae ne vultum quidem Melanchthonis ferre potuissent, etsi superstite Luthero, cuius ipsi nomine turpiter abutuntur, dissensionem commenti fuissent inter duos illos summos heroas, quorum opera Deus usus est in instauranda doctrina Evangelii, audivissent ab ipso Luthero haud dubie: *Qui Philippum non agnoscit praeceptorem, eum beanum esse oportet, et stupidissimum pecus Arcadicum.* Eiusdem D. Lutheri iudicium opponere si vellent, etiamnum possent, quae ille anno proximo ante mortem suam, scripta reliquit, in praefatione primi Tomi suorum operum: *Quid operatus sit Dominus per Philippum Melanchthonem tamquam organum suum, non in literis tantum, sed in Theologia, satis testantur eius opera, etiamsi irascatur Satan, et omnes squamae eius.* Item, *Inter libros methodicos Loci communes Philippi excellunt, quibus Theologus et Episcopus pulcre et abunde formari potest, ut sit potens in sermone doctrinae pietatis.*

Sed non tam refutandi verbis, quam cohercendi severius erant hostes illi Scriptorum et doctrinae Melanchthonianae: et petendum a Deo, ut istos apros turbantes fontes limpidissimos veritatis orthodoxae, et pacem ac tranquillitatem Ecclesiarum Evangelicarum horribiliter proculcantes compescat, et Ecclesiis ὀρθοδοξίαν pariter, atque ὁμόνοιαν restituat atque conservet.

II. Sunt autem et alii, qui Confessioni ac fidei Melanchthonis ὁμόψηφοι esse ac videri volunt: sed persuasione excellentis doctrinae et eximiae cuiusdam sapientiae suae opinione, scripta Philippica contemnunt, quia nimis sint popularia et facilia, cum ipsi argutum et subtile aliquid requirant. Itaque tenuiora esse illa existimant, quam ut eis legendis tempus aliquod tribuendum esse videatur. Hi delicatuli et fastidiosi, partim φιλαυτίᾳ peccant, tribuentes sibi ipsis antecellentiam: ut cum Darius ante Sesostris statuam collocari imaginem suam iubebat, cuius rerum gestarum magnitudinem ut recte templi illius sacerdos monuit, neutiquam adaequasset, multo autem minus superasset: partim ignavia, ne quidem legentes accurato cum iudicio, scripta Melanchthoniana, in quibus res necessario retinendae in Ecclesia singulari studio delectae, et proprio sermonis genere, ac maxime perspicuo expositae sunt, de quo Horatianum illud usurpari verissime potest:

— — — *ut sibi quivis*
Speret idem, sudet multum, frustraque laboret.
Ausus idem, etc.

Taceo, quod propter hanc ipsam caussam iuventuti Philippica maxime prosunt, quia sunt populariter exposita. Nec enim frustra in Epitaphio Epicharmi scriptum est: χρήσιμα εἶπε πᾶσι μεγάλα αὐτῷ χάρις. Et quod in Scholis vulgo fertur *Qui puerum vult docere, eum puerum fieri necesse est.*

III. Verum indignabuntur alii, obtrudi lectoribus non modo scripta et dictata Melanchthonis, sed etiam sermones familiares, et colloquia inter auditores habita. Id enim perinde esse dicunt, ac si quis colloquia omnia patrisfamilias cum liberis et caeteris domesticis suis efferre atque evulgare velit. Imo vero liberis generosis etiam dictorum singulorum, quae ex parentibus, praesertim morti vicinis, audiverunt, memoria atque

recordatio grata atque iucunda esse solet. Et accedunt aliae caussae, cur prosit ea asservare, quae a magnis viris inter docendum prolata sunt: quia multa hac occasione declarantur, quae minus plene aut brevius atque concisius, saepe etiam obscurius in scriptis publicis exposita sunt. Hic enim pressius omnia, illic vero liberius et familiarius pleraque tractantur. Testimonium etiam perhibetur constantis professionis unius eiusdemque vocis doctrinae. Et adsperguntur subinde paternae commonefactiones ad praesentes auditores, quae ad excitandos animos plurimum momenti habent.

Nec inelegans est apud Philostratum narratio de Damide Assyrio, socio Apollonii, viri sapientis et divini. Is enim in libro quodam conscripserat, quae ab Apollonio dicta aut facta fuerant, idque ea diligentia, ut minima etiam collegisse eum appareret. Erat autem alius quidam vir otiosus et invidus, qui caetera quidem ab eo scripta bene recteque se habere dicebat, quod sententias et opiniones Apollonii memoratu dignas collegisset: id vero negabat se probare, *quod minima etiam dicta suo operi inseruisset, catellos imitatus, qui coenantibus dominis micas de mensa cadentes colligunt.* Huic respondens Damis: *Recte dicis* (inquit) *verum et Deorum est convivium, et Dii convivae sunt, et horum ministris maxima cura est, ne qua etiam minima ambrosiae particula, si forte ceciderit, pereat.* Sed nos in Ecclesia etiam a Christo praeceptum esse, meminimus: *Colligite fragmenta, ne quid pereat.* Denique in veteri Testamento Deus in memoriam miraculosae pastionis Israelitarum in deserto, asservari iussit Manna, etiam cum illius nullus amplius ad vescendum usus esse videretur.

IV. Sed nimis sero haec proferuntur, obiicient aliqui. Anni enim triginta quatuor nunc effluxerunt post beatam Philippi ex hac vita migrationem. Utinam vero iam pridem aliquis extitisset, qui laborem hunc colligendi atque in publicum edendi fragmenta ista Scholarum Philippicarum recipere in se voluisset! Mihi quidem ante annos complures animus non defuit colligendi istas micas cadentes de mensa Philippi Melanchthonis, sed occasiones defuerunt: quae, ut sunt dona Dei, ita aliis atque aliis temporibus se magis minusque offerunt. Neque vero quicquid per se bonum est, reprehendi debet, quocunque sane tempore proferatur. Atque utinam vel nunc editio harum Scholarum Philippi (in quibus summa simplicitate ac proprietate res necessariae et utiles explicantur) exemplo esset fanaticis multis, ut absurda aut ambigua dicta maiori studio caverent, quae nihil aliud, quam doctrinae confusionem et tenebras pariunt.

Etsi enim in populo maiores plausus cient illa *θαύματα ῥημάτων*, sicut et Thucydides suos cives obiurgat, *quod fastidiant usitata, et mirentur absurda*: tamen licentia illa in dicendo, in Ecclesia horribilis pernicies est, sive consulto aliquis ludat praestigiis sophismatum, ut fecerunt, et faciunt multi blasphemi; sive inscitia spargat improprie dicta, quae dissimiles opiniones in animis auditorum relinquunt.

V. At non Theologica tantum, verum etiam Grammatica et Historica multa in his Scholis recitantur. Id morosi aliqui ac nimis superstitiosi cavillantur praeter decorum esse. Sed faciunt nae intelligendo isti, ut nihil intelligant. Non enim cogitant, quae ratio fuerit auditorii illius, in quo Comites, Barones, nobiles, et omnium ordinum ac professionum studiosi, senes, iuvenes, pueri in maxima frequentia ab ore docentis pendebant. Singulis ergo, ut fructum aliquem afferrent lectiones singulae, de industria proferre solebat ex thesauro multiplicis copia doctrinae suae vetera et nova, ut Christus in parabola de patrefamilias loquitur. Studio etiam habebat saepe multumque conferre inter se Philosophica et Theologica, ut ostenderet, quid deesset sapientiae humanae, et quantum doctrina Ecclesiae antecelleret Philosophiae, quae exigua particula legis est. Denique apiculas imitabatur, quae ex vario florum genere succum mellis generosissimum conficiunt, ut est in versibus Manilii:

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant:
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.
Aurea perpetua semper dignissima vita.

Tantum igitur abest, ut vitio verti debeat, quod D. Philippus non inter rude vulgus, non in templis docens, sed in coetu studiosorum, et in schola sedens, utilia dulcibus miscebat, ut laudem potius dexteritatis et eruditionis modus ille docendi mereatur. Nam et hoc artis est, *κοινὰ καινῶς*, et *καινὰ κοινῶς* in docendo proponere.

Postremo offendentur forte nonnulli crebra earundem rerum repetitione: solebat enim sine omni affectatione novitatis, eadem Melanchthon repetere et inculcare, quae utilia et necessaria esse iudicabat, et non modo Pauli auctoritate se tuebatur, qui ad Philippenses ait: *Eadem vobis scribere, mihi quidem non molestum, vobis autem est necessarium:* sed etiam Socratis exemplum crebro allegabat, qui contra Hippiam Sophi-

stam. laudi sibi ducit, *quod de iustitia dicat perpetuo* τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν, ut est apud Xenophontem in Ἀπομνημονευτικοῖς.

Delectabatur etiam dictis Epicteti et Platonis: quorum ille, *Scire*, inquit, *oportet, quod non facile sit homini comprehendere doctrinam aliquam, nisi quotidie eadem et dicat aliquis et audiat, et simul ad usum in vita transferat.* Hic vero etiam iam senex scripsit, πολλάκις δὲ λεγόμενα καὶ ἀεὶ ἀκουόμενα, καὶ πολλὰ ἔτη, μόγις ὥσπερ χρυσὸς ἐκκαθαίρεται μετὰ πολλῆς πραγματείας. *Etiam cum saepe doctrina eadem repetitur, et semper auditur multis annis, vix tamen ut aurum perpurgatur cum magnis exercitiis.*

Quid? quod beata illa anima Philippi toties affirmabat studium novitatis omnibus temporibus, errores in Ecclesiam invexisse? de quo citabat Hieronymi Schurfii dictum viri sapientissimi, et in doctrina Evangelii recte instituti, qui existimarit *illam fuisse primam occasionem, cur Ecclesiae doctrina corrupta sit, quia docentes habuerint studium nova docendi, et populus consueta fastidiens, novi aliquid audire voluerit.* Utinam igitur possemus eadem, quae vera sunt et utilia, non tantum iisdem verbis, sed etiam iisdem literis et syllabis efferre, ut magnum commodum est, quod iisdem characteribus in scribendo et numerando omnes utimur.

Quae cum ita sint, et nomen Philippi, propter dona Dei in eum collata, et merita ipsius in Ecclesiam et scholas memoria et veneratione perpetua dignissimum sit, et scriptorum ipsius utilitas sit manifesta, atque illa etiam quae parva videntur, vere magna sint, neque iis saltem, qui tunc eum docentem audiverunt, sed etiam posteritati plurimum prodesse queant: collatio item philosophicarum disputationum discrimen Philosophiae et Evangelii illustret, quemadmodum et Grammaticae explicationes vocabulorum et phrasium, et circumstantiarum historicarum expositiones magnum lumen afferunt rebus ipsis penitius cognoscendis. Denique cum eorundem crebra repetitio confirmet iudicia legentium: Confido sane, bonos candide de hoc labore iudicaturos esse, quo conatus sum colligere iuxta Christi praeceptum τὰ κλάσματα τὰ περισσεύοντα, ne quid periret eorum, quae salutariter erudire posteritatem possint de vera Dei agnitione, et cultu, et salute hominum. Hoc meum institutum si approbaverint boni ac pii viri, est in quo per Dei gratiam acquiescam: Malos et insanaqiles nihil moror, cum in parte laudis sit displicuisse malis.

Dedicare autem, et quasi consecrare hanc partem laboris istius vobis, Reverendi, magnifici, prudentissimi ac honestissimi viri, qui gubernationi Ecclesiarum et Rerumpublicarum in civitatibus Ungaricis et Transsylvanicis amplectentibus puram Evangelii doctrinam praeestis, volui: primum, quia Hungarorum caussa, qui per tam longinqua et difficilia itinera Vitebergam se studiorum caussa aliis atque aliis temporibus contulerant, onus hoc Praelectionum Dominicalium primum in se recepit D. Philippus, nullam praetermittens occasionem erudiendi adolescentes vestrae gentis, et provehendi in pietatis et optimarum artium studiis.

Deinde, quia mihi ipsi Vitebergae docenti dulcis amicitia fuit cum multis ex honestissima natione vestra: et Clarissimus vir D. Iacobus Monavius Vratislaviensis ex Ungaria atque Transsylvania vestra ad hunc laborem suscipiendum mediocrem copiam consignationum ex ore D. Philippi exceptarum, a multis vestrum impetravit, mihique suppeditavit. Ut igitur agricolas par est fructum sementis suae percipere, ita gratitudinem meam declarandam vobis esse in scriptione huius partis Postillae Melanchthonianae putavi, pro liberalissima communicatione vestrorum in hoc genere thesaurorum, quos in scriniis ante a vobis asservatos, publicae nunc utilitati servire, haud dubie pro vestra pietate, dulce vobis erit.

Accedit huc, quod testari volui me cogitantem de *κοινωνίᾳ τῶν ἁγίων*, quam in articulo Symboli profitemur, vera benevolentia amplecti Ecclesias vestras, retinentes puritatem doctrinae coelestis, et ἐχομένας ὑγιαινόντων λόγων: Et laetari toto pectore, quod, cum in Germania multi doctrinam veram nequiter corrumpant, alii φιλονεικίᾳ, alii σοφιστομανίᾳ: in illis tamen oris vestrarum regionum retineatur praeclarum illud depositum doctrinae Melanchthonianae, congruens cum norma scripturae propheticae et Apostolicae, et cum consensu perpetuo Orthodoxae Ecclesiae omnium temporum.

Postremo, cum arma Turcica hoc tempore in conspectu sint, quae a cervicibus Germaniae Deus longo tempore, virtute vestrae gentis depulit, et, ut spero, deinceps quoque depellet: testatum hac compellatione volui, me ex animo socium esse vestrarum precum, et Deum ardentibus gemitibus vobiscum invocare, ut Ecclesias et Respublicas honestas in vestra gente tueatur, et veram religionem ac disciplinam conservet, depulso iugo servitutis Turcicae, ut conspiciatur testimonium praesentiae Filii Dei, et appareat veram esse promissionem in Daniele traditam: *Tunc stabit Michael princeps magnus, et pugnabit pro filiis populi sui*: Cuius divinae et clementissimae protectioni, et vos et familias vestras, et universam patriam vestram veris suspiriis et

precibus ardentibus fidelissime commendo. Hanc vero compellationem meam publicam, ut in optimam partem accipiatis, et munus hoc Melanchthonianum gratum acceptumque esse vobis sinatis, reverenter rogo atque oro. Bremae, mense Iunio. Anno Christi 1594.

Epigramma Casparis Peuceri in Philippomastigas.

Gratia pro meritis tibi, Magne Philippi, refertur,
Ceu solet ingratum reddere in orbe genus.
Namque velut rabidi lacerant tua scripta Molossi,
Sed tua persistet vindice caussa Deo.

In hac altera Praefatione Pezelius se defendit a reprehensoribus suae collectionis, et fructum indigitat, qui ex his sermonibus percipi possit. Qui de fructu dubitet, legat praeter alios praesertim Gallii librum supra laudatum, in quo innumeris locis haec Pezelii collectio allegatur, unde elucet, quanti momenti sit haec Postilla. Strobelius in libro: Historisch-Litterarische Nachricht von Philipp Melanchthons Verdiensten um die heilige Schrift p. 91 sq. de hac collectione hoc fert iudicium: „In diesen 4 Bänden steckt ungemein viel gutes, und der Inhalt derselben zeugt recht deutlich von der grossen Kenntnis Melanchthons fast in allen gelehrten Wissenschaften. Der Theolog nicht nur, sondern auch der Jurist, Mediciner und Philosoph wird in Lesung dieser Postille manches finden, so ihm Nutzen und Vergnügen bringen kan. Pezel zeigt auch schon auf dem Titelblat des ersten Theils an, was man hierinnen zu finden habe. — — — So viele Ausschweifungen aber auch hie und da vorkommen, die eben zur Erklärung des Evangelischen Textes nichts beitragen, so mißt man sie doch nicht gern, zumal die vielen einverleibten historischen Erzählungen von manchen Gelehrten und Begebenheiten sowol damaliger, als auch älterer Zeiten, die man sonst nirgends, am wenigsten aber in einer Postille anzutreffen pfleget. etc.

Denique alia Postilla memoranda est, quae quidem aliqua ex parte item Melanthonianas conciones complectitur et ante illam a Pezelio collectam prodiit sic inscripta:

Euangeliorum Dominicalium Expositio pia, diligens et ingeniosa: in qua multa utilissima, qualia rarius alibi occurrunt, singulari dexteritate suauitate et gratia traduntur atque declarantur: ad pietatem tum excitandam, tum alendam, perquam utilis futura omnibus D. Paulo Ebero Authore a Ioh. Cellario Budissino in lucem edita. Francofurti ad Moenum apud Nic. Bassaeum. 1576. 61 plagg. 8. *)

de qua Pezelius in Praefatione Partis I. suae collectionis haec refert: „Post obitum viri tanti, cui parem futura non habebunt saecula, [Melanthonis] cum gubernatores studiorum publicorum in Academia Witembergensi iudicarent propter adolescentes exterarum nationum, conservandam esse consuetudinem enarrandi Evangelia Dominicalia: Paulus Eberus, Ecclesiae pastor, vestigia praelectionum Philippicarum sequi conatus, interdum conciunculas Philippi integras de scripto recitavit; nonnunquam vero alia addendo, alia demendo, suas quasdam conciones scholae proposuit. Extant hae Pauli Eberi conciunculae post mortem eius, etsi non magno cum iudicio collectae et editae a Ioanne Cellario Budissino, quae tamen vel propter hanc solam opinionem, quod Philippicum aliquid retinerent, avide a multis arreptae sunt."

*) Hic liber, qui a Strobelio l. l. p. 94 sq. et in huius Corporis Vol. XIV. p. 163 sq. recensetur, in Biblioth. senat. Norimberg. asservatur.

POSTILLA MELANTHONIANA.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Evangelium Matthaei 21.

Explicatio Grammatica vocabulorum, in Historia ingressus Christi in urbem Hierosolymam.

Vetustas nominavit hoc tempus, Adventum, ut esset praeparatio ad Festum Natalitium. Sunt autem distincti adventus Christi. Ideo lectiones quoque Evangelicae diversae proponuntur istis Dominicis, quibus ab adventu nomen est inditum.

Hodierni Evangelii textus loquitur de adventu seu ingressu Christi in urbem Hierosolymam ad patiendum. Postea sequitur lectio de adventu ad novissimum iudicium. Sequentibus duabus Dominicis agitur de adventu Christi ad praedicationem, ubi fit simul mentio Iohannis Baptistae, qui fuit praecursor Christi in ministerio novi Testamenti. Tandem in ipso festo Natalitio proponitur historia adventus seu Nativitatis Christi in carnem.

Non volo autem disputare subtilius de distributione illa adventuum, quos veteres sic nominarunt. Hoc tantum moneo, filium Dei inde usque ab initio missum fuisse ad Ecclesiam, ad patefaciendum Evangelium. Et quanquam anni seu tempora differunt, Nativitatis Christi, et praedicationis eius in carne, et passionis: tamen comprehendi ista opera omnia possunt sub appellatione Adventus, seu missionis Christi ad humiliationem. Adventus vero ad ultimum iudicium fiet ad ostendendam gloriam Christi, et finalem liberationem Ecclesiae glorificandae in tota aeternitate. Et sic Prophetae solent discernere adventus Christi. Loquuntur enim alias de Messia humiliato ac patiente: alias de regnante divina potentia post glorificationem, seu resuscitationem ex morte.

Iudico autem utiliter moneri homines, etiam de prima missione filii Dei ad patefaciendum Evangelium et ad colligendam Ecclesiam ex genere humano omnibus temporibus, etiam ante assumptionem naturae humanae. Hic adventus coepit in Paradiso. Quia λόγος seu filius Dei ipse alloquutus est Adam edita promissione, Semen mulieris conculcabit caput serpentis: Et sonante hoc verbo externo, idem λόγος intus fuit efficax in corde Adae et Evae et consolatione erexit eos, ne ruerent in aeternam mortem. Postea hic λόγος semper adfuit Ecclesiae, ut recte Irenaeus dixit: locutus est cum Patribus, et adfuit eis in gravissimis certaminibus. Adfuit Noae in arca, Abrahae in exilio, Iosepho in carcere, Danieli inter leones.

Haec perpetua missio filii Dei ad Ecclesiam inde usque ab initio non est omittenda. Et saepe cogitandum est de assidua praesentia filii Dei, quae pertinet universaliter ad Ecclesiam omnium temporum: De qua dicitur: ubi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ero in medio ipsorum. Item, Ego sum vobiscum usque ad consummationem seculi.

Hac praesentia nos quoque; consolemur, sciamus filium Dei nunc quoque nobiscum esse, et audiamus Evangelium, per quod vult esse in nobis efficax. Haec sufficiant de appellatione huius temporis. Nunc dicemus de vocabulis quae sunt in hodierno textu.

Primum fit mentio locorum Ierosolymae et Bethphage.

Ierusalem antea dicta fuit Salem a pace. Fuit olim sedes Melchisedeck, qui nominatur Rex, et Sacerdos Dei altissimi. Bethphage fuit vicus seu oppidulum ad montem oliveti, qui mons interiectus fuit inter Bethaniam et Ierosolymam. Ac Bethania dimidio miliari: Bethphage aliquanto propius abfuit a Ierosolyma.

Nomen Bethphage est nomen grossorum seu primarum ficuum: Nam quaedam ficus bis proferunt fructus. Primus fructus nominatur grossus, id est, verna ficus, Graece *ὄλυνθος* quasi *ὅλον ἄνθος*, id est, fructus totus viridis, seu non maturescens, ideoque insuavior. Alter fructus est ficus aestiva, Graece *σῦκα*. Hic fructus est dulcior, quia melius coquitur aestivo calore.

Christus paucis diebus ante passionem, defatigatus itinere, et famelicus, conspecta arbore ficu, quaerit ibi fructum. Et cum non invenisset, maledicit arbori, Id quia factum est in vere, non dubium est, intelligendum esse fructum grossorum, quae sunt ficus praecoces seu praecoquae. His utebantur homines tenuiores ad famem pellendam, estque adhuc in medicina illarum plurimus usus. Possunt nominari die ersten oder frühen oder die unzeitigen feigen, id est, primae seu immaturae ficus. Etsi in suo genere peculiare hoc habent, ut nunquam perveniant ad maturitatem.

Aliter loquimur de uvis maturis et immaturis. Immaturae uvae dicuntur *ὄμφακες*, ab *ὠμὸς*, id est, crudus et *φαγεῖν* comedere. Etsi Aristoteles adiective quoque usus est hac voce, cum nominat *ὄμφακα ὀργὴν*, id est, iracundiam recentem, quae est cruda et vehemens. Fiunt autem ex immaturis uvis suo tempore uvae maturae. Ideo *ὄμφακες* sunt eiusdem generis cum uvis. Grossi autem seu *ὄλυνθοι* sunt fici sui cuiusdam generis, quae nascuntur principio veris, quam primum folia prodeunt. Et differunt a ficis aestivis, qui est fructus multo melior et suavior. In Graecia fuit civitas Olynthus, quam puto nomen habere a grossis, quae aliis atque aliis in locis generosiores fuerunt.

Est autem pulchra pictura Ecclesiae In hac alius est populus legis, nondum habens maturos fructus, indigens disciplina, carcere, poenis, sicut regimina non possunt carere eiusmodi nervis. Postea est novus populus, qui intus renascitur unctus verbo Dei et Spiritu sancto, quem effundit in corda Filius Dei, Sol iustitiae, qui est efficax per ministerium Evangelii.

Tales picturas considerarunt patres et Prophetae, cum in agris viderunt arbores et fructus istos. Cogitarunt dissimilia genera hominum esse in populo Dei. Aliqui nondum sunt vere renati, etiamsi utcunque cogantur, ut praestent disciplinam externam. Alii sunt vere renati, in quibus accensa sunt initia lucis, iustitiae, et vitae aeternae.

Similis typus est in asinis, quos iubet Christus hoc loco ad se adduci.

Asina domita significat populum Iudaicum, qui in illa politia magis fuit cicuratus disciplina legali. Pullus asinae adhuc indomitus sunt Ethnici seu gentes adhuc indomitae viventes sine lege et disciplina. Colligit autem Christus Ecclesiam ex Iudaeis et Ethnicis. Et quidem ut asini isti adducuntur ex Bethphage ad Christum, ita oportet inchoari disciplinam in omnibus, quia non potest fieri renovatio spiritualis, quamdiu homines manent in delictis contra conscientiam. Fit et inchoatio praedicationis Evangelii in populo legis, et asinae domitae adhaeret pullus, id est, ad societatem Ecclesiae populi Iudaici aggregantur gentes.

Hae imagines seu picturae non sunt negligendae. Sed sit inprimis in conspectu discrimen iustitiae carnis, quae est externa disciplina, et verae iustitiae, in qua corda conversa per poenitentiam iam accensa sunt fide, ut luceat in eis notitia et laetitia. Haec iustitia spiritualis est res multo excellentior, quam communis disciplina. Nam disciplina tantum est obedientia in externis factis secundum legem Dei, eine eusserliche zucht, ut si cogites de disciplina militari, quam praestant milites iuxta leges, ad quas iuramento sunt astricti. Sic in genere disciplina est externa morum gubernatio honesta, secundum ius naturae, aut legem Dei, ne vivant homines ut bestiae, aut ex uno scelere ruant in aliud, sicut Diaboli.

Nero est sine disciplina, meretrices sunt sine disciplina, item latrones, helluones sunt sine disciplina Nicodemus Pharisaeus, qui noctu venit ad Christum, fuit ornatus disciplina, id est, vixit, quo ad mores seu vitam externam, secundum omnia praecepta Dei.

Inter Ethnicos etiam fuerunt aliqui honesti viri, ornati disciplina, etiamsi minus vinculorum, aut legum inter gentes fuit, Et contra primam tabulam cultus idolorum fuit promiscuus. Fuit vir honestus Xenophon in vita et moribus, sed habuit tetrum naevum, quod coluit idola. Interim quod ad secundam tabulam attinet, non fuit adulter, scortator, homicida, fur, fuit beneficus, ubicunque potuit benefacere aliis.

Sed haec tota disciplina externa quid est, nisi grossi seu *ὄλυνθοι*? Qui autem vere sunt renati, luce et novitate interiore, ii demum similes sunt ficis dulcibus.

In Athenaeo, ubi describitur grossus, recitatur hic versus dignus memoria.

Σῦκα φίλ' ὀρνίθεσσι, φυτεύειν δ' οὐκ ἐθέλουσι, id est, fici sunt charae avibus, plantare autem non volunt, Tales sunt multi inter homines, qui volunt

frui aliorum laboribus, sed non volunt ferre partem communium laborum, contra dictum: Qui non laborat, non manducet.

Pueri hoc etiam observent, aliam significationem esse vocabuli grossus, cum transfertur ad genus monetae, ut cum apud Germanos Grossi dicuntur groschen oder grobe Münz q. d. moneta figura et valore maior, quam sunt nummi et asses vulgares. Haec significatio etsi nunc recepta est in sermone populari: tamen non fuit in antiqua consuetudine sic loqui: puto Germanicam vocem feigen sicut et Latinam appellationem ficus esse ab Hebraeo *phagim* quod in regimine legitur *phage*.

Sed pergo ad alia. Scribunt Evangelistae occurrisse Christo populum cum ramis palmarum et olearum. Id usitatum fuit in pompis triumphalibus, cum Princeps aliquis in urbem a se occupatam ingressus est, aut cum victori redeunti ex bello feliciter confecto obviam progressi sunt cives honoris causa.

Hic rursus considerentur vocabula et picturae, de quibus illa monent.

Triumphus dicitur a θρία, id est, folium fici, et ἀμβεύω circumdo seu circumligo. Nam olim victores coronabantur foliis fici, quia victoria est dulcis: et dulce est meminisse laborum, sicut Pindarus ait: Melle dulcior est victoria: et hoc verum est, non tantum de bellis, sed etiam de aliis laboribus, in quibus subeundum fuit aliquod grave periculum, qua superato, cum felici successu laborem confecimus, et secundos eventus habuimus, non potest non hoc nobis dulcissimum esse.

Sed Cadmaea victoria luctuosa est, do es alles auff einem hauffen bleibt id est, cum utrinque cruenta est victoria et partes inter se contendentes mutuis armis se conficiunt, ut fit plerumque in bellis civilibus. De hac Cadmaea victoria dicitur in versu:

Κλαίει ὁ νικηθεὶς, ὁ δὲ νικήσας ἀπόλωλεν.

Flet victus, sed victor interiit.

De more triumphandi alias dicemus. cum historia Ascensionis Christi explicanda erit, nunc adolescentes Etymologiam vocabuli observent, ut sciant triumphum fuisse pompam in qua victores coronati erant foliis fici.

Aliud vocabulum est Trophaeum: Id erat columna aut statua, aut arcus, aut quodcunque monumentum erectum eo loco, ubi hostis fugatus erat. Nomen est a τροπή, id est, a fugatione, quia erat signum fugati hostis.

Sed cur praeferebantur rami oleae et palmarum? Respondeo. Olea significat pacem: et praeferre ramum olivae, erat signum petentis pacem, ut saepe est in Livio. Exemplum insigne est de classe Punica, quae accessit ad classem Scipionis, ubi Scipio edixit militibus suis, ut pararent se ad dimicandum. Sed vidit navim propius accedentem in prora tenere ramum olivae, Animadvertit ergo, quod venirent petitum pacem. Ita hic procedunt obviam Christo cum ramis oleae. Quo significatur eum esse datorem et instauratorem pacis.

In imperiis et Rebuspublicis ita debebant geri bella, ut pax constitueretur, sicut de Carolo Quinto in obsidione urbis Witenbergensis factus est hic versus:

Una gerit bellum, pacem manus altera reddit.

Nihil gloriosius dici potest de gubernatoribus, quam si haec laus vere eis tribui possit. Tale fuit Augusti imperium. Quando strinxit gladium, fuit bellum: Quando condidit gladium in vaginam, quievit bellum et fuit pax. Sed plerumque fit contrarium, ut bella serantur ex bellis.

Valde dulcis res est olea, et usus fructuum eius maxime salubris est corporibus, et victui utilis: Tale quippiam est pax, sine qua homines non possunt habere nutricationem, aut ullam vitae suavitatem.

Palma significat victoriam, quia natura palmae est, ut, quando oneratur, resurgat contra onus. Fructus palmae nominantur palmulae datteln, quod est Graece δάκτυλος. Nos non habemus in nostris regionibus palmas, et haud scio an praestantiores palmae olim fuerint, quam in Iudaea, etsi in Chaldaea quoque repertae fuerunt.

Fuit Medicus Damasci, qui quotannis misit Augusto palmulas conditas, natas in Iudaea circa Iericho. Eas Augustus nominare solebat Nicolaas νικολαοὺς a Nicolao Peripatetico Damasceno. Fuit ille vir doctus, et scripsit de variarum rerum usu in medicina: Nec est inusitatum homines sapientes mittere res in victu utiles, aut alioqui gratas magnis Dominis, Sicut Imperatori Carolo, cum esset Augustae Vindelicorum, memini missa fuisse condimenta ex regnis procul dissitis.

Significatur igitur per ramos palmarum, laudem victoriae etiam Christo recte competere. Et intelligatur victoria Christi, quod non ipse tantum sit victor peccati, mortis et inferni, sed quod nos etiam per ipsum vincamus.

Quid potest autem maius tribui ulli principi, quantumvis glorioso, quam si tribuantur ei hae laudes, quod instauret pacem, et fortiter ac feliciter vincat hostes? Hae duae laudes tribuebantur Augusto ingredienti Romam, quod esset instaurator pacis et victor hostium. Haec politica sunt imagines, quae nos debent commonefacere de rebus maioribus, sicut Prophetae, cum loquuntur de regno Messiae, saepissime utuntur imaginibus sumptis a rebus politicis. Ipsa vero pax, et victoria Christi, qualia sint, saepe alias dicitur: et erit postea breviter dicendum, cum dictum Zachariae enarrabimus. In acclamatione populi, qua

utuntur ex Psalmo, retenta est in textu Latino vox Hosianna. Est autem vox Hebraea composita ex *hah* quae est interiectio et nota affectus, sicut nos Germani dicimus Ah, cum ardenter aliquid optamus. *Hosianna* est imperativus, salva, iuva, fer opem, sicut nos Germani dicimus hilff, radix est *Iosua*: unde est etiam Iesus et Iosua ein Helfer, oder ein Heiland. In vulgari sermone pro Hosianna dixerunt Hosanna, omissa una litera, sicut multa vocabula mutilantur in vulgari sermone.

Sumpta est autem haec precatio ex Psal. 118. Confitemini Domino, quoniam bonus: Nam Psalmus iste est triumphale carmen, et populus solitus est eum cantare in templo et synagogis, quando petebant adventum Messiae. Ideo vulgus quoque memoriter eum tenebat, et norat de Messia scriptum esse.

Verba illa, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, quae sunt ex eodem Psalmo sumpta, alludunt ad promissionem traditam patribus: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Estque haec sententia istorum verborum: Agnoscimus hunc esse Messiam, per quem benedicemur, quia ipse est a Deo benedictus, ut nobis benedicatur per ipsum, et propter ipsum.

In omnibus linguis benedicere est bona alteri optare a Deo, Segenen. Sed cum de Deo dicitur, efficacem donationem alicuius muneris significat, quia Deus benedicendo benefacit, iuxta illud: Dixit et facta sunt. Deus creat dicendo. Et benefacit benedicendo.

Maledicere est alicui mala optare, id est, invocare Deum, ut alicui noceat. Cum homines alicui benedicunt, invocant Deum, ut ei benefaciat. Contra cum maledicunt seu execrantur aliquem, imprecantur ei mala a Deo. In Prophetis saepe legitur: Deus percussit terram anathemate. Haec est horribilis oratio, qua significatur Deum ita maledixisse terrae, ut perpetua ibi sit futura vastitas, ut nunc in Asia et Africa, non solum nullae sunt reliquiae Ecclesiae, sed ne quidem honesta vita politica. E contrario, cum Deus dicitur benedixisse terrae, significatur florens status oeconomicus, politicus, et Ecclesiasticus, in quo abunde suppetunt necessaria ad victum, ubi est pax et virtus, et ubi est vera Dei agnitio, et verus cultus Dei.

Sed quomodo congruunt haec, quod hic canunt: Benedictus qui venit in nomine Domini. In quibus verbis est confessio, quod ille sit Messias, unctus ab aeterno patre, et missus, ut per eum benedictio contingat generi humano: et quod tamen clamant Hosianna, id est, Domine adesto, fer opem filio David. Ita enim nominant Messiam, quia ex Davidis posteritate venturum sciebant: Quomodo igitur orant ipsi pro Christo? Respondeo: orant pro toto regno Christi, et complectuntur salutem totius Ecclesiae.

Similiter nos debemus gemitum istum seu hoc votum perpetuo usurpare: ut Psalmus 122. praecipit: Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem, id est, Petite ut Deus conservet Ecclesiam, et det felicem gubernationem Ecclesiae. Hoc praeceptum Psalmi semper sonet in nostris auribus, praesertim his luctuosis et miseris temporibus, in quibus videmus, quanta sint pericula, quantum miseriarum, et quam horribilia mala impendeant, vastationes regnorum, et dissidia in Ecclesia.

Haec magna mala considerare debemus, et subinde gemere ac suspirare ad Deum: Ah Domine serva nobis Ecclesiam, ne sinas fieri vastationes barbaricas, ne percutias terram anathemate. Sint aliquae reliquiae, quae te celebrent. Haec qui non cogitant, stupidiores sunt illis ipsis asinis brutis, qui alligati erant in Bethphage.

Aliqui referunt hanc precationem ad passionem Christi, in qua sicut ipse orat se servari et gloriose liberari, Ioan. 17. Ita vult eandem esse suam et Ecclesiae vocem. Nec dubium est etiam Ecclesiam coelestem, Moysen, Heliam, (quos Lucas scribit in monte locutos esse cum Christo) item Angelos una cum Christo humiliato et patiente precatos esse. Maria certe precata est una cum filio, ut Deus glorificaret nomen suum in illa miranda passione. Ac debet totus Psalmus 118. saepe legi, et conferri cum hac pompa ingressus Christi in urbem Ierosolymam, quae ideo facta est, ut postea rursus dicatur, Quia voluit Dominus extare etiam hoc signum et testimonium, quod esset Messias exhibitus, praesertim cum iam instaret passio. Vult enim agnosci in Ecclesia, etiamsi dissimiliter conspicitur, quam Alexander, aut Cyrus, qui magnis exercitibus instructi vagantur per Asiam, unde et res gestae ipsorum magis incurrunt in oculos. Facta Christi, sicut et caetera pleraque quae in Ecclesia fiunt, non ita geruntur in conspectu omnium: Et tamen vult Christus notam esse Ecclesiam suam in mundo, vult se quoque cerni et exaudiri in genere humano. Exhibet igitur hanc publicam pompam, et facit multa miracula in toto ministerio suo, ut agnosci et cerni possit. Inter haec miracula et, quod paulo ante resuscitavit Lazarum, et quod ingressus templum evertit mensas nummulariorum. Quod factum Christi Hieronymus ait, se non minus mirari, quam resuscitationem Lazari.

Sed quid sunt nummularii? Respondeo. Vicina nomina sunt Trapezitae, Argentarii, Κολλυβισταί, nummularii, Germani una voce nominant die Wechßler. Et κόλλυβος significat pecuniam, quae datur pro permutatione monetae, das Aufgeld. Vocabulum est apud Pollucem et apud Ciceronem in Verrina.

Ac Trapezitae et Argentarii nominantur magni illi Domini, qui magnas summas pecuniae collocant ad Bancum, ut nominant. Κολλυβίσται et nummullarii sunt ministri illorum, qui serviunt quibusvis cupientibus fieri permutationem, ut si quis habeat nummos aureos, et pro his expetat monetam argenteam, accedit ad nummularium, et facit permutationem dato κολλύβῳ. Item si quis Romae velit sibi solvi centum florenos, quos periculi causa veretur secum gestare in itinere, deponit Noribergae totidem florenos, et dat κόλλυβον accepta schedula, quam Romae exhibens, sine periculo obtinet summam pecuniae, de qua pepigit. Hodie Fuccari, Belsari, Bomgardneri, et similes sunt Trapezitae, penes quos est praecipua pecunia totius Europae. Cum Carolus V. pacem fecisset cum Rege Gallico, ipsi pro Rege solverunt Imperatori multas Thonnas auri, exiguo intervallo temporis. Est apud Suetonium, avum Augusti Caesaris fuisse Argentarium.

Quomodo autem nummularii potuerunt lucrum facere in templo? Respondeo: In solo templo fiebant sacrificia. Non poterant autem peregrini victimas secum adducere ex locis procul dissitis. Captabant igitur sive Levitae, sive alii lucrum ex permutatione pecuniae, quae erat solvenda pro victimis emendis, quae magno numero vendebantur pope templum. Imo sacerdotes arte rem sic instruebant, ut unam victimam saepius venderent pluribus, antequam in sacrificio offerreretur. Inde faciebant magnum quaestum, ut si unus vitulus valuit dimidium florenum, ipsi decies si vendidissent, quinque florenos accipere inde poterant, sicut non dissimili ratione in Papatu sacrificuli pro una Missa saepe ter aut quater, aut etiam saepius pecuniam a diversis exigebant.

Erat in hac ipsa Academia sub initium repurgati Evangelii quidam Professor Hebraicus, qui sacris initiatus erat. Is sive morositate naturae, sive taedio operarum scholasticarum, abitum hinc parans dicebat: Quid ego hic agerem, ubi tam vile stipendium habeo, ut vix me alere possim? Possum plus habere Ratisponae in otio, unde laute et delicate vivam sine labore magno. Nam si mane valetudinis causa obambulo in templo, venit aliqua anus, dat mihi unum aut alterum Batzionem, ut celebrem pro ea missam. Mox venit alia, item tertia, quarta, saepe etiam plures. Singulae solvuunt mihi pecuniam, tandem lego unam missam pro omnibus.

Similis quaestus fuit apud Sacerdotes Iudaicos. Venit hospes aliquis, oblaturus sacrificium, huic obtruserunt pecudem, quam promiserunt se velle offerre pro illo: acceperunt pecuniam: postea venit alius hospes, emit ab illis eandem pecudem. Et sic deinceps, una et eadem victima aliquoties vendita est. Ac ne mora, seu impedimentum afferretur solvendo pretio, mensae ibi positae erant, quarum adminiculo fiebat permutatio pecuniae. Adeo cultus Dei depravatus erat, et sacra omnia serviebant quaestui.

In fine textus recitatur ex 8. Psalmo: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem tuam. Hic etiam consideranda est Grammatica. Differunt Lactans et lactens: Lactans est activae significationis. Est enim praebentis lac. Lactens est neutrale, Quia est accipientis et sugentis lac. Mulier lactat infantem, Infans est lactens, ut in Cicerone dicitur, Romulus lactens. Et apud Virgilium est:

Frumenta in viridi stipula lactentia turgent.

Est igitur in versu Psalmi legendum, non lactantium, sed lactentium. Sententia autem huius versus est dulcissima. Nos omnes sumus lactentes. Lac est verbum Dei, ubera matris sunt ministerium Ecclesiae. Debemus igitur discere verbum Dei, et pendere ab uberibus, seu papilla ministerii, nec indulgere aliis speculationibus extra verbum Dei.

Sumus etiam infantes, hoc est, non intelligimus maiestatem et magnitudinem rerum divinarum. Vix pauca assequimur in natura rerum. Quotusquisque intelligit mirabile opificium oculi, et quomodo fiat visus? Quis assequitur, qui fiat, ut sint tam mirabiles motus in corde, et tam varii, cum substantia cordis sit caro non admodum pulchra aspectu?

Multo minus scimus aut pervestigare possumus illa mirabilia Dei consilia, quare voluerit genus humanum redimere per filium, nisi quod magnitudinem peccati inde aestimare possumus, quod Deus talem victimam seu hostiam pro peccato constituit. Quam mirabile est, quod Deus suscitaturus est mortuos, et quis potest intelligere, quomodo sit futura resuscitatio mortuorum?

Denique ubi etiam initia fidei sunt, tamen vix parvae scintillulae sunt. Et sapientissimi ac summi, tamen sunt infantes. Ideo omnes debemus audire hanc consolationem: Ex ore infantium et lactentium perfecisti tibi laudem, ut sciamus Deo gratam esse agnitionem essentiae et voluntatis ipsius traditam in verbo, etiamsi sit languida et imperfecta, item quod grata ei sit invocatio nostra, et tota obedientia, quantumvis infirma sit, et sordida, ac inquinata.

In Hebraeo non tam de laude dicitur, quam de robore seu victoria, et additur, ut vincas. Haec est mirabilis victoria, Diabolus infantium ore repellitur. Multae etiam calamitates mitigantur nobis, infantili nostra invocatione.

Haec dixi hactenus de Grammatica explicatione vocabulorum. Quia haec ipsa Grammatica de mul-

tis rebus nos simul monet: Et qui diligens est in Grammatica, is diligens est etiam in rebus ipsis inquirendis.

Loci Doctrinae.

Addemus autem aliquid de ipsa historia, in qua hic locus est principalis, quod scilicet historia ista est testimonium, quod Christus sit exhibitus. Ideo antea dixi, hanc esse causam praecipuam istius ingressus in urbem, ut Christus spectandum se praeberet toti populo, Quia Deus vult conspici et exaudiri filium in genere humano. Vult doctrinam suam notam esse, vult Ecclesiam esse visibilem, et propterea Deus dat loca certa, ubi sint scholae et Ecclesiae, ubi exaudiatur vox doctrinae. Et quanquam Ecclesia novi Testamenti non est alligata ad unum certum locum, ut in populo Israel: tamen Deus excitat passim Ecclesias, quas vult sonare vocem, quam exaudiat totum genus humanum. Non vult Ecclesiam suam aut doctrinam a se patefactam esse sacra Eleusinia.

Atque hic rursus adolescentes cogitent de significatione vocabulorum.

Dicta sunt Eleusinia ab Eleusi oppido, quod distabat duobus miliaribus ab Athenis. Nomen vero oppidi istius est a rege Eleusio, qui cum Cererem benigne excepisset hospitio, donatus esse ab ea scribitur fertilitate agrorum. Eleusii filius fuit Triptolemus, qui fingitur curru volasse in aëre, et sparsisse frumentum. Cumque pervenisset in urbem Patrarum, quae est in Achaia, non procul a Sicyonia (ubi Andreas Apostolus concionatus est, et cruci affixus) voluit Triptolemi factum imitari Anteas, et currum Triptolemi ascendit, quem trahebant duo dracones. Sed est excussus ex curru iuxta Patras.

Haec sunt fabulosa, sed tamen est exemplum ambitiosae imitationis, ut cum Antonius cogitat: Ego volo movere talem tumultum sicut Iulius Caesar: Ergo ego quoque ero alter Iulius.

In oppido ergo Eleusi celebrabatur certis temporibus arcanum quoddam sacrum, in quo Duces Graeciae obligabant se ad capita quaedam arcanae confoederationis. Cicero ait tale fuisse foedus, ut essent obligati inter se ad quaedam honesta officia: sicut fraternitas illa nostro tempore, quae nominatur, Vellus aureum, das Gulden Flüss.

Usurpantur autem Eleusinia in genere de conventibus et sacris clandestinis. Talia Eleusinia non vult Deus esse Ecclesiam aut doctrinam suam: Ideo dicitur: In omnem terram exivit sonus eorum. Item, Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire.

Secundus locus in hac historia est, doctrina de regno Christi. Ingreditur Christus urbem ut Rex. Unde per calumniam accusatur a Pharisaeis, quod velit movere populum. Item, movere seditionem. Quorum tamen nihil in animo habuit Christus. Sed calumniae istae natae sunt ex eo, quod ignorabant, quale sit regnum Messiae, de quo postea dicemus ex dicto Zachariae. Prius enim argumenta illa puerilia solvemus.

Furtum est contrectatio rei alienae invito Domino.

Christus iubet adducere sibi asinam et pullum asinae, atque ita contrectat rem alienam invito Domino.

Ergo non recte facit.

Respondeo. Christus non contrectat rem alienam, quia est Rex istius populi, Ideo addit: Dicite, Dominus his opus habet: Ubi pueri observent non esse Latinam constructionem, sed Graecam in hac phrasi. Latini non dicunt: Ego opus habeo hac re, sed mihi opus est. Principes in Imperiis saepe rapiunt ad se bona subditorum, quando non opus est. Id est contra Praeceptum: Non furtum facies, quod obligat omnes homines, summos et infimos. Alia res est, si publica necessitas postulet, conferant aliquid propter rationem probabilem: In eo casu non est contrectatio rei alienae. Ita Christus hic iubet adduci asinam, tanquam Rex in illo populo, et fuit hic casus necessitatis.

Si cui non placet haec solutio, utatur altera illa: Ministerio docentium debentur officia honesta, et iustum est Doctoribus solvi didactra, praestari alimenta, exhiberi benevolentiam in promovendis rebus, praesertim pertinentibus ad munus illorum.

Aliud Argumentum.

Concionator nihil debet facere violenter.

Christus violenter evertit mensas nummulariorum, et eiicit vendentes et ementes per vim ex templo

Ergo non recte facit.

Idem est argumentum, si dicas:

Concionator non debet occidere homines.

Petrus occidit Ananiam.

Ergo male fecit.

Respondeo ad maiorem: Concionator nihil debet facere violenter, scilicet vi corporali, seu gladio, qui est commendatus Magistratui politico. Deinde ad Minorem respondeo: Christus evertit mensas, sed non vi corporali, verum ingenti motu

divino seu Spiritu, sicut Evangelistae citant illud Psalmi: Zelus domus tuae comedit me. Est autem zelus iusta indignatio propter violationem honoris et gloriae Dei. Ita Christus dolet, quod Deus contumelia afficiatur prophanatione templi. Tali zelo impulsus, non per seditionem, sed secundum sapientiam suam et iustitiam eiicit istos prophanatores templi. Ita Petrus interfecit Ananiam motu divino. Haec est prima solutio, quae est bona et vera.

Secundo potest et hoc dici: Christus gerit se hic ut Rex legitimus istius populi, etsi noluit uti externa gubernatione, excussis Romanis.

Sed addo et tertiam solutionem: Quisque habet ius defendendi se et sua, in domo sua, sicut Iurisconsulti dicunt: Sua cuique domus tutissimus receptus est. Si latro irrumperet in domum pastoris alicuius, recte faceret pastor, si etiam per vim eum eiiceret. Faceret enim hoc tanquam paterfamilias. Ita Christus hic est in sua domo, sicut inquit: Domus mea domus orationis. Ideo iuste ulciscitur iniuriam factam templo.

Redeo autem ad locum de regno Christi, quod quale sit, pulchre pingitur in dicto Zachariae: Ecce Rex tuus venit tibi iustus seu iustificator, et salvator, etc. Hic teneatur definitio regni Christi, quod est, mitti eum ab initio ad Ecclesiam, ut proferat Evangelium ex sinu aeterni patris, colligat aeternam Ecclesiam voce Evangelii, liberet eam a peccato et morte, donet iustitiam et remissionem peccatorum, vivificet eam dato Spiritu sancto, et assumat humanam naturam, ut sit redemptor et salvator, et protegat, defendat, servet Ecclesiam, et conservet ministerium Evangelii, et deinde resuscitet mortuos, ac vestiat eos nova natura, adducat Ecclesiam ad aeternum patrem, ut postea sit Deus omnia in omnibus beatis

Haec definitio comprehendit totum cursum regni Christi, inde usque ab initio primae missionis. Est enim perpetua collectio Ecclesiae et liberatio credentium a peccato et morte, et sanctificatio per Spiritum sanctum, et assidua defensio et gubernatio Ecclesiae, donec tandem fiat resuscitatio universalis, et glorificatio electorum in vita aeterna. Haec beneficia pertinent ad Ecclesiam omnium temporum. Sed assumptio humanae naturae, et opus redemptionis, et post humiliationem exaltatio ad dextram patris in natura assumpta sunt certi temporis.

De humiliatione loquitur Zacharias, cum dicit, futurum esse pauperem, quod in textu Matthaei est mansuetus, seu πρᾶος: Quia quando aliquis est afflictus vel pauper, non est ita elatus, neque cupiditatibus suis indulget, quemadmodum faciunt divites. In Psalmis passim ponitur mansuetus pro afflicto seu misero. Sed Hebraea vox *Abii* congruit ad afflictionem: Et Christus dicitur pauper, id est, humilis, aerumnosus, afflictus, Quia talis est totus cursus vitae et ministerii eius, Sicut inquit: Filius hominis non habet, ubi reclinet caput.

Item dicitur pauper ad differentiam Imperiorum seu regnorum huius mundi. Alexander Magnus venit cum exercitu, instructus est pecunia, gerit bella armis. Nihil horum facit Christus. Novo et admirando modo gerit bellum, videlicet spirituale: Et dat pacem non quomodo mundus dat. Tollit iram Dei et damnationem, et reddit nobis aeternam iustitiam, quae inchoatur in hac vita, et praeterea dat consolationem et laetitiam in aerumnis, et defensionem suo mirabili consilio.

Atque haec est pax, quam donat nobis Christus. Ideo postea inquit Zacharias: Abolebo currum, et equos tollam ex Ephraim, id est, regnum Christi non erit regnum politicum, non habebit arma et praesidia humana, sine quibus non possunt esse regna politica.

Plato recte dicit: Pax est inane nomen in Republica, Quia nullum Imperium habet certam et diuturnam quietem. Aut externa sunt latrocinia, aut domestici tumultus, quibus turbantur Imperia. Sed imprimis gubernatores nunquam sunt quieti, sustinent magnos labores et pericula, etiamsi subditi interdum habeant aliquam tranquillitatem.

At in Christi regno est pax, scilicet spiritualis et aeterna. Sed quomodo, dices, congruit hoc cum statu Ecclesiae in hac vita? Respondeo. Prophetae quando concionantur de regno Christi, loquuntur de consummato beneficio, et respiciunt ad statum vitae aeternae. Ibi fruemur luce, sapientia, iustitia, et laetitia nunquam desitura. Ibi et peccatum et omnes poenae peccatorum cessabunt. Non erunt cupiditates privatae, ex quibus oriuntur dissidia.

Interea tamen in hac vita fit inchoatio pacis. Servat Christus corpus Ecclesiae, etiamsi aliqua membra interficiantur. Sustentat pios in mediis afflictionibus, consolatur corda, flectit animos ad studium concordiae, defendit suos contra diabolum. De hac pace dicitur: Iustificati fide pacem habemus cum Deo. Et, pax Dei gubernet corda vestra, quae superat omnem sensum.

Est et hoc membrum dicti Zachariae oppositum imaginationi de regno politico: *Tu educes in sanguine Testamenti tui vinctos de lacu, in quo non est aqua.* Nominat sanguinem Testamenti, sanguinem Messiae, de quo Pater fecit Testamentum seu foedus, quod propter eius obedientiam et mortem velit nos recipere, remittere peccata, reddere iustitiam et vitam aeternam.

De hoc sanguine loquuntur etiam Apostoli. Iustificati sanguine eius, inquit Paulus, intelligens totam obedientiam in passione et morte, quae est sancita sanguine. Iohannes inquit: Sanguis filii Dei Iesu Christi purificat nos ab omni peccato. Intel-

ligit autem similiter meritum Christi. Romanor. 3. Iustificamur gratis gratia ipsius per redemptionem factam in Christo Iesu, quem proposuit propitiatorem in sanguine suo.

Iudaei exponunt verba Zachariae de sanguine circumcisionis et mactatione pecudum, sed circumcisio et mactationes pecudum, non sunt illud aeternum pactum, sed fuerunt signum aeterni Testamenti principaliter, in quo Deus promittit aeterna bona per filium.

Additur autem mentio vinctorum, quia Diabolus nos coepit per peccatum. Sed fecit Deo iniuriam, quod ei dominium suum rapuit, Ideo dicitur: sunt vincti tui.

Lacum, in quo non est aqua, vocat infernum, seu aeternam mortem, ubi non est consolatio.

Postea additur: Convertimini ad munitionem vincti spei, id est, qui habent spem et expectant liberationem per filium Dei.

Ita Zacharias ipse se interpretatur, quod non loquatur de constitutione regni mundani.

Nominat autem Christum Regem iustum, ut hac etiam ratione discernat eum ab aliis regibus, quorum gubernatio nunquam ita felix est, quin opprimantur aliqui iniuria. Sed Christus est iustus: primum in sua persona, deinde iustificans credentes: Quod fit imputatione, et efficacia, qua inchoatur mutatio naturae corruptae, per effectionem novitatis spiritualis. Osiander contra imputationem obiicit hoc argumentum:

Messias affert iustitiam sempiternam.
Imputatio non est aeterna iustitia.
Ergo non sumus iusti imputatione.

Respondeo. Iustitia sempiterna significat integrum beneficium Messiae. Sumus igitur in hac vita iusti coram Deo imputatione iustitiae, seu meriti Christi, et hoc Paulus vult, cum ait, nos iustificari sanguine Christi. Postea tamen sequitur inchoatio novitatis, quae tandem consummabitur in aeterna vita. Hanc Osiander vult esse iustitiam nostram, etsi ut splendidius loquatur, non novitatem ipsam, sed hoc iustitiam vocat, quod efficit nos iusta facere, id est, essentialem iustitiam Dei, quae impellat nos ad iuste faciendum. Eius discipuli quidam cumularunt ipsius paradoxa, et tetras voces ediderunt de sanguine Christi, quas nolo recitare, quia sunt horribiles blasphemiae.

Nomen Salvatoris etiam pertinet ad integrum beneficium, et complectitur redemptionem factam per Christum, et salutem nobis impetratam, hoc est, liberationem a peccato et morte, donationem remissionis peccatorum, vivificationem, defensionem perpetuam et liberationem finalem.

Ex hac doctrina debet accendi fides, invocatio, et spes auxilii, et praesentiae perpetuae filii Dei. Adolescentes autem hortor, ut legant hodie totum caput 9. Zachariae, in cuius fine est etiam haec pulchra descriptio Ecclesiae: Dabo eis frumentum, quod gignet iuvenes, et vinum, quod gignet virgines, id est, non erit propagatio carnalis, sed filius Dei erit per Evangelium (id enim vocat frumentum et vinum) efficax in cordibus, et spiritu sancto suo accendet in eis dona, robur animi, et fidem incorruptam.

Postremus locus est pictura Ecclesiae. Christus equitat super asinam et pullum, id est, colligit sibi Ecclesiam ex Iudaeis et gentibus, Hodie adhuc colligitur Ecclesia ex domitis et indomitis. Vocat per Evangelium ornatos disciplina, et nondum disciplina ornatos, modo desinant ruere contra conscientiam et fiat conversio. Quanta bonitas et misericordia est, quod colligitur Ecclesia Romae tempore Neronis, ubi civitas contaminatissima erat? Addam et hoc. Nos senes sumus asina vetula, id est, domiti, cicurati, frenati lege et miseriis huius vitae. Iuvenes sunt pulli asinae, liberius adhuc vagantes, et nondum domiti.

Apostoli, id est, concionatores adducunt asinam et pullum ad Christum, et Christus insidet, id est, agnoscitur ab eis, et regit eos. Non autem Apostoli, non pontifices sedere debent, id est, regnare in Ecclesia, hoc est, autoritatem suam anteferre Evangelio, aut potentiam et honores sibi quaerere.

Populus prodit obviam Christo. Aliqui excipiunt eum cum ramis olivae et palmae, id est, agnoscunt eum esse victorem vincentem diabolum, tollentem peccatum et mortem, et datorem pacis. Hanc laudem nos etiam debemus tribuere Christo. Repugnemus terroribus peccati et mortis, sciamus donari nobis ipsius victoriam. Erigamus conscientiam, et accipiamus consolationem.

Quidam etiam canunt et voce ipsa celebrant hunc Dominum, profitentur publice Christum missum esse, ut afferat benedictionem, cum clamant: Benedictus qui venit in nomine Domini, quasi dicant: Iste est Messias, de quo dictum est: In semine Abrahae benedicentur omnes gentes. Item precantur pro toto regno Christi: Hosianna Filio David. Hi sunt cultus fidei, invocationis, et confessionis, quos praestare etiam nos Christo debemus, et precari pro tota Ecclesia.

Nonnulli etiam prosternunt vestes. Haec ceremonia significat ministerium iuvandum esse collatione facultatum nostrarum, imo etiam in casu confessionis debemus exuere pellem seu cutem, hoc est, Corpus et vita adducenda est in discrimen propter confessionem verae doctrinae. Nam hoc quoque est exuere vestes, sicut Ecclesia canit de

Martyribus: Laverunt stolas suas, seu corpora in sanguine agni, id est, passi sunt una cum agno.

Adsunt et Pharisaei, qui fremunt et indignantur, Christum sic excipi, ut Messiam. Hi prohibent confessionem puerorum, et clamores populi. Sed Christus respondet: Si isti tacuerint, lapides clamabunt, id est, semper excitabit Deus aliquos, qui veritatem confitebuntur, invitis potentibus et sapientibus huius mundi.

Hanc imaginem saepe intueamur, et discamus, quod Ecclesia sit populus obviam procedens Christo, agnoscens filium Dei, et fide accipiens beneficia eius, et ostendens fidem confessione, invocatione, et officiis ac studio conservandi ministerii. Non autem offendamur, quod semper sunt multi hypocritae, frementes contra Messiam, adversantes Evangelio, metuentes regno suo: Sed consolemur nos, quod Deus velit servare Ecclesiam, quanquam est imbecilla, infirma, languida, nec habet praesidia humana. Item, quod Deo placeant initia fidei, confessio nostra, et caeteri cultus, seu opera, quibus studemus ornare gloriam Christi, et servire Ecclesiae, etiamsi est magna infirmitas nostra, sicut etiam Apostoli et alii plurimi in hoc populo habuerunt multas opiniones incommodas, multi etiam postea in passione non satis firmi fuerunt in confessione. Quia in hac vita etiam in sanctis semper manet multum imperfectionis.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Evangelium Lucae 21.

Narratio huius Evangelii loquitur de re omnium maxima, videlicet de fine huius mundi, et de mutatione huius status, in quo generantur et moriuntur homines, et in quo per omnem vitam sunt confusiones horribiles: Et simul praedicit futurum, ut Ecclesia habeat post hanc vitam suam beatitudinem et gloriam, impii poenas aeternas. Est igitur concio haec referenda ad articulos symboli: Credo resurrectionem mortuorum, et vitam aeternam, item quod rediturus sit filius Dei ad universale iudicium. Nos primum vocabula quaedam declarabimus.

Cum dicitur: *virtutes coelorum movebuntur*, intelligantur exercitus, seu agmina stellarum, Deß himels heer. Nam *δύναμις* Graece significat saepe exercitum sicut nos Germani nominamus exercitum eine macht. Multi habent mirabiles phantasias de isto textu, Sed haec est simplicissima expositio: Movebuntur agmina seu exercitus stellarum: sicut paulo ante dixit: Erunt signa in Sole et Luna et stellis, quasi dicat: Erunt horrendi positus siderum, horribiles coniunctiones et oppositiones planetarum, tetrae Eclipses luminarium, Item, Dirae et terribiles quassationes seu concursationes stellarum, et alia horrenda spectacula praeternaturalia. Nam etsi infausti positus, etiam cum usitato naturae ordine congruentes, satis sunt horribiles, et quidem sub finem mundi crebriores, et terribiliores erunt: tamen credo ante novissimum diem, etiam turbationes futuras esse ordinatorum motuum, sicut in passione Christi facta est Eclipsis Solis praeternaturalis: Et multa puto hactenus etiam facta esse in coelo, praeter communem naturae ordinem: Quae etsi vulgus non observat, tamen artifices deprehendere possunt, qui sciunt hodie insigniter mutatam esse Eccentricitatem, id est, intervallum inter centrum mundi, et centrum Eccentrici orbis solaris.

Quae res profecto admiratione digna est. Dubitari enim potest, utrum propter senectam mundi, quasi subsidat coelum, paulatim ruente seu contabescente natura rerum: An vero inferiori mundo tanquam effoeto, et sicut fit in senilibus corporibus, magis magisque languescente, opus sit viciniore positu Solis eum foventis. Nam hoc tempore Sol propior est terris, quam fuit Hipparchi et Ptolomaei temporibus: Mutata fere quarta parte Eccentricitatis. Fuit enim Ptolomaei tempore altior, nunc vero proprior est Sol miliarum Germanicorum fere decem millibus.

Omitto, quae artifices disputant de motu trepidationis in firmamento, in quo sunt stellae fixae. Sed erunt sub finem mundi alia quoque horribilia, quae incurrent in omnium conspectum, neque convenient tamen cum usitato motuum coelestium ordine.

In fine textus hodierni Evangelii est: *Attendite, ne graventur corda vestra crapula.* Non dicit ventres, quia vult servari hunc modum in cibo et potu, ut non graventur corda, id est, cogitatio, intentio animi, affectus sobrius. Qui non amant sobrietatem, non possunt esse idonei ad precationem, et ad resistendum tentationibus satanae. In ieiunio cogitationes sunt meliores, ardentiores, sanctiores. Contra, frigidior est invocatio et omnia exercitia pietatis pleno ventre. Ideo dicitur in propheta: Scortatio et ebrietas auferunt cor. Semper prophanitas comitatur assiduum seu crebriorem usum voluptatum.

Crapula usurpatur plerumque de helluatione, sed hoc fit per Metonymiam seu Metalepsin. Proprie significat materiam illam crudam, quae reliqua est ex helluationibus, quae affert fastidium et nauseam in ventriculo, et edit malos halitus, turbantes caput. Nomen est a *κάρα* et *πάλλω*, id est, a vibratione capitis, Vulgo nominant Nauseam. Sed Graeca vox plus complectitur.

Nam in ebrietate ascendunt confusi halitus, qui adhaerescunt cerebro, sicut fuligo adhae-

rescit caminis, et paulatim incenditur. Isti halitus turbant Spiritus animales in cerebro. Ipsa etiam Nausea ciet dolorem capitis, propter consensum membrorum, seu propter nervos demissos ex cerebro in ventriculum.

Qui indulgent ebrietati, habent capita fumosa, et fiunt magis magisque amentes, laeso et turbato cerebro. Ac recte dixit Seneca: Consuetudine insaniae durata vitia, vino concepta, etiam sine vino valent, hoc est, homines ebriosi, qui perpetuo ingurgitant vinum, sunt insani, etiam tunc quando sibi videntur esse sobrii. Medici quoque verissime dicunt, plurimorum morborum corporis causam esse ebrietatem, quia mali halitus, qui haerent in cerebro, afferunt Apoplexiam, paralyses, et similes morbos. Non est existimandum parvam esse quassationem capitis, etiam cum semel aliquis factus est ebrius. Sed accedit multo maior debilitas in crebris helluationibus.

Cogita autem, quantum peccatum sit in ista re. Dedit nobis Deus vires animae et corporis, ut sint organa Spiritus sancti. Vult Deus habitare in tuo corde et cerebro tanquam in suo domicilio, et regere spiritus et motus in corde et cerebro. Debebant igitur servire Spiritus nostri cogitationi de Deo, et de aliis rebus necessariis, et affectus debebant esse sedati et compositi. Sed haec omnia turbantur furoribus ebrietatis.

Christus hic loquitur de postremis temporibus, et de his nominatim praecipit: *Videte, ne corda vestra graventur crapula seu ebrietate.* Significat igitur, quod in maximis miseriis postremi temporis tamen sit futura tanta securitas, ut homines magis indulgeant ebrietati, et voluptatibus corporum. Id videmus nunc fieri. Quo plus est calamitatum, eo maior est negligentia et securitas hominum, qui subinde attrahunt sibi maiorem caecitatem, et ex caecitate ruunt in maiora mala. Haec profecto sunt tristia. Ideoque cogitandum est tanto maiori severitate voluisse Christum proponere hanc admonitionem de vitanda crapula.

Habent Graeci aliud quoque vocabulum, quo nominant ebrietatem, videlicet *μέθην*. Nam *μεθύομαι* significat ebrium esse, quod et *μέθυσκομαι* dicitur, quo verbo Paulus utitur ad Ephes. 5. *μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία.* Est autem a *μέθυ*, quod significat vinum merum, id est, non mixtum, seu dilutum aqua, quali utebantur in sacrificiis, et deducant Grammatici hanc vocem a *μετὰ* et *θύειν*, id est, simul sacrificare. Solebant enim in sacrificiis convivia instituere, et largius una bibere.

Ἀσωτίαν verterunt luxum apud Paulum, et Aristoteles nominat Asotos intemperantes, et ad profusionem usque sumptuosos, quos dicit multa vitia simul habere, lib. 4. Ethicorum. Cicero 2. de Finibus describit Asotos, qui in mensam vomant, qui de conviviis auferantur, et crudi rursus se postridie ingurgitent, qui solem neque occidentem unquam viderint, nec orientem, qui consumptis patrimoniis egeant, etc. Nomen *ἀσωτίας* est a non servando seu perdendo, quia *σώζειν* Graecis est servare et particula *α* est *στερητικὴ* seu privativa in compositione.

Fere hic effectus est helluationis, perdit corpus, facultates et animam. Ideo saepe soleo conqueri de moribus nostrorum hominum. Wir Deudschen fressen vnd sauffen vns kranck, arm, vnd in die Hell hinein. Id est, nos Germani accersimus nobis intemperantia nostra morbos corporum, damna fortunarum, et interitum animae.

Immoror autem in his vocabulis declarandis, quia adolescentes quoque nimium sibi indulgent potationibus. Scio multos ex scholasticis misere vivere, et propter paupertatem cogi, ut sint temperantes. Sed sunt alii, qui certe excedunt modum, et sua intemperantia turbant et impediunt studia sua. Ideo addo hoc quoque.

Est antiqua illa distributio aetatum mundi, quae accommodatur ad praecipuas potentias animae, Nam Plato dicit, tres esse partes animae, *ἡγεμονικὸν, θυμικὸν, ἐπιθυμητικόν.* Haec sunt antiquissima nomina, quibus distinguuntur, seu facultates, seu potentiae animae. *Ἡγεμονικὸν* est pars animae rationalis, hoc est intellectus et voluntas. Habet nomen ab imperando, quasi dicas, pars rectrix, Sedes eius est in cerebro. *Θυμικὸν* comprehendit motus cordis. Appellatio sumpta est ab ira, quasi dicat, pars irascens. Ponitur species pro genere, sed significantur omnes vehementiores et ardentiores motus, quorum sedes est cor. *Ἐπιθυμητικὸν* habet nomen a concupiscentia. Complectitur appetitiones cibi, potus et aliarum voluptatum corporis. Sedes est in inferiori ventre, praesertim in epate.

Secundum has partes animae distribuerunt tempora mundi, accommodatis diversis aetatibus ad vires seu facultates istas animae.

Primo tempore regnavit *ἡγεμονικόν*, id est, sapientia. Nam illa prima aetas excelluit ingeniis, invenit artes. Fuerunt tum artifices in omni genere praestantissimi, sicut Moises scribit etiam in posteritate Cain inventas esse plurimas artes. Homines tum certabant inter sese ingeniis, etsi sapientia humana, tunc etiam valde peccavit idololatria. Huius aetatis finis constitui potest circa tempora Nini, Quia postea Imperia sunt parta, defensa, amplificata bellis, cum antea autoritate et gubernatione paterna homines in officio continerentur.

In secunda aetate a Nino usque ad Iulium regnavit *θυμικὸν*, id est, fuit aetas bellatorum, excelluit tunc fortitudo Heroica. Constituta sunt imperia armis, vixerunt ibi Gigantes, qui et animo

fuerunt elati, et grandi statura corporum praediti. Postea paulatim extiterunt alii bellatores fortes. Ac pulchrum est in historiis considerare, qui fuerint in Ecclesia et apud Ethnicos coaetanei, ut Herculem et Samsonem puto Synchronos fuisse: item Achillem et Davidem. Quantus bellator fuit Alexander, qui instar sagittae circumvolitat in toto orbe terrarum. Iulium existimo recte poni ultimum in aetate *θυμικῇ*. Augustus non fuit bellator, et facta sunt paulatim omnia languidiora. Non fuerunt postea tam bellicosi homines et magnanimi. Iulius potuit sistere, et retrahere fugientem exercitum. Cuius nunc est tanta fortitudo animi, qui hoc possit facere?

Nos hodie sumus ventriculi prae istis hominibus, sive sapientiam spectes, sive fortitudinem. Et tamen sumus pleni superbia, pleni fastu et arrogantia. Sed tales sunt stulti, Quia universaliter superbia est comes stultitiae. Id experientia ostendit in quotidianis exemplis. Nulla re magis offenduntur, quia non sunt sanae mentis, quam cum audiunt aliquid dici contra suam opinionem. Indignantur ac stomachantur, cum existimant laedi suam existimationem. Vicissim placantur, quando evehuntur et laudantur. Fiunt mitiores et suaviores, cum audiunt blanditias. Id experimur fieri in his, qui natura sunt bardi seu fatui. Sed item fit de nobis omnibus, qui tamen volumus videri sapientes, ut recte dicere possis, omnis stultus est superbus, et omnis superbus est stultus. Iactitant nostri homines fortitudinem. Volunt videri magnanimi, scilicet, cum sunt soli. Sed ubi est fortitudo illa, qualem describit Hesiodus in versu, qui citatur apud Polybium: *Αἰακιδαὶ πολέμῳ κεχαρήοτες ἠέ γε δαιτί.* Aeacidae magis praelio laetantur, quam convivio. Ita nec sapientia illa vetus reperitur hodie. Vix conservare possumus illa, quae a maioribus sunt tradita.

Tantum dedita est haec aetas voluptatibus ventris. Ideo recte dicitur: In hac delira et languida senecta mundi regnare *ἐπιθυμητικόν.* Homines nunc plerique sunt avidi otii et voluptatum. Et quanquam in omnibus regnis multum est inquietudinis et bellorum: Tamen non tam bella sunt, quam rumores bellorum, id est, non geruntur bella legitima, quibus constituantur aut ornentur Imperia. Tantum sunt tumultus turbantes pacem, vastantes mundum, ut si cogites de hominibus temulentis, qui et se et alios turbant suis clamoribus.

Nec modo in aulis, sed et in privatorum familiis regnat intemperantia in victu et voluptatibus. Ista debebamus moderari, sed nescio quomodo possit fieri, Quia, cum vitia abeunt in mores, non facile est mederi vitiis. Nostrae mulieres putant, quando non sumus farcti instar farciminum, id est, ita repleti cibo et potu, ut nihil assumere amplius ciborum possimus, nos nondum satis habere, aut periclitari de fame.

Etiam maiorum nostrorum saeculo nondum fuit talis ingluvies, qualis apud nostros homines magis magisque crescit. Capnio ad coenam non sumebat plus uno ferculo, et bibebat loram, et quidem in aestate, cum idem mihi non concederet. Est autem lora potus ille, qui fit infusa aqua super uvas, postquam expressum est mustum, et quo magis exprimitur mustum, et plus infunditur aquae, eo lora fit tenuior. Egressus est Capnio annum aetatis septuagesimum. Etiam meus pater erat valde temperans. Cum fuisset aliquando in his regionibus, laudabat hanc consuetudinem, quod primum daretur assatura, quia ipse nihil solebat comedere, nisi de primo ferculo. Ego ipse non possum mihi ita temperare in cibo et potu: Quod fit, quia talis est consuetudo, et puto tamen, me non plane esse intemperantem.

Non potuisset melius describi postrema aetas mundi, quam verbis illis, quibus Christus utitur in hoc textu: *Videte ne corda vestra graventur crapula et curis victus.* Voluit haud dubie pingere hanc vitam nostram barbaricam.

Est autem addita adhortatio in fine de precatione valde insignis: *Vigilate omni tempore precantes, ut possitis effugere.* In Graeco est *καταξιωθῆτε* ut sitis digni effugere. Id non intelligendum est de merito, sed est graecismus valde usitatus. Graeci utuntur generaliter verbo *ἀξιοῦσθαι* Sententia est, ut possitis esse tales, vel fieri tales.

Sed videtur textus pugnare secum. Dicit illa ventura esse, et tamen dicit nos effugituros esse. Si venturae sunt calamitates, quomodo effugiemus, cum bellum aliquod ingruit, aut eversio imperii alicuius: aut interficiuntur homines, aut si qui non interficiuntur, ii saepe duriora patiuntur, in exilium mittuntur, aut opprimuntur servitute domestica, quae tristior est morte, ut quando Turca, Thraciam, Graeciam, Hungariam occupavit, quid reliquum est nisi miserrima servitus?

Melius agi videtur cum illis, qui interficiuntur, sicut apud Virgilium inquit Aeneas:

. . . o terque quaterque beati
Queis ante ora patrum, Troiae sub moenibus altis
Contigit oppetere. . . . .

Respondeo. Verba illa, ut possitis effugere, sunt intelligenda de mitigatione publicarum calamitatum, Quia Deus etiam inter illa mala postremi temporis servabit reliquias Ecclesiae. Iubet enim attollere capita. Unde sequitur, quod mansura sit Ecclesia illo tristissimo tempore. Sicut Paulus etiam inquit: Hoc facite, donec Christus veniet. Etsi autem reliquiae illae in publicis calamitatibus etiam duriter quassantur, iuxta dictum: *Intrant in*

thalamos publica damna tuos. Tamen mitigantur eis calamitates.

Similia multa sunt in prophetis, ut cum Amos 9. dicitur: *Ecce oculi Domini super regnum peccans, et conteram illud a facie terrae.* Vocat regnum peccans, quod iam est reum seu destinatum poenis. Alioqui nullum est regnum, quod non peccet, seu quod non habeat peccatum. Loquitur ibi propheta de regno Samariae, quod deletum est, etiamsi amplas et magnificas promissiones habuerat, sicut postea etiam regnum Iudae est deletum, quod adhuc maiores promissiones habuit. Additur autem in Propheta Amos: *Veruntamen non conterens conteram domum Iacob,* quasi dicat: Destruam regnum, sed ita tamen ut serventur aliquae reliquiae, et mitigentur calamitates.

Sic Oseae 11. dicitur: *Quomodo dabo te Ephraim? quomodo perdam te Israel? an sicut Sodomam et Gomorrham ponam te? Conversum est in me cor meum. Non faciam furorem irae meae, Non perdam prorsus Ephraim, quia Deus ego sum, non homo.* Cur hoc dicit? Respondeo. Differunt Deus et homo in puniendo. Homo punit primum ad destructionem, id est, homines irati ruunt in puniendo ad perditionem. Deus vero primum punit ad emendationem. Hanc enim potissimum quaerit, et illis, qui se emendant, mitigat calamitates. Haec consolatio nisi sustentaret animos in miseriis, non possemus non exanimari in doloribus. Sequitur autem in Osea: *Sum in medio tui sanctus,* id est, dedi Ecclesiae verbum meum, et volo in hac agnosci et celebrari. *Veruntamen non intrabo in civitatem,* hoc est, non conservabo in ea regnum, Nam intrare significat regnare. Sicut alibi dicitur in Moise: *Non intrabunt spurii in domum Domini,* hoc est, non debent adhiberi ad functiones publicas.

Similis locus est apud Esaiam, cap. 65. *Novissimo tempore servabo populum, ut cum in sterilitate crescunt paucae uvae,* et ut alibi dicitur: *Sicut in vindemia olivarum, cum duae olivae aut tres decutiuntur ex summitate rami.* Significatur Deum punire mundum, destruere regna, mutare statum universalem politiarum, sed tamen servare aliquas reliquias, quae etsi duriter aliquando exercentur, tamen sentiunt mitigationem calamitatum.

Sunt hodie etiam sub Turcis aliquae reliquiae, id est, Ecclesiolae aliquae, sed quod ad externum statum attinet, admodum squalidae. Et fieri tamen potest, ut sint ardentiores in invocatione, et diligentiores in omni vita, quam nos, Quia magnitudo calamitatum illos premit, et excitat ad diligentiam. Nos in otio efficimur securi et negligentes, sicut semper res secundae pariunt negligentiam, ut dicitur:

Luxuriant animi rebus plerumque secundis
Nec facile est aequa commoda mente pati.

Item. *Otia dant vitia.* Et:

Otia securis insidiosa nocent. Et:
Homines nihil agendo mala agere discunt.

Sic igitur Christus hoc loco utrumque dicit, Venturas esse calamitates: et tamen orandum esse, ut possimus effugere, quae ventura sint. Si quaeris, quomodo haec sint concilianda? Dico impetrare pios mitigationem calamitatum. Ieremias in ruina patriae non fuit expers communium calamitatum, sed mitigatae tamen ei sunt aerumnae, et eius voce ac ministerio multi sunt salvati.

Hic discenda est solutio etiam argumenti, quo aliqui Stoicam seu absolutam necessitatem stabiliunt in omnibus eventibus:

Istae calamitates inquiunt et confusiones sunt praedictae.
Ergo necesse est eas fieri, Quia divinitus praedicta sunt immutabilia.

Hoc argumentum simile est illi, de urbe Ninive:

Deus est verax.
Deus iussit praedici Ninivae interitum per Ionam.
Ergo necessario Ninive delebitur.

Respondeo ad maiorem: Deus est verax, sicut se patefecit, et praedicta divinitus certo eveniunt, scilicet, iuxta interpretationem praedictionum, simul divinitus traditam. Sic autem scriptura nos docet, quod comminationes semper sint intelligendae, cum exceptione poenitentiae. Nam in poenitentibus ac invocantibus vel omnino tolluntur calamitates, ut factum est de Ninive, tempore Ionae, etsi postea deleta est Ninive post annos 60. Vel si non prorsus tolluntur, mitigantur tamen, ut experitur Ecclesia omnibus temporibus.

Haec est valde necessaria doctrina, refutans necessitatem illam, qualem cogitant Stoici, et saepe a nobis consideranda est propter consolationem. Quae ut sit efficacior, conferendi sunt gradus promissionum et comminationum divinarum.

Promissiones propriae Evangelii sunt simpliciter ratae credenti seu accipienti. Promissiones bonorum corporalium sunt intelligendae cum exceptione crucis et castigationis. Item, ne rapiamus eas nostro consilio, et ne praescribamus Deo modum et tempus. E contrario comminatio poenae aeternae, quae est rata in impoenitentibus, tamen credentibus fit dispensabilis, iuxta vocem iuramenti divini: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Multo magis comminationes poenarum temporalium sunt dispensabiles agentibus poenitentiam.

Quia autem impoenitentes opprimuntur etiam temporalibus poenis: Ideo hoc quoque recte dici

potest, Praedictiones de poenis esse Synecdochas, id est, loqui de maiore parte, quae non convertitur, cum quidem serventur reliquiae Ecclesiae, et poenitentibus singulis contingat mitigatio. Servat Deus comminationes suas, cum punit impiam multitudinem, item cum castigat suos, quibus tamen mitigat mala, ut dicitur in Psalmo: *Visitabo in virga iniquitates eorum, sed misericordiam meam non auferam ab eis.*

Mihi quidem gratissima est haec consolatio, et debet omnibus esse grata et dulcis. *Orate ut possitis effugere haec mala.* Hinc enim sequitur, per nostram invocationem in vera conversione ad Deum mitigari calamitates. Simus ergo ardentes in precando, et oremus veris gemitibus, nec dubitemus de exauditione. Non simus perpetuo ebrii et furentes, non repleamus nos quotidie, quia non solum furiosa ebrietas, sed etiam quotidiana repletio magnum est impedimentum invocationis.

Recte etiam utamur beneficio Dei, si quando dat mitigationem et tranquillitatem aliquam, qua plerumque abutitur mundus. Id fieri experimur etiam in Germania nostra, ubi Ecclesiae Evangelicae constitutae sunt, in quibus videmus Principes inflectere religionem ad privatas suas utilitates, vulgus ad licentiam et voluptates suas. Obiiciunt hoc nobis odiose adversarii, sicut Monachus ille dicebat ad me in conventu Augustano: Vestri homines propter tria peccata receperunt hanc doctrinam: concionatores propter superbiam, Principes propter avaritiam, vulgus propter helluationes. Hic est valde tristis abusus publicae tranquillitatis, quem Deus non sinet esse impunitum. Et haec de grammatica explicatione vocabulorum et phrasium hactenus, etsi subinde commonefactiones grammaticae monent de multis bonis rebus. Nunc de principali loco doctrinae in hoc textu agemus.

Nam quia hic est praedictio, non modo quale sit futurum tempus ultimum, et quae signa sint praecessura finem mundi: sed etiam quod postea sit futura resuscitatio mortuorum, et iudicium, in quo omnes aspiciemus filium Dei iudicantem, et cernemus glorificari Ecclesiam, et abiici in aeternos cruciatus omnes impios, Diabolos et horum satellites et organa: Diligenter quaerendae sunt causae, quare ista praedicta sint.

Primum igitur praedictiones istae traditae sunt, quia oportet Ecclesiam scire, quod finis futurus sit, miseriarum huius mundi. Oportet sciri, quod Ecclesia sit aliquando liberanda, et quod simus habituri vitam aeternam, in qua vivemus sine peccato et morte, et fruemur aeterna consuetudine cum Deo, cuius quanta sit futura laetitia et gloria, neria, nemo potest in hac carne comprehendere, sicut Paulus inquit: *Videmus nunc in aenigmate*, Item: *Quae in cor hominis non descenderunt.*

Hunc ergo finem scire nos oportet: Et facienda est hic antithesis. Philosophia seu ratio naturalis non potest constituere aliquid certi, de principio, aut fine mundi. Epicurei fingunt subinde alios mundos nasci et interire ex confusione atomorum. Plato etsi fatetur mundum esse conditum, tamen multa millia annorum retro numerat. Dicit ante novem annorum millia alias fuisse Athenas multo pulchriores, et cives quoque longe praestantiores. Fortassis voluit laudare superiorum temporum statum, sicut plerumque senes sunt laudatores temporis acti, Quia vident paulatim crescere miserias, Item senectus magis afficitur rebus praesentibus, quam facit inventus. Nam iuvenilis animus non amat dolores *νεὰ φροντὶς ἀλγεῖν οὐ φιλεῖ.* Etiamsi vivunt iuvenes in mundo inter calamitates publicas et privatas: tamen non serio cogitant, non ardenter dolent de communibus miseriis. Es gehet jnen nicht so tieff zu gemüth, thut jnen nicht so wehe, Ideo dicitur, O jugent werstu tugent, so werstu mit geld nicht zu bezahlen. Senes magis cogitant de rebus: Ideo existimo Platonem voluisse conqueri de praesenti statu Athenarum, et laudare statum veterem. Herodotus [lib. II.] autem ait ab Aegyptiis decem millia annorum et amplius recenseri, et observatum esse, in hoc tanto spatio annorum bis mutata esse loca ortuum et occasuum Solis, ita ut Sol ortus sit bis, ubi nunc occidit: et bis descenderit, ubi nunc oritur. Aristoteles neque finem neque initium mundi agnoscit. Disputat de aeternitate mundi.

Sic de resurrectione mortuorum nihil novit ratio. Plato sensit animas esse immortales, sed de instauratione corporum nihil novit. Stoici dixerunt animas vivere multis seculis, postea interire, sicut flammula seu igniculus aliquantisper manet, donec extinguatur. De Campo Elysio, et poenis inferorum habent aliqua poetae, sed depravata fabulis poeticis.

Sola Ecclesia nos docet, quod mundus, quem cernimus, sit opus a Deo conditum, et quod sit unus tantum mundus visibilis, sicut dicitur: Quievit Deus die septimo. Item Christum oportuit semel mori, qui etiam in hoc unico mundo, non in alio est mortuus, et quidem pro genere humano, quod est in hoc mundo, cui iussit praedicari Evangelium. Id opponendum est commentis Democriti fingentis innumerabiles mundos.

Sola etiam Ecclesia docet, quando coeperit hic mundus, et annos durationis mundi numerat. Sola docet, quod haec vita hominum, qualis nunc est, sit desitura: contra Platonis et Aristotelis imaginationes. Denique sola Ecclesia certo docet, quale discrimen sit futurum inter mortuos resuscitatos: et quod Ecclesia sit victura in aeterna luce et iustitia, et damnati abiiciendi in aeternos crucia-

tus, sicut statim prima concio ad Cain loquitur de iudicio futuro: Peccatum tuum cubabit, donec revelabitur. Et in Epistol. Iudae scribitur, quod Enoch expresse concionatus sit de venturo iudicio. Et notae sunt caeterae conciones propheticae et Apostolicae, quae simul plerasque circumstantias futuri judicii declarant, Atque haec est prima et principalis causa, cur Dominus voluerit praedicere finem mundi, et quae tum antecessura, tum consecutura sint. Postea sunt aliae causae, quas etiam considerare debemus.

Est igitur secunda causa. Praedictae sunt illae temporales calamitates, ut sciamus, quando eveniunt, eas non casu accidere. Nam quia divinitus praedicuntur, facile intelligi potest, quod Deus sinat illas evenire mirabili suo consilio. Hic vero statim subire animum debet, quae sint proximae causae, seu qui sint fontes horum malorum. Cur enim cumulantur miseriae in genere humano sub finem mundi? Respondeo. Hoc fit primum, quia cumulantur peccata ab hominibus, ideo crescunt etiam poenae. Deinde Diabolus scit brevi instare iudicium suum, ideo fit rabiosior. Scit enim se abiiciendum esse in aeternas poenas, et ad se non pertinere beneficia filii Dei, sed tantum ad homines, sicut dicitur in symbolo: propter nos homines, et propter nostram salutem descendit e coelo. Item, Ite in ignem aeternum, qui paratus est Diabolis et angelis eius. Hoc suum iudicium sciunt Diaboli. Sciunt etiam instare tempus, in quo fiet revelatio iudicii coram omnibus angelis et hominibus, et detegetur illa tetra turpitudo Diabolorum, et omnium scelerum et flagitiorum, ad quae impulit Diabolus homines in hac vita. Ideo horribiliter nunc fremit et grassatur.

Idque propterea cogitandum est, ut simus diligentiores in precatione, Quia quanto magis insanit, et rabiosius grassatur Satan in genere humano, tanto magis orare debemus filium Dei, ut servet, regat, et liberet nos.

Valde dolendum est istis postremis temporibus, tam horribiles Idololatrias esse in mundo, et tam late grassari. Maxima pars generis humani est Mahometica. Multi alii sunt ignari omnis religionis, neque ullas res honestas curant, sed vivunt ut bestiae, ut in Africa et aliis locis. In Europa exigua pars est, quae habet nomen Ecclesiae Christianae. Et tamen inter hos ipsos, qui Christiani vocantur, pauci habent veram doctrinam. Plurimi defendunt manifesta idola, quales sunt pontificii, quorum maxima pars est Epicuraea et idololatrica, mordicus retinens invocationem mortuorum, et abominationes missarum. Denique inter eos quoque, qui habent lucem doctrinae Evangelii, sunt valde pauci, recte invocantes Deum.

Hanc paucitatem vere piorum cum consideramus, expavescant animi nostri. Non blandiamur nobis: Non putemus unumquemque, qui vivit in mediocri disciplina, salvum fore in sua religione. Cogitemus et portenta illa Idololatriarum et caeteros furores, et turpitudines hominum esse causas miseriarum postremi temporis, et agnoscamus in his diaboli rabiem, magis et atrocius nunc saevientis in mundo propter imminens iudicium, a quo nulla pars diabolorum liberabitur.

Tertia causa est. Sunt revelatae istae praedictiones, ut revocemur ad poenitentiam, et quaeramus mitigationem. Nihil enim prodesset, praedictiones editas esse, nisi promissa esset mitigatio et liberatio ex istis malis. Ita autem mitigantur nobis praesentes poenae, si emendemus nos.

Ideo abiiciamus peccata, fugiamus Idololatrias, et clamemus ad filium Dei: Domine Iesu Christe tu apparuisti, ut destruas opera diaboli, conculca caput serpentis, serva, rege nos Spiritu sancto, et intercede pro nobis apud patrem. Tales preces sciamus non fore irritas, et ut sit ardor illarum precum ferventior, semper sit in conspectu magnitudo miseriarum illarum, quas vox divina praedicit maiores futuras esse postremis temporibus.

Nemo nostrum est, quin habeat multas causas dolendi. Habemus nostra privata peccata, et communia seu publica. Sumus impliciti multis malis privatis et publicis. Multae miseriae onerant non solum nos, sed etiam familias nostras. Denique qui non sunt plane stulti, non possunt non esse in magno dolore. Quam habemus autem aliam consolationem, nisi istam, quod scimus Deum agentibus poenitentiam et invocantibus eum remittere peccata mitigare mala, et servare suos inter ruinas Imperiorum, et inter multiplices fluctus ac tempestates. Idque fieri mirabiliter, Quia nemo certe dicere potest, quomodo fiat, nisi quod videmus, non fieri ista, nec gubernari consilio aut sapientia humana.

Necesse est nos fateri, Deum mirabiliter servare genus humanum et Ecclesiam. Ita Adam ipse servatus est primo tempore, inter horribiles insidias Diaboli mirabilibus modis. Servati sunt Israelitae stantes ad mare rubrum. Daniel inter leones, Denique Ecclesia omnium temporum servata est mirabiliter. Ita speremus Deum nos etiam servaturum esse inter horrendas insidias Diaboli, inter furores mundi, inter ruinas regnorum, et inter caetera mala postremi temporis, et hac spe ardenter oremus, et ut possimus orare, serio agamus poenitentiam.

Hae sunt causae praecipuae praedictionum divinarum, quas non debemus existimare parvi momenti esse, multo minus aspernari, et omnem de iis cogitationem abiicere, sicut mundus occupatur quaerendis suis voluptatibus, deliciis, quaestibus,

negotiationibus, rixis, altercationibus, nihil cogitans de praesenti aut futuro statu mundi.

Propter tales non sunt scriptae aut traditae praedictiones, quas etiamsi audiant isti: tamen cogitant, sive eveniant sive non eveniant, nos interim consulere nobis volumus, ut Cyclops ait apud Euripidem: Ego non curo Iovis fulmina et imbres: sum munitus sub ista rupe, abundo lacte, Timeant alii, qui sunt expositi fulminibus, qui carent victu. Haec est imago plurimorum hominum, qui similiter vivunt in prophanitate.

Verum pii orent Deum, ut ipse accendat in animis veram lucem, et regat nos Spiritu sancto. Debemus petere gubernationem a Deo, et non esse ita amentes, ut nihil curemus. Non debemus cogitare: Illa eveniunt, ego non potero ista impedire, proscipiam igitur mihi quantum potero. Imo vero sic cogitare debemus: illa evenient, et tu eris pars illorum, sed tamen promisit Deus mitigationem. Hanc volo petere, et convertere me ad Deum, non volo me volutare in aliis sordibus, aut mergere in curas exitiosas quae me abducunt a Deo. Hic locus doctrinae est praecipuus in hoc textu.

Alter locus doctrinae est, Accommodatio signorum, quae hic recensentur, ad statum postremorum temporum. Non volo autem de signis istis scrupulose disputare. Textus est satis perspicuus illis, qui considerant ea, quae nunc fiunt in mundo. Christus hic ait: *Insurget gens contra gentem, et erunt rumores bellorum.* Haec videmus iam fieri. Etsi enim omnia regna paulatim fiunt squalida, quocunque tempore, tamen maiores nunc sunt, et deinceps erunt regnorum confusiones, quam fuerunt ante. Aspiciamus Thraciam, Graeciam, Ungariam, quales sunt ibi ruinae. Tales etiam erunt aliquanto post in Germania, Gallia, Italia. Quam pulcher status fuit Italiae tempore Scipionis, et postea Augusti, qui Italiam erexit, et quales ruinae postea secutae sunt? et quid hodie ibi fit? Ita in caeteris regnis series historiarum intuenda est. Magna est enim barbaries, nihil velle scire de antiquitate.

De rumoribus bellorum antea quoque dixi. Olim fuerunt bella heroica, et ex bellis constituta sunt Imperia. Cyrus domita Asia constituit Monarchiam Persicam, Alexander Monarchiam Graecam. Romani restituerunt orbem terrarum turbatum bellis regum Syriae, Aegypti, Macedoniae. Nunc nihil virtute geritur, et tamen sunt magnae turbationes. Nullae fiunt instaurationes, sed cumulantur saltem confusiones plures. Quidam Princeps ante multos annos, cum suscepta essent bella non necessaria, dicebat ad me: Quem finem constituerunt isti in suis bellis, aut quid postea est constitutum? Conquerebatur, quod non sit cura seria constituendi boni status publici.

Habet nomen a vastatione Turca. Nam Turca est idem quod vastator. Tota Asia, qua antea fuit literis et sapientia florentissima, est vastitas. Sunt ibi latronum et bestiarum stabula, et nihil praeterea. In caeteris Regnis plerisque, paulatim etiam res ad vastationes inclinant. Id fit propter peccata hominum, quae in causa sunt, cur Deus non det gubernatores idoneos, iuxta comminationem propheticam: Effaeminati dominabuntur eorum.

Has et similes turbationes politicas, seu ruinas regnorum numerat Christus inter signa, quod instet postremus dies.

Nimis longum foret dicere de physicis turbationibus in coelo, aëre, aqua, terra, animantibus, etc. Certe nulla aetas fuit, quae habuerit tam crebra et horribilia prodigia, quam haec nostra tempora.

Dogmatum vero confusiones in Ecclesia videmus magis magisque crescere in tanta petulantia ingeniorum. Haec non indigent longiore commemoratione, cum in conspectu sint omnium: Et nemo lachrymis mala illa satis deplorare possit.

Quod autem Christus inquit: *Homines prae angustia contabescent,* id quoque experimur fieri. Multi homines extinguuntur dolore animi, et sancti quoque qui sustentant se consolatione divina, tamen non possunt non dolore in hac miserabili confusione omnium rerum. Non sunt igitur signa vana, de quibus Christus loquitur. Sed obiiciunt aliqui contra observationem signorum:

Scriptum est: A signis coeli nolite metuere.
Ergo nihil significant.

Respondeo. Est fallacia secundum non causam ut causam. Non enim ideo non timenda sunt, quod nihil significent, sed ideo quia sunt signa, et significant aliquid consolatio divinitus est tradita. Sequitur enim ex ipsa appellatione signorum, quod aliquid significent, quia signum est, quod aliam rem significat. Concedendum ergo est hoc, quod cum vox divina nominet signa, haud dubie aliquid significat. Et quid opus esset consolatione, si non significarent aliquid mali?

Consolatio autem est in his verbis: *Nolite timere,* id est, non frangamini timore, ut veniatis in desperationem, deficiatis a Deo, et desinatis invocare Deum. Nam verba Hebraea saepe significant completive, ut: noli flere, ne sitis solliciti, ne timeatis eos, qui occidunt corpus. Non est sic ratiocinandum:

Nolite timere mortem,
Ergo mors non est mala.

Item: *Nolite timere probra hominum,*
Ergo probra non sunt aliquid malum.

Nam dicta illa scripturae non negant mala esse, sed sunt consolatio opposita illis malis.

Apud Gellium ridentur Mathematicae praedictio-

nes hoc dicto: Si opus est pati, quid opus est praescire? Similes sunt irrisiones signorum apud multos, quae non sunt probandae in Ecclesia

Etiamsi non omnia mala toluntur, tamen multa mitigantur piis. et recte dictum est a poeta:

Qui sapit, ille animum fortunae praeparat omni,
Praevisumque potest arte levare malum.

Iulius fuit animo gladiatorio, non multum curavit signa. Ideo contempsit periculum praedictum a Sosigene Mathematico. Apud Homerum rident Proci Penelopes, cum parietes sudant sanguinem.

Est autem et in alteram partem praemuniendus animus, ut faciamus necessaria, et omittamus non necessaria, nec incitemur stultis imaginationibus aut observationibus ad facienda, quae non requirit vocatio, et necessitas, sicut dicunt, Pompeium deceptum esse somnio, ut moveret bellum civile, quia somniaverat se sedere in Amphitheatro, fieri ibi spectacula, et sibi applaudi.

Christus hic praedictioni signorum miscet consolationem: *Erigite vos*, inquit, *et suscipite seu levate capita vestra*, id est, quando magnae calamitates quassabunt orbem terrarum, quanquam vos quoque illa affligent: tamen cogitate brevi venturum esse Dominum, et erepturum esse Ecclesiam ex his miseriis Erasmus moriturus saepe ingeminavit hanc vocem: *Domine fac finem, Domine fac finem.* Puto eum cogitasse non tantum de fine vitae suae, sed etiam de fine multiplicis confusionis in mundo. Ita et nos petamus, et expectemus liberationem, et inter pericula postremi temporis fide nos sustentemus. Et quanquam non possumus constituere certum tempus adventus Christi ad iudicium: tamen consentaneum est, quod non procul absit ultimus et laetissimus dies, qui utinam cito elucescat.

Vetustas amavit dictum Heliae: Sex millia annorum stabit mundus, sed deerunt anni, qui deerunt. Duo millia inane, Duo millia lex. Duo millia dies Messiae.

Nominarunt hoc dictum Cabalam. Significat autem Cabala doctrinam per manus traditam, quasi dicas, receptionem. Non dubium est illos praestantissimos homines Eliam, Elisaeum, et alios multa dixisse, quae non sunt relata in libros Canonicos. Puto autem inane dici, quia nondum fuerunt Imperia, et quanquam mundus tunc fuit pulchrior: tamen nondum fuerunt aedificia tam immania, nec regiones procul dissitae habitatae fuerunt Dies legis sunt tempus post vocationem Abrahae usque ad adventum Messiae, Dies Messiae significant Ecclesiam Novi Testamenti. Dicitur autem in fine fore abbreviationem.

Non recito hoc dictum tanquam demonstrationem indubitatam, sed ut coniecturam, nec volo in aliam sententiam detorqueri, ut multi per calumniam faciunt.

In Daniele praedicitur series quatuor Monarchiarum, ex quibus quarta seu ultima vergit iam ad interitum. Adolescentes considerent picturam, seu statuam illam Gigantaeam apud Danielem. Caput aureum est prima Monarchia, quam Chaldaei et Assyrii tenuerunt. Pectus argenteum est Imperium Persicum, Venter aeneus est Alexandri regnum vel Graecum. Postea femora ferrea sunt Romani. Pedes partim ferrei partim lutei sunt regna postremi temporis. Sed venit tandem lapis ille Christus, et evertit totam statuam.

Hanc seriem Monarchiarum seu regnorum mundi praedixit Deus propter gravissimas causas. Primum ut sciamus regi divino consilio genus humanum, et regna non casu oriri et occidere. Deinde ut praedictio ista, cui eventus respondent, sit testimonium, quod doctrina Ecclesiae sit divina. Diabolus multa praedicit, quae ipse vult facere, et quae ex variis indiciis ut spiritus callidus animadvertit futura esse, quae tamen cum in Dei manu sint, ambiguis oraculis profert. Sed non potest dicere, quae regna ventura sint, nec potest praedicere de tempore certo, sicut Daniel praedicit tempus determinatum, id est, septuaginta hebdomadas, usque ad Christum venturum.

Sunt et aliae causae, cur praedictae sint Monarchiae. Inter quas haec quoque est, quod per illas Deus voluit distinguere tempora mundi post diluvium, ut sciremus perpetuam seriem revelationum divinarum, sciremus, ubi, et quibus testimoniis se patefecerit Deus, quae religio sit antiquior seu prior, quae posterior seu recentior

Item praedictiones illae testantur, quod tandem destruendus sit hic mundus, et Ecclesia habitura sit liberationem ex horrendis confusionibus, quas habebunt postrema tempora.

Haec diligenter consideremus, et oremus ac clamemus assidue, ut Deus cito faciat finem, et liberet Ecclesiam propter suam gloriam, non solum ex miseriis calamitatum, sed etiam ex peccatis et blasphemiis, quae aliquanto post multo maiores erunt. Veni igitur Domine Iesu, veni.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Evangelium Matthaei 21.

Cum Ioannes audivisset in carcere, etc.

Principalis materia, ad quam directa est haec concio, est doctrina, et consolatio opposita imaginationibus humanis de Messia, et huius regno.

Iudaei somniabant, Messiam futurum politicum Regem. Nos somniamus florentem statum Imperiorum, si amplectamur Evangelium de Christo. Nec alia fuit occasio quaestionis, quae hic proponitur a Discipulis Baptistae, quam quod intuentes humilem speciem Christi, quem videbant vagari, ut medicum, et scholasticum, disputabant, utrum iste esset Messias. Sed non tantum ad refutandas imaginationes politicas illius temporis hic textus referendus est: Sed ut universaliter consolatio sit contra aerumnosam et miserabilem speciem Ecclesiae, qualis semper fuit, et nunc etiam est, et erit deinceps, quamdiu hic mundus stabit.

Initio textus fit mentio Carceris Ioannis. Docuerat Ioannes in publico ministerio, ad quod singulariter vocatus fuit, circiter biennium. Coniectus est autem in carcerem propter Herodem Antipam reprehensum, quod fratris Philippi uxorem rapuisset, et incesta eius consuetudine uteretur. In hoc carcere fuit aliquamdiu detentus, et potuerunt ad eum accedere, et colloqui cum eo discipuli.

Nam humaniores olim gentes non ita abiiciebant homines in imas turres, ut fit apud nos. Tantum custodiebantur captivi in locis, in quibus adiri poterant. Salis fuit carcer Ioseph in Aegypto, et Pauli Apostoli Romae. Sederunt una multi, collocuti sunt. Accedebant et alii foris, conferebant cum captivis sermones. Est in Demosthene, Aeschinem, cum in carcere esset, fuisse a reliquis captivis excommunicatum, ut nemo comederet cum eo, nemo lychnum ei accenderet. Unde apparet, etiam captivos habuisse suam quandam politiam in carcere. In summa. Carceres olim erant tantum custodia, sicut et Iurisconsulti dicunt, carcerem debere esse custodiam, non cruciatum.

Postea est in textu: *Pauperes Evangelizantur*. Quod in Graeco dicitur, *πτωχοὶ εὐαγγελίζονται*, ut si dicas Germanice: Die Armen werden geprediget. Est autem Hebraismus. Mollius esset, si diceretur: Evangelizatur pauperibus, vel pauperibus annuncia-tur Evangelium.

Est autem vocabulum Evangelii divinitus traditum, ut perspicua distinctio esset doctrinae et promissionum Evangelii et legis. Significat enim Evangelium proprie, bonum nuntium, eine gute Botschafft. In Homero usurpatur pro mercede, quae datur pro laeto nuntio. Sed haec est Metonymia. Apud Isocratem legitur Phrasis, Evangelia *θύειν*. Haec est Elliptica oratio, quasi dicas, sacrificare propter rem laetam nuntiatam, ut nunc fit, cum nuntiatur victoria, Convenitur in templis, et aguntur gratiae Deo, et ostenduntur signa laetitiae. Romani eiusmodi festa, instituta pro bono nuntio, nominabant supplicationes, Ut in Cicerone et Livio saepe dicitur supplicatio Diis decreta esse, id est, honor pro victoria, et gratulatio pro rei feliciter gestae narratione. Homeri locus est Odyss. ξ. *εὐαγγέλιον δέ μοι ἔστω*. Et Cicero ad Atticum: O suaves tuas Epistolas, quibus Evangeli deberi fateor.

Sequitur in textu: *Beatus qui non fuerit in me scandalizatus*. Sententia est, Beatus, quem non offenderit species meae infirmitatis et humilitatis. Vox Scandali est vel à *σκάζω*, id est, claudico, ut cum aliquis impingit in lapidem, aut lignum, et pedem laedit: vel à *σκάμβον*, id est: curvum. Est enim Scandalum proprie tendicula, id est, lignum illud curvum, seu tigillum in decipulis, quo calcato vel moto decipula clauditur: Der schlag in einer Meuse fallen, oder in einer andern fallen, Als wenn man den Füchsen oder Vogeln stellet. Nam ista instrumenta omnia, quibus mures, vulpeculae, aut similes bestiae capiuntur, nominantur decipulae. In his, quoties tigillum seu lignum curvum movetur, fit ut capiantur bestiolae illae clausis decipulis.

Idem tigillum nominatur *σκανδάληθρον*. Quod vocabulum extat apud Aristophanem, qui nominat *σκανδάληθρα ἐπῶν*, id est, pedicas et tendiculas verborum, significans per Metaphoram captiosa et insidiosa sophismata, quibus circumveniuntur homines in iudiciis: etsi generaliter Sophismatis dementantur homines, ut postea ruant in interitum decepti opinionibus.

Hesiodus de murium decipulis usus est vocabulo Myagra, eine Meusefalle. Avium decipula, ein Klob oder Sprinckel, damit man die Vogel fehet, nominatur etiam alio vocabulo *πέταυρον*, a *πέταμαι* et *αἴρω*, quo aves insidentes attrahuntur.

Hebraei duas habent voces, quibus exprimunt vocabulum Scandali. Primum *Mokesch*, significat proprie pedicam, ein Strick oder Falle da einer innen gefangen ist. Legitur Exodi 23. Si servieris Diis eorum, erit tibi in scandalum, vel laqueum, et Psalm. 106. Commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et facta sunt illis in scandalum seu laqueum. Et Proverbiorum 22. Noli esse amicus iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius, et accipias scandalum animae, id est, laqueum.

Deinde habent Hebraei aliam vocem, *Mischol*, id est, offendiculum, ad quod impingens aliquis corruit, ut Levit. 19. Coram caeco ne ponas offendiculum, et Psalm. 119. Pax multa diligentibus verbum tuum, et non est illis scandalum.

Esaiae 8. Utraque vox recitatur in uno versu, Etsi ibidem alia quoque vocabula cognatae significationis usurpantur.

Latini nominant etiam scandalam eine Schindel, id est, lignum, quo casae seu domus teguntur.

Non est autem difficile intelligere, quomodo Scandali nomen translatum sit in doctrina Eccle-

siae, ad eas res, quibus animi hominum decipiuntur, Quia metaphorae sumuntur vel ex corporum aut figurarum similitudine effectionis, ut cum dicitur, mala doctrina est venenum, sumitur Metaphora ab effectu. Sed quando nomino arietem, instrumentum quo quatiuntur muri, sumitur Metaphora a figura.

Ita scandalum, seu σκανδάληθρον, Metaphorice usurpatur, pro re qualibet, qua tanquam tendicula capitur aliquis, ut si dicas, pravum sodalitium esse scandalum seu decipulam bonarum mentium. Quia experientia ostendit; etiam bona ingenia corrumpi malis sodalitiis, et pravis exemplis, sicut Paulus citat Graecum versum: φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί. Corrumpunt bonos mores colloquia prava. Et Aeschylus inquit: τοιοῦτός ἐστιν ἕκαστος οἷς συνήδεται. Talis quisque est, qualium delectatur consortio.

Quomodo autem Christus hic dicit se esse scandalum? Quod haud dubie sumpsit ex Esaia, qui praedicens de Messia inquit: Erit in lapidem percussionis, et in petram offensionis, duabus domibus Israel, et in laqueum, et tendiculam habitatori Ierusalem, et impingent in his plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur.

Haec quomodo congruunt ad Christum? Sic enim argumentor:

Scandalum est res mala, id est, quiddam decipiens et laedens alios.
Christus non decipit, seu laedit homines.
Ergo non est scandalum, seu neminem afficit scandalo.

Respondeo ad Maiorem. Duplex est scandalum, acceptum et datum. Scandalum acceptum est scandalum Pharisaicum, cum mali re bona offenduntur. Scandalum datum est proprie sic dictum scandalum, cum vel impio dogmate vel pravo exemplo redduntur alii deteriores. De hoc scandalo, proprie sic dicto, loquitur Christus Matth. 18. *Oportet venire scandala, sed vae illi, per quem venit scandalum.* Quod si de hoc scandalo intelligas conclusionem argumenti, concedi potest, Christum non esse scandalum, scilicet proprie sic dictum.

Quod autem non solum Esaias, sed etiam Christus ipse ait se esse scandalum, id fit per accidens. Venit enim ipse, ut afferat res bonas, sed mali adversantur suo furore seu scelere. Ideo si hoc modo argumenteris:

Scandalum est res mala.
Christus est scandalum.
Ergo est res mala, seu quiddam perniciosum et laedens.

Hic nego Minorem, quia fit saepe, ut mali re bona offendantur. Non igitur semper obiectum, quo offenditur alius, est malum, sed potius furor in illis, qui in re bona offenduntur, est quiddam malum. Ita Evangelium est res bona, quia est vox divina, ostendit vitam aeternam, est vehiculum Spiritus sancti, est potentia Dei ad salutem omni credenti. Sed est scandalo malis per accidens, id est, mali suo furore, impietate, pertinacia, contemptu, adversantur Evangelio. Estque mala voluntas in illis causa per se scandali.

Sunt autem gradus etiam scandali accepti seu scandali improprie sic dicti. Est enim quoddam scandalum acceptum ex infirmitate, ut multi infirmi offensi fuerunt tunc humili specie Christi, et nunc etiam offenduntur multi paucitate, cruce, et aerumnis, seu dilacerationibus Ecclesiae. Quando autem accedit pertinacia, fit scandalum pharisaicum, ut cum hypocritae aegre ferunt taxari falsas opiniones suas, aut impediri quaestum suum, et pertinaciter adversantur verae doctrinae. Idem est argumentum, si hoc modo formetur:

Praebens causam scandalo male facit.
Christus praebet causam scandalo.
Ergo male facit.

Respondeo. Maior est vera de scandalo dato, quod est res per se mala, id est dogma, aut exemplum malum: Etsi nonnunquam res bona, si intempestive fiat, etiam potest esse scandalum datum, ut sunt quaedam dicta aut facta liberius, non adversus pertinaces, sed ad imbecilles, et nondum recte institutos usurpata. De quo disputat Paulus Rom. 14. Ubi inter caetera inquit: Omnia quidem pura: sed malum est homini, qui edit cum offendiculo. Sed relinquamus iam illam disputationem de usu vel abusu libertatis Christianae. Proprie autem scandalum datum et per se, est res in se ipsa, seu in sua natura perniciosa. Hic locum habet dictum Christi, *vae homini, per quem venit scandalum,* scilicet datum. Vae Ario, aut Mahometo, per quem venit mala doctrina. Vae Davidi, per quem venit exemplum malum, scilicet in adulterio.

In argumento autem Minor loquitur de scandalo accepto, quod concipitur sine vera causa, ut multos offendunt conciones Christi, quia non congruunt rationi, et ad opiniones ante coeptas, quas plerique; tuentur pertinaciter Multos offendit passio Christi, sicut nec Petrus capere potest, quod oporteat Messiam mori, Ideo cum audiret Christum passurum esse, inquit: Propitius sis tibi Domine. Sed durissime obiurgatur: *Abi Satan.* Nulla est durior vox, aut reprehensio in Evangelio ad ullum membrum Ecclesiae, quam haec est ad Petrum.

Initio repurgationis Evangelii multos offendit coniugium sacerdotum. Henricus, Angliae Rex,

volebat videri maxime religiosus, sed magis abhorrebat a coniugio sacerdotum, quam ab ulla alia re.

Sed apud multos alios non infirmitas, sed pertinacia et malitia parit offensiones seu scandala Pharisaica, ut, cum in controversiis profertur veritas, multi fremunt, indignantur, concipiunt odia Cainica. Propter talia scandala res bona non fit mala. Ipsi ex se gignunt illa immania odia, res ipsa non affert.

Ex eadem distinctione scandali discant adolescentes respondere etiam ad hoc argumentum, quod perpetuo nobis obiiciunt Papistae:

Scandala sunt vitanda.
Vos Lutherani excitastis scandalum, quia fecistis secessionem ab Ecclesia Romana.
Ergo male fecistis.

Respondeo ad Maiorem. Est quoddam scandalum vitandum, quod nunquam faciendum est, videlicet laedere alios, aut facere distractiones re mala, id est, malo dogmate, aut malis exemplis. Alia vero sunt scandala pharisaica, ubi Pharisaei et horum similes offenduntur rebus bonis et necessariis. Haec neque possunt vitari, nec debent impedire, quo minus fiat, quod rectum et iustum est, nisi Deum ipsum, et religionem omnem abiicere velimus.

Citatur apud Eusebium quoddam dictum Dionysii Corinthii: *Non minus peccatum est Schisma, quam Idololatria.* Hoc dictum est quidem verum, sed tamen est Hyperbole, quia oportet constitui gradus. Schisma aliquando habet excusationem. Idololatria nunquam habet excusationem. Loquitur autem Dionysius de Schismate, quod oritur ex falso seu malo dogmate, et nominatim hoc dicit contra Catharos seu Novatianos, qui negabant, lapsis post Baptismum reditum esse ad Ecclesiam per poenitentiam.

Novatiani sic dicti sunt a Novato, sed hic non primus autor fuit eius erroris, sed defensor praecipuus. Nam Meletius in Ecclesia Alexandrina primus hunc errorem sparsit, cui adversatus est Petrus Episcopus Alexandrinus.

Nominarunt se isti Catharos καθαρούς, id est, puros et mundos, et propter opinionem sanctitatis habuerunt magnam frequentiam. Adhaerebant plurimi Meletio, quibus videbatur doctrina ipsius religiosior. Et haec magna specie occupabat animos superstitiosorum, sicut semper stoicae phantasiae dementant homines. Putant gloriosum esse praestare talem constantiam, ut non labaris, non pecces post baptismum. Hodie Enthusiastae, Anabaptistae, et similes eundem errorem retinent, et dementant homines specie superstitionis. Quia Diabolus semper habet in mundo suos Monachos, sed non semper iisdem cucullis eos induit. Der Teuffel hat allwege seine Mönche, er zeucht ihn aber nicht alle einerley Kappen an. Habet multos cucullos, quibus vestire potest suos Monachos, et tamen subinde eosdem aut similes errores admirantur homines, quorum mentes tenentur captivae falsis opinionibus.

Meletius exaggerabat lapsus et peccata eorum, qui defecissent a confessione, et contempsissent Deum. Dicebat indignum esse tales recipi. Etsi autem lapsus non sunt extenuandi, tamen non debet negari, quin redire possint lapsi ad poenitentiam, et quod poenitentes sint recipiendi, Quia dicitur clarissimis verbis: septuagies septies remittes fratri tuo. Et Paulus recipit Corinthium incestum, Christus recipit Petrum. Talia testimonia et exempla multa sunt, quae Petrus Alexandrinus opposuit Meletio, allegatis etiam exemplis prioris Ecclesiae, ut cum Ioannes Apostolus recipit discipulum suum, qui fuerat factus dux latronum.

De hoc ergo Schismate, quod Meletius et Novatiani faciebant ex malo dogmate, valet dictum Dionysii Corinthii. Et de hoc verum est argumentum:

Scandala sunt vitanda.
Meletius fecit scandalum excitato Schismate.
Ergo Meletius scelerate fecit.

Paulus dicit: Omnia ad gloriam Dei facite, et non sitis scandalo Ecclesiae. Sed non valet argumentum Papistarum adversus nostras Ecclesias, cum dicunt:

Non sunt facienda scandala.
Ergo vos Lutherani non debuistis facere secessionem ab eo corpore, quod vocatur Ecclesia Romana.

Nam quod offenduntur Papistae seiunctione nostra ab Ecclesia Romana: id Pharisaicum scandalum est: Verum in scandalis Pharisaicis oportet diiudicari, quae sint necessaria, qualia sunt mandata Dei, de quibus Ezechiel inquit: In praeceptis meis ambulate, et non in praeceptis patrum vestrorum. Sed quae sunt illae causae necessariae, ut te seiungas a Papistis? Respondeo: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Docent autem Papistae aliena ab Evangelio. Non recte docent de lege, de peccato, de Evangelio, de remissione peccatorum, et defendunt pertinaciter illos errores. Habent manifestam idololatriam in invocatione, et cultu sanctorum, Prohibent coniugia, Coenam Domini mutant in Idolum. Haec exempli causa recenseo, Quia in magnis causis oportet nobis in promptu esse magna et illustria argumenta, De parvis rebus non sunt movendae contentiones.

Cogita autem, quam sit tetra Idololatria, quod homines procumbunt ad statuas, et invocant id,

quod non est Deus, tribuunt creaturae divinum honorem, et quidem eiusmodi creaturae, quae non exaudit preces. Certe cum aliquis invocat Petrum, Paulum, et alios mortuos, quid invocat nisi Idolum? Invocat enim aliquid quod non audit, et tribuit ei potentiam, quod inspiciat corda, et quod possit iuvare. Qui est summus honos, uni soli Deo debitus.

Sic prohibitio coniugii manifeste pugnat cum scriptura, quae docet hanc prohibitionem esse doctrinam Daemoniorum, et praebet impuris coelibatus causam multis flagitiosis libidinibus, propter quas Deus irascitur toti generi humano.

Ita sine ulla dubitatione circumgestatio et adoratio panis consecrati, et Missa Pontificia horribile idolum est. Sed homines non magnifaciunt ista, quia plerique sunt ebrii consuetudine, et maximus tyrannus est consuetudo. Omnes volumus dici, sicut affecti sumus. Amamus similia: Sicut est in versu Empedoclis: τὸ γλυκὺ ἐπὶ γλυκεῖ, καὶ πικρὸν ἐπὶ πικρῷ. Dulce ad dulce, amarum ad amarum tendit.

Sic igitur dico. Scandala sunt vitanda, scilicet illa scandala, quae sunt res malae: sed scandalum pharisaicum non potest vitari, quia oportet nos obedire mandato divino: *Fugite idola.*

Nec valet argumentum:

Bona fama est appetenda.
Praebens occasionem scandalis negligit famam.
Ergo non recte facit.

Respondeo ad Maiorem. Bona fama est appetenda, scilicet suo ordine. Primum, ut conserventur mandata divina, seu ut non discedatur ab hoc primo et summo mandato: *Fugite idola.* Huic mandato qui obtemperat, et fugit idololatriam, habet famam. Sed ubi et apud quos? Respondeo: In vera Ecclesia apud recte iudicantes. Alii sunt autem multi calumniatores, qui etiam recte facta depravant. Quanquam autem verum est quod Salomon inquit: *calumnia turbat sapientem et labefactat robur cordis.* et ubique locorum sunt homines natura maledici, qui vident festucam in oculo alterius, trabem autem, qui est in ipsorum oculo, non considerant: tamen non ita extimescenda sunt probra talium hominum, ut omittamus necessaria. Debemus enim dirigere nostra consilia, actiones, facta, ad normam mandati divini. Debemus recte docere, intenti esse in retinendam et tuendam veritatem doctrinae. Ita erga Deum fruemur bona conscientia, et habebimus bonam famam apud recte iudicantes in Ecclesia.

Fui prolixior in his declarandis, quia latissime patet hoc dictum: *Beatus, qui non fuerit scandalisatus in me.* Et plurimum refert distinguere species diversas scandali. Teneatur autem Regula, quod omne scandalum pharisaicum sit fallacia accidentis.

Iam venio ad caetera, quae etiam sunt Grammatica in hoc textu.

Negat Christus Ioannem esse Calamum ventis agitatum. Haec pictura significat hominem aliquid instituentem sua curiositate. Nam omnia humana instituta citra verbum Dei sunt arundines, quae agitantur a ventis. Pharisaeorum, Anabaptistarum, et aliarum sectarum doctrina, est calamus, qui a ventis agitatur. Et ostendit tandem eventus, verum esse illud Christi: *Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus coelestis, eradicabitur.* Item, *Quod non est ex Deo dissolvetur.* Contra Ioannes non est calamus, ventis agitatus, id est, sua curiositate aliquid novi instituens.

Simul autem pingit imago arundinis inconstantiam eorum, qui consilia aut doctrinam inflectunt ad cupiditates vel applausus vulgi, et potentum: Quanquam hoc vitium rectius refertur ad sequens membrum, cum Christus negat Ioannem *indutum esse mollibus vestibus.*

Significat enim dissimilem esse assentatorum in aulis, inflectentium se ad placita Regum ac Principum. Et tamen non modo potentes delectantur adulatoribus, sed etiam stultae multitudini, nihil est illis gratius. Sed loquamur nunc de aulis, quas Christus etiam hic diserte nominat.

Homo ergo amictus mollibus vestimentis est parasitus aulicus, qui non est hirsutus, vel hispidus Domino suo. Scribitur Solon interrogasse Aesopum, quomodo deberet loqui cum Croeso. Respondit Aesopus: Aut quam minimum, aut quam suavissimum ἥκιστα, ἢ ἥδιστα. Est quidam libellus Italica lingua scriptus de vita aulica ad imitationem trium librorum de Oratore. In eo scripto multa dicuntur de artibus aulicis. De quibus est etiam hic versus ad vitam aulicam accommodatus:

Da, capias, quaeras, plurima, pauca, nihil.

Constructio haec est. Da plurima, capias pauca, quaeras, id est, sciscíteris nihil. Wer zu Hof viel fragen vnd reformieren wil, der leufft schendlich an. Nec temere dictum est:

Exeat aula, qui vult esse pius.

Vocat Deus etiam Principes, et alios sanctos homines, qui cum iis sunt in aulis, ad societatem Ecclesiae. Tales agnoscunt Deum, et praebent hospitia Ecclesiae. Sed sunt hi alias plures, alias pauciores. Dat tamen Deus aliquos pro sua bonitate, Sicut scriptum est: *Reges gentium adorabunt eum.* Item, *In conveniendo Reges et Principes in unum, ut serviant Domino.* Quod dictum est descriptio optimi status in genere humano. Ibi enim florent regimina, ubi rex et populus sunt concordes, et conveniunt in Ecclesia ad veri Dei invocationem, ubi non sunt dissensiones, non persecutiones ve-

rae doctrinae, ubi singuli faciunt suum officium, in docendo, in gubernando, in puniendis, et amovendis scandalis. Adolescentes observent hoc dictum etiam propter Grammaticam. Non est Latina oratio: *In conveniendo principes*, sed sic resolvenda est, cum conveniunt Reges et populi.

Talis status in hac delira, et squalida, et languida senecta mundi rarus est: Et si est alicubi, tamen sua quaedam mala habet, et alibi magis est placidus, alibi minus. Loquimur autem hic in genere de aulis. Nam etiam bonae aulae habent colluviem magnam malorum hominum. Et vere Iuvenalis dicit: *Maxima quaeque domus servis est plena superbis.* Wenn einer ein Stalpung zu Hof ist, so ist er stolßer, denn ein anderer.

In dicto Menandri recensentur praecipui gradus hominum in aulis. Haec vita hominum maxime gaudet improbis, inter quos primas adulator tenet. Secundas habet Sycophanta. Tertius *κακοήθης*, id est, invidus, qui artes nocendi scit astutissime, Talia communia dicta debent considerari, Habent enim commonefactiones de multis rebus, et monent nos, ut simus cautiores et modestiores.

Ioannes igitur (inquit Christus) non est talis. Non fuit vestitus molliter, sed fuit hirsutus suo regi Herodi, et Pharisaeis.

De verbis, Quod sit maior Propheta, dicemus postea in explicatione locorum. Est enim prius exponenda Grammatice haec quoque sententia: *Regnum coelorum vim patitur.* Ita enim habet versio usitata. Graece est: *ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται.* Id alii explicarunt passive de persecutione, quam a multis patitur Ecclesia. Alii stoice seu Enthusiastice interpretantur, quasi homines salvandi hostiliter et repugnative habeant se in conversione, seu cogantur a Deo.

Sed verbum *βιάζεται* non passive, sed absolute seu neutraliter hic est exponendum. Regnum coelorum vi erumpit, vi procedit, seu vi enititur, et quidem vi non corporali, aut politica, sed spirituali ac divina. Es bringet mit macht oder gewaltig durch, das mans nicht hindern kan, id est, non potest impediri a Diaboli et mundi potentia. Est enim consolatio de collectione et conservatione Ecclesiae, frementibus et frustra repugnantibus Imperiis mundi, et portis inferorum.

Haec est simplicissima sententia horum verborum: Ecclesia colligitur et servatur potentia divina. Excerpit Deus Ecclesiam ex toto genere humano, regit et defendit eam inter furores Satanae et mundi, et mansura est Ecclesia, etiamsi Diabolus se opponat et mundus, summa cum potentia et malitia.

Additur autem: *violenti rapiunt illud.* Ante dixit de regno coelorum, id est, de ipso filio Dei, et de voce Evangelii, per quam colligitur Ecclesia, sicut filius Dei ipse est caput Ecclesiae, colligens et servans divina potentia Ecclesiam. Nunc de auditoribus seu vivis membris Ecclesiae dicit, *Quod violenti rapiant regnum coelorum, βιασταὶ ἁρπάζουσιν τὴν βασιλείαν*, id est, omnes qui non franguntur terroribus mundi, scandalis, opinionibus contrariis, et quibuscunque aliis impedimentis.

Tales confirmantur a filio Dei, ut vincant, atque ideo etiam vocantur *βιασταὶ* seu violenti, scilicet respectu hostium, qui reprimendi ac vincendi sunt, item respectu impedimentorum seu obstaculorum, quae undecunque Diabolus obiicit.

Non intelligantur violenti, qui sint coacti rapibus enthusiasticis aut fatalibus impressionibus, nec detorqueatur haec violentia ad conatum propagationis doctrinae per vim corporalem, sed de exercitiis verae poenitentiae, fidei, invocationis, confessionis. Haec est enim illa vis, quae assidue certandum, ac praeliandum est, contra Diabolum et potentiam mundi.

Estque adhortatio inclusa his verbis, videlicet ut pii fortiter ac constanter pergant retinere, purgare, tueri veritatem Evangelii, non cedant minis aut terroribus hostium, non defugiant certamina et pericula, quae affert in vocatione confessio necessaria. Hoc qui faciunt, illis promissio est tradita, quod sint futuri perpetui cives regni Dei, sicut alibi dicitur: *Deus qui dedit velle, dabit etiam perficere.*

Hoc modo explicata phrasi, dici non potest, quam dulcis sit sententia utriusque membri in hoc dicto. Ipse filius Dei, et vox Evangelii vi erumpunt et enituntur. Sicut sol supra Horizontem enititur per nubes, et non potest impediri ab ulla re: sic regnum coelorum *βιάζεται*, id est, perrumpit, nec potest impediri ulla violentia hostium adversantium. Venit nunc tempus, inquit Christus, ut afferam vocem Evangelii, et spargam in toto orbe terrarum. Hoc nemo potest impedire, quantumvis non modo Diaboli, sed etiam potentia mundi adversabitur, id in exemplis clarius cernitur. Synagoga horribiliter se primum opposuit, sed frustra. Tollebant Iudaei Christum, quanquam sciebant ipsum mortuos resuscitasse, tamen tantus fuit in ipsis furor et pertinacia, ut interficerent eum. Sic putabant bene stabilitam esse suam potentiam. Sed resurgit Christus, nec potest detineri mortuus in sepulchro. Postea eum resuscitatum praedicant Apostoli. Hos quoque Iudaei incipiunt persequi, et adhuc cogitant de retinenda politia. Sed perrumpit doctrina Apostolorum, et destruitur tandem politia Iudaica.

Deinde propagato inter gentes Evangelio, Nero, Diocletianus, Iulianus cogitant se velle delere nomen Christianorum, id est, omnino incumbunt in hoc, et quidvis moliuntur, ut abolean

Evangelium, sed non potuerunt. Ita reliquis temporibus filius Dei et vox Evangelii vi erumpunt et perrumpunt per mundum furentibus et repugnantibus Diabolis, et multiplici potentia mundi, nec possunt impediri potentia ullius creaturae.

Haec est multo maior vis, quam cum Monarchae colligunt exercitus, ut perrumpant per hostes suos. Et hac vi seu potentia Deus mirabiliter servat etiam singulos pios, ut perficiant curriculum suum, fremente mundo et Diabolis. Christus ipse fungitur suo ministerio, donec absolvat cursum suum, et Paulus replet Evangelio Asiam, Italiam, Illyricum, donec perficiatur eius cursus. Colligit Deus per illum Ecclesiam, adversantibus Diabolis, resistentibus Principibus, et malis doctoribus.

Monemur autem etiam de nostro officio, *violenti rapiunt regnum coelorum.* Non debemus esse ignavi, otiosi, stertentes, timidi, Debemus cogitare adversationes et impedimenta, quae obiiciuntur fidei, confessioni, operibus vocationis nostrae. Scholastici pauperes sentiunt suas miserias: deseruntur multi a suis cognatis, quod non volunt accipere sacerdotia. Nos seniores longe plures habemus adversationes, odia magnorum Principum et venenatorum ingeniorum, multarum et magnarum factionum. Hic tu contra audentior ito, et sustenta te hac consolatione, quod in tua infirmitate, modo habeas studium recte faciendi, nec patiaris te avelli a cursu pietatis, virtus Dei in te sit futura efficax.

Hanc sententiam corrumpunt illi, qui Manichaeorum more disputant de coactione et necessitate, quasi rapiat te Deus raptu quodam violento, ut necesse sit te credere, sive velis sive nolis. Ista huc non pertinent, et refutantur ipsa experientia spirituali. Nos audito verbo debemus assentiri. Assentiuntur autem mentes, et convertuntur corda movente Spiritu Sancto, et fiunt etiam postea in nobis bona opera, non repugnantibus nobis, sed volentibus quatenus coepit in nobis voluntas renasci. Quamdiu enim homo prorsus repugnat, nulla adhuc facta est conversio.

Semper igitur *violenti rapiunt*, id est, in quibus, non sine lucta, accensa sunt initia fidei, hi iuvante Deo pergunt, nec patiuntur se impediri.

Hoc singuli ad se applicent. Dedit tibi Deus, ut non sis Epicuraeus, non sis contemptor verbi Dei, habes iam aliquam scintillam fidei, audis vocem Evangelii, et libenter velles, te ardere fide, sentis imbecillitatem tuam, huic non debes indulgere, sed repugnare Spiritu, et veris gemitibus ac votis petere, ut magis magisque te confirmet Spiritus sanctus. Ita fiet, ut serveris, invitis et repugnantibus Diabolis.

Servatus est Adam, id est, ereptus ex faucibus Diaboli, qui hoc egit, ut illum impelleret ad desperationem. Sed filius Dei sustentavit eum invocantem, et Adam ipse fuit *βιαστής*, vicit potentiam Diaboli, et penetravit in regnum coelorum. Sic nos multis et horribilibus insidiis Diaboli impugnamur, sed iuvamur a filio Dei eripientis nos ex faucibus Diabolorum: et repugnantes peccatis et tentationibus Satanae per verbum et Spiritum sanctum, sumus *βιασταὶ*, vincimus Diabolum, et eluctamur ex periculis, adiuti a Deo.

Haec Grammatica observanda sunt, nec dubium est, homini ingenioso admodum gratum esse, nosse proprietatem sermonis, Quia hinc nativam sententiam dictorum scripturae discimus.

Etsi enim parum est, quod scimus in Graeca et Hebraica lingua, tamen hoc nobis gratius esse debet omni auro, aut Imperio Turcico. Ego minimum scio: tamen nolim pro illa cognitione accipere, quicquid auri est in omnibus regnis mundi. Multae res non possunt intelligi, sine linguarum cognitione. Ideo servat Deus scholas mirabiliter, adversantibus tyrannis et venenatis hypocritis, qui nunc plus nocent scholis, quam Tyranni.

Landgravius Philippus senior ad me dicebat ante aliquot annos, in tumultu Anabaptistarum Monasteriensium, se nunc magis amare studia literarum, et maiori sumptu fovere eas velle, quia videret opus esse literis adversus phanaticas opiniones, quibus non satis resisti possit sine eruditione. Quam multi sunt autem hodie, qui crescere apud vulgus conantur vituperatione studiorum doctrinae? Sed tales plerumque; suis opinionibus indulgent, et quia ipsi sunt indocti, volunt latere in turba sui similium.

Nunc addemus commonefactiones de locis praecipuis, qui sunt in hac narratione. Ex his primus locus est, Exemplum confirmationis imbecillium, qui habent studium discendi, sicut discipuli Ioannis hic mittuntur ad Christum, ut confirmentur, et provehantur in cognitione veritatis. Cogitemus semper in Ecclesia, id est, in illo ipso coetu, qui est conversus ad Deum, magnam esse imbecillitatem. Etiam in sanctis multum est caliginis.

Videmus, quantum sit difficultatis in illis rebus iudicandis, quae humana sapientia aliquo modo comprehendere potest. Quanto maior est imbecillitas, in doctrina Evangelii firmiter apprehendenda, quae supra et extra sapientiam humanam posita est, nec nisi luce divina cernitur?

Valde exigua scintillula fidei est in nobis principio, sed vult tamen Deus nos paulatim proficere, sicut dicitur: *habenti dabitur.* Est antiquum dictum, Homo aut proficit aut deficit. Id verum etiam est in artibus, ubi facile situm et squalorem obducimus, omissa exercitatione. Multo magis in exercitiis

fidei res postulat, ut annitamur proficere. Talis est enim natura hominum universaliter, ut non maneat in eodem statu, et ubi non proficimus, ibi magis magisque experimur, nos et alios subinde deficere.

Haec commonefactio plus habet utilitatis, quam otiose hoc loco quaerere, an Ioannes dubitaverit de Christo. Nam quod aliqui fabulantur, Ioannem scivisse, quod venerit Messias, sed nondum scivisse, quod hic Iesus Nazarenus, de quo audierat, Messias esset, id prorsus reiicio, et affirmo Ioannem non dubitasse, neque ignotam ei fuisse personam Christi. Non igitur misit sua, sed discipulorum causa, in quibus videbat multum esse imbecillitatis et dubitationum. Ideo voluit, ut Christum ipsum audirent et viderent, Quod in omnibus rebus plurimum refert. Nam quae coram audiuntur, altius penetrant mentem, quam quae ab aliis narrantur. Sed in primis oculi sunt fidelissimi testes, sicut dicitur, ὀφθαλμοὶ πιστώτεροι ὤτων. Item plus valet unus oculatus testis, id est, αὐτόπτης, quam auriti decem.

Blande autem et comiter excipit eos Christus. Id congruit cum dicto Pauli: *Infirmum in fide assumite, non ad dubitationem.* Sunt autem infirmi, qui sunt dociles, et qui cupiunt proficere. Alii qui non sunt dociles, et qui agnitae veritati repugnant, non sunt habendi pro infirmis. Sunt enim pertinaces, ut pharisaei praefracti. Et tales sunt universaliter superbi, admiratores sui, et φίλαυτοι, inflati persuasione suae sapientiae, quales in rebus politicis quoque multi sunt, qui volitant in equo Bellerophontis: Volunt in coelum vehi, sed decidunt tandem, et puniuntur a Deo.

Poetae dicunt Bellerophontem vectum fuisse a Pegaso, quem cum non posset domare, dedit ei Pallas frenum aureum, quod significat sapientiam, et bona consilia. Oportet enim sapientiam coniunctam esse cum motibus heroicis et fortitudine. Gessit igitur Bellerophon res magnas. Interfecit Chymaeram, repressit tyrannos et seditiosos: Sed postea factus est insolens, Voluit vehi in coelum, ut cognosceret consilia Iovis, hoc est, tentavit Deum, suscepit non mandata. Ideo praecipitatus est aestro a Iove immisso in Pegasum. Ex eo casu allisus terrae, fregit crus, et dolore animi tandem extinctus est.

Huic Bellerophonti similes sunt multi, etiam in Ecclesia, qui fingunt dogmata admiratione sui, inflati et elati persuasione sapientiae prae caeteris. Et moniti de suis erroribus pertinaciter pergunt turbare Ecclesiam. Tales non sunt infirmi, sed pertinaces: qui aguntur a Diabolo, et tandem sentient poenas suas.

Secundus locus est, de Testimoniis, quae Christus in responsione sua allegat, ut confirmet discipulos Ioannis: et quod exhibitus sit Messias, et quod ipse sit ille, de quo promissiones traditae patribus loquuntur: et quod non sit alius Messias expectandus. Citat autem testimonia divina eiusmodi, quae praedicta antea erant in prophetis. Nam hunc syllogismum eis vult proponere:

Praedictum est, quando Messias venerit, fore ut talibus miraculis ornetur: claudi ambulabunt, coeci videbunt, mortui resurgent, etc.
Videtis autem Deum Meae vocationi dare talia testimonia.
Ergo sciatis hunc esse Messiam, quem videtis.

Hic repetatur communis doctrina de miraculis. Vult Deus agnosci in operibus, non tantum ordinariis, sed etiam extraordinariis. Ordinaria opera sunt ordo in tota natura rerum: unde colligimus mundum non casu extitisse, nec partes eius confluere temere ex atomis Democriti. Sed extra ordinaria opera sunt miracula, quae ostendunt, Deum non esse alligatum causis secundis, Esse agens liberrimum, et posse mutare hunc naturae ordinem Talia opera addit Deus verbo suo, quia est ignotum rationi.

Haec igitur Christus quoque de se allegat et debemus nos quoque testimonia illa assidue cogitare, et proponere nobis ea, quae inde usque a principio Ecclesiae facta sunt, et nos confirmare voce divina, et testimoniis a Deo additis. Inter quae haud dubie, primum et summum miraculum est, quod Adam et Eva vivificantur post lapsum, edita promissione de Messia, cum illi iam sentirent initia mortis aeternae. Id miraculum multo maius est, quod eductio populi ex Aegypto, et introductio in terram Canaan, quia Deo facilius est mutare ordinem naturae, et aquam aut solem sistere, quam dispensare de sua lege, sicut tunc dispensavit de comminatione ante tradita: *Quacunque die vescemini de illo fructu, morte moriemini.*

Christus hic post caetera miracula subiungit, *quod Evangelizantur pauperes.* Significat igitur, annuntiationem Evangelii ad pauperes, non modo per se esse maximum miraculum, sed etiam ad hunc finem fieri miracula reliqua, ut colligatur Ecclesia, et convertantur homines ad Deum. Agnoscamus autem hanc bonitatem Dei, mittentis filium ad colligendam Ecclesiam. Sciamus filium Dei esse λόγον et vivificatorem, et penitus interiturum fuisse genus humanum, nisi decretum esset, ut filius Dei assumeret massam naturae humanae, et nos sibi insereret, et vivificaret. Hoc autem decretum de salute nostra annuntiatur per praedicationem Evangelii, per quam colligitur Ecclesia, quantumvis adversetur potentia mundi et Diaboli, nec colligitur solum, sed etiam servatur Ecclesia, etiamsi non

habeat humana praesidia. Non frustra igitur Christus annumerat hoc miraculum caeteris.

Pauperes intelligantur pauperes Spiritu, id est, illi qui sunt contristati magnis doloribus propter peccata, de quibus apud Prophetam dicitur: *Ubi habitabit Dominus, nisi in spiritu contrito et tremente sermones meos?*

Deinde accommodetur haec appellatio pauperum ad statum Ecclesiae, quae non habet defensionem per Imperia et potentiam mundi, de quo est apud Sophoniam Prophetam: *Reliqui mihi populum egenum et pauperem, sed sperantem in nomen Domini.* Et in Zacharia est imago pulcherrima, quae semper debet nobis esse in conspectu. Redierat populus ex Babylone erat magna multitudo senum, puerorum, mulierum, inter quas multae erant gravidae, multae puerperae: Non habebant loca munita, non exercitus, quibus se tueri possent contra vicinos, et alia latrocinia. Ibi Dominus tradit hanc consolationem, quae congruit cum mentione huius miraculi, de collectione et conservatione Ecclesiae in tanta infirmitate nostra: *Non in robore, non in exercitu, sed in spiritu meo servabo vos. Ego ero murus igneus in circuitu eorum.*

Cogitemus autem hoc quoque, Christum mentione pauperum voluisse monstrare discrimen Ecclesiae, seu regni Messiae, et dominationis mundanae, seu politicorum regnorum. Et quia mundus offenditur non solum humilitate Christi, sed etiam misera conditione et specie Ecclesiae, ideo mox addit Epiphonema: *Beatus, qui non fuerit offensus in me.* De quo antea diximus.

Tertius locus est de ministerio Ioannis, de quo Christus hic dicit: *Non surrexit maior Ioanne inter natos mulierum.* Loquitur autem de magnitudine et praestantia officii. Monachi obiiciunt hoc argumentum:

Maria fuit ornata maioribus donis quam Ioannes. Ergo Maria est maior Ioanne.

Respondeo. Christus loquitur de officio, sicut mox addit: *Est plus quam Propheta.* Iudaei intelligebant prophetam ministrum veteris Testamenti, et simul tractantem consilia politica. Nam prophetae olim non docebant tantum, sed etiam regebant consilia Reipublicae, saltem praecipui, ut Elias, Elisaeus, Esaias, Ieremias, Daniel, etc. Ioannes autem non est talis, non est minister in Levitico statu, nec habet gubernationem politicam.

Haec causa est, cur Ioannes alibi neget se prophetam esse. Christus autem maiorem prophetis nominat, quia ministerium Ioannis est inchoatio praedicationis novi Testamenti, id est, testificatio de praesentia Messiae, inchoatio Baptismi, et collectionis novae Ecclesiae ex gentibus et Iudaeis, idque non ut antea fiebat in populo legis, per ministerium Leviticum, sed per praedicationem poenitentiae et remissionis peccatorum, propter agnum illum, quem Ioannes monstrabat digito.

Est autem idem ministerium, quo funguntur Apostoli, et qui horum doctrinam sequuntur, cum ministerio Ioannis, nisi quod Baptista fuit ἔξαρχος, seu inchoator huius ministerii, et de praesente quidem, Sed tamen adhuc passuro et resuscitando Messia docuit. Apostoli vero et nos hodie docemus de Christo iam passo et resuscitando. Alioqui eadem est vox ministerii, et effectus idem.

Omnes qui credebant voci Ioannis, accipiebant remissionem peccatorum, et sanctificabantur per Spiritum sanctum, Sicut postea qui voci Apostolorum crediderunt. Nec debemus imaginari, doctrinam Ioannis fuisse praedicationem poenitentiae, sine praedicatione remissionis peccatorum. Nam praedicatio poenitentiae, sine praedicatione remissionis peccatorum, nihil est, nisi Sophoclis vel Euripidis conciones tragicae. At in hoc differt doctrina Ecclesiae ab Ethnica sapientia.

Vident Ethnici magnas poenas sequi peccata, vident puniri familias Regum praedicant poenitentiam, et iubent homines esse modestos, sed nihil dicunt de remissione peccatorum. Vox divina in Ecclesia concionatur de utroque, de poenitentia et remissione peccatorum. Accusat peccatum, et simul ostendit filium Dei.

Si Ioannes tantum praedicasset poenitentiam, non remissionem peccatorum, quid aliud docuisset, quam homines manere in dubitatione, et fremitu contra Deum? Sed et in Luca clare dicitur, quod Ioannes praedicaverit Baptismum poenitentiae ad remissionem peccatorum, et Ioannes Apostolus multas recitat conciones Baptistae, quae expresse loquuntur de beneficiis Messiae praesentis, ut: *Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.* Gratiam, id est, remissionem peccatorum, et reconciliationem cum Deo. Pro gratia, scilicet qua placet filius. Item, *Lex per Mosen data est*, id est, non sumus lege iusti, et politia constituta a Mose peribit, nec est illud summum bonum promissum olim patribus. *Gratia autem et veritas per Christum facta est*, hoc est, Oportet agnoscere in Christo quiddam excellentius lege. Id bonum est gratia, videlicet, remissio peccatorum, et veritas, id est, non umbrae, non bona peritura huius vitae, sed vera et durabilia bona, sapientia, iustitia, vita et laetitia aeterna. Haec cogitari oportet, ut intelligatur magnitudo illius officii, seu ministerii, quo functus est Baptista.

Sed cur addit Christus: *Minimus in regno coelorum est maior Ioanne?* Respondeo. Etsi possunt afferri aliae interpretationes, tamen credo quod proprie de sua persona, seu de se ipso loquatur Christus. Et memini hanc sententiam pla-

cere etiam Doctori Luthero. Nominat autem se minimum, quia humiliat se coram Patre prae omnibus angelis et hominibus. Ipse enim perfecte novit patrem.

Nonne quo quisque magis intelligit praestantiam boni in aliquo, eo magis se ei submittit? Certe qui intelligit virtutem, non invidet alteri virtute praedito: sed veneratur eum propter virtutem, nisi sit natura monstrosa aut impediatur a Diabolo. Poetas veteres pluris facit, qui intelligit, quantum boni in eis sit, quam alii, qui obiter illos legunt. Denique universaliter hoc verum est, ut quisque optime intelligit aliquid, et rei bonitatem videt, ita maxime rem illam veneratur. Regulare etiam est, ut quo quisque est sapientior, eo sit humilior.

Ac fieri potest, ut propterea spretus et contemptus sit filius Dei a Diabolis, quod viderunt maiorem in eo subiectionem, quam in ulla creatura esse posset.

Nec vero pugnant haec inter se, quod filius est aequalis patri, et quod tamen veneratur patrem, Nam aequalitas essentiae et potentiae: Sed reverentia et humilitas monstrat ordinem personarum. Sunt enim personae distinctae, et filius habet esse suum a patre. Inde sumenda est solutio obiectionis:

Honorans est minor honorato.
Filius honorat patrem.
Ergo est minor patre.

Respondeo. Honos non tollit aequalitatem essentiae vel potentiae, sed discernit ordinem personarum.

Omnium autem maxime declaravit filius Dei humilitatem suam, quando assumpsit humanam naturam. Subiecit se voluntati patris, qua voluit aeternus pater iustitiae suae satisfieri derivata ira in filium. Ita cum abiecit se infra omnes creaturas, et sustinuit poenam pro nobis, quasi ipse se polluisset meis, et tuis, et omnium hominum peccatis.

De hac humiliatione filii Dei loquuntur haec dicta: *Ego honoro patrem meum.* Item: *Factus est pro nobis peccatum et maledictum.* Item: *In principio libri de me scriptum est: Voluntatem tuam faciam.* Et illud pulcherrimum dictum Pauli: *Cum esset in forma Dei, non duxit rapinam esse aequalem Deo,* id est, cum esset vere Deus et haberet talem sapientiam, iustitiam, et potentiam, qualem ipse pater habet, tamen non rapuit aequalitatem Dei, scilicet contra vocationem, qua certo tempore missus fuit ad humiliationem. Qualis autem sit haec humiliatio, in eodem dicto docet Apostolus: *Exinanivit se, et formam servi accepit,* id est, assumpsit naturam humanam, et in hac similis fuit servo carenti defensione: *Et habitu inventus est ut homo,* id est, doluit, tristatus est, passus ac mortuus est ut homo. Nam σχῆμα hic non significat figuram Geometricam (etsi corpus ipsius vere habuit figuram certam, id est, dimensiones et symmetriam membrorum), sed significat affectum, sicut alibi quoque Paulus ita loquitur: *Non fiatis similes mundo, affectibus, μὴ μετασχηματίζεσθαι τῷ κόσμῳ τούτῳ.* Postea sequitur: *Et factus est patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Haec dicta cogitantes, aliquo modo considerare possumus. Christum singulare aliquid significare voluisse, cum nominat se *minimum in regno coelorum.* Et quanquam haec procul sunt extra captum omnium hominum: tamen moveri iis debemus, ut ardenter filio Dei gratias agamus, quod etiam nostra causa se tantum humiliavit. Et intuentes in hoc exemplum perfectissimae humilitatis, discamus nos quoque aliquantulum gradum tolerantiae, non dico humilitatis, in ista nostra terra et turpi superbia, cuius certe pudere nos debebat, et iuxta ipsius Christi mandatum emendare illam, sicut inquit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

Postremus locus est de dicto: *Lex et prophetae usque ad Ioannem.* Loquitur autem Christus in hoc dicto de politia illa, sancita in hoc populo per legem, quod ea sit desitura, ut colligatur nova Ecclesia ex gentibus et Iudaeis. Vult enim docere, quod regnum Messiae iam inchoetur, et quod sit finis politiae Mosaicae: etsi hoc quoque significat, quod iam fiant, quae significata sunt in lege: Sicut etiam illa, quae a prophetis sunt praedicta, iam eventura esse significat. Sed principale est, quod vult ostendere futurum esse finem totius ministerii Levitici, et novum ministerium, id est, non veteris, sed novi Testamenti inchoatum iri.

Hic vero repetatur communis et necessaria doctrina de partibus legis. Sic enim obiicio:

Aeterna et immutabilia non cessant.
Lex divina est aeterna, et immutabilis, quia est ipsa sapientia et norma iustitiae in Deo, quae tam non potest mutari, quam Deus ipse mutari non potest.
Ergo lex non desinit in Ioanne.

Respondeo ad maiorem. Aeterna non cessant, scilicet, quae sunt in ipso Deo. Haec enim sunt immutabilia. Sed quae sunt extra ipsum, ut politica seu forensia et ceremonialia, sunt mutabilia. Non loquitur autem Christus in hoc dicto de sapientia illa et norma iustitiae in Deo, quae est lex Moralis, qua postulat conformitatem in creaturis rationalibus cum Deo, Sed de lege ceremoniali et iudiciali pertinente ad politiam istius populi.

Opponit enim hoc dictum imaginationi Iudaeorum, qui stulte cogitabant, Politiam Mosaicam debere propagari in totum mundum. Contra hunc errorem affirmat hic Christus, Politiam cessaturam

esse veniente Christo: Et quia concionetur iam Ioannes, ait vaticinia Prophetarum impleta esse, et Christum esse exhibitum. Haec est simplicissima sententia horum verborum: lex scilicet ceremonialis et iudicialis usque ad Ioannem.

Sic et prophetae sunt usque ad Ioannem, hoc est, Prophetae praedixerunt de adventu Messiae. Hae praedictiones iam sunt completae. Item quae Prophetae docuerunt de significatione legis, haec quoque in regno Messiae complebuntur.

Denique finis erit, totius ministerii Levitici, non solum quo ad ceremonias, sed etiam quo ad praedicationem disciplinae civilis seu forensis, pertinentem ad illam politiam Mosaicam, Quia sancti in novo Testamento habebunt hoc, quod lex praecipit, et quod in lege principaliter significatum esse prophetae docuerunt.

Nunc Christus est nostra lex, id est, lex impleta. Et nos habentes Christum, habemus res significantes per legem. Nam mactationes victimarum significabant meritum Christi, et remissionem peccatorum. Item lex Moralis significabat iustitiam donandam per Christum, in quo habemus nunc iustitiam imputatam, item sanctificationem et vitam aeternam.

Sublata igitur umbra legis impletur iam significatio, et instauratur in sanctis hoc, quod est in Deo aeternum, Quia sanctis communicatur iustitia divina, ut fiant similes Deo.

Sed offert se hic quaestio illa, quae etiam est in Irenaeo. Nonne omnia quae dicuntur in Evangelio, seu quae afferuntur in novo Testamento, prius etiam habuerunt sancti patres in veteri Testamento? Nonne Adam, Abraham, et alii pii noverunt Christum, habuerunt beneficia novi Testamenti, senserunt se per Spiritum sanctum revocari ex media morte? Quid ergo Christus attulit novi? Respondet Irenaeus: *Attulit se ipsum.* Haec est bona responsio. Attulit se ipsum, et implevit illud sacrificium, propter quod patres illi reconciliati sunt Deo, et sanctificati. Item inchoavit in sua resurrectione novum et aeternum regnum, quod praedictum erat. Est enim ipse primitiae resuscitatorum ex mortuis. Praeterea propagavit doctrinam Evangelii inter gentes, quod prius non ita fiebat.

Sed redeo ad distinctionem partium legis. Differunt Lex moralis, ceremonialis et forensis.

Moralis, appellatione puerili sic nominatur, quia doceat, quales debeant esse in nobis mores. Sed complectenda est cum moribus tota conformitas naturae nostrae cum sapientia et iustitia Dei. Ideo intelligatur lex Moralis illa esse, in qua describitur, qualis sit Deus, et quales non fieri oporteat. Docet enim de re perpetua in Deo, et in nobis.

Lex ceremonialis non dicit de eo, quod est in nobis, sed de externis ritibus, quia ceremonialia fuerunt tantum Paedagogicae actiones, seu umbrae externae significantes aliud. Item sunt tantum certi alicuius temporis, nec sunt quiddam perpetuum. Circumcisio erat amputatio praeputii, quae semel fiebat. Mactatio pecudum, non comedere suillam, ablui certis ritibus, erant actiones externae. Non sunt bonum aliquod perpetuum, seu manens in hominibus. Hoc est illustre discrimen inter legem moralem et ceremonialem.

Ac assuefaciendi sunt animi, ut cogitantes de lege morali, intueantur fontem, id est, sapientiam et iustitiam in Deo. Ita enim rectius agnosci potest magnitudo rerum istarum, nec dubium est ideo insitam esse legem moralem mentibus hominum in creatione, ut esset testimonium de Deo.

Lex forensis est gubernatio politica societatis externae, necessaria paci. Est autem haec quoque in externis actionibus, scilicet in vita civili, sicut lex ceremonialis pertinebat ad externum cultum in Ecclesia istius populi. Significant autem leges queque forenses aliquid de voluntate Dei, Quia hoc totum, quod ad executionem disciplinae spectat, testimonium est, quod Deus irascatur peccatis, et ea puniat.

Vult Deus iustitiam politicam testari de sua iustitia, et cum magistratus non punit delicta, Deus ipse punit et Magistratum et subditos. Id ostendit experientia, Quia omnibus temporibus iniuste facta seu iniuriae evertunt Imperia, ut dicitur: ὕβρις καὶ μάγνητας ἀπώλεσε καὶ κολοφῶνα. Quando Romani Principes negligebant iudicia, et nimium gravabant populum exactionibus ut usuris, paulatim labefactata est autoritas et potentia Imperii Romani. Denique in omnibus gentibus cum fit laxatio disciplinae, id est, cum non puniuntur scelera non dico: cum fiunt scelera, sed cum non puniuntur, Id enim nominatur disciplinae laxatio) tum evertuntur regna.

Quanquam autem civilis iustitia est testimonium de Deo: tamen ipsa disciplina politica, nondum est res illa aeterna, quam principaliter requirit lex moralis.

In Augustino est, quod Marcellinus ei obiecerit hoc argumentum:

Voluntas Dei est immutabilis.

Voluntas Dei ordinavit ceremonias et leges forenses Moisis.

Ergo non sunt mutabiles.

Respondeo ad maiorem. Voluntas Dei est immutabilis, scilicet sicut ipse ordinavit. Voluntas autem Dei ordinavit ceremonias, videlicet ita ut postea abrogentur veniente Messia. Sic leges forenses ordinavit, ut servirent Politiae istius populi, et abolerentur cum ipsa politia, propagato regno Christi per totum orbem terrarum. Ergo exhibito Christo ceremonialia et politica illa mutata sunt,

quia iam finis erat istarum umbrarum, et politiae illius, quae principaliter constituta erat, ut esset certus locus, in quo nasceretur, ederet testimonia, pateretur Christus.

Sed annon Paulus etiam de lege morali seu Decalogo inquit: *Non estis sub lege?* Estne ergo etiam Decalogus abrogatus? Respondeo, est abrogatus credenti, qui est in Christo, quod ad condemnationem attinet, non quod ad obedientiam. Lex Dei non accusat, seu non condemnat credentes. Interim lex iudicat peccatum in Diabolis et omnibus impiis, qui sunt sine fide et manent sub ira Dei, Nam de credentibus, quibus remittuntur peccata propter filium, singularis est dispensatio, non nota rationi humanae. Non potuit Adam, neque ullius angeli sapientia solvere argumentum hoc:

Deus est immutabiliter Iustus.
Iustitiae Dei est abiicere eum, qui peccavit.
Ergo Adam est abiectus a Deo.

Sed filius Dei solvit hoc argumentum, revelata promissione Evangelii, unde Minor argumenti sic declaranda est: Iustitiae Dei est abiicere eum, qui peccavit, nisi satisfiat iustitiae Dei, derivata poena in Mediatorem, per quem solvitur aequivalens pretium.

Nec sequitur, quia Deus remittit peccata, propterea falsum esse, quod dicitur apud Malachiam: *Ego Dominus et non mutor.* Desinit Deus irasci credentibus in filium, nec tamen mutatur propterea, quia ipse decrevit, quod velit remittere peccata, agentibus poenitentiam et credentibus in filium. Ita lex moralis quoque manet aeterna et immutabilis, etiamsi quod ad credentes attinet, accedit interpretatio Evangelii.

Manet etiam voluntas Dei, et obligatio in omni aeternitate, quod ad obedientiam attinet. Credentes etsi sunt liberati a condemnatione legis: tamen non sunt liberati ab obligatione obedientiae. Nam haec propositio etiam in coelo erit vera: Lex non est abrogata, ne angelis quidem, neque beatis hominibus, quod ad obedientiam attinet. Semper enim manet hic aeternus ordo, quod creatura rationalis debeat Deo obedientiam.

Antinomi obiiciunt: *Iusto non est lex posita.* Respondeo. Intelligatur appellatio iusti, in quantum aliquis est iustus, Deinde positum esse, referatur ad accusationem, et condemnationem legis, item quo ad coactionem.

Haec omnia continentur etiam in illo dicto Christi: *Non veni solvere legem, sed implere.* Implet autem non modo propria sua obedientia, et derivando in se poenam, ut propter ipsum detur nobis remissio peccatorum, et imputatio iustitiae, sed etiam efficiendo in nobis novitatem congruentem cum lege. Quae tamen effectio in hac vita est exigua inchoatio, in alio maior, in alio minor, donec perficiatur in altera vita.

Idem dicitur etiam in hoc Pauli dicto: *Christus est finis legis,* id est, impletio legis. Sed hanc nobis quoque donat partim imputatione, partim effectione.

Recte etiam dicitur, Christum implere legem praeter alios modos, de quibus iam dictum est, Sanciendo legem, docendo, interpretando, quia non solum ipse repetivit et enarravit legem: sed vult perpetuo repeti et enarrari eam in ministerio Evangelii. Quod cum sit praedicatio poenitentiae et remissionis peccatorum, eo ipso repetit et declarat legem.

Nec valet argumentum Anabaptistarum, qui ex loco Ierem. 31. cavillantur:

Dabo legem meam in corda eorum, et non dicet amplius vir ad proximum suum; cognosce Dominum: sed omnes erunt docti a Deo.
Ergo in novo Testamento non debet esse ministerium, Et sic neque lex, neque Evangelium praedicabitur.

Respondeo. Dictum Ieremiae loquitur de tota consummatione novi Testamenti in vita aeterna. Sed illa consummatio tamen inchoatur hic per vocem Evangelii, per quam Spiritus sanctus est efficax. Manet autem vera illa sententia, quod vir non doceatur a viro. Primum quia vox ministerii non est viri, sed Spiritus sancti. Deinde conversio hominis per vocem Evangelii non est talis paedagogia, ut cum praeceptor puerum improbum cogit verberibus, aut magistratus in carcerem coniicit, vel suspendit furem. Sed Spiritus sanctus intus movet cor, ut accendatur agnitione Dei, et ardeat motibus timoris ac dilectionis Dei. Complebitur autem hoc in vita aeterna, ubi ministerii nullus erit usus amplius, Quia tum Deus erit omnia in omnibus, id est, immediate nobis communicabit se et bona sua.

Sed nec Antinomorum argumentum valet: qui cum dictum Christi, Lex usque ad Ioannem, accommodent etiam ad Decalogum: inde ratiocinantur, legem postea non esse praedicandam. Respondeo. Etsi contentiosis concedi potest, Decalogum etiam ruente politia Moisis, desinere, quatenus scilicet intelligitur fuisse politica disciplina cohercens cives huius politiae seu populum legis: Tamen ministerium spirituale, quo arguuntur peccata interiora et exteriora, est omnium temporum usque ad vitam aeternam. Manet enim vox Dei arguens peccata, et Decalogus enarratur ac declaratur in ministerio Evangelii, quod Ioannes inchoat, ut non modo accusentur

peccata, sed addatur promissio Evangelii propria de remissione peccatorum.

DOMINICA IIII. ADVENTUS.

Evangelium Ioannis I.

Et hoc est Testimonium Ioannis, etc.

Summa huius Evangelii et praecipuus locus est Testimonium de Christo, quia Ioannes missus est, ut testis esset de adventu Christi, et monstraret ipsum praesentem, sicut in hoc ipso textu inquit: *stat in medio vestrum, quem vos nescitis.* Postea multae disputationes sequuntur de Ioanne et Baptismo eius, de quibus dicemus, si Grammatica prius declaraverimus.

Evangelista facit mentionem loci, ubi Ioannes docuit et baptizavit. Hunc locum nominat Bethabara, quam vocem aliqui mutant in Betharaba. Sed non recte, quanquam credibile est plures pagos fuisse, qui dicti sint Betharaba. Significat autem *Betharaba* domum seu pagum deserti. Ac pagus nomen habet a πηγὴ, id est, fons, quia, ubi fontes seu scaturigines aquarum sunt, ibi loca magis sunt idonea ad habitandum. In Germania passim locorum satis est fontium et fluminum, quod non est parvum beneficium Dei: Sed in aliis regionibus rariores sunt fontes. Ideo ad habitationem delecta fuerunt loca illa, quae fonti alicui erant vicina. Alii vocabulum pagi a πήγνυμι, quod est figo, deducunt, quia palis quibusdam fixis in circuitu muniebantur pagi. Est et aliud vocabulum κώμη, quod significat vicum, Ein Dorff. Et puto Germanicum Dorff esse a Thorhoff, oder fur dem Thor, suburbium vel praedium suburbanum. Pagus significat villam.

Est autem in hoc textu non Betharaba, sed *Bethabara*, quod significat domum traiectus, Ein fort da man vberfehret. Est vocabulum compositum a *Beth*, id est, domus, et *abara*, quod convenit cum Germanica voce vber. Et per methatesin furt. Qui linguam Bohemicam tenent, dicunt *Brad*, id est, pagum illum vicinum Wittebergae trans Albim, significare idem, quod traiectus. Nam antequam pons est extructus trans Albim, transvehebantur ibi homines navigio. Eadem ratio nominis est in vocabulo Bretch, qui pagus medius est inter Wittebergam et Torgam. Graecis *πόρος* etiam significat transitum, et congruit Germanica vox fur cum Graeco [illegible]. Nec dubium est in vicinia Wittembergae fuisse Vandalos, Et ex Vandalica lingua originem suam habent Bohemica et Polonica. Multi sunt pagi in Bohemia, qui nominantur Broda, das heißt ein vberfurt. Idem ergo significat Bethabara, ubi Ioannes habitare voluit, quia magna multitudo conveniebat quotidie ad traiectum illum, qui proximus erat Iordani, ut plures posset docere, et esset ad eum facilior aditus. Non enim abdidit se in latebras, non fugit in solitudines ignotas.

Deinde in hoc textu etiam illud est Grammaticum, considerare significationem vocum in dicto illo, *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Multi cogitant Christum nominari agnum, quia ut agnus est animal simplex, nemini nocens, sic Christus fuerit placidus, quietus, innocens, qui nemini nocuerit. Sed haec non est vera interpretatio. Nominatur Christus *agnus* non propter placiditatem vel simplicitatem, sed quia est victima. Est igitur haec sententia: Ecce agnus, id est, victima.

Additur autem *agnus Dei*, id est, non Aaronis, non Pontificum vel sacerdotum agnus, hoc est, non talis agnus, qualem mactabant sacerdotes, sed agnus a Deo constitutus, et delectus mirabili et inenarrabili consilio Dei ad tollenda peccata mundi. Nomen Latinum victimae est a vincendo, quia victis hostibus fiebant sacrificia, item precatio et gratiarum actio. Graeci plures habent dictiones, et magis idoneas. Etiam apud Hebraeos nomen victimae est a mactatione. Est autem vera et principalis victima Christus, in quem derivata est ira Dei, et qua mactata intelligitur placata esse ira Dei.

Veteres in magnis periculis etiam homines mactabant contra mandatum divinum. Cumularunt et caetera sacrificia Iudaei et Ethnici ex superstitione. Nam hic error inde usque ad Cain semper fuit in mundo, ut existimentur sacrificia valere ex opere operato, id est, quod plerique cogitant se liberari ab ira Dei, modo offerant sacrificia. Hic error nihil est aliud, quam stulta quaedam fiducia nostri operis, in quam passim invehuntur prophetae, qui docent Deum velle et approbare opera ex fide vera accipiente remissionem peccatorum propter Christum, qui est principalis victima. Ita docebat etiam Zacharias pater Baptistae, et alii sancti in populo Iudaico. Nos quidem mactamus istas victimas, sed veniet vera victima, propter quam habemus remissionem peccatorum. Istae nostrae victimae sunt tantum signa ostendentia illam venturam victimam: non sunt verae victimae propter quas remittantur peccata. Intueamur autem et nos hanc victimam, id est, Christum et propter hunc sciamus tolli peccata.

Et quanquam exhauriri res tantae non possunt in omni aeternitate, tamen debent esse initia sapientiae istius in cogitatione et studiis. Recipit Deus immensa misericordia genus humanum, sed ita recipit, ut simul velit suae iustitiae satisfieri. Hoc mirabile et inenarrabile temperamentum iustitiae et misericordiae in Deo, diligentissime considerari de-

bet. Non voluit Deus genus humanum interire funditus, et propter immensam misericordiam recepit genus humanum post lapsum. Sed cum etiam iustus sit, voluit simul satisfieri iustitiae. Id tam magnum est, ut nulla creatura possit satis comprehendere aut eloqui. Imo omnes creaturae in tota aeternitate considerabunt cum summa admiratione hoc temperamentum iustitiae et misericordiae Dei. Ut igitur satisfieret iustitiae Dei, oportuit aliquem in genere humano esse, qui esset innocens, et poenam persolveret pro caeteris.

Ratio obstupescit ad haec, et magnitudine ac immensitate rerum onerata languefit, cedit oneri, nec capere potest sublimitatem istarum rerum. Sed oremus filium Dei, ut excitet corda nostra Spiritu sancto, ut sint in nobis initia lucis et scintilulae aliquae fidei, qua accipiamus et amplectamur res tantas. Et haec vere sunt realia, non sunt speculationes inanes.

Cernitur hic ingens et horrenda ira Dei adversus peccatum, quod Deus non vult remittere peccatum, nisi iustitiae eius satisfiat. Ideo factum est decretum, ut aliquis in genere humano pateretur pro caeteris, qui esset innocens, et ut iste solveret *λύτρον* seu pretium aequivalens, oportuit eum Deum esse. Fit igitur filius Dei deprecator, et transfert in se poenam, et quia est natura Deus, est pretium aequivalens.

Postea accedunt plures causae, cur oportuerit Deum esse, scilicet, ut posset sustinere illam immensam iram, quam nulla creatura sustinere potuit, ac ne angeli quidem, Item ut esset victor mortis et instaurator iustitiae et vitae in nobis, seu ut redderet nobis iustitiam et vitam, item ut ingrederetur semper in sancta sanctorum, id est, in arcanum consilium aeterni patris, ac perpetuus esset deprecator pro nobis, item oportuit mediatorem esse Deum, et habere omnipotentiam, ut cum sit custos Ecclesiae, haberet potentiam maiorem potentia Diaboli, ut semper et ubique adesse nobis posset, et auxiliari, exaudire, defendere, regere Ecclesiam.

Hae causae magni momenti sunt propter quas agnus iste non tantum homo esse debuit, cum peccatum ex genere humano ortum esset, sed etiam Deus omnipotens.

Verbum tollere, quod Graecis est *αἴρω*, respondet duobus verbis Hebraeis, quae ambo sunt apud Esaiam. Unum est *Sabal*, quod significat baiulavit, portavit, gestavit onus impositum, ut cum Esaiae 53. dicitur: *Vere dolores nostros ipse portavit.* Item, *Iniquitates eorum ipse portabit:* Nos dicimus, Er hats auff sich genommen, Er hats getragen. Iste agnus iacet in morte sentiens onus peccati et irae Dei, quod nulla creatura sustinere poterat. Ita *αἴρω* Graecum vocabulum, et *tollo*, Latinum, significat interdum portare, ut *ἄρατε τὸν ζύγον ἐμὸν*, Tollite iugum meum super vos, id est, portate meum iugum.

Alterum verbum est *Nasa*, vel *Nasah*, significat idem quod sustulit, abstulit. Er hats weg genommen. Ita usurpatur etiam verbum *αἴρω* in dicto Sophoclis, *πόλεμος οὐδένα ἄνδρα ἑκὼν αἴρει πονηρὸν, ἀλλὰ τοὺς χρηστοὺς ἀεὶ*, id est, bellum neminem malum nisi casu tollit, sed optimum quemque semper. Item [Iohan. 11.] *ἄρατε τὸν λιθὸν*, id est; auferte lapidem, scilicet a sepulchro Lazari resuscitandi.

Lutherus pro voce Tollendi, retinuit hanc phrasin in Germanico: Das der welt sünde tregt. Sed Graecum et Latinum vocabulum est plenius. Et utrumque verum est. Er tregts und nimbts hinweg, gestat ac sustinet poenam peccati, et praeterea aufert peccatum potenti manu: stat coram aeterno patre, et est umbraculum et deprecator pro nobis, ne imputentur nobis peccata: item donat nobis in verbo iustitiam suam, inchoat in nobis iustitiam ac vitam aeternam: et in resurrectione mortuorum, omni peccato sublato, redditurus est nobis integram iustitiam et vitam ac laetitiam aeternam.

Nominat autem Ioannes peccatum in singulari numero, Quia comprehendit totam molem peccati, id est, omnem inobedientiam et damnationem generis humani. De quo Mundi appellatio intelligenda est, Quia Ioannes voluit significare omnibus offerri remissionem peccatorum, nec quenquam excludi, nisi incredulitate sua.

Itaque sciamus sententiam huius dicti fide ad nos applicandam esse, sicut dicitur: *Beati omnes qui confidunt in eo.* Apprehendamus igitur filium Dei fide, et credamus quod revera nobis sit agnus donatus, et quod propter ipsum simus accepti. Hanc fidem in nobis alat pia meditatio huius dicti, quod quidem istis diebus canunt etiam scholastici in plateis. Quae consuetudo, quod pueri in plateis eunt canentes, cum eleemosynam colligunt, valde mihi placet, et puto pulchrum et honestum exemplum esse in civitatibus, Quia est confessio publica, quod ibi sint Christiani, et cantilenis istis pellitur Diabolus.

Et ut concludam tandem Grammaticam declarationem istius dicti, quaero, qualis sit praedicatio: Iste est agnus, videlicet demonstrando Christum? Respondeo. Est praedicatio figurata. Agnus cum mactabatur, erat signum victimae venturae. Est igitur Metonymia. Iam venio ad locos doctrinae, qui sunt in isto textu.

Primus est de secessione Ioannis, qui cum deberet succedere patri in Templo, egressus est ad Iordanem, ubi erat traiectus, et instituit ibi rem novam. Hic quaestio incidit, an recte fecerit Ioannes discedens a ministerio ordinario, et inchoans novum cultum seu ceremoniam. Haec quaestio magnas disputationes peperit istis tempo-

ribus, Idque apparet ex interrogatione illa, quam Christus proponit Pharisaeis: *Et ego*, inquit, *interrogabo vos: Baptismus Ioannis eratne ex Deo, an ex hominibus?*

Ac ut intelligatur nequaquam fuisse rem parvam, consideretur, quam sit res necessaria unitas Ecclesiae. Ad hanc tria concurrere debent: I. Consensus in doctrina. II. Consensus in usu Sacramentorum. III. Reverentia ministerii, ne quis faciat avulsiones a ministris ordinariis sine necessaria causa. Fuit autem conservatio unitatis Ecclesiae maxime commendata isti populo, et ut nervus esset unitatis conservandae, voluit Deus in isto populo unicum templum esse, nec in aliis locis licuit sacrificare extra hoc templum. Quin et toti generi humano universale mandatum traditum est, ne ulli instituantur cultus divini humana autoritate. Praeterea Ioannes fuit natus sacerdos, filius Zachariae. Debuit igitur servire templo, sicut pater. Quod cum non faciat, mittunt ad eum Pharisaei et Sacerdotes, et volunt scire causam, cur discedat ab ordinario ministerio, et novam formam cultus, seu rem novam, id est, baptismum instituat. Sic enim argumentantur:

> *Nemo debet discedere ab Ecclesia, cum mandatum Dei expressum sit de coniunctione cum Ecclesia.*
> *Ioannes discedit ab Ecclesia seu templo illo.*
> *Ergo Ioannes non recte facit.*

Est autem respondendum ad Maiorem. Non est discedendum ab Ecclesia, seu non est faciendum Schisma, scilicet, sine mandato divino, singulari vel universali. Ioannes secessit, quia habuit novum et singulare mandatum a Deo. Id ostendunt testimonia, quibus Deus ornavit vocationem Ioannis. Prophetae Esaias et Malachias praedixerunt eum fore praecursorem Messiae, et quidem Esaias praefinit ei locum, quod in deserto paraturus sit viam Domino. Deinde angelus nuntians patri eius conceptionem et nativitatem miraculosam ex matre sterili et effoeta, voluntatem et mandatum Dei expressit, quod et Zacharias pater in Cantico suo repetit, cum sermo prius ademptus, miraculose ei restitutus esset. Praeterea filius Dei venit ad ipsius baptismum, et ostenditur illustris patefactio divinitatis, in qua aeternus pater filius et Spiritus sanctus divina autoritate confirmarunt vocationem Ioannis. Habuit et alia multa testimonia Ioannes, sicut Lucas scribit factum esse ad eum verbum Domini, cum inchoaturus esset ministerium suum, et Lucae 7. nominatur Baptismus Ioannis, consilium Dei.

Hoc ergo singulare mandatum Dei excusat secessionem Ioannis. Nos hodie habemus mandatum universale, cum discedimus ab Ecclesia Romana, qualis nunc est, ut cum dicitur: *Si quis aliud Evangelium docuerit, sit anathema.* Item, *Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Et si quis dixerit blasphemiam contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc, neque in futuro seculo.* Haec mandata divina cogunt nos, ut discedamus a Papistis Idololatris, et persecutoribus verae doctrinae. Et debent illa horrenda fulmina, quae sunt addita istis mandatis, movere omnes homines, ut amplectantur veritatem, et acquiescant in veritate agnita, et reprehendant mendacia, et abiiciant idola.

Anathema significat quiddam reum, seu destinatum exitio, Das verbannet und verflucht ist, und das man tödten sol. Hac voce utitur Paulus magno consilio de hostibus verae doctrinae, quasi dicat: Pharisaei et Pseudoapostoli dicunt nos esse anathemata: sed sciamus anathemata esse ipsos falsa docentes.

Quid autem dici potest atrocius quam quod Christus inquit, eum qui oppugnet agnitam veritatem, habere peccatum irremissibile? Peccaremus ergo in Spiritum S., si approbaremus errores et idola Papistarum, Et tamen multi sunt inter eos, qui contra conscientiam suam, impiae illorum doctrinae et idololatriae adhaerent. Talibus mandatis seu argumentis nulla creatura potest contradicere, neque evertere illa.

In omnibus conventibus quando disputandum nobis fuit cum adversariis, obiecerunt illi nobis Schisma, et reprehenderunt nos, quod fecissemus seiunctionem ab Ecclesia. Ab hac accusatione ordiebatur Eccius statim in primo conventu Wormatiensi affirmans Ecclesiam illam Romanam amplius mille quingentis annis stetisse, et nos reprehendens, quod ab illa discederemus. Ego respondi nos necessario discessisse, sicut Ieremias, et alii Prophetae, item Apostoli et Ioannes Baptista discesserunt a pontificiis Iudaicis.

Eccius opponebat, illa exempla fuisse singularia, illos habuisse peculiare mandatum Dei. Imo, dicebam, nos habemus universale mandatum, quod affert multo firmiorem rationem: Nam quod fit secundum universalem regulam, id multo tutius est, quam quod fit secundum singularem exceptionem. Universale est autem mandatum: *non habebis Deos alienos*, item, *fugite idola*.

Papistae cumulant errores et idola sua parricidiis, interficiunt multos sanctos homines recte sentientes, sicut interfecerunt hactenus quosdam praestantissimos viros, Henricum Zutphaniensem, Ioannem Cressum, et alios excellenter doctos, qui mihi fuerunt notissimi. Ab horum parricidiorum societate necesse est ut nos seiungamus.

Interea autem debemus discernere Schismata ex causis necessariis ab aliis seiunctionibus non

necessariis. Quia ubi est vera Ecclesia, ibi praeceptum Pauli servandum est: *Non deserentes congregationem vestram.* Cum in symbolo dicis: *Credo Ecclesiam sanctam Catholicam,* debes cogitare: Omnipotens aeterne Deus, ago tibi gratias, quod in genere humano collegis Ecclesiam, et eam defendis, et in hac parte generis humani habitas, fac, ut ego quoque sim membrum verae illius Ecclesiae, confirma in me hanc voluntatem, quod cupio esse et manere in illa Ecclesia, ut in Psalmo dicitur: *Unum elegi, et hoc desidero, manere in domo Domini.* Item: *Beati qui habitant in tabernaculo tuo.*

Tales debent esse cogitationes nostrae. Debemus quaerere, quae et ubi sit vera Ecclesia, et nos ei adiungere, tanquam cives et membra verae Ecclesiae. *Qui non colligit mecum,* inquit Dominus, *dispergit.* Cogita, quam horrendum sit, dilacerare aut saevire in Ecclesiam, aut discedere a vera Ecclesia: Sicut multi sunt eiusmodi nebulones, qui ut captent auram popularem, alios recte sentientes lacerant conviciis. Ac plerumque indocti, qui sunt sine literis et eruditione, sunt eiusmodi vociferatores. Alii faciunt hoc in gratiam Principum. Alii ut mereantur favorem vulgi, quod contemnit doctrinam usitatam, et admiratur absurda. Norinbergae quidam vociferatur, Christum iustificare per accidens, Osiander clamat: Non meritum Christi, sed iustitia essentialis Christi est nostra iustitia.

Consideremus mandata de vitando schismate non necessario. Sed non reformidemus probra illa hostium veritatis, qui fremunt, quod propter necessarias causas discessimus a Romana Ecclesia, nec curemus, quod clamant Papistae, se esse antiquam Ecclesiam. Ego certo scio, Pontifices et Episcopos pertinaciter defendentes falsa dogmata, et falsos cultus, esse coetum idololatricum, et gaudeo, quod sim in vera Ecclesia. Et possum dicere, ut Erasmus dicebat: *Non habeo conscientiam, quod nimium fecerim, sed quod minus fecerim.*

Adolescentes in hac disputatione etiam vocabula considerent. Iurisconsulti faciunt differentiam inter schisma et haeresin, et verum est esse differentiam. Nam schisma potest habere excusationem, haeresis nullam. Germani haeresin vocant keßerey, quod vocabulum fortassis est a Gößeren, id est, idololatria. Antiqua appellatione haeresis significat sectam, a verbo αἱροῦμαι, unde etiam est προαίρεσις, id est, singularis electio, Ein sonderlich fürnemen. Sed in Ecclesia haeresis significat eiusmodi sectam, quae dogma impium habet, et nova opinione discedit ab Ecclesia. Est autem omnis prava opinio, mendacium, et cum est error contra articulos fidei, tum est gravis idololatria.

Schisma autem significat separationem, Eine sunderung. Sigismundus Imperator in concilio Constantiensi, cum esset eligendus novus Papa, dixit ad Cardinales: Nos non volumus amplius pati schismam, etsi aliqui etiam σχισμοὺς horribiles eum dixisse, et de his conquestum esse scribunt. Fuit autem irrisus a Cardinali Placentino quod contra Grammaticam peccaret. Sed respondit Imperator: Non places mihi, Placentine, quia Imperatorem oportet esse intentum in res, non in Grammaticam: Et cum sit solutus legibus politicis, non debet servire praeceptis Grammatices. Sic igitur in Ecclesia nominatur Schisma scissio seu dilaceratio Ecclesiae, Et sic Paulus loquitur: *Non sint inter vos schismata.*

In Republica nominatur *seditio,* quasi seorsim itio, ein abweichung, *D* est interpositum propter Euphoniam, sicut in redeo. Estque hoc nomen minus atrox et mollius, atrocissimae et turbulentissimae rei inditum a Romanis propter cives, qui ex urbe in vicinos montes secesserant. Ideo ut revocarentur, noluerunt eos vocare hostes et perfidos.

Graeci dicunt *στάσιν,* quod est vocabulum atrocius, sicut Germani quoque nominant Ein Empörung, cum subditi sumunt arma contra superiores, mutandi status publici causa.

Aliud est vocabulum *tumultus,* quod differt a bello, quia *bellum* est, quod ordinarie per magistratum suscipitur, sive sit iustum, sive iniustum bellum. Tumultus est qualiscunque concursus seu paucorum, seu plurium, quasi dicas, timor multus, id est, subita commotio. Quando est atrocior tumultus, fit seditio, Ut tumultus Catilinae est seditio, Tumultus rusticorum nostro tempore fuit seditio. Conabantur abolere reditum, seu censum, et ordinarias potestates, et praetexebant libertatem Christianam.

De dicto Dionysii Corinthii apud Eusebium, (Hist. Eccles. lib. II. cap. ult.), dixi alias: *Non minus peccatum est schisma quam idololatria.* Haec sententia est vera, quando schisma non habet causam necessariam, seu quando schisma est impium: Idque variis de causis fieri potest. Saepe fit Schisma cum impio dogmate: Saepe propter mores, ut Donatistae faciebant Schisma, quia improbabant aliquorum mores, etsi hoc ipsum erat dogma impium, detrahere efficaciam ministerio, propter personarum vitia. Interdum mutatione rituum, qui sunt suo genere indifferentes, aliqui faciunt secessionem ab aliis: Sicut Doctor Iekel in natali Christi concionabatur de Resurrectione, et in Festo Paschatis de Nativitate, Dicebat esse Papisticum, alligatum esse tempori. Postea moriebatur ex inedia voluntaria. Talis est malitia multorum, qui non possunt pati ullum ordinem, et praetexunt libertatem Christianam. Vituperant nos, quod servemus ritum ordinationis ministrorum. Nonnunquam odio certarum personarum excitatur schisma,

ut nunc quoque multi depravant aliorum recte dicta et facta, et divellunt Ecclesias.

A talibus Schismatis omnes debent sibi cavere. Non cogites virtutem esse tumultuari, et disturbare, quaecunque recte constituta sunt. Iurisconsulti dicunt, quod non sit mutanda lex, nisi sit evidens utilitas. Ita non est faciendum schisma, nisi sit evidens veritas, propter quam sit discedendum ab aliis. Qui sine iusta causa facit schisma, est parricida Ecclesiae. Adversus hostes simus intenti et vigilantes. Civibus autem oportet quaedam condonari, sicut Christus [Matth. 10.] monet: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbe.* Columba est sine felle. Ita vult nos esse candidos sine malevolentia, et sine acerbitate animorum. Nominat simplicitatem, non stoliditatem, sed candorem, benevolentiam, studium concordiae et consociationis. Deinde duo sunt propria serpentum. Serpens est cautissimus in tegendo capite: sic nos debemus esse vigilantes in custodiendo capite, id est, in Principali doctrina. Deinde cum laesus est serpens, etiamsi multi simul sunt, tamen novit hostem suum, et invadit eum, qui ipsum laesit. Ita debemus esse intenti in hostes. Aliter agere cum adversariis, qui abiiciunt fundamentum verae doctrinae, aliter cum civibus eiusdem Ecclesiae.

Haec propterea dixi tam copiose, quia in excusatione schismatis, quod obiectum est Ioanni, et quod hodie nobis obiicitur, utrumque est docendum, ubi sint facienda schismata, ubi non: Et quia in hac ἀναρχία, quae nunc passim regnat, valde necessaria est haec commonefactio de amanda coniunctione cum vera Ecclesia, et quod non sit facienda discessio sine gravi causa, sicut multi iam putant, parum referre, si faciant disturbationes et distractiones in Ecclesiis Evangelicis, quibus praetexunt dissimiles causas: ut dicitur: *Quemque suae rapiunt scelerata in praelia causae.*

Secundus locus est de distinctione vocationis propheticae in veteri Testamento: et vocationis Baptistae inchoantis ministerium, quod est novi Testamenti proprium. Quaerunt legati ex Ioanne: *Tu quis es? Esne Christus?* Respondet Ioannes: *Non sum. Esne Elias?* respondet iterum: *Non sum Elias.* Contra Christus expresse dicit eum esse Eliam. Quomodo haec sunt concilianda? Ioannes non Elias, id est, persona illa Eliae Thesbitae, qui vixit sub Rege Achab, et vivus sublatus est in coelum, sed Christus Ioannem nominat Eliam, scilicet (ut angelus antea ad Zachariam dixerat) quia praecedebat Messiam in spiritu et virtute Eliae, non sicut Iudaei volebant, qui restitueret ipsis regnum, aut faceret mutationem status politici, sed quod ad ministerium docendi attinet. Ioannes tradidit eodem spiritu, seu simili motu et impetu Spiritus sancti veram doctrinam, declaravit legem, ostendit Messiam, arguit et refutavit idololatrias, et opiniones pharisaicas, sicut olim Elias ingenti ardore Spiritus repurgavit Ecclesiam, et acerrime invectus est in idololatriam.

Pergunt autem quaerere: *Esne propheta?* respondet: *Non sum.* Respicit ad imaginationes ipsorum, qui somniabant talem Prophetam, qui et doceret, et esset gubernator politicus, Sicut Samuel cum esset erepta arca, erexit rursus statum politicum et Ecclesiasticum collapsum, et alii multi prophetae fecerunt mutationes in regnis. Talem illi somniabant prophetam, qui inciperet movere tumultus et faceret praeparationem ad novum regnum Messiae. Sentiebant aliquid novi facturum esse Messiam, et prophetam qui praecessurus esset, inchoaturum esse initia mutationum.

Zacharias in Cantico dicit, *Ioannem futurum esse prophetam.* Sed hoc non intelligit de gubernatore politico, sed de doctore interpretante scripturam, et praedicente aliqua futura, Sicut Ioannes praedixit finem fore illius Politiae.

Hic consideretur discrimen inter Prophetam in populo Israelitico seu veteris Testamenti, et inter Prophetam novi Testamenti, ut cum Paulus inquit: Volo omnes prophetare. Item: Nolite contemnere prophetias. Consideretur item discrimen Doctorum novi Testamenti. Propheta in veteri Testamento est persona immediate vocata a Deo ad docendam legem et illustrandam promissionem de Messia et ad partem aliquam gubernationis politicae, habens testimonium quod non erret. Ita Moises fuit gubernator Politicus, praeterquam quod fuit Doctor. Item Samuel, Elias, Elisaeus, Esaias, Ieremias, Daniel, Haggaeus, fuerunt vel gubernatores politici, vel consiliarii in regnis et politia Iudaica, Etsi alii maioribus negotiis occupati fuerunt, quam alii. Talem prophetam volebant Iudaei, qui iret Romam, et everteret domum Imperatoris Tiberii, Et domitis Provinciis distribueret Imperium inter Iudaeos.

Prophetae in novo Testamento sunt interpretes Scripturae sacrae, et eam accommodantes ad usum Ecclesiae, et corrigentes vitiosas opiniones. Horum aliqui etiam praedixerunt futura, ut Agabus in Actis. Credo Ioannem Hilden habuisse Spiritum Prophetiae. Fuit in monasterio Magdeburgensi Franciscano, et Isenacensi, ubi reliquit praedictiones sua manu scriptas in Danielem, et inter caetera dicit: *Anno 1516. incipiet nova reformatio Ecclesiae.* Scimus autem mox sequenti anno 1517. coepisse Lutherum scribere contra Papatum. Idem Ioannes Hilden etiam hoc scripsit: *Anno 1600. Turci dominabuntur in Italia et Germania.* Etiamsi non omnia teneant, tamen fieri potest, ut magnam partem occupent.

Hoc modo Ioannes recte nominatur Propheta. Fuit instaurator doctrinae, et quanquam monstravit praesentem Christum, tamen dixit futurum, ut pateretur, item fore ut deleretur illa politia, et postea colligeretur Ecclesia novo modo. In doctrina praedicavit omnes articulos fidei, sicut nostri pastores, qui recte docent, eosdem articulos fidei tradunt, nisi quod circumstantia temporis mutata est. Ioannes dixit de Christo nondum passo. Nostri pastores dicunt de passo et resuscitato. Aliud discrimen, quod ad doctrinam attinet, nullum est. Et hunc articulum de Christo passo et resuscitato docuerunt etiam Apostoli, qui primi fuerunt praecones huius articuli inter Iudaeos et gentes.

Quid differunt autem Apostolus et Episcopus? Respondeo: Apostolus est persona vocata immediate a Christo ad praedicandum Evangelium Christi, non autem ad gubernationem politicam, habens mandata ubique docendi, quocunque locorum veniat, item habens testimonia quod non erret. Episcopus est persona mediate vocata ad docendum, quae debet accipere doctrinam ab Apostolis, et cum discedit ab ea doctrina, errat, et obligatur certae Ecclesiae, ad quam vocationem suam habet.

Paulus nunquam appetivit ullam partem Politiae. Concionatur Romae etiam in carcere, non liberat se inde, non expellit Neronem, nec evertit Romanum Imperium. Sic caeteri Apostoli non rapuerunt politicam gubernationem, multo minus Episcopi et pastores vocati sunt ad Imperia.

Postquam autem Ioannes negavit se esse Christum, Eliam, Prophetam, scilicet qualem illi cupiebant (Intuetur enim eorum voluntates et affectus, qui non cogitabant de doctrina, non de instauratione veri cultus, sed qui mutaret regimen) tum pergunt illi quaerere: *Quid ergo dicis de te ipso?* respondet Ioannes allegato dicto Esaiae: *Ego sum vox clamantis in deserto: parate viam Domino.* Dicit se esse ministrum Evangelii, doctorem novi Testamenti et testem quod iam adsit Messias. Estque in verbis illis: Ego sum vox clamantis: praedicatio figurata per Metalepsin, quasi dicat, ego sum persona sonans Evangelium. Sed loquitur sic propter Emphasin, ut intelligatur ministerium esse distinctum a persona, hoc est, ut sciamus non esse miscenda ministerio personalia, sapientiam nostram, potentiam, affectus nostros.

Minister Evangelii non debet addere aliquid de suo, sed debet esse vox, id est, sonare doctrinam Evangelii puram et incorruptam: Item, minister Evangelii debet esse Doctor tantum, non rapere Principatus, non armis tumultuari, non quaerere praesidia humana. Hoc non fecit Papa, qui cum deberet esse pastor Ecclesiae, arripuit sibi ius transferendi Imperia, et potestatem utriusque gladii. Multi etiam ex aliis ministris in hac re peccant, qui sic cogitant: Ego sum in ministerio. Ergo mihi est obtemperandum. Est quidem ministerium afficiendum honore, sed non est praetextum ministerii quaerendum, quod non est ministerii, neque est indulgendum affectibus. Praecipue vero in doctrina non est affingendum aliquid, aut assuendum de nostro. Sciamus nos esse legatos, habentes mandatum praescriptis verbis.

Iurisconsulti dicunt legatos mitti dupliciter: Aliis traditur mandatum praescriptis verbis, id est, Ein gewisser befehl. Alii vero mittuntur cum libera, scilicet potestate deliberandi. Dux Georgius miserat Doctorem Breittenbach, et dederat ei mandatum praescriptis verbis. Cum rediisset, interrogat Dux, quid effecisset: respondet ille, se propter circumstantias rei perficiendae coactum fuisse aliquid mutare de mandato, sed eventum rei fuisse felicem. Dux sedet cogitabundus aliquantulum, postea inquit: Non es executus meum mandatum, et quanquam bene res successit, tamen noli idem facere in posterum.

Pontanus, qui fuit duorum Regum Cancellarius, scribit, quod Friedericus pater plerumque miserit legatos cum libera, Alphonsus filius semper praescriptis verbis. Et hoc magis probat Pontanus ipse.

In Ducatu Wirtenbergensi fuerunt aliquando missi tres legati: Primus erat eques auratus, cui nomen erat Caspar Spedt: Alter erat doctor Iuris: Tertius senex quidam. Ille Caspar eques, ut erat ingeniosus, disputabat discedendum esse a mandato, quod ipsis iniunctum erat, propter quasdam circumstantias rerum et personarum, cum quibus agendum erat. Doctor etiam pro et contra disputabat. Tandem senex dixit, se cogitare tres esse gradus consiliariorum Principis. Primum, inquit, sunt aliqui sapientia et auctoritate valentes. Sapientia, ut videant, quid sit consulendum. Autoritate, ut excusare rem possint: Qualis tunc erat cancellarius Lamparter. Alter gradus est consiliariorum, qui valent sapientia, sed non excellunt autoritate. Hi possunt videre, ubi sit aliquid mutandum, sed non audent mutare, ne incurrant in iram Principis. Tertius gradus est eorum, in quo ego puto me quoque esse, qui non excellunt sapientia, nec autoritate. Itaque ego iudico mihi faciendum esse, quod mandato Principis est iniunctum. Recte iudicavit hic senex, et nos idem facere debemus in Ecclesia, qui habemus mandata praescriptis verbis. Haec moneat nos forma illa orationis, qua Ioannes inquit: Ego sum vox: quasi removens illa quae sunt subiecti. Si dixisset: Ego sum sonans, praedicatum fuisset admixtum subiecto.

Cogitate autem, quid est fragilius, quid imbecillius voce, quam sit ridiculum apud sapientes huius mundi dicere, quod Deus sibi colligat Eccle-

siam voce? Et tamen verissimum est, quod per illam vocem Deus sit efficax, sicut dicitur: *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* Item, *Evangelium est ministerium spiritus.* Et hic dicitur: *Sum vox Clamantis*, id est, filii Dei, qui ex sinu patris protulit Evangelium, et qui loquitur per ministros, et est efficax per verbum vocale. Non est igitur tantum vox humana sonans in ministerio, sed Christus ipse, et loquitur per ministros, et per vocem illam est efficax.

Additur autem: *In deserto.* Id pertinet quidem ad circumstantiam loci in praedicatione Ioannis: Sed totum genus humanum est desertum et miserum sine luce Evangelii. Quid fuit pulchrius Athenis, quando fuit in flore? et tamen est locus desertus, quia non est ibi lux Evangelii.

In verbis: *Parate viam Domino*, describitur summa doctrinae ministerii. Est enim eadem sententia cum illis dictis: *Excipite venientem Dominum, osculamini filium. Agite poenitentiam et credite Evangelio.* Haec fuit praedicatio Ioannis, et esse debet omnium ministrorum Ecclesiae. Hanc vocem debent etiam audire omnes, qui volunt esse membra Ecclesiae.

Et assuefaciendi sunt animi, ut discamus dirigere mentes et corda in vocem sonantem in ministerio, et acquiescere huic voci, tanquam filius Dei nobiscum loqueretur de coelo. Prophani homines non curant hoc. Et contemnant sane. Sed in veris doloribus, et tentationibus experimur hunc esse unicum portum consolationis. Certe oportet nos Deum invocare, qui tradidit nobis hanc vocem per filium: *Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Huius promissionis fiducia oportet te confirmare animum, ut statuas te a Deo exauditum iri

Propone cogitationi tuae hominem damnatum ad supplicium. Quid vis tali consolationum proponere? non debes cum eo disputare de arcana electione: non deducere ad sensum novorum et illustrium motuum hoc modo: Si es electus, Deus faciet in te novum motum, ut hilariter et libenter moriaris, et omnia contemnas. Imo vero sic ei est dicendum: Audi, hoc est mandatum divinum: *Age poenitentiam, et crede Evangelio.* Item: *Hic est filius meus dilectus, Ipsum audite.* Item filius Dei dicit: *Sic Deus dilexit mundum.* Hanc vocem statuas et tibi divinitus traditam esse, et hac voce te sustentes, ut acquiescas in filio Dei. Quod si feceris, habebis consolationem, et es iam haeres vitae aeternae.

Erat Isenaci quidam miser homo, iuvenis, duxerat uxorem, non didicerat artificium, egebat. Alius quidam senex solitarius, motus misericordia, receperat eum in aedes. Habuit aliquid pecuniae senex iste aureos circiter sexaginta in moneta aurea, et quia putabat illum suum inquilinum fidelem esse, non occultabat ad eum suum istum thesaurum. Miser ille iuvenis incitatus a Diabolo, motus spe pecuniae auferendae interficit senem, aufert pecuniam, et egreditur ex oppido. Pervenit tantum ad portam, nec potuit ulterius progredi. Ita oppresserant eum dolores. Vicini patefacta domo reperiunt bonum senem iugulatum. Quaeritur statim autor caedis, et invenitur ante portam, latitans in domuncula quadam sub gradibus scalarum. Inde abducitur in carcerem. Ego et alii Visitatores veniebamus eo tempore Isenacum. Ille miser per suos quosdam amicos orabat, et obtestabatur nos, ut pro ipso intercederemus. Nos re deliberata dicebamus, non posse hoc obtineri, ut vita ei donetur, quod facinus nimis atrox esset et immane, interficere hospitem et bene meritum. Sed tamen hoc impetraturos a senatu, ne rota frangerentur ipsi membra corporis, sed ut capite plecteretur. Accessit ad eum Fridericus Miconius, docuit eum per totum triduum, sed ille tanquam stupens, nullas consolationes admisit. Post triduum velut expergefactus ex profundo somno dixit: o Domine Friderice, in quanta tentatione fui, et quam parum abfuit, ut mihi consciscerem mortem, sed Dei beneficio sum eluctatus, et credo illi consolationi, quam me docuisti ex verbo Dei, quod Dominus iurat: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Nunc volo praestare Deo obedientiam in supplicio, et scio mihi remissa esse peccata propter Christum: Postea mortuus est in confessione et invocatione filii Dei, contentus audita voce Evangelii et in ea acquiescens.

Tertius locus est de Baptismo Ioannis. Quaero, an sit idem Baptismus Ioannis et nostri pastoris? Respondeo. Idem est Baptismus Ioannis, cum eo, qui nunc est in Ecclesia, nisi quod inchoatus est a Ioanne, tanquam primo ministro novi Testamenti. Andreas Musculus Francofurtensis Doctor edidit propositiones ante aliquot annos, in quibus asserebat Baptismum Ioannis non habuisse remissionem peccatorum, Apostolorum autem Baptismum annunciare remissionem peccatorum. Atque ita scripsit etiam Magister sententiarum. Et sunt alii multi, qui ita sentiunt, qui delectentur suis.

Ego sic dico: Baptismus divinitus institutus continet totam poenitentiam. Poenitentia autem sine remissione peccatorum non differt a tragoediis Sophoclis et Euripidis: Et praedicare poenitentiam tantum ad contritionem est legalis concio, non autem Evangelica. Sicut ergo praedicatio totius novi Testamenti inchoata est per Ioannem, ita etiam Baptismus Ioannis habuit non modo accusationem peccati, sed etiam annunciationem remissionis peccatorum. Continet igitur contritionem et fidem, et confirmabat eos, qui baptizabantur, quod haberent

remissionem peccatorum in Messia illo, quem digito monstrabat, ut agnum Dei, tollentem peccata mundi. Praeterea auditores Ioannis baptizabantur ab eo, ut essent nova membra Ecclesiae. Fuerunt igitur tales, qui fide accipiebant remissionem peccatorum. Hanc igitur non dubito ipsum annuntiasse. Itaque etsi reprehendor ab aliquibus, tamen relinquo iudicium omnibus sanis.

Dico, quod ad effectum attinet, eundem esse baptismum Ioannis et omnium ministrorum. Sed Ioannes baptizabat in passurum Messiam, Nos in passum et resuscitatum. Differentia est igitur tantum in circumstantia temporis. Ac ne plura verba faciam, Lucas expresse dicit, quod Ioannes praedicaverit Baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.

Quidam dicunt Sacramenta esse signa professionis. Verum hoc nondum satis est: Sacramenta sunt principaliter testimonia promissionis. Ideo antiquitas etiam nominat ea gratiae signa. Ita baptismus Ioannis est signum gratiae, sicut baptismus Pauli et nostri pastoris. Quare autem dicit: *Ego baptizo aqua, ille baptizabit vos Spiritu sancto et igni?* Respondeo, Distinguit suam personam a persona Christi, et ostendit, unde sit efficacia Baptismi. Ioannes et caeteri pastores tantum sunt ministri externi ministerii, et sunt homines tantum, sed Christus est Deus et homo, et est efficax in illo externo ministerio: Vere adest ministerio illi, recipit et sanctificat credentes.

Hoc satis clare intelligi potest. Ministri, Ioannes, Petrus, Paulus, Pastor, Diaconus, qui sunt in vocatione ministerii legitima, tantum sunt ministri externi operis, Baptizant aqua, id est, funguntur externo ministerio, non sunt redemptores aut salvatores, sed filius Dei est efficax per ministerium, et est redemptor, et salvator, quia est persona, in quam derivata est ira Dei, et propter illum recipimur. Deinde cum sumus recepti propter eum, simul vos vivificat, sanctificat, instaurat iustitiam et vitam aeternam, sicut hic dicitur: *baptizabit vos igni et spiritu:* Igni, id est, iudicio arguente peccata, Et spiritu, scilicet consolante cor, et excitante motus, qualis est ipse. Nam Deus ista duo facit in homine, mortificat, et vivificat, ut Ezechias ait: *Sicut Leo contrivit omnia ossa mea*, et tamen addit: *tu eripuisti animam meam ex morte.* Ille miser Isenacensis, de quo antea dixi, sensit magnitudinem peccati toto triduo, et luctatus est gemitu inenarrabili, donec Spiritu S. eum sustentante et consolante, per verbum vicit mortem. Ibi baptizatus est igne et spiritu. Haec facit filius Dei. Ioannes non potest facere. Et tamen Deus sic et non aliter vult colligere Ecclesiam, videlicet, per ministerium.

Si vis certus esse te insertum esse Ecclesiae, utatis ministerio. Non quaeramus novas revelationes ut Schuuenckfeldius, qui dicit, Verbum tantum esse exercitium externi hominis, quale apud Iudaeos erat non edere carnem suillam. Sed nos sciamus Verbum Dei esse instrumentum, per quod filius Dei est efficax. Item sciamus sacramenta etiam esse signa testificantia et applicantia, id est, confirmantia fidem, sicut Paulus vocat circumcisionem *σφραγίδα*. Tu debes statuere vere ad te pertinere promissiones, cum hoc signo uteris. Sed fides nitatur ipso Christo, et teneatur semper discrimen inter Christum et caeteros ministros omnes.

Pharisaei putabant Christum tantum esse doctorem, sicut etiam nostro tempore quidam scripserunt, Christum attulisse tantum meliorem legem. Dicunt triplices esse leges diversis temporibus in Ecclesia, Legem naturae, legem Moisis, et legem Evangelii: Hae sunt stultae imaginationes.

Sed et ex veteribus aliqui cum de Christo disputant, agunt de eo tanquam doctore tantum, ut Lucianus non sophista ille, sed alius, qui vertit Biblia, scripsit orationem ad gentes, in qua recitat initio commemorationem satis longam, quod Ethnici sint in magnis tenebris, fingant varia numina, imo etiam Deos obscoenos, Priapum et Venerem. Postea dicit Christum venisse, ut liberet eos ex tenebris, quia attulerit praecepta melioris vitae, de agnitione unius veri Dei, et vita casta. Potest fieri, quod plus intellexerit, quia fuit vir doctus, sed tamen descriptio Christi est insufficiens, qualis tamen passim est etiam in Lactantio, et multis aliis.

Nos scire oportet, Christum non tantum esse doctorem, sed Redemptorem, et Salvatorem. Redimere est solvere pretium. Ideo redemptor est, quia cum patitur, persolvit *λύτρον* pro nobis. Salvator est, quia restituit nobis iustitiam et vitam aeternam. Inchoat eam in nobis in hac vita, et postea complet. Simul etiam est Interpellator coram Deo pro nobis, ut tegantur reliquiae peccatorum nostrorum, et non absorbeamur.

Haec Ioannes etiam alibi saepe docuit, Et hic inquit: *In medio vestrum stetit, quem non novistis, cuius non sum dignus solvere corrigiamenta calceorum, vel gestare calceamenta eius.* Calceus significat ministerium, quia nuntius facit iter calceatus. Vult igitur dicere: Ego non sum dignus tanto ministerio. Id multo magis singuli nostrum agnoscant. Nemo est par tantae moli. Sunt in nobis magnae infirmitates, sed requiritur fidelitas, id est, bonum propositum seu bona conscientia, ut velimus diligenter facere nostrum officium, et non serviamus nostris cupiditatibus, ambitioni, cupiditati vindictae, et aliis furoribus, quos multi miscent ministerio. Quod dicitur: *post me venit qui ante me fuit*, simpliciter ita intelligatur, quod filius Dei sit

coaeternus patri, et quod fuerit, antequam assumeret humanam naturam. Illud autem, *Est prior me,* idem est, quod potior me, non solum persona seu essentia, sed etiam officio: ego sum minister, ille est Dominus: Ille est sponsus, ego amicus sponsi, ut alibi inquit. Ego sum vocatus ad docendum et baptizandum: Ille est ordinatus ad proferendum ex sinu patris Evangelium, et ad redemptionem, iustificationem et salvationem Ecclesiae. Antecellit igitur in infinitum hic summus sacerdos et aeternus rex Ecclesiae, dignitate, potentia, et gloria, reliquos omnes doctores.

IN DIE NATIVITATIS CHRISTI.

Evangelium Ioannis I.

Scitis nos convenire mandato Dei, tum in caeteris diebus festis, tum inprimis in hoc omnium summo et maximo festo, in quo celebratur memoria nativitatis Christi: Quia Deus non frustra, neque ad interitum condidit totum genus humanum, sed ut colligat sibi inde Ecclesiam, in qua ipse habitet, et cui communicet suam lucem, sapientiam, iustitiam, laetitiam, ac vitam aeternam: et a qua vicissim agnoscatur et celebretur. Utrumque fit in hac vita, mediante ministerio docendi, et quidem in his ipsis congressibus, quos mirabiliter Deus conservat, ut conspiciatur, quae et ubi fit vera Ecclesia.

Agamus igitur gratias Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, quod se patefecit illustribus testimoniis multiplicibus: In primis vero, quod misit filium suum Dominum nostrum Iesum Christum: et quod sibi per et propter hunc perpetuo in genere humano colligit aeternam Ecclesiam.

Cum autem in hac ipsa Ecclesia assidue sonare debeat vox doctrinae divinitus patefactae, ut accendatur invocatio et gratiarum actio: Volumus nunc etiam repetere partem aliquam doctrinae necessariae, De qua sciamus in hoc festo tria esse praecipue cogitanda, Primum, quae sit ista persona, quae nascitur ex Maria virgine. Ubi tenere oportet articulum fidei de duabus naturis in Christo, et causae considerandae sunt aliquo modo, quare mediator sit Deus et homo. Secundo quae bona Christus attulerit, seu quae beneficia proprie dicantur per hanc personam dari. Tertio quomodo fiat applicatio Christi, et beneficiorum eius.

In his tribus capitibus continetur summa doctrinae de hodierno festo, et hanc Ioannes in exordio Evangelii sui complexus est, ut in loco illustri posita, magis esset in conspectu.

Describit enim expresse utramque naturam in Christo. Divinam naturam nominat Verbum. Humanam describit appellatione carnis. Nominatim etiam exprimit beneficia filii Dei. Denique diserte meminit fidei, qua fit applicatio. Eadem a nobis quoque sunt dicenda et saepe dicuntur.

De persona Messiae.

Primum igitur ut de persona dicamus: Oportet omnibus notissimam esse communem doctrinam de Deo, et tribus personis. Ac sint adolescentibus notae descriptiones Dei, et trium personarum, quia nos in Ecclesia debemus seiungere nostram invocationem ab Ethnica, quod fieri non potest, nisi verum Deum agnoscamus, sicut se patefecit, et discernamus in Deo personas tres, quae differunt proprietatibus internis et externis.

Ideo toties repetimus formam verborum, quibus fieri debet invocatio: Omnipotens aeterne Deus pater Domini nostri Iesu Christi creator coeli et terrae et hominum: una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, λόγῳ καὶ εἰκόνι σου: Et Spiritu sancto tuo: Miserere nostri, et remitte nobis peccata nostra propter filium tuum, quem mirando consilio constituisti mediatorem, et sanctifica ac rege nos Spiritu sancto tuo, effuso in Apostolos: Da nobis, ut vere te agnoscamus, et celebremus in tota aeternitate.

Talis aliqua forma invocationis sit nobis in conspectu, ut distinguamus preces nostras ab aliarum gentium clamoribus: Item ut discernamus fidem et confessionem nostram a furoribus multorum haereticorum, quibus evertitur vera Dei agnitio et invocatio. Horum semina cum passim hac aetate spargantur, non debet cuiquam molestum esse, quod veras et usitatas descriptiones Dei et singularum personarum Divinitatis toties apud iuventutem repetimus.

Quid est Deus?

Deus est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, alia a creaturis omnibus, verax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, liberrima, immensae sapientiae, et potentiae, irascens peccatis, pater aeternus, qui filium imaginem suam ab aeterno genuit, et filius imago patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a patre, et filio, sicut patefacta est divinitas, certo verbo et testimoniis divinis, quod pater aeternus cum filio et Spiritu sancto, condiderit et conservet coelum et terram et omnes creaturas, et adsit omnibus creaturis, quo ad con-

servationem, et colligat sibi in genere humano Ecclesiam propter filium, et per eum, et sit iudex iustorum et iniustorum.

Haec descriptio Dei differt a Platonica, quia nos deducit, non tantum more philosophico ad essentiales quasdam proprietates in Deo, ut cum Plato inquit: *Deus est mens aeterna, causa boni in natura:* sed monstrat etiam tres personas in Deo: et facit expressam mentionem patefactionum Dei, secundum quas vult a nobis agnosci in verbo tradito nobis ab ipso, et in operibus creationis, et conservationis rerum, et collectionis ac salvationis Ecclesiae, donec tandem in iudicio universali ostendat aeternum discrimen inter electos et damnatos.

Quae sunt singularum personarum descriptiones?

Pater aeternus est prima persona divinitatis, non nata, nec aliunde procedens, sed quae ab aeterno genuit filium imaginem suam, et a qua procedit Spiritus sanctus, et quae cum filio et Spiritu sancto omnes alias res creavit, et earum substantias conservat.

Filius aeternus est secunda persona divinitatis, quae est substantialis et integra imago aeterni patris, quam pater sese intuens et considerans ab aeterno gignit, quae nobis quidem sic manifestatur, quod sit persona, per quam pater dicit decretum, et totum ordinem creationis, et reparationis hominum, et mittitur, ut patefaciat Evangelium, et assumat humanam naturam, et sit Mediator, Redemptor, iustificator, et salvator.

Spiritus sanctus est tertia persona Divinitatis, procedens a patre et filio, et est substantialis amor et laetitia coaeterna inter patrem et filium, Et sic nobis manifestata est, quod mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem et laetitiam acquiescentem in Deo, in eis accendat, qualis est ipse, sicut 2. Timoth. 1. expresse scriptum est: Non dedit nobis spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis Dei, et castificationis.

Has descriptiones oportet familiarissime notas esse omnibus, nec Christiani nomine dignus est, qui vel ignorat ista, vel contemnit. Nec aliud est officium docentium in Ecclesia et scholis magis necessarium, quam saepe repetere, et inculcare ista, ut conservetur doctrina huius articuli, qui est in Ecclesia primus et praecipuus, et discernit Ecclesiam ab omnibus aliis gentibus et sectis.

Sint autem in conspectu testimonia vocis divinae, Quia doctrina ista non est cogitatio humana: sed accepta ex revelationibus divinis. Neque homini ulli neque angelo crederetur de tanta re, nisi Deus se ita patefecisset. Ideo teneantur verba nostri Baptismi, et patefactio trium personarum in Baptismo Christi ad Iordanem. Nunc vero praecipue agimus de secunda persona Divinitatis.

Haec persona quanquam certo tempore nascitur ex virgine, tamen est filius aeterni patris, genitus ex eius substantia. Non est enim ἀδελφὸς patris, sicut recte inquit Basilius: *Pater et filius non sunt duo ἀδελφά.* Si non esset ex substantia patris genitus, tum esset ἀδελφός. Verum scriptura nos docet, quod filius de patris essentia natus sit. Fuit igitur filius, antequam assumeret humanam naturam. Iam vero, postquam natus est ex virgine Maria, sunt in Christo naturae duae: Divina, quae est λόγος et εἰκὼν, verbum et imago aeterni patris: Et Humana, assumpta ex virgine.

Consideretur autem ratio appellationum. A Ioanne dicitur λόγος, a Paulo εἰκών. Haec duo vocabula declarant se mutuo. Ideo enim sic dicitur respectu patris, quia nascitur cogitatione patris intuentis semet ipsum, et est imago integra et substantialis, aeterni patris.

Scimus in nobis quoque cogitatione formari imagines. Sed hae imagines sunt evanescentes, et sunt accidentia. Illa vero imago patris, quae est filius, est ὑφισταμένη, nec est evanescens quiddam: Et sic ad Hebr. dicitur, quod filius sit ἀπαύγασμα, quasi dicas fulgor, qui est ἀπὸ αὐγῆς τοῦς πατρὸς, id est, splendor claritatis et lucis paternae, et *character,* id est, effigies substantiae patris.

Nondum dicimus in hac enarratione de officio filii: De quo suo loco recte dici potest, quod nominetur etiam respectu nostri, λόγος et imago. Et quidem magis tunc dulcescunt nobis istae appellationes, cum agnoscimus filium esse personam illam, quae alloquitur Ecclesiam omnibus temporibus. Protulit initio ex sinu patris mirandum illud decretum de reparatione hominum, et postea semper adest Ecclesiae, conservat ministerium, et per illud est efficax.

Haec est valde dulcis enarratio vocabuli λόγος, sicut etiam εἰκὼν seu imago est nostri respectu, quia vere nobis ostendit patrem. Non est voluntas alia patris, quam sicut filius eam ostendit, ut dicitur: *Nemo novit patrem nisi filius, et cui voluerit filius revelare.*

Pertinent autem haec ad officium Filii. Neque tamen prior enarratio illa, cur Filius nominetur λόγος et εἰκὼν respectu patris aspernanda est: Quia monstrat ordinem personarum, Ac docet, filium esse verbum et imaginem patris, etiamsi nunquam conditus esset hic mundus. Ideo veteres scriptores Graeci ac Latini plurimum usi sunt hac explicatione vocabulorum respectu patris, ut est apud Basilium, Nazianzenum, Augustinum, et alios.

Et quia utitur scriptura appellationibus sumptis ex natura hominis, quae nos deducunt ad similitudinem eorum, quae fiunt in nobis, saepe nos ipsos aspiciamus, et consideremus actiones animae in nobis. Magis etiam amemus studia doctrinae, ut aliquo modo declarare possimus haec vocabula.

Non tribuitur Spiritui sancto nasci, sed filio, Spiritus sanctus autem dicitur procedere, Quia nasci est a potentia cogitante. Nam cogitatione formantur imagines, procedere est a potentia volente, seu appetente, in qua sunt motus affectuum. Aeternus pater intuens sese gignit filium: Et filius nascitur imago coaeterna patris: Spiritus sanctus est motor seu agitator, et est amor, et laetitia coaeterna et substantialis inter patrem et filium.

Ita sunt in homine umbrae quaedam istarum maximarum rerum, quae fuissent illustriores, si natura mansisset integra, ubi magis fulsisset Divinitas in nobis. Nunc vix attollere oculos possumus ad tantarum rerum considerationem. Sed tamen debemus retinere confessionem veritatis, et eam sonare adversus Diabolum, quantumvis imbecilles et infirmi sumus, sicut infantuli, de quibus dicitur, ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem tuam.

Iam conferamus cum his, quae de persona Filii diximus, narrationem Ioannis, qui in exordio Evangelii sui primum omnium ponit propositionem, quae est asseveratio de coaeternitate Filii cum Patre: *In principio erat Verbum.* Deinde discernit personam Filii a Patre, cum inquit: *Verbum erat apud Deum.* Hac forma verborum significat etiam arcanas deliberationes inter Patrem et Filium, sicut in creatione quoque deliberat Pater cum Filio: Faciamus hominem ad imaginem nostram. Postea addit: *Et Deus erat Verbum.* De hac propositione quaero: Quae, qualis, quanta? Respondeo. Categorica, Affirmativa, Singularis. *Verbum* ponitur loco Subiecti. *Deus* loco Praedicati. Haec est igitur constructio. *Verbum erat Deus,* ὁ λόγος ἦν θεός. Qui non viderunt. Verbum seu λόγον esse Subiectum in hac propositione, valde se cruciarunt in explicatione huius loci Excogitarunt obscuras et alienas expositiones, sicut necesse est fieri, quando ignoratur Grammatica. Etiam in communi sermone nomen communius est Praedicatum: Sed hic ex articulo addito iudicari potest de Subiecto: nam Articulus Graecus, ubicunque ponitur, monstrat Subiectum: Estque expressa affirmatio, λόγον esse personam divinam: Nec ponitur hic Deus metaphorice, sed essentialiter. Ideo mox addit: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est:* quasi dicat: Ipse non est factus, sed est factor rerum omnium.

Loriotus negabat Patrem esse creatorem, sed Filium tantum dicebat creatorem esse, quia hic scriptum sit: *Omnia per ipsum facta sunt.*

Etsi autem in Latino textu est ambiguitas, quia particula *Per ipsum* Latinis saepe significat autorem unicum agentem: tamen in Graeco non est ὑπὸ, sed διὰ, quae vox non excludit alium simul agentem. Adeo multum refert, in omnibus textibus scripturae considerare Grammaticam. Est enim Creatio commune opus Patris et Filii et Spiritus sancti, sed certo ordine tribuitur personis singulis. Pater vult creationem, et dicendo eam efficit per Filium. Filius exequitur voluntatem Patris, et per se tribuit rebus omnibus, ut fiant, et sint aliquid. Spiritus sanctus vigore suo fovet res quae creantur, et movet eas. Quod autem dicitur: *Sine ipso factum est nihil quod factum est:* Id additur exclusionis causa, quasi dicat: Aliqua nunc sunt, quae non sunt facta, ut peccatum et mors. Haec non sunt per eum facta, sed per Diabolum irruperunt in mundum. Addit deinceps Ioannes: *In ipso erat vita,* hoc est, Filius est vivificator, seu dator vitae. Et haec est causa, cur statim post lapsum missus sit ad genus humanum. Si natura hominum non fuisset lapsa, tamen λόγος habitasset in hominibus, vivificans eos. Idem multo magis nunc opus est homini. Et propterea inde usque ab initio missus est ad Ecclesiam, ut rursus vivificet credentes, et liberet ab aeterna morte.

Quod autem additur: *Et vita erat lux hominum:* neque de vita, neque de luce tantum corporali est intelligendum, sed de vita et luce spirituali. Haec lux est notitia voluntatis Dei per Verbum, quod Filius revelavit Patribus, per quod etiam efficit in credentibus novos motus, dato Spiritu sancto. Ita Filius simul est et vivificator et illustrator.

Est autem tristis descriptio impiorum non agnoscentium lucem, scilicet Filium Dei, nec habentium veram Dei notitiam, cum Ioannes totum genus humanum vocat *tenebras: Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* Ab his tenebris discernitur tamen vera Ecclesia, in qua sunt electi, in quibus est notitia filii Dei, seu in quibus suam lucem per Evangelium accendit. Ideo inquit postea: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem,* scilicet, qui illuminatur. Nam sic interpretanda est universalis particula, ut occurratur obiectioni.

Non omnes homines illuminantur.
Ergo haec propositio non recte ponitur universaliter.

Respondeo. Universalis illa est restringenda in hanc sententiam. Quicunque illuminantur, hi non nisi per filium Dei illuminantur. Qualis explicatio etiam est in illo dicto: *Misereor, cuius misereor,* id est, Quicunque misericordiam accipiunt, non ex operibus et meritis suis, sed ex gratuita misericordia Dei eam consequuntur. Vulgata versio habet:

hominem venientem: Sed debebat esse, *veniens.* Nam dicitur de Filio Dei, non de aliis hominibus: Ille Filius Dei veniens in mundum, erat lux omnibus hominibus.

Repetitio est autem priorum, cum addit Ioannes: *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est.* Haec repetitio confirmat priorem asseverationem, quod λόγος sit conditor rerum cum patre, et omnipotens, et vere ac essentialiter Deus.

Postremo haec propositio subiicitur: *Verbum Caro factum est,* qua docetur, quod filius Dei assumpserit humanum naturam, seu factus sit verus homo. Non enim caro tantum corpus, sed totum hominem significat. Sed Ioannes propter Emphasin usus est appellatione carnis, ad significandam infirmitatem naturae assumptae, quae fuit sine peccato, sed tamen subiecta morti.

Ac factum esse, non intelligatur de conversione, aut commutatione, aut amissione naturae *τοῦ λόγου,* sed de copulatione, seu assumptione, seu unione. Cum dico: aqua est facta vinum, significo aquam conversam esse in vinum, et mutatam esse naturam aquae: Sed propositio Ioannis non est intelligenda de extinctione vel mutatione alterutrius naturae, sed quod duae naturae unitae seu copulatae sint retenta utriusque essentia et proprietatibus. Verbum est factum caro, id est, filius Dei est factus homo, manente natura divina. Huc pertinet tota doctrina de Unione hypostatica, et de distinctis modis praesentiae Dei in creaturis.

Postea allegat Ioannes testimonia, quae manifeste ostendunt in Christo esse naturas duas: *Habitavit in nobis,* id est, conversatus est inter homines, et secundum humanitatem fecit et passus est, quae facere et pati solent homines. Nam vox *ἐσκήνωσε* significat commoratonem in eodem tabernaculo, qualis est inter commilitones seu eiusdem militiae socios. Item, *vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti,* hoc est, testimonia coelitus ei data, et miranda eius opera, resuscitationem mortuorum et alia, quibus demonstratum est, eum esse filium Dei, et Deum omnipotentem.

Causae, cur mediator sit Deus et homo.

Iam consideremus causas, cur filius assumpserit humanam naturam, non pater aut Spiritus sanctus. Ex his praecipue sunt, quia si pater assumeret humanam naturam, tum esset et pater et filius, Si Spiritus Sanctus, essent duo filii. Ut igitur sit unus filius, assumit humanam naturam, qui in divina quoque natura est filius. Hanc causam recitat Augustinus. Deinde Athanasius pulchre inquit: Congruebat, ut illa persona assumeret humanam naturam, quae est propriissime et quidem substantialis imago Dei, ut in nobis quoque restitueret Dei imaginem.

Ut autem intelligatur, quomodo restituatur in nobis imago Dei, causa finalis, et impulsivae causae considerandae sunt, cur in Mediatore necesse fuerit naturas duas esse.

Finalis igitur causa incarnationis Filii est, ut sit victima, placator irae Patris, et reddat nobis iustitiam et vitam aeternam.

Sed causae impulsivae, cur fecerit Deus hoc mirabile decretum, ut velit recipere et salvare genus humanum, hoc modo, non aliter: deducunt nos ad considerationem iustitiae et misericordiae in Deo, et ad actiones distinctas naturarum in Christo, quae concurrunt in opere redemptionis et salvationis.

Ac continet haec tota doctrina de causis copulationis duarum naturarum in Christo, inenarrabilem sapientiam.

Prima causa est: Quia, nisi decretum esset, ut λόγος (per quem creatum fuerat genus humanum) assumeret naturam nostram, funditus periisset, et in nihilum redacta fuisset tota massa naturae humanae: Totum etiam opus mundi frustra fuisset conditum. Adam et Eva oppressi fuissent aeterna morte, nec generassent posteros ullos. Haec causa magni momenti est, de qua saepe recito illos versiculos:

Nil sum, nulla miser novi solatia massam
Humanam nisi quod tu quoque Christe geris.

Ideo nos sumus: Ideo salvamur, quia filius assumpsit massam nostrae carnis. Non autem frustra assumpsit, sed ut sibi inserat nos tanquam surculos, ut ipse sit vitis, nos palmites. Quare versiculis illis addere soleo:

Hoc mirum foedus mens semper cogitet. Uno
Hoc est ne dubita foedere parta salus.

Item:

Tu me sustenta fragilem, tu Christe guberna,
Fac, ut sim massae surculus ipse tuae.

Haud dubie haec est summa omnium consolationum, de cuius magnitudine non potest satis dici vel cogitari.

Altera causa, quare congruebat Christum esse hominem, est, Quia homo peccaverat, congruebat iustiae Dei, ut aliquis ex genere humano sustineret poenam, quia Deus non remittit peccata ex futilitate, sine compensatione, sed vult satisfieri suae iustitiae. Et quoniam in specie illa humana peccatum erat admissum, conveniebat, ut aliquis in eadem specie esset victima. Est autem immensae misericordiae, quod cum nemo hominum esset sine

peccato, ut pro se aut aliis posset satisfacere, Deus poenam transtulit in hominem innocentem, qui est Christus.

Sed non tantum de causis assumptionis naturae humanae cogitandum est: Verum etiam causae considerandae sunt, quare natura divinam oportuerit esse in hoc mediatore? Respondeo.

Primum, quia humana natura sola non potuisset sustinere poenam et tribuere Deo laudem iustitiae.

Secundo, nulla creatura potuisset esse aequivalens pretium, non modo, quia oneri poenarum sustinendo par esse non potest, sed etiam quia compensationem, quam Deus postulat pro infinita malitia peccati, nulla natura finita praestare potest.

Tertio, quia sola creatura non potest propria potentia vincere et abolere mortem et peccatum, restituere iustitiam et vitam aeternam.

Quarto, Mediatorem oportet esse talem, qui stet coram aeterno patre omnibus temporibus, et interpellet pro tota Ecclesia, et singulis invocantibus, item qui norit ac videat pectus, et intimas cogitationes patris. Quod non nisi filius facere potest, qui est in sinu patris, sicut dicitur: *Nemo patrem norit nisi filius.* Angeli tantum sciunt, quantum eis Deus patefacit. Sed mediator ille videt totum consilium, introspicit totum pectus patris.

Quinto, quia mediator est custos, sustentator et vivificator Ecclesiae, quae sunt opera omnipotentis naturae: sicut dicitur: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis, Quia ego et pater sumus unum.*

Has causas saepe recitamus, etsi sunt instar parvi alphabeti. Non enim possumus exhaurire totam hanc sapientiam.

Nunc de secundo articulo seu parte huius doctrinae dicemus: id est, de beneficiis incarnationis.

De beneficiis Messiae.

De his beneficiis passim concionantur prophetae magno cum splendore orationis. Sed in narratione Ioannis, beneficia praecipua continentur in illo dicto: *Lex per Moisen data est, gratia et veritas facta est per Iesum Christum.* Confert Moisen et Christum. Moises fuit minister legis, proposuit populo vocem legis, et Deus per eum constituit politiam illam. Habebant autem Iudaei *hac* opinionem, quod Messias talis futurus esset, qualis erat Moises, nisi quod gloria Messiae maior futura esset. Cogitabant: Messias proferet imperium suum longius, geret res maiores, quam Moises, sed tamen similia faciet, et amplificabit regnum populi Iudaici

Hunc errorem Ioannes refutat antithesi addita, qua discernit Christum a Moise, *Gratia,* inquit, *et veritas per Iesum Christum facta est.* Gratia significat remissionem peccatorum gratuitam et reconciliationem, item imputationem iustitiae. Veritas significat res veras, seu vera et aeterna bona in nobis ipsis inchoata, qualia sunt vera agnitio Dei, seu vera sapientia. Item iustitia nova et vita aeterna. Haec postea consummabuntur in nobis. Ideo complector veritatis appellatione simul inchoationem et consummationem.

Ac Ioannes coniungit gratiam et veritatem: quia genus humanum non modo recipitur propter filium Dei, sed ille ipse filius est efficax in genere humano. Dat nobis iustitiam primum remittens peccata, seu imputans iustitiam et obedientiam suam. Postea efficiens in nobis ipsis iustitiam novam, et accendens initia vitae aeternae: Quae perficientur in resurrectione, cum erit liberatio integra a peccato et morte, et fiet consummatio iustitiae, et vitae in nobis. Ac tum videbimus haec bona esse res veras, quae in hac vita utcunque inchoantur, cum fiet restitutio perfectae naturae nostrae.

Haec bona non affert Moises, Quia lex habuit tantum umbras, iustitiam carnis seu disciplinam, et externas ceremonias: Sed Christus affert veritatem, id est, non iustitiam politicam, et interituram, non externorum rituum observationem, sed veram iustitiam, et veram vitam. Propter Christum certum est, te non modo recipi, sed etiam sanctificari. Quanquam igitur circumferimus in hac vita naturam miseram et mortalem, et sunt in nobis reliquiae peccati, tamen non solum iusti reputamur propter hunc filium, sed etiam renovatio in nobis inchoatur, quae tandem complebitur ac consummabitur in vita aeterna.

In eodem textu Ioannis est: *plenum gratia et veritate.* Quid hoc est? Significat Ioannes, quod ipse filius et placeat Deo, seu sit dilectus patri, et quod habeat illa vera bona, veram sapientiam et veram iustitiam. Nos autem *explenitudine eius accipimus,* placemus Deo propter Christum, sicut dicitur: *Sumus dilecti in dilecto,* id est, diligimur propter Christum, et ita Ioannes ipse enarrat: *accipimus gratiam pro gratia,* id est, quia ipse est acceptus seu dilectus, acceptamur nos quoque propter ipsum. Postea per et propter ipsum donantur nobis caetera bona, quae nominavit antea veritatem, id est, lucem seu notitiam spiritualem, novam iustitiam, et vitam aeternam.

Sic et Paulus [2. Cor. 5] de beneficiis Christi inquit: *Eum qui non norit peccatum, fecit peccatum, ut nos fieremus Iustitia Dei in eo.* Non potest hoc dictum explicari sine Dialectica. Fundamentum peccati est defectus vel mala inclinatio, vel mala actio, Terminus peccati est reatus, seu obligatio ad poenam. Cum igitur Paulus inquit:

Christus non novit peccatum. Hic peccatum ponitur pro fundamento. In Christo non fuit peccatum, non defectus, non mala inclinatio, non vitium aliquod, non mala aliqua actio. Deinde cum dicitur: *Hunc fecit peccatum,* Ibi peccatum ponitur pro termino. Voluit Deus Christum esse reum propter nostra peccata, cum ipse esset insons et innocens.

Quod autem additur, *Ut nos fieremus iustitia Dei,* Metalepsis est. Ut fiamus iustitia, id est, ut simus iusti et accepti Deo, non nostra dignitate: sed iustitia a Deo imputata propter filium, habeamus per ipsum remissionem peccatorum. Postea suo ordine sequitur, Quod sumus per eum iusti, etiam inchoatione novae iustitiae in nobis, ac tandem consummatione.

Haec omnia etiam Esaias [c. 62.] complexus est, cum inquit: *Gaudebo in Domino Deo meo,* id est, non laetabor propter meam iustitiam, sed in Domino laetabor, *quia induit me vestimento iustitiae et salutis.* Vestit nos Christus, *iustitia sua,* id est, primum dat nobis remissionem peccatorum, quia ipse pro nobis praestitit obedientiam, et derivavit in se iram, ac sustulit horrendum iudicium Dei adversus nos: deinde efficit in nobis novam iustitiam, quae etsi est immunda: tamen placet Deo: Quia quicquid est immundiciei, id tegitur imputata nobis iustitia, et innocentia Christi, tanquam veste. Simul etiam vestit nos salute, quia, si sumus recepti, si est donata remissio peccatorum, si sunt in nobis initia novitatis spiritualis, quanquam sumus infirmi et imbecilles, custodimur, regimur, sustentamur quoque per ipsum in hac vita, sicut videmus Ecclesiam servari mirabilissimo modo. Denique sublato peccato tolletur tandem mors aeterna, reddetur iustitia, et vita, et laetitia, et gloria aeterna. Nam haec omnia bona cohaerent.

De applicatione Christi et beneficiorum eius.

Tertius articulus huius doctrinae est de applicatione. Non satis est dicere de beneficiis, sed oportet nos simul cogitare, quomodo ingentia illa beneficia fiant nostra, seu quomodo accipiantur a nobis. Hic oportet intelligi communem doctrinam de conversione et de fide.

Non est fides res otiosa, ut si scribas in libro aut pariente nomen aut picturam alicuius rei, sed coniuncta est vera fides cum viva, et vera consolatione, quam in pavoribus, et veris doloribus sentiunt illi, qui convertuntur ad Deum. Est enim fides non tantum notitia in mente, sed simul est fiducia in voluntate et corde, et sic consolationem affert, quando in seriis pavoribus homo sustentat se voce Evangelii, et intuetur filium. Tunc enim revera Spiritus sanctus est efficax, et cor fide acquiescens in Deo propter filium, experitur pacem et laetitiam.

Hac fide non aliter accipiuntur beneficia Christi, imo Christus ipse. Nec tamen propter dignitatem fidei, ac multo minus propter merita aliorum operum sumus accepti, sed propter illum ipsum filium recipimur. Ideo cum dicimus, Nos fide iustificari, non hoc volumus, quod homo sit iustus propter qualitatem in nobis, sed quod iusti simus propter Christum, et quod hoc oporteat fide accipi. Nam fides tantum est medium seu instrumentum, quo fit applicatio Christi, et beneficiorum eius, et hac fide sustentantur corda contra pavores et omnes tentationes Diaboli.

Cogitemus autem, quales tenebrae sint, quando dixerunt, et adhuc dicunt ac defendunt Monachi, quod homo debeat manere in dubitatione, item quod alii habent hoc somnium, quod propter novitatem simus iusti, ut loquitur liber Interim.

Sicut autem fide accipiuntur beneficia, sic postea retinentur fide, id est, fiducia filii Dei. Neque est fides in his, qui non convertuntur, id est, qui retinent peccata contra conscientiam, et in iis perseverant. Non retinentur beneficia Christi, quando homines indulgent furoribus et cupiditatibus: Ideo dicitur: *Nolite errare, scortatores, adulteri, homicidae, etc. non possidebunt regnum Dei,* id est, perseverantes in iis contra conscientiam. Item: *Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.* Item: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Haec est copulativa propositio. Praecipitur conversio, et tantum his, qui convertuntur, promittitur vita.

Non conversis non promittitur vita, sed interitus, sicut contextus in concione prophetica ostendit. Sciamus autem semper propositum esse tempus conversionis in hac vita, et quandocunque homo resurgit, Deus vult eum recipere, sicut multi ac magni lapsus sunt, ex quibus sancti resurgunt, ut David, Petrus, Manasses, et alii.

Haec omnia diligenter consideranda sunt, cum cogitamus de applicatione, ut sciamus, quid sit fides, et qua re nitatur, Et quod non sit divellenda a praesenti conversione. Cum Psalmo 2. dicitur: *Beati omnes qui confidunt in eo.* Item: *Osculamini filium.* Haec intelligenda sunt de applicatione Christi, et beneficiorum, que fit fide.

De hac applicatione etiam loquitur Ioannes: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomen eius,* id est, quicunque credunt in eum, hi accipiunt hanc dignitatem, et praerogativam, ut sint filii Dei per gratiam seu adoptionem.

Postea addit: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis aut voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

Quod ait: *non ex sanguinibus:* significat, quod genus seu carnalis generatio non efficiat filios Dei, sicut Iudaei cogitabant: Nos sumus semen Abrahae. Ergo sumus iusti, et haeredes vitae aeternae propter generationem ex Abraham. Et Anabaptistae imaginantur, ex sanctis nasci liberos sine peccato.

Voluntatem carnis nominat vires naturales et opera, quaecunque ab hominibus praestari possunt sine regeneratione, ut Papistae imaginantur et Ethnici, nos propter disciplinam fieri haeredes vitae aeternae.

Voluntas viri significat motus heroicos et opera heroica sine fide, Item, Imitationem operum heroicorum, et electionem cultus alicuius peculiaris.

Ita statim in praefatione Evangelii sui Ioannes totam doctrinam cogitandam in hoc festo complexus est, Primum quae persona sit Christus. Quia λόγον nominat etiam filium unigenitum, qui est natura filius, et tamen docet eum assumpsisse carnem, sicut inquit: *Verbo caro factum est.* Sunt igitur in hoc Christo nato ex virgine naturae duae, divina et humana. Deinde de beneficiis, cum alia multa dicit, tum inprimis quod *per eum gratia et veritas facta sit.* Postremo de applicatione, *qui credunt in eum, hi sunt filii Dei.* Haec in istis feriis considerate, et exuscitate animos ad gratiarum actionem et invocationem. Sit vobis in con spectu tota ista concio Ioannis, et coniungatur professio symboli Apostolici et Niceni, in quo de persona filii Dei contra Arianos dicitur, et additur haec dulcissima sententia: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis.*

Hanc sententiam cogitemus in invocatione, et petamus nunc quoque, ut filius Dei perpetuo colligat et defendat Ecclesiam, et nos in ea. Teneamus etiam hanc consolationem, quod sicut sustentat suam massam, sic velit nos quoque sustentare. Quae est haud dubie una ex consolationibus omnium maxima et efficacissima.

DIE STEPHANI.

Actor. 6. et 7.

Quid significat nomen Stephani? Est usitata barbaries multorum, ut dicant Stephanus penultima longa, cum vocabulum Graecis sit notissimum στέφανος. Significat autem idem, quod Corona. Dicunt veteri lingua Vandalica Lubeck etiam significare coronam. Lucas dicit Stephanum fuisse Diaconum. Hic adolescentes discant appellationes distinctas praecipuorum graduum, qui fuerunt in Ecclesia veteri: Quales sunt *Episcopus, presbyter, diaconus, acoluthus, etc.* Item nomina vicina, *Clerici, Liturgi,* quorum passim fit mentio in historiis.

De nominibus ordinum Ecclesiasticorum apud veteres.

Puto nomen Clericorum, quo complectebantur totum ordinem Ecclesiasticum, usurpatum esse imitatione Levitarum. Hi dicebantur *sors Domini*, quasi dicas, peculiaris pars populi segregata ad ministerium. Nam κλῆρος significat sortem, id est, portionem peculiariter delectum. Retinuerunt ergo in veteri Ecclesia nomen Clericorum de iis, qui ad ministerium vocati erant. Et hic in Iure Canonico dicitur: *Qui alteram uxorem duxerit, non sit in clero,* id est, non obtineat amplius locum inter ministros Ecclesiae. Non condemnarunt tum Digamos, neque excommunicarunt prorsus a societate Ecclesiae, sed separarunt a ministerio.

Liturgus etiam generale nomen est. Significat ministrum, qui est in aliquo publico munere, ein jeder, der ein ampt hat. Nam Liturgia significat administrationem muneris publici. Et λειτουργέω idem est, quod fungor ministerio publico. Papistae Missam dicunt nominari Liturgiam a λιτὴ, id est, precatio. Sed sic dicta est olim distributio Coenae Domini, quia est muneris publici administratio. Etymologia autem vocis λειτουργίας est a λήϊτον, id est, bonum publicum, et ἔργον. Est igitur λειτουργὸς administrans in bonis publicis.

Episcopi nomen significat inspectorem. Sic in Iure Civili nominantur Episcopi panum, id est, inspectores. Ecclesia delectata est hoc nomine, quod non est Tyrannidis, sed diligentiae vel vigilantiae in gubernatione. Et fuit huius nominis usus olim, potissimum in politia Attica. Lacedaemonii nominarunt Magistratus provinciales ἁρμοστὰς, id est, reformatores. Quia imperium Laconicum erat durius. Collocabant in urbes harmostas cum praesidio, qui mutabant multa in legibus, et in formo Reipublicae, faciebant oligarchias, et Tyrannides, adimebant civibus immunitates. Ita hodie faciunt Turci, Imponunt singulis civitatibus harmosten, quem vocant Chadan, id est, iudicem. Est enim a Dan, quod significat iudicem.

Athenienses vero nominarunt magistratus suos in provinciis, et insulis sibi subiectis, Episcopos auffseher: mollissimo nomine, et significarent, non mitti eos cum imperio aliquo Tyrannico, neque adimi insulis αὐτονομίαν, id est, leges suas. Fuit

enim gubernatio Attica mitior et humanior, quam Laconica. Mutuata est igitur Ecclesia, nomen Episcopi ex consuetudine sermonis Attici, Et sic nominavit vetustas eos, qui erant in supremo gradu ordinis Ecclesiastici. Quales hodie sunt Superintendentes, qui habent inspectionem doctrinae, et gubernationis Ecclesiae, et potestatem ordinandi ministros Ecclesiae, et ius convocandi caeteros.

D. Keisersberg, qui fuit Concionator Argentinensis, vir clarus et religiosus, solitus est dicere: Se libenter revocare nomen Episcopi ad etymologiam Germanicam: ut sit Bischoff quasi bey den schaffen. Sed non moveri Episcopos qui nunc sint, sive Graeca, sive Germanica Etymologia, ut facere velint officium suum. Ideo se cogi, ut contrariam Etymologiam afferat, ut dicatur Bischoff quasi beiß das schaff. Sic enim magis congruere ad praesentes Episcopos, nomen Germanicum Bischoff, cum, qui iam habeant nomen Episcoporum, non sint vel inspectores veri Ecclesiarum, vel pastores, et curatores ovium.

Presbyteri erant, qui adiuvabant Episcopum in gubernandis iudiciis Ecclesiae, et habebant potestatem docendi, et administrandi Sacramenta. Nomen est ab aetate sumptum: Quia πρεσβύτερος idem est, quod senior. Germanica vox priester inde originem suam habet.

Alia est origo nominis Sacerdos, quod congruit cum significatione Graecae vocis ἱερεύς.

Diaconi nomen generaliter significat ministrum, quasi dicas, executorem negotiorum a κόνις, qui versatur in pulvere et laboribus. Postea peculiariter translatum est hoc nomen ad eos, qui praeerant aerario Ecclesiae, qui administrarunt consignationem et collectionem redituum, et eleemosynarum: Quales sunt hodie, qui vocantur kastenherrn.

Qui nunc passim dicuntur Diaconi, id est, collegae Pastorum, cum doceant et administrent Sacramenta, aliud munus sustinent, quam qui in prima Ecclesia vocati sunt Diaconi. Dicam autem postea de collectione redituum Ecclesiae. Prius enim discrimen ostendam inter nomina Diaconi et Acoluthi.

Nomen Acoluthi deducitur ab ἀκολουθεῖν, quod est comitari vel sequi aliquem. Episcopi habebant ministros, qui comitabantur eos, ut in Academiis Pedelli comitantur Rectorem. Alebantur tales ministri de publico, Quia occupatos gubernatione publica oportet habere scribas, amanuenses, famulos, per quos curent sua negotia, accersant ad se homines. Ita Episcopi habebant acoluthos suos, quorum opera utebantur in scribendo, qui comitabantur eos, quos huc illuc ablegabant. Aliqui scribunt hoc nomen per ypsilon: Acolythos, quasi dicat, non prohibitus, ab α et κολύω. Alii multo magis depravant, cum dicunt Coluthus. Sed perperam. Erant acoluthi proprie ordinati, ut ministrarent et comitarentur Episcopos.

Diaconi communiter serviebant Ecclesiae, non erant ministri unius personae, sicut acoluthi. Curabant eleemosynas: et caetera quae in prima Ecclesia conferebantur in commune, et distribuebant ad necessarios usus Ecclesiae. Adhibebantur etiam ad iurisdictionem Ecclesiasticam, et ad causas cognoscendas, sicut adhuc Archidiaconi in Cathedralibus Ecclesiis adhibentur ad cognitionem causarum matrimonialium. Postea fuerunt alii quoque gradus inferiores, *Lectores, Cantores, Ianitores seu Custodes*.

Ista vocabulo discenda sunt, ut adolescentes sciant aliquid de veteris Ecclesiae forma. Initio habuerunt institua vetera, honestas causas, et proderant ad bonum ordinem, sed postea pleraque corrupta sunt.

De constitutione Diaconorum narrat Lucas Actor. 6. quid ei rei occasionem praebuerit. Erant Apostoli occupati docendo. Sed quia creverat multitudo credentium, et in ea erant pauperes et aegroti, sicut fit (ubicunque enim est societas, oportet in hac vita cogitare de communibus corporum necessitatibus) Ideo ordinarunt Diaconos, qui haberent rationem pauperum, et aegrotorum, qui circumirent et distribuerent eis, quae ad victum et alias res necessarias opus essent. Tota haec vita variis adminiculis indiget: et est miserum hospitale, hoc totum πολίτευμα, quod vivimus in his terris, ubi necesse est alios aliis servire: Et qui praesunt ministerio, debent ista ordinare.

Sic Stephanus ad oeconomica illa officia, cum suis quibusdam collegis ordinatus erat, sicut in locis, ubi plus est ordinis, constituuntur aliqui etiam hodie, qui curent pauperes, circumeant, et videant, quibus rebus indigeant aegroti. Apud nos in ista inopia, et malitia hominum, non possumus instituere talem ordinem. Etiamsi libenter vellem dare pecuniam, tamen non possem habere, qui velint inservire aegrotis. Quod saepe soleo conqueri.

In illa prima Ecclesia magna fuit liberalitas in dandis eleemosynis. Multi etiam venditis suis possessionibus pecuniam conferebant in commune. Quaesiti sunt igitur homines industrii, qui praeessent bonis Ecclesiasticis, et distribuerent ea certo ordine. Adhuc in Canonibus recitatur, quomodo multis saeculis reditus Ecclesiastici fuerint distributi. Una pars erat ministerii, alia scholarum, alia pauperum, alia aedificationum. Sed postquam Ecclesiasticus status transformatus est in gubernationem politicam, videmus magnos illos Dominos, Episcopos, Praelatos, Canonicos absumere bona Ecclesiastica, defraudare scholasticos et litteras, necare fame Ecclesiam, et Pastores pios. Interea

tamen Deus servat reliquias suae Ecclesiae, iuxta promissionem suam. Et cessantibus Episcopis et aliis, qui occuparunt bona Ecclesiastica, debent Magistratus pii, et caetera membra Ecclesiae stipendia dare docentibus, et conferre de suo aliquid, ad usum pauperum.

Tales collationes semper fuerunt usitatae in Ecclesia, quas nominarunt Collectas. Et puto etiam nomen Missae inde esse, Quia Deut. 16. ponitur hoc hoc vocabulum pro collatione, seu contributione. Tertullianus suo tempore valde laudat hunc morem colligendi eleemosynam, quae postea fideliter distribuebatur.

In Ecclesia debent esse mutua auxilia. Arbitror etiam, quod hic mos in usu fuerit in Ecclesia primorum patrum, inde usque ab eo tempore, quo coeperunt colligi coetus aliquanto frequentiores. Credo enim, quod vetusti etiam patres illi convenerint et publicos congressus habuerint, Quia Deus non vult Ecclesiam esse in latebris, aut abdi in specus, sed vult in conspectu positam esse, et convenire in honestis coetibus. Imo propterea servat politias et hospitia Ecclesiae, ut sint tales congressus, in quibus exaudiatur vox Evangelii, administrentur Sacramenta, fiant preces communes, sonet confessio et gratiarum actio publica, praestentur officia liberalitatis erga pauperes et egentes.

De communione facultatum.

Hic vero incidit quaestio: An quia prima Ecclesia contulit facultates in commune temporibus Apostolorum, Christiani omnia debeant habere communia. Sicut multi imaginantur, pulchrum esse habere Platonicam politiam. Sic igitur argumentor:

Apostolorum et primae illius Ecclesiae exempla sunt imitanda.
Apostoli et prima illa Ecclesia contulerunt res seu facultates in commune.
Ergo et nos debemus idem facere.

Respondeo ad Maiorem. Exempla Apostolorum sunt imitanda, scilicet, quae habent praeceptum, et quae congruunt vocationi singulorum, sicut dicitur: *In praeceptis meis ambulate.* Item, *Unusquisque sicut vocatus est, ambulet.* Alioqui enim vetus regula est: *Non exemplis, sed legibus iudicandum est.* Semper videndum est, an exemplum, congruat cum praeceptis, id est, an res, quae in exemplum trahitur, sit necessaria, media vel prohibita. Item quid pro diversitate locorum, temporum, personarum fieri deceat. Exempla igitur sanctorum sunt imitanda, videlicet, quae habent praecepta Sunt autem alia quaedam in sanctis, quae fuerunt in ipsis res laudabiles. Sed sunt res mediae, neque omnibus sunt possibiles, aut non omnibus temporibus congruunt. Haec non necesse est imitari.

Ad Minorem. Apostoli et horum auditores contulerunt res in commune. Sed non voluerunt hoc esse praeceptum, sicut nec ipsis praeceptum ea de re traditum erat, Neque hoc universaliter fecerunt: sed illo loco, et illis temporibus fecerunt, ubi propter confessionem doctrinae de Christo, eiiciebantur pii ex facultatibus et fundis suis. Maluerunt igitur vendere, et pecuniam deponere apud collegium Apostolorum, ut et ipsi haberent, unde viverent, et alii pii egentes inde iuvarentur. Petrus clare dicit ad Ananiam: *Tu potuisti retinere.* Erat igitur res libera, et fiebat sine superstitione.

Haec oportet sciri contra furores Anabaptisticos, et contra eos, qui nimium laudant politiam Platonicam, in qua nihil sit proprium.

Bona res est, et reverenter tuenda, distinctio dominiorum, et proprietas facultatum. Et haec sancitur praecepto illo: *Non furtum facies.* Vult Deus suo quemque contentum vivere, et suo recte uti. Pulchre etiam dictum est apud Salomonem: *Fontes tui deriventur foras, Sed tu Dominus eorum maneto.* Item, *Ne des substantiam tuam crudeli.* Quos vocat crudeles? Validos mendicos, parasitos, et similes, qui otiosi vivunt aliena quadra, et sunt ignavi fuci. Talibus, inquit, non des honorem tuum, substantiam, facultates.

Illo tempore fuit probabilis causa huius consilii, quod vendiderunt facultates, et pecuniam contulerunt in commune, ut inde victitarent ipsi et alii pii, quamdiu possent, et viaticum haberent expulsi patria. Cogitate de periculo Christianorum, et astutia Iudaeorum principum istis temporibus. Eripiebant Pontifices, Pharisaei, et caeteri principes populi Christianis facultates suas, et dabant eas suis sycophantis, qui accusabant Christianos: ut hac praeda confirmarent eos, et retinerent in suis partibus, ut solet fieri in factionibus. Nam hic etiam valet illud, quod dicitur: *Quaerendum in iudicio, cui bono fuerit.* Sycophantis erat res utilis, quod accusabantur ab ipsis Christiani, et eiiciebantur ex facultatibus. Adhuc ita fit in inquisitione Belgica et Hispanica. Confirmantur mali homines, et incitantur contra bonos. Nam Sycophantae, qui accusant addictos doctrinae Evangelii, veniunt in partem praedae, Reliqua pars assignatur fisco.

Unde est nomen Sycophantae? Graeci nominarunt *συκοφάντας*, a *σῦκον* ficus, et *φαίνω* monstro. Erant initio custodes hortorum: Monstrabant vel accusabant illos, qui furabantur ficos. Sed saepe falso accusabant aliquos, quibus volebant facessere negotium. Ideo vocabulum postea venit in abusum. Et dicti sunt Sycophantae, calumniatores, Verleumder, qui falso aliquem accusant. Nomen calu-

niae est a *καλεῖν*, id est, a vocando in iudicium, unde est et vetus illud Latinum vocabulum, *Calare* et *Calendae*.

Multa vocabula veniunt in abusum, propterea quia homines abutuntur suo officio. Ita Sophistae nomen olim honestum fuit. Significabat docentem in scholis. Postea quia multi fuerunt praestigiatores, vocabulum coepit odio haberi. Cum igitur in prima illa Ecclesia Hierosolymis omnia essent plena Sycophantarum, maluerunt Christiani, dum possent commode, facultates suas vendere. Nec tamen omnes hoc fecerunt, neque omnibus in locis hoc erat vel opportunum, vel necessarium.

Apud Monachos communio bonorum, quam ipsi nominant paupertatem spontaneam, partim est superstitio, partim simulatio. Dicunt se nihil habere proprium. Imo vero maxime habent proprium. Sunt pauperes sine defectu, humiles sine despectu, et divites sine labore. Quid potest esse dulcius occupato studiis, quam vivere in convictu tali, ubi est instructa culina, et focus ex reditibus vel ex contributione? Dux Saxoniae Albertus, cum sederet in convivio, et alii principes praedicarent suas Civitates, et quaereretur ex eo, quid ipse haberet, quod insigne esset in suis ditionibus? Nescio, inquit, quid possim praedicare de meis rebus. (Nam viri graves et heroici non multum iactitant sua) Habeo tamen Civitatem unam, in qua sunt tria, quae mihi admiratione digna videntur. In urbe Lipsia sunt Monachi triplices. Unum est genus Monachorum, qui habent multum frumenti, et nullos agros. Das sindt die Barfüsser. Alterum genus habet multum pecuniae, et nullos reditus. die prediger münchen. Tertium genus habet multos liberos, et non habet uxores. die Carmeliten münchen. Ita totum hoc, quod est apud Monachos non habere proprium, est mera simulatio.

Haec dixi hactenus de antiqua forma Ecclesiae, et de communione rerum, quam non praecipit Evangelium. Decalogus expresse sancit distinctionem dominiorum: Et Evangelium approbat Oeconomias, et politias.

Sed quid respondendum est ad dicta illa: *Beati pauperes, etc. Vade vende omnia, etc. Da omni petenti te, etc.* Item, quod Paulus iubet *dare ut sit aequalitas?* Respondeo. Textus in Matthaeo habet: *Beati pauperes spiritu.* Non igitur simpliciter de paupertate loquitur. Illud: *Vade, vende omnia,* est praeceptum particulare. Pertinet ad singularem vocationem illius personae. *Da omni petentite,* loquitur de genere, id est, Da bonis et malis, amico et inimico egenti. Pauli dictum, *ut sit aequalitas,* non dicit de Arithmetica aequalitate, sed de proportione harmonica, vel Geometrica, quasi dicat: Qui habet multum, det multum, Qui non habet, non potest dare. Non loquitur etiam Paulus de necessitate seu coactione, sed de exaequatione et liberalitate voluntaria.

De collegiis diversis in Schola Hierosolymitana.

Nunc venio ad alia, quae etiam sunt Grammatica in hac narratione. Dicitur Stephano fuisse certamen cum Synagoga Alexandrina, Libertina, Cyrenaica, etc. Fuerunt Hierosolymis multa collegia, et scholae plures, in quibus erudiebantur adolescentes ex aliis atque aliis provinciis eo missi ad discendum: sicut in multis Academiis sunt Collegia certarum nationum, ut Pragae Germanica natio habuit suum Collegium: Hispanica suum: Polonica, Bohemica item proprium.

Ita Hierosolyma fuit ornata multis collegiis et scholis, quae nominabantur Synagogae. Alibi instituebantur adolescentes Cyrenaici, alibi filii eorum Iudaeorum, qui erant Alexandriae, alibi Libertini.

Puto libertinos fuisse Proselytos, quorum parentes venerant in servitutem, qui postea manumissi, vel pretio redempti, et libertate donati fuerunt. Isti libertini ab aliis segregabantur, Quia alii ingenui voluerunt esse nobiliores. Fortassis constituta fuit eleemosyna peculiaris, pro captivis et servis redimendis, et horum filiis in schola instituendis. Quid differunt liber et libertus? Liber dicitur is, qui non est, nec fuit servus. Libertus qui manumissus est, et liberatus a servitute. Sic differunt etiam Ingenui et Libertini. Ingenui sunt nati ex liberis parentibus. Libertini, qui nati sunt ex libertis. Servus a servando dicitur, Quia servatus est in bello, et venit postea in potestatem eius, a quo est servatus.

De causis accusationis Stephani.

Iam consideretur causa, propter quam Stephanus venit in periculum. Est usitatum dictum: *Supplicium non facit martyrem, sed causa.* Semper igitur in historiis martyrum considerandum est genus doctrinae. Ita hic doctrinae genus, de quo disputatur, est causa, propter quam Stephanus afficitur supplicio. Cogitetur ergo, tum de accusatione adversus ipsum, tum de responsione eius.

In Graeco sunt *ὁμοιόπτωτα*, id est, casus similiter desinentes, *κατὰ νόμου, κατὰ τόπου, κατὰ λαοῦ.* Illa quae similiter desinunt, habent aliquam gratiam, quando non nimis crebro usurpantur. Accusatur Stephanus, quod locutus sit *contra legem*,

Quia dicebat desiturum esse hunc cultum, qui hactenus fuerat ex lege Mosaica observatus. *Contra locum:* quod esset delenda urbs Hierosolyma et templum *Contra populum,* quod desitura esset politia, et sicut Daniel inquit: *Iudaei non amplius futuri essent populus Dei.* Fuerunt igitur res magnae, de quibus tunc pugnandum fuit Stephano. Sunt enim haec summa: Lex et cultus Dei. Item politia a Deo constituta, et tantis miraculis hucusque defensa. Item Possessio Ecclesiae Dei. Homines amantes patriae durissime accipiunt, cum dicitur eis, patrios ritus, praesertim veteres, tollendos esse, Statum Reipublicae esse dissolvendum. Multo durius ista acceperunt Iudaei, qui sciebant legem, et cultum Mosaicum, et totam politiam Iudaicam a Deo esse, et gloriabantur titulo Ecclesiae et populi Dei.

Pertinet autem tota haec accusatio ad duo crimina omnium gravissima: *ad blasphemiam et crimen laesae maiestatis.* Arguunt eum, quod sit blasphemus, et quod sit seditiosus: sicut etiam Christo haec duo crimina obiecta fuerunt: *Blasphemia,* quod fecerit se filium Dei: *Et crimen laesae maiestatis,* quod fecerit se regem istius populi. Similia obiiciuntur Ecclesiae omnibus temporibus, quod sit *blasphema,* id est, contumelia Deum afficiat, et quod sit rea criminis laesae maiestatis, hoc est, quod sit seditiosa. Nec possunt ulla crimina dici maiora. Nam blasphemia pugnat cum prima tabula. Crimen laesae maiestatis totam secundam tabulam evertit.

Apologia Stephani.

Respondet autem Stephanus gravissime, et eruditissime, repetita commemoratione historica inde usque ab Abraham, ad recentia istius populi tempora. Huius longae narrationis, principalis status seu scopus est: *neque blasphemum, neque seditiosum esse, docere contra cultum ceremoniarum, et praedicere finem politiae istius, exhibito Messia.* Sunt enim haec duo argumenta praecipua, ad quae referenda est tota narratio.

Primum Argumentum.

Hic cultus, qui non fuit apud patres, non est cultus principalis.
Iste cultus in ceremoniis externis non fuit apud patres.
Ergo non est cultus principalis.

Secundum Argumentum.

Patribus est facta promissio,
Patres non acceperunt hanc politiam.
Ergo haec politia non est principaliter res promissa, sed aliud quiddam maius.

Maior in utroque argumento per se est manifesta: Quia oportet unum et eundem cultum Dei principalem esse omnibus temporibus. Deinde cum ipsis patribus Deus locutus est, tradens eis promissionem, quae principaliter offert benedictionem, pertinentem etiam ad patres. Minorem probat Stephanus per narrationem historicam, quae cum sit prolixior, multi eam legentes, nec considerantes, quo pertineat aut quorsum referenda sit, putant intempestivam esse, et alienam ab actione contra ipsum instituta. Ideo bene infigendus est animis scopus huius narrationis, quae recitat summas historiarum veteris Testamenti a vocatione Abrahae usque ad Messiae adventum.

Dicam autem postea plura de scopo istius commemorationis. Prius grammatica quaedam rursus explicabimus.

Historica, quorum mentio fit in narratione Stephani.

In historia Abrahae fit mentio *Charan, et Mesopotamiae, et terrae Chaldaeae.*

Abraham primum vocatus est ex *Chaldaea,* seu ut Moises loquitur, ex *Ur Chaldaeorum,* id est, ex cultu idololatrico, qui erat in Babylone, ubi colebatur ignis, quem Persae vocarunt *Orimasda,* id est, lumen sacrum. Nam haec prima et antiquissima idololatria fuit, cuius fit mentio in historiis. Fortassis origo extitit a flammis coelestibus, quibus accensae fuerunt victimae patrum. Graeci *ἑστίαν*, Romani *Vestam* nominarunt. Non sunt passi igniculum istum sacrum extingui, sed foverunt perpetuo, et ad eius custodiam adhibiti fuerunt sacerdotes certi. Apud Romanos virgines Vestales. In Persia cum Rex progrediebatur cum pompa, praeibat equus gestans aram, in qua fuit igniculus sacer: Et comitabantur tot sacerdotes, quot sunt dies unius anni: sicut Papa hodie in pompa solenni habet equum praecedentem, in quo ponitur panis consecratus, inclusus thecae, quam vocant Eine Monstranz. Quae est horribilis abominatio.

Nomen *Mesopotamiae* plaerumque attribuitur regioni, seu spatio inter duos fluvios Euphratem et Tigridem. Unde et *Interamnia* dicta est. Fuit terra bona et fertilis. Ac Tigris dicitur a celeritate cursus: Quia est rapidissimus fluvius. Nam *Tigris* significat sagittam.

Phrat habet nomen vel a fructificando, vel a divisione. Quia est discissus in multa brachia, quae nominantur *ἐκβολαί.*

Interdum tamen Mesopotamiae appellatione, vicinae quoque regiones comprehenduntur, ut est

apud Plinium, qui Babylonem caput Chaldaicarum gentium, sicut loquitur, et Assyriam quoque tribuit Mesopotamiae propter amnes illos vicinos et circumfluos. Quod ideo observandum est, ne quis narrationem Stephani putet pugnare cum Moise, qui ex Chaldaea seu Ur Chaldaeorum ait exiisse Abraham, et pervenisse in Charran. Item ne Stephanus ipse existimetur secum pugnare, qui primum dicit Abraham vocatum esse in Mesopotamia. Et tamen mox addit: exiisse eum de terra Chaldaeorum et habitasse in Charran. Haec ita concilianda sunt, ut sciamus, Mesopotamiae nomen, nonnunquam continere seu comprehendere vicinam Chaldaeam et Assyriam.

Charran vero fuit oppidum Mesopotamiae proprie sic dictae. Nomen habet ab aestu, Quia illa loca sunt aestuosa, arenosa, et pulverulenta.

Audivi Norimbergae, laetari Turcicos exercitus, quando ipsis est militandum in Ungaria, ubi terra minus est pulverulenta. Nam in locis aestuosis coguntur milites magna cum molestia gestare aquam, et ferre aestus, et pulveres, qui cum venti sunt adversi, excitant caliginem, et laedunt oculos. Fit mentio oppidi Charrae in historia Crassi, qui non procul inde interfectus est. Ibi etiam trucidatus est Bassianus Caracalla. Et fuit ibi plaerumque limes Imperii Romani.

Est hoc loco progressus est Abraham post mortem patris sui, in amoenissimum hortum terrae Canaan. Est autem Emphasis, quod ait Stephanus, *Deum non dedisse Abrahae possessionem in ea terra, ne quidem vestigium pedis, nisi quantum emit pecunia sua in locum sepulturae.* Sequitur enim hinc: Promissionem principalem factam Abrahamo non pertinere proprie ad bona corporalia: Et quia sequentes etiam patres, Isaac, Iacob, et huius filii, usque ad Moisen non adepti sunt possessionem terrae Canaan: nequaquam alligatam esse Ecclesiam huic politiae aut regno.

Numerat postea Stephanus *annos quadringentos ab Abraham usque ad eductionem ex Aegypto.* Paulus Galat. 3. ponit numerum *quadringentorum, et triginta annorum.*

Aliqui annos quadringentos Stephani numerant a nato Isaac: Quadringentos vero et triginta annos ab eo tempore, quo Abraham una cum patre exivit ex Ur Chaldaeorum. Sed saepe fit, ut in populari sermone omittatur praecisio, et cum minores aliqui numeri additi sunt maiori numero, tantum maior numerus exprimatur, relicto seu suppresso ac dissimulato numero minori.

Cum autem tam longo tempore posteri Abrahae caruerint possessione terrae Canaan: Vult hoc Stephanus inculcare suis adversariis, promissionem eius terrae, et totam politiam Mosaicam non esse principale bonum, de quo patribus factae sint promissiones. Et quanquam circumcisionis, quae Abrahae data sit, meminit: tamen diserte antea dixit, Abraham gratuita misericordia vocatum et receptum esse a Deo, et placuisse ei etiam ante Circumsionem: Unde sequitur Circumcisionem, ac multo magis reliquas ceremonias, quae aliquot saeculis post praescriptae sunt per Moisen, non esse cultum principalem.

Quod vero in textu legitur: *Patres translatos esse in Sichem, et positas esse in monumento, quod emerat Abraham pretio argenti a filiis Emor patris Sichem:* non dubito esse σφάλμα, seu ἁμάρτημα γραφικὸν, id est, erratum librarium, seu commissum a librario. Facile enim et saepe hoc fit, ut vitiose aliquid scribatur, ut pro *everrit domum,* scripserunt aliqui, *evertit domum.* Pro *Charran* scripserunt *Aran,* cum haec plurimum differant. Aran est filius Thare, frater Abrahae. Charran est Civitas Mesopotamiae. Nos ipsi, cum nostra scribimus, saepe non animadvertentes, erramus in scribendo, sicut dicitur: Es schreibt niemand vnrecht, denn die schreiber. *Nemo vitiose scribit, nisi qui scribendi habet peritiam.* Nam rustici, qui non didicerunt literas, non possunt scribere. Ideo nec recte nec vitiose scribunt.

Ita hoc loco, scriptus est Abraham, pro Iacob. Nam Abraham non emit locum sepulturae in Sichem, sed speluncam duplicem, non procul ab Hebron vel Mambre: Ubi sepultus est ipse, et Sara: Et postea quoque Isaac et Iacob. Fuit autem Hebron in tribu Iuda. Sichem est alius locus in Ephraim. Ibi est sepultus Ioseph, et caeteri fratres eius, ut scribitur in libro Iosuae cap. ultimo. Est quaedam diligentia digna studiosis hominibus, considerare loca, et quasi venire in rem praesentem. Fuit Sichem quasi suburbanum Samariae. Vocabulum ipsum significat humerum: Quia fuit in colle, tanquam in humero. In hoc loco sedit Christus apud illam mulierem Samaritanam, et est ei concionatus, Ioan. 4. Ibi vidit Iacob scalam, in cuius capite apparuit ei filius Dei. Quae est dulcissima imago Ecclesiae: In qua patefacit se filius Dei, et dat promissiones suas.

In narratione de Moise expresse citat Stephanus vaticinium Moisis [Deut. 18.] de Christo: *Suscitavit vobis Dominus Deus vester e fratribus vestris Prophetam, sicut me: Ipsum audite.* Hoc ideo citat, ut intelligi posset Moisen ipsum praedixisse de venturo Christo, quem ipse nunc praedicet, Nec voluisse Moisen, ut in Lege et Ceremoniis per ipsum traditis Israelitae acquiescerent, sed ut in venturum illum Dominum respicerent, qui allaturus esset verbum immediate traditum a Deo: sicut tunc Moises mandata a Deo accepta attulerit suo modo in constitutione istius politiae. Vult etiam discernere Christum et Prophetas alios, Quia omnes Pro-

phetae post Moisen fuerunt auditores et discipuli Moisis. Christus non est discipulus Moisis.

In recitatione historiae Israelitarum in deserto facit mentionem multiplicis idololatriae. Dicit *eos fecisse vitulum.* De quo est Exod. 32. Haec idololatria haud dubie nata est ex superstitione Aegyptiorum, cui assueverant multi ex isto populo, Quia Herodotus lib. 2. narrat apud Aegyptios, *Apim,* sive bovem, sive vitulum quendam mirificum seu peculiarem fuisse cultum instar numinis. Et apud eosdem simulacra vaccarum fuisse.

Postea ex Amos citat: *Sustulistis, vel in humeros vestros sublatum gestastis tabernaculum Moloch et sidus Dei vestri Remphan.*

Hic Graecus textus variat a fontibus Hebraici textus. Nec agam nunc de tota serie aut constructione istius textus. Tantum declarabo vocabulum *Moloch,* et *Remphan.*

Moloch est idem quod Melech, id est, rex. Etiam nostri Suevi, Bavari, Franci horridius pronuntiant vocales, quam fieri debebat. Quam crassum *A* faciunt Pomerani? ut propemodum sonet sicut *O.* Austriaci etiam dicunt, Popa pro Papa. Reuchlinus narrabat nobis, Pontificem Romanum fuisse offensum illa crassa pronuntiatione legati missi a Palatino, qui cum dicendum esset, Sanctissime Pater, ipse dicebat: Sanctissimi Poter. Capnio elegantius pronuntiabat, et ea ratione fuit acceptior aulae Romanae, cum in eadem legatione Romam missus esset, ubi etiam didicit linguam Hebraeam a Iudaeo quodam, cui pro singulis lectionibus seu horis didactri loco persolvit singulos aureos. Tantum autem ibi didicit de lingua Hebraea, ut reversus in Germaniam recte alios quoque eam docere posset.

Ex Melech igitur crassiore pronuntiatione factum est illud Moloch, cuius nomine intellexerunt Solem: sicut apud Ieremiam est Regina coeli, pro Luna. Omnes fere gentes coluerunt Solem et Lunam: unde est illud apud poetam: *Vos o clarissima mundi sidera.* Valde pulchrum est corpus utriusque luminaris, Et motus utriusque, magnum est miraculum naturae. Sed homines Ethnici coluerunt tanquam numina, sicut fieri solet, quando homines discedunt a verbo Dei. Hanc Idololatriam imitati sunt etiam Iudaei.

Pro Remphan est in Hebraeo *Cirun.* Est autem facilis mutatio literae *Car* in literam *Res.* Nam quando *Car* inter scribendum, non integre pingitur, degenerat in similitudinem literae *Res.* Legerunt ergo Riphun, pro Kiphun, et inserta litera *M* factum est Remphan. Aliqui ex Iudaeis exponunt de Saturno. Alii de oppido in finibus Ammonitarum. Quidam Graecam etymologiam quaesiverunt. Romphaea enim significat quiddam acuminatum in duabus extremitatibus, quod in medio habet suam quandam latitudinem: ut in panibus, quos nominamus Wecke, et in veteribus hastis seu lanceis talis figura conspicitur. Interpretantur autem de Marte. Appellationes idolorum sunt valde fortuitae. Ego puto esse erratum graphicum, quod Remphan legitur in Graeco textu.

Kiun vero quod est apud Prophetam, existimo idem esse, quod *κύων,* id est, Sirius vel Canicula, quae est stella in ore canis maioris, primae magnitudinis. Erat autem apud Aegyptios praecipuus cultus Sirii: et erat eis anni initium, Ortus Cosmicus Caniculae vel Sirii, Quia tunc Nilus incipiebat exundare, sicut Herodotus inquit: Nilum intumescere ab aestivo solstitio ad centum dies, et prope totidem diebus retrocedere, ac relinquere fluenta. Pendebat autem ab exundatione Nili, foecunditas totius Aegypti.

Quando Nilus non exundabat, sequebatur sterilitas, ut ante mortem Antonii et Cleopatrae toto biennio non exundavit Nilus. Quo simul significabatur regni mutatio. Sic tempore famis sub Claudio, non exundavit Nilus, et iterum sunt secutae magnae mutationes. Quod si nimium ascendebat Nilus, tum etiam sterilitas sequebatur: Quia non poterant iusto tempore conseri agri. Erat igitur singulae beneficium, quoties iusta mensura Nilus exundabat.

Multi quaesiverunt causam illius exundationis, qua fieret, ut in prima Lunatione post Solstitium inciperet crescere Nilus, donec exundaret, et cum stetisset aliquamdiu in agris, paulatim decresceret, tantisper dum Sol veniret ad principium Librae.

Sed non possunt causae reddi ex natura. Fuit singulare opus Dei, quod tribus istis mensibus, Iulio, Augusto, Septembri rigabantur agri, et hac rigatione, qua simul relinquebatur limus, instar stercorationis in agris, fiebat foecundatio.

Quia vero exundatio illa Nili erat annua, et toti regioni utilis: diligenter observatae fuerunt stellae, ad quas cum accessisset Sol, fiebat initium illius exundationis. Scribitur etiam in ortu Sirii visum esse animal, quod nominabatur Oryx, Fuit simile caprae, et fuit persuasio, quod adoraret Caniculam, quia conspectum fuit, quod se tempore exundationis obverteret versus ortum Sirii.

Instituerunt ergo Aegyptii cultum peculiarem, et celebrarunt festum in ortu Sirii: ut significarent, se laetari illo opere naturae, et obtulerunt sacrificia, et precati sunt, ut contingeret commoda et idonea exundatio Nili. Ita enim fit, quando homines discedunt a verbo Dei, ut novos cultus fingant, et quod Deo tribuendum erat, assignent creaturis. Et fuit alioqui gens Aegyptia admodum superstitiosa

Diodorus Siculus scribit Militem Romanum, qui erat inter praesidiarios, interfecisse felem, quem Aegyptii colebant ut Deum, et exortum fuisse tan-

tum tumultum, ut septem millia militum praesidiariorum trucidata sint, et vicissim aliquot millia civium interempta. Hoc factum est tempore Imperatoris Tiberii. Et sicut prius Aegyptii monstrosos Deos habuerunt, cattos seu feles, ciconias, crocodilos, etc. Sic postea habuerunt monstrosas opiniones et dogmata.

Late ibi Manichaeorum furor grassatus est, Ubi orti sunt etiam Monachi. Ariani quoque inde extiterunt. Postea venit Mahometus, qui collecta manu Saracenorum primum occupavit Aegyptum, atque ibi regnum constituit, Semper enim fuit magna opulentia Aegypti propter ubertatem terrae, et opportunitates navigationum. In Oceanum possunt Aegyptii navigare per mare rubrum, per Nilum in mare mediterraneum.

Hodie praecipua urbs Aegypti est *Alcairum* quae κατ' ἐξοχὴν sic dicitur. *Al* est articulus, *cair* est civitas. Bredebach dicit, quod sit tanta multitudo in hac una civitate, quanta sit in tota Italia. Etsi de hoc disputari forte potest, tamen consentaneum est maximam ibi multitudinem esse hominum. Olim fuerunt duae urbes, quarum una ultra Nilum dicta est *Memphis:* altera *Babylonia.* Sed hoc totum hodie vocatur Alcairum. Miror illos peregrinatores, qui describunt terras, et ibi fuerunt, non plura scribere de iis, quae pertinent ad naturam rerum: cum tamen pulcherrimum sit, scire opera Dei in natura. De his valde pauca dicunt illi scriptores. Interim nugas tractant de reliquiis sanctorum, quas invenerint hoc aut illo loco. Verisimile est, Nilum adhuc exundare, ut terra simili modo foecundetur, sicut olim.

Haec dixi occasione vocabuli Remphan, et Kiun, quod simpliciter puto esse, κύων, id est, canis seu canicula, quae colebatur ab Aegyptiis propter exundationem Nili. Sunt in Bibliis et aliarum quarundam stellarum appellationes.

Nam in Amos propheta, eodem cap. 5. fit mentio *Pleiadum et Orionis: Quaerite eum, qui facit Pleiades et Orionem.* Hebraei Orionem vocant *Kesil.* Inde nomen habet mensis *Cisleu,* quasi dicas, mensis Orionaeus, qui respondet partim Octobri, partim Novembri nostro, Graeci deducunt Orionis nomen ab οὖρον Urina, Quia ciet tempestates. Ac fortassis Hebraea quoque appellatio sumpta est ab inconstantia. Et congruit Germanica vox Gesell. Virgilius vocat *Nymbiosum Orbioni*, et alia dicit: *Saevus ubi hybernis Orion conditur umbris.*

Pleiades sunt a πλείω plures. Hebraei vocant *Kimah*, quod nomen etiam est a multitudine. Reperitur nomen Pleiadum et Orionis in lib. Iob. cap. 9. et 38. Et additur ibi nomen Arcturi, qui Hebraeis dicitur *Asch,* et interposito Iod, *Aiisch.* Habet nomen a congregatione stellarum. Latini vocant Ursam, et plaustrum, Quia forma sua repraesentat plaustrum seu currum, et in modum plaustri circumagitur.

Fit etiam mentio in prophetis Hesperi, quem vocant Hebraei *Aesch* a fulgore Graeci inde sumpserunt vocem ἕως. Latini luciferum quoque nominant, quia adducit auroram, seu tempus matutinum.

Has appellationes et earum Etymologias dulce est considerare, praesertim iis, qui discunt initia Astronomiae, quae est antiquissima doctrina, etiam in Ecclesia.

Scopus Concionis Stephani.

Sed redeo ad statum principalem concionis Stephani, ad quem etiam hoc pertinet, quod de introductione populi in terram Canaan dicit, quae facta est sub Iosua, Item de regno Davidis, et de templo Salomonis.

Fuit magnum beneficium, quod Deus annis 1500 certam sedem tribuit isti populo, et quod ex eo collegit sibi Ecclesiam tot seculis, Quia, etsi magna fuit confusio malorum, etiam in isto populo, tamen semper ibi fuerunt aliqui electi: sicut nunc, Ubi est ministerium doctrinae Evangelii, non est dubitandum, quin sint electi aliqui, etsi multi mali sunt mixti.

Nunquam autem prorsus quieta fuit politia illa, sive ante, sive post Davidem? Et propter peccata populi subinde fuerunt variae vices. Inde sequitur, hanc politiam non esse principalem haereditatem promissam patribus, Sed restare aliam, in qua non grassentur peccata, et propter peccata dissipationes. Illis postremis temporibus, abductis decem tribubus, reliquae erant duae tantum tribus, et quidem oppressae servitute. Vult igitur intelligi Stephanus, desituram esse hanc politiam, et hunc finem politiae non pugnare cum promissione tradita patribus.

Quia vero neque ante Moisen habuerunt Israelitae tabernaculum, neque ante Salomonem, templum, ostendit cultus quoque illos, quibus efferebant se, non esse principales: Quia cultus, qui non est perpetuus, non potest esse principalis. Isti autem cultus non fuerunt ab initio. Quomodo igitur possunt principales cultus esse?

Haec bene observanda sunt, ut sciamus, quid velit Stephanus, quo tendat in hac tam prolixa concione. Respondet enim ad crimina sibi obiecta. Ait se affirmare, quod ista desitura sint, regnum, et cultus praesentes: Et tamen hanc asseverationem non esse contrariam verbo Dei. Iam apparuisse Messiam. Hunc velle Deum audiri, Per hunc velle dare veram haereditatem, cuius umbra tantum fue-

rit regnum corporale. In huius etiam agnitione praestandos esse cultus spirituales.

In Epilogo utitur Stephanus vehementi obiurgatione, in qua graviter refutat usitatas gloriationes Iudaeorum. Nominat eos *durae cervicis, et incircumcisos cordibus et auribus, et qui resistant Spiritui sancto.* Frustra igitur gloriabantur de circumcisione. Deinde efferebant se Iudaei propter nobilitatem generis, et propter patres. Stephanus ait, et maiores ipsorum, et ipsos quoque esse degeneres, et obiicit eis parricidia prophetarum, et Christi, quem nominat Iustum. Denique et gloriationem de lege ipsis data reiicit: *Vos accepistis quidem legem*, inquit, *per ordinationem, seu ministerio angelorum.* Sic enim interpretatur hanc phrasin Epistola ad Hebr. cap. 2. *Sermo legis est traditus per angelos.* Sicut et Paulus inquit Galat. 3. *Lex ordinata vel disposita est per angelos in manu mediatoris.* Verum *hanc legem non custodivistis*, id est, non praestitistis obedientiam debitam legi. Lex autem, cui non praestatur obedientia, non iustificat, sed condemnat inobedientes.

LOCI DOCTRINAE

in concione Stephani.

Nunc locos doctrinae excerpemus ex concione, et martyrio Stephani.

Primus locus est de discrimine veteris et novi Testamenti, vel quod idem est, de discrimine promissionum temporalium bonorum, et promissionis gratiae. Haec est copiosissima materia, et magni momenti in Ecclesia.

Nominatur vetus Testamentum, pactum in quo Deus tradidit illi populo istam terram, et constituit eis politiam, cum obligatione ad praestandam legem.

Novum Testamentum est ipsa promissio gratiae cuiuscunque temporis. Haec promissio gratiae primum est edita ad primos parentes: *Semen mulieris conteret caput serpentis*, id est, destruet regnum Diaboli, peccatum et mortem.

Postea saepe repetita et declarata est haec promissio ad Abraham, et David, et illustrata per Prophetas. Ut autem differunt bona aeterna, et bona corporalia, quae sunt huius vitae tantum: Sic differt novum et vetus Testamentum.

Novum Testamentum pertinet ad res aeternas, sicut dicitur: *Qui credit in me, non videbit mortem.* Vetus Testamentum pertinet ad hanc promissionem: *Dabo tibi terram hanc.* Quid prodesset autem habere optimam politiam, et suavitates huius vitae tantum, cum omnibus hominibus vel tandem sit moriendum? Imo cum haec vita, quamtumvis iucunda, tamen semper plena sit multis malis, et multa quotidie accidant, quae nollemus, sicut omnes sapientes omnibus temporibus conqueruntur, iuxta versum:

Vita fugax hominum, magnorum plena malorum.

Et quid est horribilius morte? Quam sapientes mirantur cadere posse in tam praestantem naturam hominis, sicut etiam mirantur, unde sit tantum vitiorum, lapsuum, calamitatum in genere humano. Vident enim ingentes flammas cupiditatum ardere in hominibus, et ingenti mole malorum premi homines singulos, et publice grassari caedes, vastationes, excidia gentium.

Haec mirantur sapientes, unde sint. Sed Ecclesia scit, ex primo lapsu Adae ortam esse totam istam confusionem peccatorum et miseriarum. Scit etiam ex promissione gratiae, quod haec natura non sit condita tantum ad interitum et miserias, Sed quod Deus velit tollere peccatum, et mortem, et quod simus victuri cum Deo in tota aeternitate, in summa laetitia, et propterea missum esse filium Dei, qui inquit apud Prophetam: *O mors, ero mors tua. O inferne, ero pestis tua.* Item. *Absorpta est mors in victoriam.* De his tantis rebus vult nos Deus certos esse: vult nos intueri illum portum vitae aeternae. Ideo dedit promissionem gratiae, quae dicitur *novum et aeternum Testamentum* ad Hebraeos.

Prorsus autem alia ratio est promissionum corporalium. Ecclesiae opus est hospitio in hac vita, et Deus vult inchoari hic vitam aeternam. Non enim erunt haeredes vitae aeternae, in quibus hic non inchoatur per fidem, illa lux et vita aeterna, iuxta dictum: *Quos elegit, hos et vocavit.* Item, *Superinduemur, si tamen induti et non nudi reperiemur.* Datae sunt igitur Ecclesiae promissiones corporales, sicut Paulus ait: *Pietas habet promissiones praesentis et futurae vitae.* Et Dominus inquit: *Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis.*

Aliter autem datae sunt promissiones bonorum corporalium Iudaeis, aliter nobis sunt traditae. Nos habemus promissiones corporales in genere, de conservatione Ecclesiae. Populo Iudaico erant datae in specie: videlicet: Hic in terra Canaan erit sedes regni: hic erit templum: hic vos defendam. Sed usque ad adventum Messiae: Et tamen cum exceptione castigationis.

Haec promissio corporalis in specie, fuit praerogativa singularis istius populi. Quanti nos faceremus hoc beneficium, si sciremus mansuram esse Ecclesiam in his locis? habituros nos certam sedem Ecclesiae? politias certas? Hanc praerogativam illi habuerunt. Usi sunt hoc beneficio Dei

multis seculis, sed non defuerunt magnae castigationes, quas sibi peccatis suis subinde attraxerunt. Infestata fuit Iudaea subinde a vicinis gentibus. Decem tribus deletae sunt, aut certe mutilatae, Sicut dicitur apud Prophetam [Oseam 11.]: *Quomodo faciam tibi Ephraim? An delebo te sicut Soboim et Sodomam? Deus sum, non homo*, id est, Homo in puniendo habet primam intentionem ut perdat, Deus non habet primam intentionem ut perdat, sed ut convertat sanabiles, iuxta dictum: *Viro ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Ita ex decem illis tribubus aliqui sunt conversi, et manserunt reliqui. Sed additur in Propheta: *Veruntamen non intrabo*, id est, non conservabo regnum in Israel. Intrare est regnare, regna tenere aut regna constituere. Est Hebraismus sicut in illo dicto: *Non intrabit in domum Domini spurius,* id est, non fungetur officio.

Postea abductae sunt etiam reliquae duae tribus: Iuda et Beniamin, Et duravit captivitas Babylonica annis 70. Et post reditum instaurata quidem fuit politia, sed tamen rursus fuit multum peccatorum, poenarum, calamitatum. Non igitur fuit principalis promissio data patribus, quae ad politiam illam referebatur. Oportebat aliam esse benedictionem, de qua promissio ad patres facta loquebatur: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Et haec promissio est omnium gentium, non tantum illius populi. Haec promissio continet res aeternas, non peritura bona.

Cogitate autem, quantae tenebrae fuerint in populo Iudaico: Cum etiam summi illi gubernatores non intellexerunt discrimen promissionis gratiae, et promissionum corporalium. Imaginabantur regnum corporale, sicut Apostoli etiam habuerunt illa aurea somnia, quae non fuerunt dissimilia somnio aurei piscis, de quo inquit Theocritus: *Somniando non capies aureum piscem.* Ista somnia senserunt Apostoli ex doctrina Pharisaeorum. Quorum ignorantia moneat nos, ut simus diligentiores in conservanda puritate doctrinae, ne similes tenebrae obruant Ecclesiam.

Non est haec exigua pars sapientiae, quae est verae Ecclesiae propria, tenere discrimen inter promissiones corporales, et promissionem gratiae: Item inter promissiones bonorum corporalium in specie, et in genere.

Hoc discrimen passim monstrant Prophetae: cum describunt vetus, et novum Testamentum. Ieremias inquit: *Feriam domui Israel pactum novum: Dabo legem in corda eorum.* Et quoties Prophetae vaticinantur de regno Messiae, concionantur de aeterno regno. Non potest ergo esse regnum in hac corporali vita, quae non est aeterna, sed desinit cum more.

In Ioanne (c. 1.) idem discrimen pulchre exprimitur: *Lex per Moisen data est,* id est, politia constituta est per Moisen. *Gratia autem et veritas per Christum facta est,* id est, per Messiam aliud quidpiam accipimus, scilicet gratiam, hoc est, gratuitam acceptationem, remissionem peccatorum, reconciliationem. Veritas sunt vera et aeterna bona, vera et aeterna iustitia, non umbrae ceremoniarum et politiae. Haec vera bona etiam nobis vere exhibentur per filium.

Ad hoc discrimen etiam Stephanus deducit auditores suos. Refutat eorum errorem et magnam inscitiam, quod putabant promissionem datam patribus intelligendam esse de regno corporali.

Verum est. Utraque promissio erat facta Patribus: Promissio benedictionis spiritualis, ut: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*: Postea etiam corporalis: *Semini tuo dabo hanc terram.* Sed tamen affligetur 400 annis in gente inimica, etiam antequam occupabit hanc terram.

Hanc promissionem corporalem non sunt consecuti patres. Est cessante etiam politia, retinenda tamen fuit ab eorum posteris promissio principalis, quae semper pertinet ad omnes electos, quomodocunque se ista externa habeant.

Nos etsi in specie non habemus promissionem de certa sede, tamen in genere debemus credere, quod Deus velit nobis opitulari. Et datur nobis quoque vita, et quae ad vitam sunt necessaria. Sed non debemus pendere tantum a bonis istis corporalibus, sed vivere in Deo. Ut autem vivamus in Deo, oportet extare promissionem gratiae, quae nos attrahat ad Deum, et hanc oportet principaliter accipi fide, Quia, si non credimus promissioni, est nobis inanis sonitus, sicut Iudae, Pilato, et omnibus non accipientibus tantum est inanis sonitus, ut cum Pilatus Christum deridet: *Quid est veritas?*

De secundo loco.

Secundus locus est De causis constitutae et abolitae politiae Iudaicae. De his alibi saepe dixi. Sed nunc principaliores saltem causas breviter repetam.

Fuit illa politia instituta. Quia Deus voluit esse certum locum, in quo nasceretur, ostenderetur, doceret, faceret miracula, moreretur, et resuscitatus a mortuis conspiceretur Messias. Haec fuit causa praecipua, cur politia ista fuerit constituta, et conservata usque ad Messiae adventum.

Antequam vero advenit Messias, debuit in hac politia sonare vox promissionis traditae de Messia. Et ut posset late propagari doctrina de Deo et de

mediatore, collocata fuit illa politia fere in medio terrae habitatae. Quia Palaestina erat inter Aegyptum, et Babylonem, et potuit inde vox doctrinae proferri in vicina regna, in Orientem et Occidentem.

Deieta est autem politia tandem, ut haec deletio esset testimonium, quod venerit Messias, Quia Iacob inquit: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec venerit Schilo,* Item, *Ex Bethlehem exibit Dux populi mei.* Et Aggaeus inquit: *quod in secundo templo concionaturus sit Messias.* Item Daniel expresse vaticinatur, *Post exhibitum Messiam delendam esse politiam.* Isti textus sunt admodum clari. Et Iudaei, qui convertuntur ad Christianismum, fatentur se praecipue moveri istis textibus.

Pertinet autem ad disputationem de abolita politia, etiam doctrina de abrogatione legis. Nam politia diruta, abolentur etiam leges ceremoniales et forenses, Quia hae leges sunt re ipsa nervi istius politiae: Et Deus eversione politiae dat testimonium, quod nolit nobis illas leges imponere, sicut quidam stulte id flagitant. Carolstadius in hoc ipso loco disputabat acerrime: *Non licere uti iure Romano: Quia ius divinum non posset mutari.* Iudex Augustanus quidam interrogabat me, Num liceret fures suspendere. Ego dixi: Leges Mosaicas non pertinere ad nos. Sed ille fascinatus erat opinionibus suis anteceptis. Non poterat sibi persuadere, iudicandum esse ex praesentibus legibus. Et tamen dubitante conscientia suspendi curabat fures. Talia fiunt, cum homines non sunt recte instituti. Nos plane statuamus: Quod iacente politia, iaceant et forenses et ceremoniales leges, Quia istae leges sunt formaliter politia.

Contra. *Christus inquit: Non veni solvere legem.* Respondeo. Hoc dictum principaliter loquitur de lege morali. Sed tamen et ceremoniae et politica etiam implentur a filio Dei, Quia Christus est finis totius legis. Et Christo exhibito cessant significationes et umbrae illae. Alia ratio est Decalogi, Quia, ut Deus est immutabilis: ita lex moralis, quae est aeterna sapientia et voluntas in ipso Deo nobis patefacta, est immutabilis, nec aboletur, aut cessat in tota aeternitate. Imo hoc ipsum agit filius Dei, ut in nobis restituatur lex moralis, sicut Paulus inquit: *Stabilimus legem per fidem.* Ideo reconciliamur Deo per Christum. Ideo regeneramur, renovamur, sanctificamur, ut in omni aeternitate simus tales, quales iubet nos esse lex: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et haec est sententia illius dicti, quod antea citavi: *Dabo legem meam in corda eorum.* In vita aeterna erimus tales. Sed in hac vita id est inchoandum.

De tertio loco.

Tertius locus est de distinctione cultuum. Iudaei putabant non tantum iustitiam coram Deo, sed etiam cultum principalem esse, disciplinam, seu iustitiam operum, et sacrificia ac caeteras ceremonias templi.

Haec est persuasio omnium hypocritarum, quocunque; tempore, in Ecclesia et extra Ecclesiam.

Semper mundus iudicat se iustum, id est, Deo acceptum et reconciliatum esse, si habeat umbram disciplinae externae, et ritus aliquos ceremoniarum, sive ab ipso Deo traditos, sive ab hominibus excogitatos.

Hunc errorem taxarunt Prophetae acerrime, et Stephanus hic eundem errorem refutat. Docet externa opera non esse iustitiam Messiae: Et ceremonias non esse veros et principales cultus Dei. Nam disciplina illa est iustitia quaedam politica, nec potest opponi iudicio Dei. Cultus etiam legalis seu ceremonialis, nec peccatum tollit, nec est perpetuus.

Messias vero adducet aliam iustitiam, quae erit sempiterna, ut Daniel loquitur, complectens simul et imputationem iustitiae Christi, quae accipitur a nobis fide: et inchoationem novae et spiritualis iustitiae, quam idem Messias efficit in nobis dato Spiritu sancto regenerante nos: Denique et consummationem novitatis spiritualis, quae secutura est in vita aeterna. Sic et Ieremias de iustitia concionatus est, quam afferet Messias: *Germen David invocabitur Iehova iustitia nostra.* Et Esaias: *Notitia servi mei iusti iustificabit multos.* Nominat notitiam, quia oportet Messiam agnosci fide. Sed non loquitur de tali notitia, qualis est in Diabolis et hypocritis, sed de fiducia amplectente Christum, ut verba notitiae saepe comprehendunt simul affectus cordis sequentes notitiam.

Estque haec ipsa agnitio Christi, et fides acquiescens in promissione gratiae praecipuus cultus Dei. Deinde tota novitas interior, dilectio Dei, spes, timor, humilitas, patientia, invocatio, confessio, studium obedientiae erga Deum, dilectio proximi, castitas, veritas, (quae non sunt umbrae externae tantum, sed virtutes intus accensae per Spiritum sanctum, quae subinde in nobis crescunt et assidue exerciri debent a nobis) sunt cultus placentes Deo, propter Christum, etiamsi procul adhuc absint a perfectione.

Hunc verum cultum complectitur dictum Christi: *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate.*

Hoc modo coluerunt Deum patres, etiam ante traditam illam varietatem cultuum legalium. Et sic necesse est omnes sanctos colere Deum, ut fide agnoscant mediatorem et in hac fide inchoent obedientiam interiorem, quae non est tantum disciplina honesta, sed congruentia cum lege in corde.

sive traditae sint ceremoniae, ut in veteri testamento, sive post exhibitum Christum, cuius typi erant, sint abolitae.

Sequitur autem in vita aeterna consummatio, in qua Deus ipse nos implebit sua luce, sapientia, iustitia, laetitia, gloria. Ibi perfecte in nobis fiet, quod lex praecipit: *Diliges Deum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente tua.* Ibi perfecte laetabimur in Deo, et celebrabimus eum in tota aeternitate, iuxta dictum Esaiae: *Gaudens gaudebo in Domino Deo meo. Quia vestimentis salutis me induit, et indumento iustitiae circumdedit me.*

Horum cultuum initia oportet in hac vita esse in omnibus salvandis. Oportet cum fide, qua sola accepti sumus Deo per Christum, coniunctam esse inchoationem conformitatis nostrae cum Deo. Denique oportet nos, etiam in hac vita, fieri templa Dei, et domicilia Spiritus sancti. Pertinet huc tota doctrina de discrimine iustitiae carnis et spiritus, operum et fidei, imputationis iustitiae Christi, et inchoationis novae iustitiae. Item de vero usu ceremoniarum, et earum abusu, de vera conversione ad Deum, de beneficiis Messiae, qui est iustificator noster merito et efficacia, de exercitiis omnium virtutum in nobis, de consummatione. De quibus nunc non dicam plura, ut possim breviter aliquid addere de martyrio Stephani.

De Quarto Loco.

Sit igitur quartus locus de Martyrio Stephani. In quo est exemplum ingenuae confessionis: et testimonium de praesentia Christi in Ecclesia: et precatio dulcissima directa ad Christum, quae testatur de divinitate ipsius: et de magnitudine animi in Stephano vincente passionem et mortem.

Atrociter accusabatur Stephanus ab adversariis suis, quod esset blasphemus et seditiosus, Quia et blasphemia et seditio esset, dicere contra legem, seu contra iustitiam legis, contra ritus templi, contra politiam: sicut et nos accusamur horribiliter. Dicimur esse blasphemi adversus Deum, quia mutemus usitatum genus doctrinae, et aboleamus cultum Dei in Ecclesia receptum. Dicimur seditiosi, quia discedamus ab ordinaria potestate, distrahamus Respublicas.

His accusationibus homo modestus non potest non moveri. Sed tamen anteferendum est mandatum de confessione: Si quis negarit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo coelesti. Semper existunt similes contentiones, quales tunc Stephanus habuit, quoties Deus emendat Ecclesiam. Hypocritae clamant cultum Dei labefactari. Sapientes queruntur distrahi imperia. His querelis opponatur confessio verae doctrinae, sicut fecit Stephanus: Et quanquam gravissima sunt illa crimina, quae Stephano, quae nobis obiiciuntur: tamen piae menti non est difficile refutare illa: ut si cogites de argumento, quod tunc obiectum fuit Stephano:

Blasphemia, Item seditio est: dicere legem, cultum Dei, politiam a Deo institutam, abolendam esse.
Stephanus dicit, haec delenda esse.
Ergo est blasphemus et seditiosus.

Respondeo ad maiorem. Non est blasphemum neque seditiosum, illa dicere, scilicet Deo mandante, et sicut mandat. Hic vero accedere debet declaratio. Deus aliter voluit abolere illa in lege, quae erant politica, aliter quae ad Decalogum pertinent, qui est lex immutabilis. Voluit aboleri cultum externum, non autem cultum interiorem, qui est perpetuus. Politia illa sic erat a Deo constituta, ut duraret usque ad Messiae adventum. Deinde quod ad Minorem attinet: Stephanus dicit, legem et cultum, et politiam abolendam esse. Verum est. Sed mandante Deo, et sicut mandat Deus. Haec supra prolixius sunt declarata, cum monstravi scopum Orationis Stephani. Non cogitetis ista omnia semel esse dicta, sed saepe et multum ea disputavit et exposuit Stephanus. Sed Evangelista tantum summas rerum comprehendere voluit.

Quanquam autem interficitur Stephanus propter confessionem: tamen habuit singularem consolationem, Filius Dei ostendit se ipsi, sicut affirmat, *se videre Christum stantem ad dextram Dei.* Hoc exemplum monet, quale sit regnum Christi. Non ita discessit ex his terris, ut negligat Ecclesiam, sed vere eam respicit, adest ei, propugnat eam. Sic omnes pii in omnibus periculis, sic in morte respici se et curari statuant, perinde ac si oculis Christum cernerent, ut vidit Stephanus. Non enim frustra se hic ostendit Stephano, nec propter ipsum tantum, sed multo magis propter universam Ecclesiam. Quanquam igitur nos non cernimus oculis filium Dei, tamen debemus credere, ipsum vere adesse nobis morientibus, vivificare nos, consolari et confirmare, esse custodem et vivificatorem nostri spiritus.

Ac diligenter observanda est precatio Stephani: Domine Iesu, *Suscipe spiritum meum.* Haec est confessio, quod Christus sit natura Deus, et omnipotens, Quia eum invocat, et quia ei commendat spiritum, quem corpori aliquando redditurus sit. Solius divinae et omnipotentis naturae est vivificare, sicut Ioan. 5. inquit Christus: *Sicut pater vivificat, ita et filius.* Est et cultus invocationis soli Deo competens: ut dicitur: *Dominum Deum tuum adoravis.*

Cogitate, quam horrendum sit, quando homo

invocat creaturam, a qua non auditur, quae non est Deus. Non tantum est idololatria, quando adoratio fit ad statuam: Sed etiam, cum creatura, quaecunque ea sit, invocatur, Quia talis invocatio tribuit ei divinitatem, quod non est divinitas.

Recte autem ad hunc filium dirigitur invocatio, sicut hic expresse dicit Stephanus: *Domine Iesu suscipe spiritum meum*, Quia est natura Deus, et est instaurator vitae aeternae. Ita ipse filius inquit: *Venite ad me omnes, et ego reficiam vos.* Sic Paulus orat: *Dominus Iesus det vobis.* Et Psalmi loquuntur de invocatione Messiae: *Invocabunt eum. Omnes gentes deprecabuntur eum.* Saepe audivi conquerentem D. Martinum: Si nihil esset mali in invocatione sanctorum, nisi quod obscuratum est hoc argumentum, quod vera invocatio Messiae sit testimonium, quod sit Deus, nimis magnum malum esset. Et tamen sunt innumerabilia mala in isto pessimo cultu sanctorum.

Nos exemplo Stephani debemus exuscitare invocationem nostram ad filium Dei, quem recte oramus utraque modo, ut et oret ipse pro nobis aeternum patrem, et ut ipse nos iuvet. Quotidie clamemus: Iesu fili Dei, miserere mei, exaudi me, intercede pro me apud aeternum patrem tuum, Sanctifica me, dato Spiritu sancto rege, et iuva me. Non satis est, quod scitis illam negativam, Invocationem sanctorum nihil esse: sed accedat et affirmativa, ut serio et ardenter invocetis Deum in agnitione filii, et invocetis filium ipsum.

Precatio Stephani est testimonium de toto Evangelio. Testatur, quod filius sit Deus. Quia creata natura non potest salvare, Testatur item, quod credentes post mortem transferantur ad Christum. Testatur, quod aliud sit spiritus, aliud corpus.

De Stephano etiam memineritis versum Bembi, qui scripsit carmen magna elegantia, quod tamen non est integrum, de Stephano:

Ibat ovans animis: et spe sua damna levabat.

Differunt triumphus et ovatio. In triumpho maior erat pompa, et taurus mactabatur. Ovatio erat minor pompa, et mactabatur ovis. Ovans, id est, laetans, triumphans. Considerate discrimina trium virtutum. Theologicarum, fidei, spei, dilectionis. Fides in praesentia accipit remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, imputationem iustitiae. Spes intuetur futura. Est enim expectatio vitae aeternae certo dandae propter filium Dei, et mitigationis aut liberationis in hac vita iuxta consilium Dei. Papistae obiiciunt nobis:

Fiducia est actus spei.
Ergo non est actus fidei.

Respondeo. Fide accipimus praesens bonum. Spe expectamus futura. Haec explicatio et distinctio fuit valde grata multis bonis: Et nominatim dicere possum de viro gravissimo et gravissime iudicante D Hieronymo Schurffio. Dilectio est in fide obedire omnibus mandatis Dei, cum quadam laetitia in Deo. De his tribus virtutibus moneri nos cogitemus illo versu. *Ibat.* Significatur obedientia. Er gehet hin, lest sich schlachten, wie ein schefflin. Scit hanc obedientiam Deo placere, et cum quadam laetitia tolerat martyrium. *Orans animis:* Respicit ad fidem, qua statuit personam suam acceptam esse Deo per filium, et sentit consolationem, ut dicitur: Iustificati fide, pacem habemus. Fit etiam expressa mentio *Spei: Levabat damna sua spe,* id est, certo expectabat aeternam gloriam, salutem, laetitiam, consuetudinem cum Deo.

Has virtutes singuli debemus exercere in omni vita, et in media morte. Sciamus nos Deo praestare obedientiam debitam, quoties vocamur ad aerumnas propter confessionem. Sciamus placere Deo, et personam nostram propter mediatorem fide, et hanc obedientiam, cum et confessionem edimus, et eam obsignamus tolerantia. Proponamus etiam nobis immortalitatem, et speremus eam iuxta mandatum Dei, Quia singula ista Deus mandat nobis omnibus: ut credamus nos propter filium Dei recipi, et expectemus futuram vitam, et bona illa aeterna, scilicet in resurrectione, et consuetudine cum aeterna Ecclesia. Item ut credamus placere Deo nostram confessionem, et afflictiones nostras, quas alii habent alias.

1. Petr. 1. dicitur, Perfecte seu firmiter sperate τελείως ἐλπίζετε, id est, integra. plena. firma spe expectate gratiam, hoc est, munus, domum, quod exhibebitur nobis, quando apparebit Dominus.

Nisi cor habeat obiectum bonum. non laetatur. Causa laetitiae est obiectum bonum. Quando mens intuetur obiectum malum, non habet laetitiam. Stephanus intuetur bonam voluntatem Dei. Scit sibi remissum esse peccatum, scit se vocari ad laetissimam consuetudinem cum filio Dei. Ideo est bono et tranquillo animo, et scit placere Deo hoc sacrificium, quod propter confessionem moriturus erat. Saul videt poenam, sed non videt bonum. Ideo non potest habere laetitiam.

Saepe igitur cogitemus hunc versum. cum quo congruit illud insigne dictum Pauli: *Pax Dei regnet in cordibus vestris.* id est, retinete iustitiam fidei. tranquillitatem cordis. confidite, quod sitis curae Deo, quod sitis recepti, quod Deus adsit vobis, quod sit mitigaturus calamitates. Haec sunt realia, et habent usum in vita. Et quidem manere debet spes vitae aeternae, etiamsi omnia corporalia bona tollantur. Iob. 13.

IN HISTORIAM NATIVITATIS CHRISTI.

Exiit decretum a Caesare Augusto, etc.

Lucae II.

Explicatio circumstantiarum historiae.

Primum historica nota esse debent. Fit mentio *Caesaris Augusti*, qui successit Iulio, autori Monarchiae Romanae: Quia fuit praedictum, ut nasceretur Messias in quarta Monarchia. Id monstratum est Danieli in duabus visionibus. Ut igitur ostendat Evangelista completam esse prophetiam, et doceat congruere Evangelium cum Prophetis, facit mentionem Imperii Augusti.

Cogitent autem hic adolescentes, Ecclesiae omnino opus esse doctrina historiarum. Quam turpe esset ignorare, quae et quot fuerint Monarchiae? Id vero ex historiis discendum est, quae discernunt summa illa imperia: Chaldaicum, Persicum, Graecum, Romanum, cuius qualiscunque umbra adhuc est reliqua.

Deinde fit mentio *Praesidis Syriae* (cuius pars est Palaestina) Item *census*, ut significetur servitus illius temporis in populo Iudaico: De qua dictum fuit in illa praedictione Iacob: *Non auferetur de Iuda sceptrum, neque legislator de pedibus eius, donec venerit Schiloh, et gentes ad eum convertentur, seu gentes ei adhaerebunt,* hoc est, Iudaica politia tantisper manebit, donec venerit Messias.

Cum autem hodie tot saeculis iaceat deleta politia, certo convinci possunt Iudaei, quod exhibitus sit Messias. Hoc argumentum Iudaei non possunt solvere. Politia Iudaica iam nihil est annis 1500. Ergo necesse est venisse Messiam, quia prophetae clare dicunt, quod in illa politia, et quidem in illa urbe Ierosolyma, et in illo templo secundo sit praedicaturus Messias: et quod Monarchia Romana funditus postea deletura sit politiam Iudaicam. Ac saepe quidem Iudaei conati sunt eam restituere: Sed Deus eis semper adversatus est.

Tempore Adriani Imperatoris annis circiter 40. post ultimum excidium Ierosolymae, collecta est magna multitudo Iudaeorum. Et habuit Ducem Bencochab, ad quem vaticinium illud accommodarunt: *Orietur stella ex Iacob.* Sed cum eventus non respondisset, vocaverunt eum Bencosbah, id est, filium mendacii. Mirabile est autem potuisse tantam multitudinem colligi florente tum Imperio Romano, cum esset alioqui gens dissipata. Adrianus non sine magno negotio exercitum illum profligavit.

Postea Iulianus odio Christianorum concessit Iudaeis, ut instaurarent suam politiam: Sed cum coepissent aedificare templum, moles illa, quam inchoaverant, terrae motu quassata, et absorpta est, et perierunt multa millia Iudaeorum simul illo hiatu terrae. Habebant tunc Iudaei Imperatorem faventem ipsis, et adiuvantem eos. Ideo sperabant se iam instauraturos politiam. Sed Deus dissipavit eorum conatus immediate per terrae motum, Adeo facile est Deo perdere, quos et quando vult, et quomodo vult.

Sciamus igitur non frustra, aut otiose hic mentionem fieri Augusti, et Praesidis Romani, dominantis Regioni Iudaicae, ut non dubitemus venisse Messiam, et ut consideremus, quo tempore natus sit Messias. Vult enim Deus nos considerare tempora: Non vult Ecclesiam esse ineruditam. Ac saepe debemus cogitare inde ab initio conditi generis humani seriem temporum, liberationum Ecclesiae et reliquorum operum Dei, praesertim adventus Messiae in carnem.

Edictum Augusti, *ut describeretur orbis, id est, ut censeretur totus orbis,* significat Imperium fuisse populi Romani, vel Imperatoris Augusti, Alioqui non potuisset agere censum de toto orbe.

Quid autem fuit census, et quid est illud censere, seu censum agere? Aliud est loqui de expilationibus usitatis, quas Germani vocant Schatzung: aliud de censu, in quo etsi aliquid dabatur, tamen principaliter fiebat aestimatio facultatum, et numerabantur subditi, ut sciretur, quantum valerent singulae provinciae, exercitu, et pecunia. Nam bella, quibus occupati erant Romani, non potuerunt geri sine pecunia et hominibus: Et in Imperiis oportet esse ordinem constitutum certis legibus.

Erant exercitus Romanorum distributi in provinciis, tanquam praesidia, et cogitandum erat, unde Praesidia alenda essent, unde sumendum esset frumentum, stipendium, arma, apparatus, sicut in bellis, et quolibet regimine opus est multis rebus. Voluit igitur Augustus fieri aestimationem, ut sciret, quid in provinciis esset facultatum, quanta esset multitudo subditorum, quid quisque pendere posset. Hic census erat signum subiectionis, etiamsi utcunque manebat adhuc legislator, id est, autonomia in religione et vestigia aliqua doctrinae.

Porro Evangelista ait, Mariam transivisse ex Nazareth in Bethleem.

Nazareth habet nomen a surculo: Et fuit ille tractus amoenissimus in Galilaea. Ibi Maria et Ioseph fuerunt quasi exules, habitaverunt extra suas possessiones, cum essent ex tribu Iuda. Nam usitatum alioqui erat, ut singuli habitarent in suis possessionibus. Fuit magna miseria illius temporis, cum dispersae fuerunt tribus extra suas possessiones. Et vagati sunt eodem tempore in Iudaea exercitus pessimorum hominum, Parthici, Syriaci, Aegyptiaci, Arabici, postea etiam Romani, et ta-

men Deus servavit illas honestissimas, et formosissimas matronas, Mariam, et sororem eius, et alias virgines, quae manu Dei tectae fuerunt.

Id magnum fuit miraculum. Atque ita sciamus, nos quoque tegi manu Dei, et non posse homines tutos esse tantum humanis praesidiis. Saepe homines ita cogitant: Ego volo migrare in aliquam civitatem, quae est munita, et habet bonum regimen, ubi credibile est futurum esse bonum statum, ibi volo collocare meos liberos, ut ibi permaneant. Sic principes cogitant: volo me sic munire praesidiis, ut mei posteri habeant certum aliquem statum. Etsi autem est aliquis locus diligentiae et sapientiae humanae, tamen nondum hoc satis est, quia uno momento possunt illa omnia mutari.

Ioseph et Maria habitabant in Galilaea tuti et incolumes, tantum sub protectione divina. Tunc autem profecti sunt ad Bethlehem, ut censerentur. Hoc est testimonium, quod fuerint ex tribu Iuda. Quod rursus congruit ad vaticinia prophetica, quae non dubium est illos intellexisse, sicut ipsi Pharisaei, interrogati ab Herode, ubi nasciturus esset Christus, nominant *Bethlehem*.

Consideretur autem distantia locorum. Nazareth dissita erat a Ierosolymis miliaribus circiter 19. Fuit propemodum intervallum, quantum est inter Wittebergam et Erfordiam. Bethlehem abfuit a Ierosolymis sex miliaribus Italicis, ut ait Hieronymus, id est, nostrati miliari, et dimidio, quarum est spatium fere inter Wittebergam, et Kembergam, vel paulo amplius.

Ideo consentaneum est, pertempus puerperii multos sanctos venisse ad Mariam ex Ierosolymis, Zachariam, Elizabeth, et alios. Quia iam fama coeperat spargi natum esse Messiam. Patefecerat Deus statim per angelos nativitatem filii sui: Et pastores nuntium illud longe lateque dissipaverant.

Cogitemus igitur, quanta laetitia tunc fuerit in animis sanctorum, etsi de regno Christi alii aliis plus intellexerunt.

Cogitemus etiam, non velle Deum, Ecclesiam suam esse ignotam, sed velle conspici testimonia de omnibus articulis fidei. Ita tunc voluit sciri natum esse Messiam: Angeli annuntiant: *Evangelizo vobis gaudium magnum:* Pastores dant testimonium, quod audierint vocem angelicam. Ipsa etiam Maria et Ioseph habuerunt sua testimonia, Quia angelus dixerat ei infantem istum esse Messiam, et ne abiiceret coniugem, quod esset gravida. Maria collocuta erat cum angelo et sciebat se concepisse sine viro. Et habebat testimonia multa in corde suo. Accesserunt successu temporis et alii multi testes, Magi, Simeon, Hanna. Horum voces sunt propagatae et passim sparsae ad multos. Et scripta sunt ista propter nos, ut fides in nobis confirmetur. Nam universaliter exemplo membrorum Ecclesiae confirmatur fides de omnibus articulis.

Sed consideremus simul dissimilitudinem Ecclesiae et Imperiorum. Non sic incurrunt in oculos, quae in Ecclesia geruntur, ut ea, quae fiunt in imperiis.

Cum Alexander cum suo exercitu currit per totam Asiam, omnes gentes vident illum exercitum: Experiuntur vastationes provinciarum et magnarum urbium eversiones. Cyrus it per Orientem, evertit in Asia multas et magnas urbes. Iulius currit per Italiam, a Roma usque ad Brundusium. Inde traiicit in Thessaliam. Victo Pompeio occupat Asiam, domat gentes. Talia incurrunt in oculos.

Etsi autem Ecclesia quoque conspicitur, tamen non isto modo conspicitur, et contemnuntur res, quae in Ecclesia fiunt propter personas imbecilles, ut pastorum narratio a multis spreta fuit. Evangelista tamen ait, *Mariam conservasse omnia ista, et contulisse in corde suo.* Quanquam enim apud ipsam antea fuerat Angelus, et ipsa sciebat se concepisse sine viro, tamen confirmata est aliorum testimoniis, et fuit ei facilius profiteri veritatem, cum audivit similia ex aliis.

Isto exemplo moveamur, ut sit in nobis quoque studium considerandi testimonia divina. Tota Ecclesia, et nos singuli debemus audire, legere, considerare testimonia a Deo monstrata, idque non modo ut certitudinem fidei confirmemus, sed etiam ut simili modo nobis applicemus beneficia Dei.

Canticum Angelorum.

Volo autem aliquid addere de Cantico angelorum. Videmus, quanta sit laetitia angelorum. Ipsi non sunt redempti, quia filius Dei mittitur ad nos homines liberandos, sicut dicitur: *parvulus natus est nobis:* Et tamen mirabiliter laetantur angeli propter nostram salutem. Sunt enim Spiritus humiles et benefici, non sunt superbi, libenter serviunt et ipsi Christo, et universae Ecclesiae, quantumvis sint excellentes naturae Contra experimur, quanta sit insolentia, quanta superbia in hominibus. Omnes volumus esse summi: non volumus cedere aliis. Huius superbiae pudere nos debet, quoties consideramus summam humilitatem filii Dei, Item Angelorum, qui deiiciunt se infra nos, non invident nobis, sed gratulantur nostrae saluti. Canunt pulchram cantilenam, qua celebrant beneficia, quae dantur per hunc filium

Primam tribuunt *gloriam Deo*, quia tantum glorificatur Deus in genere humano agnito filio, seu per hunc filium exhibitum. Quid est autem gloria? Fundamentum gloriae sunt omnes virtutes recte

agnitae in Deo. Epicurus non tribuit gloriam Deo, dicit Deum nihil esse. Saul quanquam iudicat aliquid esse Deum, tamen non tribuit ei gloriam, quia sentit eum esse crudelem. At David tribuit Deo gloriam, quando resurgens ex lapsu apprehendit misericordiam promissam in filio.

Si non esset tradita promissio de Christo, et secundum hanc promissionem Christus exhibitus, non posset tribui Deo gloria.

Iam cogitemus, quam pauci sint, qui tribuant Deo veram gloriam, hoc est, qui tribuant ei omnes virtutes, quod sit iustus in puniendo, et misericors in recipiendo, et quidem perac propter hunc filium, quem amat pater, et propter quem vult nos salvare.

Postea canunt *Et in terra pax*; loquuntur de pace mutua inter Deum et homines, seu de pace conscientiae, videlicet, quod iam Deus reconciliatus est hominibus, et homines accipiunt hanc reconciliationem, et sciunt se non damnatos et abiectos esse.

Tandem addunt angeli: *Hominibus laetitia.* Non enim possum vocabulum *εὐδοκιας* commodius reddere, quam vocabulo laetitiae. Agnita misericordia, et reconciliatione facta, simul inchoatur in nobis laetitia. Gaudent homines se habere spem vitae melioris, libenter Deo obediunt, confitentur et gratias agunt. Homo Ethnicus non habet laetitiam, cum cogitat post hanc vitam nihil restare, ideo de omnibus impiis vere dicitur in versu:

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Soli autem credentes laetantur in Deo, et haec laetitia complebitur in vita aeterna.

Ut autem angeli canunt, ita volunt nos quoque accinere, intelligere, agnoscere, accipere haec bona, et celebrare: tribuere Deo gloriam, habere pacem, et laetitiam in Deo.

Mundus contra facit, multi contemnunt Deum, non timent, non confidunt ei. Hi non tribuunt Deo gloriam. Deinde non habent pacem, irascuntur Deo, et vicissim reiecti sunt a Deo, Sunt vasa irae, quae ruunt in exitium. Non sentiunt laetitiam in Deo, laetantur in scelerate factis aliquamdiu, sed ista laetitia non est diuturna.

Cogitemus semper istos duos coetus esse in genere humano: Unus est, in quo praesidet tota divinitas. Et angeli sunt praecentores. Pii et credentes non solum sunt auditores, sed ipsi una accinunt. Alter coetus est, in quo sunt hostes filii Dei, quibus praesidet Diabolus, trahens secum magnum agmen eorum, qui blasphemias contra Deum ululant, qui odium Dei, fremitum et indignationem adversus Deum, et postea aeternos dolores sentiunt.

Hic cogitemus, in quo coetu velimus esse. Sumus vocati a Deo ad aeternam lucem et vitam, et donantur nobis pax et laetitia per hunc filium natum ex Maria Virgine, quae etsi interturbantur in hac vita variis tentationibus, tamen in his, qui retinent fidem, consummabuntur in tota aeternitate, ubi hymnus iste integre ac perfecte complebitur. Percurri praecipua membra historiae: Nunc adiungam dicta expressa veteris Testamenti de missione filii Dei.

Dicta Prophetica de Messia insigniora.

Omnes et singuli vera gratiarum actione debemus magnitudinem istius operis intueri, et simul gratias agere pro omnibus beneficiis filii Dei, pro collectione, gubernatione, et salvatione Ecclesiae. Item petere, ut adsit nobis filius Dei, regat et salvet nos. Haec ut possint in nobis fieri, debent nobis in conspectu esse testimonia veteris Testamenti de filio Dei.

Primum igitur et antiquissimum testimonium est: [Gen. 3.] *Semen mulieris conculcabit caput serpentis.* Id interpretatur Ioannes inquiens: *Filius Dei apparuit, ut destruat opera Diaboli.* Hac consolatione senserunt primi parentes se vivificari in maximis pavoribus. Intellexerunt salvatorem promissum futurum esse hominem: Et tamen habiturum divinam potentiam ad tollendum peccatum et mortem. Agnoverunt ergo in eo naturas duas.

Secundum dictum illustre et insigne est [Gen. 12.]: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Benedictio opponitur maledictioni, et rursus est magna consolatio, Et quia dicit: omnes gentes benedicentur, facile apparet non promitti regnum politicum in Iudaea, sed promissionem loqui de salvatione omnium gentium, Quia benedictio non significat oppressionem, sed protectionem et salvationem ad vitam aeternam.

Tertium est [Gen. 49.]: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec venerit Schiloh.* Respicit Iacob ad primam promissionem, et sicut ibi dictum est de semine mulieris, ita per tapinosin, vel extenuationem singularem vocat eum Schiloh, quod est, *χόριον αὐτῆς*, id est, foetus eius. *Χόριον* significat fasciolam cingentem foetum, sed synecdochice ponitur pro ipso foetu. Nominatur autem Messias a fascia illa propter naturam humanam, quam assumit ex Virgine. Deinde propter infirmitatem. Fascia illa, quae nominatur *χόριον* et secundina, est cruenta et immunda, et foetus, cum primum editur in lucem, est tenerum quiddam et fragile. Talis est Christus sudans sanguinem. et pendens in cruce, ubi sentit effusam iram patris in se. Additur autem: *Gentes ad eum congregabuntur*. id est. Erit caput Ecclesiae.

Quartum testimonium est [2. Sam. 7.]: *Aspicis me in forma hominis, qui es Iehova in excelsis Deus.* Agit David gratias Deo, pro data promissione Messiae, et describit, Quis et Qualis sit. Comprehendit utramque naturam. Respicis me, assumpta humana natura, et vis ac potes me salvare, cum sis Deus 1. Paralip. 18. et 2. Samuel. 7.

Quintum testimonium est Psalmo 2. *Osculamini filium*, id est, amanter excipite eum, non persequimini eius doctrinam. Alludit ad morem illarum gentium, et significat amanter excipiendum esse Messiam, sicut hospites complexu et osculo accipimus. Est enim haec vetus consuetudo, ut amici se invicem complectantur et exosculentur se mutuo. Gallicae gentes adhuc amplectuntur se, et addunt osculum. Apud Reges recepta fuit consuetudo, ut cum Rex praeberet manum, subditi cum significatione reverentiae oscularentur suas manus. Diocletianus instituit primus, ut provinciales ei pedes oscularentur, quod Papae imitati sunt.

Fuit et alius mos, qui haud dubie ortus est a patribus, ut supplices exoscularentur genua. Iacebant enim prostrati coram eo, cui supplicabant. Graecum verbum *προςκυνεῖσθαι* est a *γόνυ* genu, vel *κῦσαι*, quod significat füssen. Apud Homerum saepe est illa phrasis *ταῦτα ἐν γούνασι θεῶν κεῖται*, id est, illa petenda sunt suppliciter a Deo. Posita sunt in genibus Deorum. Deus orandus est, ut misereatur nostri, tanquam supplicum. Fuit autem et haec consuetudo supplicum, ut tenerent filium eius, quem orabant et per eum obtestarentur patrem. Haec est pulchra imago haud dubie sumpta a patribus. Plutarchus narrat de Themistocle. Cum venisset ad Regem Molossorum, cui fuerat hostis, dixit ei Regina, ut, si vellet regi, qui tum aberat: fieri supplex, procumberet ad aram, positam in vestibulo aulae: Se praebituram parvum filiolum, ut Regem ingredientem, per eum obtestaretur, et ad misericordiam flecteret, quo pulsum ex tota Graecia reciperet ac defenderet. Ita nos procumbamus coram Deo, osculemur genua patris, et monstremus ei filium, et petamus, ut propter eum nostri misereatur.

Tales imagines imprimamus animis, quia sunt gravissimae commonefactiones, et multum doctrinarum continent.

Ex Psalmis adiungantur et alia testimonia, ut Psalmus 45. qui est splendidum Epithalamion de Messia, et Psalmus 72. Deus iudicium tuum da Regi, Item totus Psalmus 110.

Septimum testimonium sint dicta Esaiae cap. 7. *Ecce virgo est gravida et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emanuel.* Alii exponunt, virgo concipiet, seu erit gravida. Sed illustrius est exponere hoc modo: Virgo est gravida. Nam si quae nunc est virgo et postea fit gravida: id non pertinet ad rationem miraculi, quod hic promittitur. Nomen vero Emanuelis interpretatur Evangelista Matth. 1. quasi dicas, nobiscum Deus, quia assumit humanam naturam, et eo ipso testatur, quod fecerit foedus cum genere humano, Item quia in natura humana assumpta voluit inter nos versari, Denique quia semper adest Ecclesiae, gerit fraternum affectum. Et revera est opitulator et servator totius Ecclesiae. Et cap. 9. *Parvulus natus est nobis et filius nobis datus est, cuius nomen est admirabilis, Deus fortis, consiliarius, pater futuri seculi,* id est, reddens aeternam iustitiam et vitam. Et cap. 11. *Stabit radix Iesse in signum seu vexillum populis.*

Octavum testimonium est apud Ieremiam, cap. vigesimo tertio, et trigesimo tertio. *Suscitabo David germen iustum, et vocabitur nomen eius Iehova iustitia nostra,* id est, illa persona, quae nascetur ex stirpe, vel posteris David, invocabitur ac praedicabitur, quod sit vere Deus. Iehova est nomen substantiale Dei, non tribuitur alicui, nisi qui est substantialiter Deus. Est autem *iustitia nostra,* merito et efficacia: Nam obedientia Messiae imputatur nobis, ut sit iustitia nostra, iuxta dictum Pauli: *Propter obedientiam unius, multi constituentur iusti.* Postea cum sumus propter Christum accepti, inchoatur in nobis iustitia, id est, novitas consummanda in tota aeternitate. Latinus textus habet: Deus iustus noster. Sed hoc est infirmius. Osiander dictum Ieremiae tantum de effectione intelligit. Sed oportet prius dici de imputatione.

Nonum est apud Danielem [c. 8.], qui nominat Messiam *Palmoni*, id est, mirabilis, seu mirifica, vel miranda faciens, qualia sunt omnia illa mirabilia, quod colligit sibi Ecclesiam in hac vita, iustificat, sanctificat, regit, defendit, resuscitat ex morte. Cum stas in coemiterio, et vides hominem sepeliri, certe illa est deformis facies, et tamen credere debemus, quod simus resurrecturi, et futuri in gloria.

Decimum est apud Oseam [c. 12.]: *O mors ero mors tua.* Cum hoc conferatur illud Iobi: *Scio, quod Redemptor meus vivit, et suscitabit me ex pulvere terrae, et videbo eum oculis meis.*

Undecimum est, quod Michaeas, nominans locum nativitatis Messiae, expresse inquit: *Egressiones eius ante dies mundi.* Totum illud dictum concionatur de utraque natura Christi; et de officio eius. Testatur, quod filius Dei sit ante assumptionem naturae humanae. Est creator cum patre, et semper adfuit Ecclesiae, et tamen nascitur in Bethlehem.

Postremum testimonium est apud Zachariam cap. 9. *Tu in sanguine testamenti educes vinctos tuos ex lacu, in quo non est aqua.* Apud eundem prophetam c. 3., exstat vocabulum *Zemah* de Messia, id est, germen, et puto Zachariam, patrem Baptistae, voluisse hanc vocem imitari, cum nomi-

nat Christum ἀνατολὴν ἐξ ὕψους. quod Latinus interpres vertit: *Oriens ex alto.* Debebat verti *germen ex alto*, quia voluit Zacharias docere manifestationem filii Dei in carne, et significare mysterium divinae conceptionis, et nativitatis eius.

Ex his et similibus dictis conspici potest consensus Prophetarum, et debent haec esse exercitia huius festi, considerare, et expendere talia dicta, in quibus multum est Grammaticae, historiarum, et aliarum optimarum rerum, quibus confirmatur fides, et excitatur invocatio.

Haereticorum furores contra Deitatem filii.

Intueamur etiam furores mundi belligerantis cum Christo. Inter Iudaeos Pharisaei, postea Cerinthus, Ebion, Samosatenus, Arrius, Nestorius, Eutyches, impugnarunt articulum de persona Christi. Et hi furores a multis nunc renovantur. Totum Regnum Mahometicum nititur istis blasphemiis. Turcae putant summam sapientiam esse, quod dicunt Christum non esse Deum. Multos etiam sapientes turbat Diabolus illis cogitationibus, ut vix assentiantur, quod ante assumptionem naturae humanae Messias fuerit ὑφιστάμενον, id est, subsistens seu persona. Ideo confirmemus nos testimoniis divinis.

Paulus dicit *Christum fuisse apud populum in deserto*, Et Christus ait: *Antequam Abraham erat, ego sum*, Item: *Glorifica me ea gloria, quam habui apud te ante initium mundi.* In primis vero sit notissimum exordium Evangelii Ioannis: *In principio erat λόγος*, etc. Similiter ad Coloss. et Hebr. *Per quem secula fecit.* Item Iacob inquit: *Angelus, qui liberavit me ab omnibus malis, benedicat pueris istis.* Loquitur de filio Dei, tanquam de persona inde usque ab initio missa, Et quae, ut Irenaeus loquitur, semper adfuit Ecclesiae.

Haec est enim illa persona, quae servavit Noe, quae hospitio accepta est ab Abraham, quae sua manu incendit Sodomam et Gomorrham, quae conspecta est a Iacob in scala, et luctata est cum eo in specie viri, quae servavit Ioseph, quae Mosen eripuit ex undis, quae gubernavit manus Iosuae, Gedeonis, Davidis, quae conspecta est in fornace Babylonica. Haec omnia testantur filium esse ὑφιστάμενον ante assumptionem carnis.

Addantur et testimonia de omnipotentia Christi. *Pater meus usque modo operatur et ego operor. Sine me nihil potestis facere.* Sed inprimis cogitemus testimonia de invocatione, quae extant passim, et confessio totius Ecclesiae illustris est in illa precatione pathetica: *Kyrie Eleeson. Christe Eleeson.* Et hanc formam precationis singuli saepe usurpemus.

Paulus scribit ad Timoth. *Exsuscita donum quod in te est.* Utitur verbo ἀναζωπυρεῖν, quod significat excitare flammam, igne iam velut sopito, vel semisopito. Vult igitur excitari veram doctrinae agnitionem, et caetera dona Dei, diligenti cogitatione, et precatione seria. Nam in securitate amittitur agnitio Dei.

Non est ea ratio doctrinae de Christo, ut statim arripiatur, sine omni cogitatione, et retineatur sine meditatione, et lucta. Stofflerus Mathematicus dicebat de sua doctrina: Ego si possem per clepsydram, seu infundibulum, durch einen trechter infundere meis auditoribus ea, quae utiliter eos doceo, non possem forte ab eis impetrare, ut tam diu essent quieti, donec infunderem. Sed multo maior negligentia est in Ecclesia. Et iste stupor, atque ignavia ista est signum secuturae barbariei et caliginis.

Confirmatur autem ignavia ista multorum clamoribus, qui nihil aliud sciunt, quam ut vociferentur, homo se habet pure passive. His clamoribus excutitur diligentia, quam Deus praecipit. Oportet audite doctrinam Ecclesiae, considerare testimonia vocis divinae, adhibere cogitationem seriam, quia verbum Dei non est efficax magico more. Non trunco, sed cogitanti datur sapientia. Non contemnenti, sed petenti datur Spiritus sanctus.

Ideo sic celebremus hoc festum, ut inculcemus nobis et familiarissime nota reddamus dicta scripturae de Messia. Repugnemus dubitationi, et assentiamur verbo Dei. Et cum agnoscimus nostram infirmitatem, clamemus: *Credo Domine, sed tu opem fer incredulitati meae.*

Videamus etiam, ne deformemus nomen Christi, et Ecclesiam, malis exemplis. Non cogitent adolescentes, pulchrum esse in solennibus festis furere et bacchari. Sint in nobis significationis aliquae piarum cogitationum, et meditationum, et agamus Deo gratias pro missione filii, et aliis beneficiis, et petamus, ut nos regat et doceat, nec sinat omnia degenerare in barbariem, et vitam cyclopicam.

Cogitemus festa celebranda esse, non ululatibus furiarum, sed gratiarum actione, precatione, meditatione doctrinae. Sit nobis in conspectu dictum Ignatii: μὴ ἀτιμάζεσθαι τὰς ἑορτάς. Quod in festis plerumque accidunt aliqua mala, ut videmus in multis casibus tragicis: id non dubitemus poenam divinam esse, Quia Deus punit petulantiam in violandis Sabbatis

APPENDIX

Recitans commonefactiones quasdam, eodem die nativitatis Christi, diversis annis recitatas a Domino Philippo Melanthone.

In doctrina de beneficiis Christi, et de causis, propter quas duae naturae unitae sint in Christo, utile est cogitare nomina, quibus hic Dominus appellatur respectu officii: Qualia sunt: *Mediator, Redemptor, Iustificator, Salvator,* Item, *Rex et Sacerdos.*

Singula haec valde multa comprehendunt. Et tamen collata invicem, magis dulcescunt. Omnia autem illustriora fiunt, cum series et ordo beneficiorum filii consideratur.

Primum mittitur filius ad Ecclesiam, ut proferat promissionem de salute generis humani, hoc est, ut revelet Evangelium ex arcano consilio patris, ut dicitur: *Deum nemo vidit unquam. Filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis.*

Hoc quantum sit beneficium, pie cogitandum est. Ethnici dicunt hominem omnium animantium esse miserrimum, Quia vident eum in hac vita maxime calamitosum esse, et aerumnosum. *ἄνθρωπον ὄντα,* inquit Xenophon, *πάντα δεῖ προσδοκᾶν.* Et Herodotus *ἄνθρωπος πᾶν συμφορά. Hoc totum, quod est homo, est calamitas.* Videmus conculcari et extingui homines ut violas. Nihil pulchrius est viola. Color est gratissimus oculis: Et succus habet efficaciam in curationibus multorum morborum. Sed facillime tamen perit, et conculcatur pedibus.

Idem fit de homine. Mirantur autem Ethnici, cur hominum natura, quae praestantior est rebus nascentibus ex terra, simili conditione sit: Imo quod homo magis, quam ullum aliud animal calamitatibus sit subiectus. Nec possunt vel causas veras, vel remedia monstrare tantarum miseriarum, etsi praecipuam partem eloquentiae suae in his deplorandis consumserunt poetae et oratores Ethnici. Haec vero tantum patefiunt in Evangelio. In hoc si non esset facta revelatio de restitutione vitae aeternae, de praesentia et auxilio filii Dei habitantis in Ecclesia, et gestantis eam, tum sane essemus miserrimi. Sed habemus consolationem ex voce illa prolata per filium Dei, qui eam ipsam doctrinam obsignavit, tum aliis multis miraculis, tum resuscitatione mortuorum, et sua ipsius resurrectione.

Propter hoc beneficium vocatur *angelus magni consilii, Esa. 9.* Quia videlicet exponit nobis consilium illud mirandum, de liberatione a peccato et morte, et de gratuita reconciliatione cum Deo, et ipse per hanc vocem est efficax, dat Spiritum sanctum, accendit fidem, consolatur, regit, sustentat, vivificat nos.

Secundo Filius mittitur, ut offerat sacrificium pro nobis. Id beneficium significatur vocabulo Redemptoris, nam Redemptor significat Christum patientem pro nobis, et solventem *λύτρα.* Aliud autem est liberatio, aliud redemptio. Redemptor est, qui dat pretium pro alio. Ita filius Dei est Redemptor noster, respectu patris. Filius Dei non dat Diabolo *λύτρα* pro nobis, sed patri pro nobis satisfacit obedientia sua, et poenas sustinendo pro nobis. Et haec satisfactio est nostra iustitia, propter quam sumus Deo accepti.

Respectu Diaboli filius Dei est liberator noster, nihil dat Diabolo, sed punit eum tanquam latronem iuxta dictum: *Gratis venundati estis, et gratis redimemini,* hoc est, Diabolus rapuit Deo suam possessionem, tanquam fur et latro. Vendicavit sibi, quod non erat ipsius, sed Dei. Deinde nec homines quicquam boni ex spoliatione illa, seu furto nacti sunt: neque Deo aliquid datum est per Diabolum. Id Esaias nominat, *Gratis nos venundatos esse.* Huc pertinent illa quae saepe dicta sunt alibi de temperamento iustitiae et misericordiae in Deo, quod lucet in opere redemptionis. Ea huc referantur, ut agnoscatur magnitudo huius beneficii.

Tertio Christus assidue intercedit et interpellat pro nobis, applicat nobis meritum sacrificii sui coram aeterno patre, perfert vota et gemitus nostros ad patrem, et efficaciter nobis impetrat bona.

Id praecipue significatur vocabulo mediatoris, Et sic Psalm. 2. scriptum est: *Postula a me, et dabo tibi gentes.* Item: *Qui sedet ad dextram patris intercedens pro nobis. Et semper apparens pro nobis in conspectu patris.* Hoc etiam beneficium quantum sit, alibi saepe dicitur, quoties praecipitur, ut in precatione nostra intueamur hunc mediatorem deprecantem pro nobis, et efficientem, ut preces nostrae exaudiantur a Deo, sicut Dominus ipse inquit: *Quicquid petieritis in meo nomine, etc.*

Quarto: Assidue colligit Filius Dei Ecclesiam in genere humano, per verbum ab ipso patefactum. Huic donat iustitiam suam, dat remissionem peccatorum, imputat a sua obedientia. Hanc sanctificat, hoc est, dato Spiritu sancto instaurat in nobis imaginem Dei, ad quam sumus conditi. Propter hoc beneficium nominatur *iustitia nostra et sanctificatio.* 1. Cor. 1. De quo beneficio similiter plura alibi dicuntur, cum explicatur doctrina integra de iustificatione nostri coram Deo, et de inchoatione spiritualis novitatis in nobis.

Quinto: Defendit filius Dei, et servat Ecclesiam et singula membra, sicut inquit: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Et in Esaia. *Ego*

gestabo vos etiam in senecta, quasi dicat, Ecclesia erit exigua et languida in postrema aetate mundi, sicut videmus maximam partem generis humani esse caecam diabolicis furoribus, ut totam colluviem Turcicam, et inter eos qui dicuntur Christiani, ingens multitudo est illorum, qui sunt Epicuraei, et tetros errores habent. Nos ipsi non sumus tales, qualis fuit Noe, Abraham, David. Servat tamen filius Dei genus humanum, et assidue adest Ecclesiae. Ideo dicitur Rex noster: sicut priora beneficia, quae filius Dei praestat Ecclesiae docendo, redimendo, interpellando, iustificando et sanctificando credentes, plaerumque comprehenduntur appellatione summi sacerdotis. De hac perpetua praesentia filii Dei in defensione, gubernatione, ac conservatione Ecclesiae, historia patrum, et experientia nostra monere nos quotidie debet, et exuscitare ad precationem, ut nunc quoque adsit nobis Immanuel noster, sicut dixit: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.*

Postremo salvabit filius Dei Ecclesiam, id est, finaliter eam liberavit, dabit electis iustitiam integram, et possessionem vitae aeternae, tollet in universum, quicquid peccati in eis fuit, abolebit mortem, et calamitates omnes, cum quibus in hac vita nobis conflictandum est. Ideo nominatur *Salvator*. Erit tamdiu ista generatio hominum, et forma mundi', donec supersunt colligendi ad societatem Ecclesiae. Sed cessabit haec mundi forma, et desinet generatio hominum, cum filius Dei collegit electos suos. Postea fiet resuscitatio mortuorum, *et tradet filius regnum patri*, id est, tum electis patefaciet se Deus visibiliter, et erit omnia in omnibus, id est, immediate communicabit lucem, sapientiam, iustitiam, vitam, laetitiam, et gloriam sempiternam.

De dicto 1. Paral. [vs. 17.] *(Aspicis me in forma hominis, etc.*

(Inchoante Anno Christi 1560. quo postea mense Aprili diem suum obiit D. Phil. Melanchthon.)

Scitis usitate inchoari numerationem anni ab hoc die, quo celebratur publice recordatio mirandae nativitatis filii Dei ex matre virgine. Nec mihi displicet haec consuetudo, quam iudico bonam esse, et ad commonefactionem piorum utilem. Ideo primum omnium agamus Deo gratias, quod hactenus clementer nos servavit, et dedit, ut esset aliquis mediocris status Ecclesiasticus et politicus, studiorum et disciplinae, Quia quantulumcunque hoc est, tamen agnoscere debemus ingentem esse Dei bonitatem, quod aliquid est reliquum. Deinde precemur, ut Deus aeternus pater Domini ac liberatoris nostri Iesu Christi, conditor creaturarum omnium una cum filio et Spiritu sancto suo, tribuat Ecclesiae, politiis, et nobis omnibus faustum et felicem annum: Efficiat, ut sit pax in Ecclesia et politiis, ut conserventur mediocria studia, disciplina, et aliae res bonae: et ut Oeconomiae habeant alimenta, et alias res ad vitae huius sustentationem necessarias, quas vult a se peti, et promittit se largiturum esse petentibus.

Hanc precationem subinde repetamus in hoc festo, et cogitemus pericula, quae impendent non parva. Accepimus heri adhuc literas, in quibus scribitur interfici miserrime optimos homines in Gallia, pelli ex suis nidulis multos nobiles et plebeios.

Ac Basileae et Argentorati, et locis vicinis, quaeri hospitia pro pluribus quam quadringentis familiis. Deus aeternus pater Domini nostri Iesu Christi conservet in his regionibus salutarem tranquillitatem, et leniat etiam aliis in locis calamitates piorum, quorum periculis certe affici debemus, et simul cogitare de nostris: Quia verum est, quod dicitur:

Intrant in thalamos publica damna tuos.

Pericula Ecclesiae quibuscunque in locis pertinent ad singulos pios. Ideo preces debent esse communes.

Erit autem hic annus a mundo condito, qui inchoabitur in aequinoctio verno 5522. Tot iam annis nota fuit in mundo doctrina huius festi. De quo quoties cogitamus, ordiamur a prima illa promissione Evangelii, id est, a revelatione prima filii Dei, cum dictum est: *Semen mulieris conteret caput serpentis*, Quia quando primi parentes post lapsum audiverunt hanc vocem, intellexerunt venturum esse Dominum ad assumendam naturam humanam, ad delendum peccatum et mortem, ad reddendam iustitiam et vitam aeternam. Hac voce rursus vivificati sunt, cum haererent in faucibus mortis. Tunc igitur initia fuerunt huius festi.

Dixi autem alias de his tribus locis doctrinae 1. Quis sit ille Dominus, de quo edita fuit promissio: Semen mulieris conteret caput serpentis. 2. Ad quae beneficia praestanda mittatur. 3. Quomodo fiat applicatio, etc.

Post horum locorum repetitionem brevem, et collationem cum textu Ioannis cap. 1. digressus est D. Philippus ad enarrationem dicti Davidis 1. Paral. 17. *Aspexisti, vel aspicis me* (Quia usitatum est Hebraeis, uti verbis praeteritis, tanquam aoristis) *in forma hominis, qui es Deus in excelsis.*

Id Latini interpretes negligentius verterunt: *Fecisti me spectabilem super omnes homines Domine*

Deus. Sed verba, quae recitavi, recte congruunt cum fontibus. Graeca versio habet, *καὶ ἐπεῖδές με ὡς ὅρασις ἀνθρώπου καὶ ὑψώσας με κύριος ὁ θεός.* Prius membrum convenit cum Hebraeo textu propius, quam Latina lectio, quae utcunque reddidit posteriora verba Graecae versionis omisso priori membro.

Est autem gratiarum actio pro data promissione de Messia, et simul est vaticinium, quis et qualis futurus sit ille Messias, et quae bona afferat, et quomodo a nobis accipiendus sit. Ego ut occasionem vobis praeberem, summam sententiae reddidi quomodocunque his versibus, et hortor eos, qui valent facultate scribendi carmina, ut exerceant se in hac materia et versus meliores faciant.

In forma quod nos homines placidissime Christe
Aspicis, et tamen es conditor ipse Deus
Et nostram formam miseratus, crimina deles,
Et vitae aeternae gaudia vera dabis:
Haec grati canimus tua dona, simulque precamur
Tu nos ut doceas luce regasque tua.

Digna est materia, in qua exerceatur facultas poetica aut etiam oratoria, Quia res amplissimas continet, quod ostendunt pondera verborum.

Aspicis me, inquit, id est, tu me respicis, curas, salvas. Singuli autem statuamus, etiam nos aspici a filio Dei, et quidem placide ac clementer aspici. Immoremur cogitatione in verbo aspiciendi. Agnoscamus immensum beneficium esse, quod hic Dominus vere nos miseros aspicit, curat, protegit, in omnibus vitae periculis, in Tyrannorum et Diabolorum furoribus, in morbis, in paupertate, et in exiliis, in tentationibus spiritualibus, denique in morte ipsa. In his malis omnibus sciamus nos sic aspici et servari ab eo, ne succumbamus, aut opprimamur. Ac nos vicissim ad eum respiciamus, confugiamus ad ipsum, credamus ei, sicut de Abraham inquit hic ipse Dominus: *Expetivit Abraham videre diem meum, et vidit, et laetatus est.* Hoc ad applicationem pertinet, quam singuli ad se facere debent.

Quomodo autem testatur filius Dei, quod nos aspiciat? Testimonium omnium maximum est, quod assumit humanam naturam, et simul cum ea induit infirmitatem nostram: Et quanquam in statu glorificationis deposuit infirmitatem, tamen naturam ipsam humanam, essentiam et proprietates essentiales omnes in tota aeternitate retinet. Hanc naturam David nominat formam hominis, Et credibile est, Paulum huc respexisse, cum ait Phil. 2. *Qui cum esset in forma Dei, formam servi assumpsit.*

Cum autem affirmet David, hunc Messiam, quem alloquitur, *vere esse Deum Iehovam in excelsis,* et dicat tamen, *eum esse in forma hominis,* sicut Paulus postea inquit: *Deum conspicuum factum esse in carne,* ostendit in Messia esse naturam divinam, secundum quam non coepit primum existere, cum natus est homo, sed iuxta quam ab aeterno extitit, et post conditam Ecclesiam, inde usque ab initio ei affuit. Agnoscit autem eum constituto tempore assumpturum esse naturam humanam, et quidem ex sua stirpe, sicut facta erat ipsi promissio. Ita manifeste comprehendit duas naturas in una persona Christi. Hanc confessionem mementote de duabus naturis in Christo, et de unitate personae, et adiungite caeteris testimoniis vocis divinae, in quibus similiter expressa est asseveratio de persona Messiae.

Ut autem magnitudo operis divini in incarnatione filii Dei, et beneficia huius Domini clarius intelligantur, fiat collatio naturae nostrae, et illius formae, quam assumpsit Christus ex nostra massa, et addatur consideratio causae finalis.

Contemplemur nos ipsos, quam infirmi et fragiles simus. Extant querelae in omnibus Poematis de miseriis naturae humanae. Et est extenuatio insignis in dicto Pindari, *ἄνθρωπός ἐστιν σκιᾶς ὄναρ.* Non tantum dicit esse umbram, sed umbrae somnium, sed doctrina Ecclesiae etiam de alia, eaque summa miseria hominis docet, quam ignorant Ethnici: videlicet de peccato, quo corrupta est natura hominum propter lapsum primorum parentum: de ira Dei adversus peccatum: de aeterna morte, et condemnatione. Haec sunt tristissima mala quae certe cogitanda sunt, et ut consideremus ea ardentius, Deus tot calamitatibus onerat genus humanum, tanquam signis reatus. Non norunt illa arcana mala, qui sunt extra Ecclesiam. Sed quicunque sapientes fuerunt etiam apud Ethnicos, cogitarunt tamen externa mala, quae foris accidunt hominibus, et iusserunt alios quoque considerare miserias humanas, propter commonefactiones de modestia.

Scitis de Socrate: cum in principio Tragoediae Euripidis, quae nominatur Orestes, pronuntiati essent hi versus:

Neque tam terribilis ulla fandi ratio est,
Neque sors, neque ira coelitum immissum malum,
Quod humana natura patiendo non ferat.

Ibi Socrates stetit quasi attonitus, et postulavit denuo repeti eosdem versus, sicut etiam Simonides monebat Pausaniam, *ut meminisset se hominem esse.* Sed nos in Ecclesia debemus addere, ideo considerandam esse magnitudinem miseriae humanae, ut sit commonefactio de interioribus malis: et causis omnium malorum: et de quaerendo auxilio. Non putetis esse decus contemnere hanc cogitationem de miseriis humanis, sicut ille impius latro in cruce ridet Christum, et ridet risum Sardonium.

Quantum vero hoc est, quod nos hac misera

forma praeditos aspicit filius Dei, et quidem ipse assumit certo tempore formam similem nostrae, id est, animam et corpus humanum fragile et mortale: et quanquam ipse est sine peccato, tamen poenas nostrorum peccatorum subit, et sustinet ineffabiles dolores pro nobis. Ideo in Epistola ad Hebraeos dictum est: *Non angelos, sed semen Abrahae assumpsit: inde debuit per omnia similus fieri fratribus.* Item, *Habemus pontificem, qui compati potest infirmitatibus nostris, tentatus per omnia pro similitudine absque peccato.*

Cogitemus de toto cursu vitae Christi in his terris, qui fuit plenus miseriis. Sed inprimis intueamur postremum agonem, in quo prostratus iacet in nostra forma coram aeterno patre, et sustinens iram Dei effusam in ipsum propter nostra peccata, sudat sanguinem. Nihil tristius hac forma cogitari potest.

Postea quale spectaculum est, pendens in nostra forma in cruce, et cadaver factus in sepulchrum abiicitur? Quam foedum est spectaculum in omnibus hominibus: amissa vita corpus iacere exanime? Hanc formam in se quoque recipit sic Dominus, et fit similis nostris cadaveribus. In hac forma nos aspicit, et tamen est Deus, ut et se ipsum ex morte resuscitet, et ornet aeterna gloria, et ut nos secum vivificet, et reddat iustitiam et vitam aeternam. Haec bona vult a se peti, et cum sustentamus nos verbo ac fide, vult nos servare, vult nostram formam restituere suae integritati, et ut ipse post mortem suam formam ornavit excellenti gloria, sic vult nostram miseram et squalidam formam similem reddere suae illi formae.

Ita immoremini cogitatione in expendenda hac sententia, et facite antithesin nostrae formae ad illius formam. Cogitate, quod in forma humana constitutus, reddat nobis iustitiam, primum in hac vita imputatione, et inchoatione: postea in altera vita consummatione.

Induit ipse formam nostram, ut λύτρα pro nobis solveret, esset redemptor et deprecator pro nobis, sicut scriptum est: *Eum, qui non novit peccatum, fecit peccatum, ut nos fiamus iustitia Dei in ipso.*

Transfert ipse in se poenas nostrorum peccatorum assumpta nostra forma. Sed vicissim donat nobis suam formam, quae est iustitia et vita.

Sic ipse fit cadaver nostris cadaveribus simile, sed quia simul est Deus Iehova, reddit nobis vitam, quae tunc vere erit vita, cum post resuscitationem ex morte, liberabimur a toto peccata, ab omnibus aerumnis, et miseriis, et mortalitate ipsa. Tum haec turpissima cadavera nostra, fient templa et domicilia Dei in tota aeternitate, cum hic Dominus nobis tribuet suam excellentem formam, quam ipse habuit resuscitatus ex morte. Non possum verbis ista satis exprimere, Nec potest ullius creaturae eloquentia satis pingi, aut explicari illa collatio formarum. Sed vult Deus initia huius sapientiae et bonitatis suae cogitari, et in hac cogitatione, accendit ipse lucem suam in nobis, cum accedunt pii gemitus in gratiarum actione et invocatione.

Ideo ut David gratias tunc egit filio Dei, pro edita hac promissione, quam fide accipiens sensit laetitiam et vitam in corde suo: sic nos etiam gratias agere debemus eidem filio Dei, exhibitio iuxta promissiones, quod nos in forma hominis aspicit, quod propter nos induit massam naturae nostrae, quod factus est redemptor, quod suam nobis formam donat, quod merito et efficacia salvator noster est. Pro his omnibus beneficiis agamus filio Dei assidue gratias, et simul oremus, ut nos semper aspiciat, doceat, gubernet, protegat, et sua forma in tota aeternitate induat.

Teneamus etiam hanc consolationem in omnibus nostris miseriis. Cum experimur, quam sit naturae humanae forma languida, plena caliginis, morborum, deformitatum: Cum nulla firma solatia reperimus: attollamus mentes et oculos nostros ad hunc Dominum, aspicientem nos in forma hominis, et quidem praecipientem, ut confugiamus ad eum: sicut inquit: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Ab hoc petamus et expectemus auxilium, gubernationem, protectionem, et salutem. Quae bona ita nobis promisit, ut etiam sanguine et resurrectione sua obsignaverit has promissiones.

Adhortatiuncula ad discendam doctrinam necessariam, quae proponitur in festo natalitio.

Celebrabunt hanc doctrinam in tota aeternitate omnes sancti, sed tamen initia hic discenda, et quotidie exercenda sunt, maxime iis ipsis diebus, quibus publice in Ecclesia proponitur. Non est alia causa, cur vivamus, nisi ut discamus doctrinam, confirmemus eam, et praestemus cultus Deo gratos. Facite collationem: Quam fuit laboriosa vita Iulii Caesaris, Alexandri Magni, Hannibalis? Alexander in seditione exercitus dixit ad milites et duces suos: Prodeat aliquis, qui audeat dicere, se plus sustinuisse laborum, quam ego sustinui. Nec consentaneum est, alium quenquam plus laboris sustinuisse in illo exercitu, quam Alexandrum ipsum.

Cogitate Hannibalis vitam: Quam fuit laboriosa? quantum periculorum, aerumnarum, onerum

sustinuit? Sed isti labores tantum profuerunt huic mortali vitae. Multis etiam inanibus contentionibus vita istorum fracta est. Nos etiam si sumus imbecilles, experimur nostras miserias, tamen cum discimus doctrinam de Deo, quando eam fideliter proponimus, et studemus propagare ad posteros, non consumimus vitam labore inutili. Et placet Deo hic labor noster, et prodest nobis ad gustum et initia vitae aeternae, quam nemo possidebit, nisi in hac vita didicerit agnoscere Deum, sicut dicitur: *Beati mortui, qui moriuntur in Domino*, id est, qui habent inchoatam hanc lucem in cordibus.

Item.

Quanquam haec doctrina longe superat omnium creaturarum sapientiam: tamen Deus vult nos eam profiteri adversus sapientiam Diaboli, et adversus omnes furores, et idola mundi. Vult in hac miserrima vita inchoari hanc doctrinam, quantumvis magna sit caligo nostrarum mentium, etc.

De dicto: *Tradet regnum Patri.*

In hac vita aeternus pater patefecit se per *λόγον*. Et hic *λόγος* inde usque ab initio locutus est cum Adam et Eva, deinde cum tota Ecclesia. Sic dicitur in Zacharia: *Angelus in me loquebatur, vel ad me loquebatur.* Dicit de illa persona, quae est *λόγος*. Haec persona sanxit ministerium Evangelii in Ecclesia, et servat omnibus temporibus in genere humano, et est efficax per illud, dato Spiritu sancto.

Per hoc ministerium regnat filius Dei in Ecclesia, Tunc vero tradet regnum patri, id est, non aget amplius per ministerium, sed Ecclesia adducta ad aeternam consuetudinem cum Deo, cernet patrem coram, et Deus erit omnia in omnibus, id est, non per verbum et Sacramenta, sed visibiliter et immediate aget cum electis: Conspicietur non, ut nunc, in revelato verbo, sed in luce visibili, et coram communicabit se et bona sua beatis, sine medio verbi et Sacramentorum. Cessabit enim tunc ministerium.

Λόγος erat apud Deum.

Est Grammaticus quidam Graecus, Moscopulus, qui in doctrina de Praepositionibus dicit *πρὸς* significare similitudinem, ut quando dico: Sicut se habent 3 ad 6: Ita se habent 4 ad 8. Ibi Graeci utuntur particula *πρός*. Sic igitur interpretatur Moscopulus verba Iohannis: *λόγος erat secundum Deum*, et Iohannem sic locutum esse existimat, ut significaret, *λόγον* esse imaginem aeterni patris.

In Graecis scriptoribus saepe occurrit *πρὸς* cum accusativo iunctum, et significat convenienter, ut apud Isocratem, dare praemia *πρὸς τὸ προςῆκον*. Et apud Aristotelem: Civitas situm habeat *πρὸς αὐτὴν*, id est, convenientem, pro *κατά*. Sed Graeci non ita loquuntur, *πρός τινα* apud aliquem, quod potius diceretur *παρά*. Sed cum dativo, ut *πρὸς ταῖς πύλαις* apud seu iuxta portas, in Thucydide.

Cum accusativo semper intelligunt Ad: *πρὸς τὸν θεὸν ἀφικόμεθα*, ad Deum accessimus. Saepe autem de colloquio usurpant, ut *διαλέγομαι πρός σε* apud Xenophontem, colloquor tecum. Et apud Thucydidem, *λόγους ἐποιοῦντο πρὸς τοὺς στρατηγούς*, locuti sunt ad duces.

Haec dico, ut adolescentes studia linguarum magis ament. Nec est vituperanda diligentia, quaerere significationes phrasium, praesertim cum aliquid arcani latet in Syntaxi.

Philelphus contra Moscopulum disputat, et *πρὸς* interpretatur penes: ut sit: Verbum erat penes Deum (etsi ipse pro Verbo usus est vocabulo Rationis) q. d. in potestate Dei: ut dicimus: Liber est penes me, id est, in potestate mea. Sed reiicio hanc interpretationem. Nec usquam Graecis *πρὸς* significat idem, quod penes, quod per *ἐπὶ* reddi potest.

Mihi non videtur absurdum, si communem Graecae linguae consuetudinem sequamur, ac intelligamus: *λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν*, *Verbum*, aut etiam *sermo* (Nam hoc magis mihi placet, quam Ratio) *erat ad Deum*. Haec interpretatio et personas discernit, et significat deliberationem et colloquium. Aeternus pater se aspiciens ac considerans, gignit filium integram sui imaginem. Et sunt in tota aeternitate deliberationes et colloquia inter patrem et filium: Erat igitur ad Deum sermo, id est, loquebatur ad Deum.

De dicto: *Verbum caro factum est.*

Λόγος non intelligatur de sermone seu voce evanescente, sed de filio Dei, qui est imago patris, et persona genita a patre aeterno. Quia hic Iohannes ipse *λόγον* postea nominat *unigenitum a patre*, *et filium unigenitum qui est in sinu patris.*

Carnis appellatione intelligatur non tantum corpus, sed totus homo, qui habet corpus et animam rationalem. Sic enim saepe loquitur scriptura: ut Rom. 9. *Qui sunt cognati mei secundum carnem.*

Et: *Quorum sunt patres, ex quibus Christus secundum carnem.*

Maluit autem Iohannes nominare carnem, quam hominem, ut significaret imbecillitatem et mortalitatem. Talis enim fuit natura humana Christi, ut, quanquam sine peccato esset, tamen affectibus naturalibus omnibus esset praedita: praterea etiam mortalis esset. Secundum hanc esuriit Christus, sitiit, defatigatus est, metuit, speravit, doluit, laetatus est, lachrymavit, iratus est, sensit tantam moestitiam, ut sudaret sanguinem. Denique; factus est victima, expertus est sensum irae Dei adversus peccatum generis humani.

Cum autem dicitur: *verbum caro factum est,* non cogitetur transmutatio seu conversio verbi in naturam humanam aut carnis in naturam verbi, ut cum dicis: Cera est facta ignis, Aqua est facta vinum: Sed retineatur Pauli interpretatio, quam secuti sunt veteres contra Nestorium et Eutychen, verbum assumpsit naturam humanam, ita ut sit una persona Dominus noster Iesus Christus, Idque sine permutatione, confusione aut permixtione essentiae aut proprietatum, et sine divulsione ac separatione duarum naturarum.

Veteres usi sunt appellatione unionis hypostaticae. De qua facta sunt decreta in Synodo Ephesina et Chalcedonensi: Et huius unionis exemplum monstrarunt in homine. Et ego credo, quod homo sic sit conditus, ut constet ex corpore et anima, ut sit qualiscunque typus admirandae copulationis divinae et humanae naturae in Christo, etsi non per omnia congruit similitudo. Corpus non tantum est habitaculum animae, sicut domus est habitaculum continens inhabitantes. Ita non est imaginandum humanam naturam tantum esse hospitium divinae naturae, sicut habitat Spiritus sanctus in renatis, et est in eis efficax. Sed ut anima et corpus sunt unum hyphistamenon, seu una persona, sic λόγος assumens, et caro assumpta in Christo sunt unum hyphistamenon.

Ac ad declarationem prodest in conspectu habere diversos modos seu gradus praesentiae Dei in creaturis.

Primus est praesentia universalis, qua pater, filius, et Spiritus sanctus adsunt omnibus creaturis, coelo, terrae, animantibus, hominibus, angelis bonis et malis, et substantias creaturarum conservant, donec volunt eas conservare. De hac universali praesentia dicitur Ierem. 33. *Coelum et terram ego impleo.* Et Esa. 66. *Coelum sedes mea, et terra scabellum pedum meorum.* Item: *Enter, praesenter Deus hic et ubique, potenter.* Haec praesentia generalis, quae est sustentatio naturarum, ex ordine creationis, discernenda est ab illa praesentia, quae ex speciali gratia dat aeterna bona creaturis rationalibus, quae sunt copulatae cum Deo. Recte autem nominatur haec praesentia separabilis: Quia, quando destruuntur res creatae, sunt desertae a Deo, id est, Deus non conservat eas diutius.

Secundus modus praesentiae, est in beatis in vita aeterna, qua non tantum conservantur substantiae, sed etiam communicatur lux, sapientia, iustitia, laetitia Dei: Et Deus visibiliter adest, et semper in eis est efficax. De hoc gradu praesentiae inquit Paulus: *Erit Deus omnia in omnibus,* id est, Ostendit se beatis, et immediate efficiet in eis novam sapientiam, iustitiam, laetitiam, et alios motus ipsi conformes. Quanquam autem beati non deseruntur, tamen Deus et angelus, seu homo beatus, non sunt unum hyphistamenon. Ideo non male dicitur, quod adsit eis tantum societate, sed tamen inseparabiliter.

Tertius modus est praesentia, Qua in hac mortali vita Deus habitat in sanctis, non solum conservans substantias eorum, et sustentans vitam hanc animalem, sed etiam inchoans in eis initia vitae aeternae, et spiritualis novitatis, quod fit hoc ordine. Filius Dei voce Evangelii accendit in eis novam lucem, et vivificat eos, et effundit in eos Spiritum sanctum, ut novos motus ipsi congruentes, et laetitiam in eis exuscitet. Non autem adest in hac vita sanctis visibiliter, nec perficit in eis integram novitatem, dum adhuc carnem mortalem circumferunt. Et deseri ad tempus etiam sanctos et vere renatos a Deo, atque ita separabilem esse hanc praesentiam scriptura affirmat, et tristissimi lapsus sanctorum ostendunt. Estque haec etiam praesentia, tantum societatis seu inhabitationis, nec est unio hypostatica filii aut Spiritus sancti cum homine converso seu renato.

Quartus igitur modus prorsus singularis est, quo haec sola persona λόγος assumit certam massam ex genere humano, non solum inseparabiliter, sed etiam tali unione, ut sit unum hyphistamenon, λόγος et assumpta natura humana: Et sicut haec persona λόγος aeterna est, Ita postea impossibile sit, hanc massam ipsi insertam non simul manere. Quod enim semel assumpsit naturam humanam λόγος, eam nunquam deponit, neque deserit.

Nominatim autem dicitur, quod solus λόγος assumpserit naturam humanam, Quia unio non est facta cum illa persona, quae est Pater, nec cum persona illa, quae est Spiritus sanctus. Sed secunda persona tantum, quae est λόγος, sic assumit naturam humanam, ut sit non modo inseparabilis copulatio, sed etiam hypostatica, id est, ut sit una persona. Et quanquam λόγος lucet in tota natura assumpta, et in ea omnia iam agit, multa quoque per eam operatur, sicut corpus est etiam instrumentum et organum, in quo agit anima, et cuius ministerio multa opera sua anima efficit: Tamen

utraque natura suas proprietates retinet. Et in operibus officii sic agit natura una cum communicatione alterius, ut agat utraque; quod sibi est proprium. Id diligenter observandum est, ne fiat naturarum confessio.

Plura dicere non possum de tam miranda re: Discamus autem hanc sapientiam perfectius in omni aeternitate. Et tum ardentius gratias agemus filio Dei, quod se immensa bonitate adeo demiserit, et arctissima unione sibi adiunxerit hanc miserrimam massam naturae humanae, sic ut homo factus vere gestaret corpus et animam, sine peccato quidem, sed tamen habentem proprietates naturales, id est, omnes vires et appetitiones naturae humanae proprias et ordinatas, Item eas infirmitates, quae sunt poenae, non peccata, ut passiones et dolores corporis et animae. Has infirmitates, etsi in statu glorificationis deposuit, tamen in aeternum retinet naturam ipsam humanam cum proprietatibus naturae essentialibus.

Hortor autem adolescentes, ut retineant phrases veterum, et eas recte intelligere discant.

Scriptores ita definiunt unionem hypostaticam in Christo, quod sit unio, qua persona assumit naturam, ita ut sustentet eam, quae alioqui non esset, nisi sic sustentaretur. Non intelligunt Sustentare de generali actione vel sustentatione, qualis est in omnibus creaturis iuxta modum universalis praesentiae, sed ut Graeci dicunt, *ὑπόστασιν* seu subsistentiam praebere, Quia humana natura Christi extra unionem nihil esset. Fit autem *λόγος* hypostasis naturae humanae, cum simul et creatur humana natura et assumitur. Utrumque enim uno momento factum est, sicut inquit Athanasius, *ἅμα σὰρξ, ἅμα λόγου σάρξ.* Simul extitit caro, et simul verbi caro facta est. Ideo scriptores utuntur his etiam verbis: Persona terminat dependentiam naturae assumptae, id est, Natura assumpta talem habet ordinem ad personam assumentem, ut massa illa non esset, nisi sic assumpta esset.

Considerent adolescentes et modos loquendi de unione hypostatica. Recte et usitate dicitur, Persona *λόγος* assumpsit humanam naturam. Non dicitur: Natura divina assumpsit nataram humanam, Quia natura divina communis est tribus personis divinitatis. Neque hoc dicitur: Natura divina est assumpta: Nec dicitur, Deus assumpsit hominem, tametsi interdum vetustas ita locuta sit, ut in Cantico dicitur: Tu suscepturus hominem, non horruisti virginis uterum. Item, Poetica sunt: Deus induit humanam naturam. Praeterea usitate dicitur unio duarum naturarum. Item: Natura humana unita est naturae divinae. Sed intelligitur natura divina non absolute, sed relative ad personam filii Dei.

Vocabulo unionis Graeci et Latini multum usi sunt.

Cum autem una sit persona seu unum hyphistamenon, Ideo hae propositiones receptae sunt. Verbum est homo, Deus est homo, Deus est passus, Deus est mortuus. Significatur enim his propositionibus, hanc personam, quae est Deus, mortuam esse, etiamsi tantum secundum humanam naturam est mortua: Et haec forma loquendi nominatur *Communicatio idiomatum*, qua proprietas conveniens uni naturae tribuitur personae in concreto, propterea, quia unica est persona, ut dicimus: Homo intelligit, etiamsi tantum mente intelligit.

Ac diligenter retinendae sunt hae formae loquendi gravi autoritate receptae. Nequaquam dicitur: Divinitas est mortua, vel, divina natura est mortua, Quia in abstracto significatur natura secundum se considerata, et tribuitur uni naturae hoc, quod contrarium est huic naturae, ut si dicerem: Sanguis intelligit, aut brachium. Nequaquam etiam vetustas sic locuta est: Christus est passus et mortuus, secundum utramque naturam, Quia *secundum* est particula distinctiva, ut Rom. 1. dicitur, et Rom. 9. Dicimus igitur Christum passum est mortuum esse secundum naturam humanam. Et haec quidem propria significatio est particulae *secundum*.

Sed discernendae sunt propositiones, quae loquuntur de proprietatibus naturarum, et quae describunt officium: Ut proprietates naturae divinae sunt, aeternitas, omnipotentia, non posse vulnerari, non posse mori. Sed humanae naturae proprietates sunt pati, vulnerari, mori. Nomina vero officii sunt, mediator, redemptor, salvator, etc. Quae competunt personae iuxta utramque naturam.

Differunt igitur hae propositiones, Filius Dei est mortuus, et filius Dei est mediator, Quia mori tantum humanae naturae proprietas est Sed officium habet actiones utrique naturae proprias, et hae concurrunt in effectionibus seu operibus, quae sunt officii. Quod vetustas dixit, naturam utramque: agere cum communione alterius, sic tamen, ut unaquaeque agat, quod sibi est proprium.

Olim Nestorius negavit has propositiones: Deus est natus ex virgine, crucifixus, et recitatur hoc eius dictum: *Noli gloriari Iudae: Non enim Deum, sed hominem crucifixisti.* Hinc aut ipse, aut alii hoc extruebant, Christo affuisse naturam divinam per societatem seu assistentiam, sicut Heliae aut aliis prophetis affuit, nec fuisse unionem hypostaticam, seu unam personam.

Hodie Stancarus negat Christum mediatorem esse secundum utramque naturam: Ac tribuit hoc officium tantum humanae naturae. Haec alibi refutavimus in libello edito de controversia Stancari.

Sed iuniores moneo, ut fontes rerum recte discant, et sint circumspecti in loquendo, et retineant formas receptas gravi autoritate, Quia mutatio parit ambiguitates et rixas.

Addam breviter aliquid de invocatione Christi. Certissimum nobis sit, unione hypostatica unitas esse naturas in Christo, λόγον et assumptam naturam: Et esse unam personam, hunc ipsum λόγον et natum assumptam: Nec esse duos filios, λόγον, et natum ex virgine: Et una λατρεία seu una adoratione invocandum esse Christum Deum et hominem: Nec alia peti tantum a divina natura, alia tantum ab humana. Agnoscamus Christum nobis constitutum esse mediatorem, redemptorem, salvatorem, regem, et summum sacerdotem, Deum et hominem, et Deo gratias agamus, quod filium unigenitum misit, et sit invocatio directa ad personam, quae est Deus et homo. Causam vero, cur invocanda sit haec persona, sciamus esse, non quia natura humana Schwenkfeldiano more Deificata sit, sed quia est in hac persona Deitas filii, quae sibi univit personaliter naturam humanam assumptam. Sic docent Psalmi: *Et concupiscet rex decorem tuum. Quia ipse est Deus tuus, et adorabis eum.* Et in Ieremia nominatim de invocatione dicitur: *Suscitabo Davidi germen iustum: Et hoc est nomen, quod vocabunt eum iustitia nostra.* Id est, haec persona germen Davidis est Deus et sic invocabitur, quod sit Deus, et iustificet invocantes, det remissionem peccatorum et vivificet.

Caveamus distractionem naturarum, qualem finxit Nestorius, qui dictus est ἀνθρωπολάτρης: Rursus caveamus et confusionem naturarum, qualem Eutyches finxit. Et teneamus hanc regulam: Invocationem, qua petimus liberationem a peccatis et morte, et donationem iustitiae et vitae aeternae, et conservationem naturae, testimonium firmissimum esse, quod in Christo sit natura divina, omnipotens. Quia solus Deus haec dona dare potest, et solus videt corda petentium, et diiudicat veram invocationem a simulata. Ideo scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Et Os. 13. dicitur: *Deum praeter me non scies, et salvator non est praeter me.* Confirmemus fidem de utraque natura in Christo, et unitatem personae, ac proprietates utriusque naturae retineamus, et exuscitemus nos, ut laeti ad eum accedamus in invocatione, sicut ipse praecipit: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

De appellatione Schilo. Gen. 49.

Non dubium est dictum Iacobi patriarchae concionari de Messia, Quia dicit *futuram esse congregationem gentium ad ipsum, seu obedientiam gentium erga ipsum.*

Sed Iudaei malitiose corrumpunt totum vaticinium, et alii Siloh interpretantur Saulem esse, alii Ieroboam, alii Nabugdonosor. Harum interpretationum vanitas manifesta est. Nulla est enim gentium congregatio salutaris ad Deum facta per hos reges.

Quaeritur autem de interpretatione Grammatica nominis Siloh etiam inter Christianos.

Graeci reddiderunt ἀποκείμενα, quasi dicas, bona reposita, de quibus traditae sunt patribus promissiones, quibus finem seu complementum attulit Christus.

Hieronymus interpretatur, qui mittendus est, inserta litera aliena in verbum Siloh, quasi esset Schilia.

Iudico autem recte exponere nostros, qui Siloh interpretantur: faustum, felicem, salvatorem. Credo etiam haec vocabula Latina *salve* et *salus*, Item *salvus*, et *salvator* orta esse ab Hebraeo, ut apud Salomonem in proverbiis, et saepe in prophetis usurpatur vocabulum salve et salva pro salute, opulentia, felicitate, abundantia, prosperitate. Talis est igitur Messias, qui unus feliciter superat Diabolorum potentiam, et colligit Deo Ecclesiam, et reddit nobis veram felicitatem, aeternam vitam et iustitiam.

Sed veteres Hebraei, ut est apud Galitanum, aliam Etymologiam nominis tradunt. Deducunt enim a Schil, quod significat secundinam, et he, articulo generis foeminini, ut Schiloh sit secundina ipsius, χόριον αὐτῆς, scilicet matris virginis.

Est autem secundina, seu χόριον involucrum seu fascia, quae ambit foetum in alvo materna. Ideo aliqui interpretantur φύημα αὐτῆς, vel ἔμβρυον αὐτῆς, id est, foetus vel filius virginis, Quod in prima promissione dicitur: *Semen mulieris.* Deus mirabili consilio tribus pelliculis seu fasciolis munit foetum in utero materno, Quod est insigne testimonium providentiae Dei, et monere nos debet, quod cum in custodiendo et muniendo foetum ita operosus sit etiam postea nos tegere velit, sicut profecto facit mirabiliter. Ex istis involucris foetus unum est, quod nominatur secundina.

Ideo autem cum foetum dicere vellet patriarcha, usus est verbo significante hanc pelliculam, qua foetus in utero continetur, ut recte significaretur infirmitas naturae humanae, et passio huius redemptoris. Est res squalida, et cruenta, et pene abominabilis, si subiiciatur oculis secundina. Significare igitur voluit Iacob, filium Dei assumpturum esse infirmam massam, fragilem, mortalem, obnoxiam tristissimis aerumnis, cruciatibus, doloribus, et in postremo agone pene abominabilem spectan-

tibus, ut dicitur: *Vidimus eum despectum, et novissimum virorum.*

Cogitate, qualis sit haec pellicula, cum filius Dei in natura assumpta sudat sanguinem, et post hunc agonem, post flagellationem, post coronationem educitur ad populum, ubi Pilatus ipse exclamat: *Ecce homo.* Qualis vero pellicula, est, cum postea cruci affigitur, et in ea pendet vulneratus et laceratus?

Nec tamen perit haec pellicula, quia unita est divinae naturae, et in ea Deus est σωματικῶς, id est, personaliter. Etsi igitur horribiles dolores, et sensum irae Dei sustinet et moritur: tamen sustentatur, et vivificatur a λόγῳ, nec potest absorberi prorsus a morte, sed resuscitatur ad aeternam gloriam.

Cogitemus autem de nobis ipsis, quoties illam pelliculam primum laceratam, ac postea gloriosam et immortalem aspicimus. Nos vere et re ipsa sumus sordida et cruenta χόρια, contaminati peccato, rei mortis, lacerati horrendis doloribus. Sed ideo servamur, et sic a miseriis illis liberamur, quia filius Dei similem pelliculam nostrae carni assumpsit, et pro nobis victima factus est, Et quia est λόγος aeterni patris, nos Evangelio suo vivificat, et gestat nos velut de cervice sua pendentes, et abolita morte et peccato, tandem aeternam iustitiam et vitam nobis reddet.

Conatus sum versibus exprimere sententiam huius explicationis, ut exercitii et precationis materiam vobis suppeditarem.

Gnate Dei, effigies aeterni viva parentis
Aeterna verbum mente satumque patris.
Indutus nostra qui carne in virginis alvo
Humanum accedis maxime Christe genus.
Te pius Isacides compellat nomine Siloh,
Quod tenerae es foetus virginis ipse tener.
Ac velut involvens foetum membrana recentem,
Dum rude sub matris pectore turget onus,
Mollis et ad motus non est durabiles ullos;
Pendet et a Cotylis squalida tota novis:
Sic infirma fuit caro tunc tua maxime Christe
In cruce pro nobis cum lacerata fuit:
Indueras et enim mirando foedere carnem
Huic nostrae similem, suppliciique ream.
Sed prorsus fragilis, nos ipsi, et sordida pellis
Materna chorion labe reumque sumus:
Attamen hoc vivet chorion, quando induis ipse
Voce tua sanans atque cruore lavans.
Sic autem nobis divina haec munera dantur,
Cum discunt vocem pectora nostra Dei.
Ac coetus ideo discentum Christe tueris,
Ut chorion vere sit schola casta tuum.
Haec tua tuta precor servetur fascia Siloh,
Ne queat hanc ullus dilacerare furor.

EXPLICATIO GRAMMATICA PSAL. 11. DOMINICA SEQUENTE.

Calend. Ianuarii.

Isti duo Psalmi: *Quare fremuerunt gentes*. Et, *Dixit Dominus*, concionantur de Messia. Propterea usitatum est, etiam in templis per has ferias natalitias aliquid repeti in cantilenis ex istis Psalmis. Sunt autem Psalmi saepe legendi, Quia continent confirmationem articulorum praecipuorum fidei. Ipsa etiam lectio per se iucunda est. Aliqui stolidi insulse iudicant, Psalmos esse inerudita scripta. Haec stulta et fatua imaginatio deponenda est, et statuendum, quod Psalmi elegantissime, gravissime, et optimo ordine scripti sint.

Carmina ipsa interdum breviora sunt, quam vellemus. Sed hoc consilium placuit Spiritui sancto. Et alioqui vetustas, ut gravissime sic breviter locuta est. Quia tamen eaedem res subinde repetuntur, fit ut brevitas illa minus habeat obscuritatis.

Breve est illud dictum: *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Res tamen eadem saepe repetita est in aliis atque aliis promissionibus. Haec repetitio illustravit sententiam eius dicti: Et credo angelos, Imo ipsum filium Dei, crebra colloquia habuisse cum Adam et Eva, quando soli fuerunt, praesertim intra illos 130 annos, ante natum Seth. In illis colloquiis, et crebra conversatione enarravit filius Dei promissionem, et erudivit eos, ut intelligerent nativam sententiam promissionis, et conciperent certam spem furturae liberationis. Quando Deus seu vox divina loquitur, et loquitur cordi, multo magis illustratur doctrina, quam commentariis multorum hominum.

Sciendum est autem de Psalmis in genere, quod vere sint doctrina Dei, ut 2. Pet. 1. dicitur: Non humana voluntate allata est Prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Audiamus igitur conciones Davidis, tanquam vocem Dei sonantem de coelo, qua se vere et certo Deus patefecit Ecclesiae, et his concionibus confirmemus in nobis fidem et invocationem, et Deo gratias agamus pro hac patefactione et doctrina.

Primum autem debetis vos adolescentes communia illa considerare, quae ad Grammaticam, Dialecticam, et Rhetoricam pertinent, Quia ista praecepta tradita sunt ad commonefaciendum lectorem, ut sententiam singulorum scriptorum melius intelligat.

Quaere igitur, ad quod genus causarum pertineant Psalmi? Omnes Psalmi aut sunt generis

suasorii ut consolationes, et adhortationes: aut generis didascalici, vel demonstrativi, Quia demonstrativum genus oritur ex didascalico.

Si volumus paulo altius ordiri, ita possumus discernere Psalmos secundum materias diversas. Alii sunt legales, alii Evangelici. Nam ut Ecclesiae doctrina universa in duas partes distribuitur, in legem et Evangelium, Sic et Psalmi ad haec summa genera referri possunt. Alii magis continent doctrinam legis, id est, praecepta et adhortationes: Alii magis interpretantur promissionem de Christo, quae est propria Evangelii.

Huic distinctioni subiiciatur iam altera. Alii sunt generis suasorii, ut qui concionantur de bonis operibus, aut consolantur pios in afflictionibus, aut continent petitiones. Alii prorsus pertinent ad genus *διδασκαλικὸν* seu demonstrativum, ut Psalmus, *Dixit Dominus*, qui est interpretatio promissionis de Christo: Quia hoc est praecipuum prophetarum officium, ut sint testes de venturo Messia, et interpretes promissionum.

Talis est et Psalmus 2., videlicet Evangelicus, et doctrinalis. Est enim prophetia, et asseveratio, quod venturus sit Messias, et simul doctrina, quis ac qualis sit futurus, quod sit eius officium, quae sit futura vox doctrinae, quomodo sit facienda applicatio beneficiorum Messiae. Haec omnia complectitur breviter, Quia refert se ad alias prophetias, quas oportet etiam nos in legendo simul considerare, sicut universaliter in brevibus dictis oportet nos cogitare de promissionibus non uno tempore traditis, ut simul complecti multos locos universae doctrinae.

De persona Messiae docet, quod non tantum sit in eo natura humana, ut in Davide, Salomone, set quod sit etiam filius Dei. De officio eius inquit, quod sit futurus rex. Et ne quis putet futurum regnum politicum, addit, quod hic ipse rex futurus sit doctor. Addit de regno eius propagando inter gentes. Et pronuntiat beatos, qui confidunt in eo, id est, docet, quod beneficia Messiae fide applicentur.

Hoc est argumentum, haec summa Psalmi, quod ad principales materias attinet. Sed in exordio, et post narrationem de persona et officio Messiae, habet affectus insignes, obiurgationes et comminationes.

Sed principalis narratio potissimum consideranda est. Et quoties de genere Psalmi alicuius quaeritur, praecipue agitur de argumento, de fine, de consilio. Nam ideo discernuntur genera Psalmorum, ut fines singulorum intelligantur, hoc est, ut sciat lector, quid instituerit, id est, quid velit docere vel efficere Spiritus sanctus in singulis Psalmis. et ut lector accommodet mentem et cor ad illum motum, qui proponitur, amplectatur fide doctrinam, expavescat lectione comminationum, sustentetur promissionibus, ardenter petat, et vere expectet mitigationem calamitatum, Meminerit insignia testimonia dogmatum Ecclesiae, ad alendam et confirmandam fidem.

Habet cum genere didascalico et demonstrativo magnam affinitatem status finitivus *ὁρισικός*, Quia narrationes, asseverationes, definitiones sunt *ὁριστικαί*. Atque ita dicimus: Responde mihi *ὁριστικῶς*, id est, categorice, asseveranter, definitive. Sic igitur et hic Psalmus est status finitivi. Definit, quis sit, et ad quid sit missus Messias, et quae sit applicatio. Habetis igitur eadem capita in hoc Psalmo, de quibus diximus in die natalitio. De his eandem vocem sonat hic Psalmus, quam auditis in his Ecclesiis, Dei beneficio.

Et quia proponit Messiam, ut regem et doctorem, gratior debet nobis esse hic Psalmus, quo commendantur nobis studia doctrinae: Praecipitur nobis, ut discamus: Denique significatur, quod Deus sit servaturus vocem doctrinae, Quia, si Deus dedit filium doctorem: Ergo conservabit hanc doctrinam, vult eam disci, audiri, legi. Ita plane scholasticus, ut ita dicam, est hic Psalmus, non tantum, quia est didascalicus, sed etiam quia confirmat studia doctrinarum, in quibus versamur.

Debet etiam vobis gratum esse, quod videtis nos non quaerere peregrinas interpretationes, sed simplicissimam sententiam ordine recitari a nobis. Debemus enim discipuli esse vocis divinae, et eam sequi sine peregrinis aut alienis interpretationibus, quales studio quaerunt Iudaei, Qui fingunt, quod hic Psalmus de Salomone loquatur, ad quem tamen non congruit illud, quod hic dicitur: *Beati omnes qui confidunt in eo.* Nam caetera nunc omitto, Quid hoc aliud esset dicere: Beatum esse, qui confidat in Salomone, quam si dicas: Beatus est, qui confidit in Cyro, aut Croeso, cui scitis oraculum respondisse: *Te ipsum agnoscens eris beatus.*

Id interpretabantur eius assentatores, et sic ipse quoque intelligebat, quasi blandiretur ipsi numen, et extolleret eius potentiam, quam si agnosceret, et bellum cum Cyro gereret, futurum ipsum beatum: Sed longe alia erat sententia Oraculi, videlicet, Si agnoveris te esse imparem Cyro bellatori heroico, et quieveris, bene habebis. Est igitur manifesta insania, expositio illa Iudaica, sicut neque ista intelligi possunt de Salomone: *Ego hodie genui te,* Quia generare est de substantia sua gignere. Item, *Dabo tibi gentes haereditatem tuam.* Nam Salomon non fuit Dominus gentium, nec potuit eis conferre salutem. De solo Messia dictum est: *In semine Abrahae benedicentur omnes gentes.* Item, *Ille erit expectatio gentium: Et gentes ad eum confugient.* Est consensus promissionum omnium, et hae inter se conferendae sunt. Ac mirum est eandem sententiam fere iisdem verbis repeti. Quod cum consideratur, fides fit firmior, et consolatio est uberior.

Dixi de genere et statu. Inde intelligi potest, quid contineatur in hoc Psalmo principaliter. Postea accedunt ornamenta, sunt intermixti affectus, additae commonefactiones ad lectores et auditores: Sic enim statim orditur ab obiurgatione adversariorum.

Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum: Adversus Dominum et adversus Christum eius.

Hoc exordium sumptum est ab affectu. Est enim vehemens increpatio hostium Evangelii. Item illorum impiorum, qui fuerunt hostes Christi in diebus carnis ipsius, sicut discipuli eo accommodant haec verba, Act. 4.

Conveniunt autem affectus exordiis, praesertim in poematis, quae saepe ordiuntur a querelis, et aliis motibus, Ac praecipue usitata sunt eiusmodi exordia prophetis, quorum initia magnos dolores significant. Sic igitur etiam hic Psalmus significat, Messiam, et Ecclesiam habituram magna certamina, magnas adversationes. Intuetur autem primam promissionem: *Serpens mordebit calcaneum eius.* Diabolus horribiliter momordit filium Dei exhibitum in carne, et Ecclesiam afflixit inde usque ab initio, singulis denique piis infigit venenatos dentes, infligit morsum, cuius difficilis est sanatio. Videte, quomodo Davidi infixerit dentes? quomodo conatus sit, ut eum everteret, et coniiceret in exitium, sicut antea Saulem everterat? Non hoc tantum egit Sathanas, ut faceret eum adulterum et homicidam, sed sciebat atroces poenas secuturas illa scelera, Quia non dubium est, nec aliter cogitare debetis, quam quod Deus regulariter puniat delicta. Etiam poenitentes, tamen punit, quia vult conspici iram suam adversus peccatum, etsi eam mitigat poenitentibus. Hoc bene scit Diabolus, Ideo cogitabat: Ego Davidem impellam in alia scelera ex aliis, et ita petraham eum ad alias atque alias miserias, ut tandem desperet ac deficiat, sicut Saul.

Atque ita vere tentat omnes homines: Insidiatur nobis omnibus, ac praesertim iis, qui sunt in Ecclesia. Id singuli debebamus considerare diligenter, et intenti esse. Iuvenes hoc non cogitant, antequam impellantur in mala. Postea coguntur deplorare.

Sed hic non tam de privatis insidiis Diaboli loquitur Psalmus, quam de persecutionibus contra Messiam, et totam Ecclesiam: adversus quam omnibus emporibus Diabolus ciet horribiles tumultus.

De his praedicit Psalmus, et coniungit gentes, populos, reges, principes. Ubi igitur erit Ecclesia? Certe erit coetus exiguus, si ei adversantur populi, potentes, sapientes plerique in mundo. Hos tamen obiurgat, et significat frustra eos tumultuari, frustra adversari filio Dei et membris suis. Ita simul involvit consolationem piorum, damnatis omnibus adversariis.

Dirumpamus vincula eorum, et proiiciamus a nobis iugum ipsorum.

Haec est Mimesis. Sunt verba dicta in persona hostium. Nam Mimesis est imitatio alieni sermonis. Haec est autem vox impiorum. Negant se passuros Evangelii propagationem. Dicunt: Non volumus hunc regnare super nos: Non volumus ferre concionatores istos: Dissipabimus hanc doctrinam: Turbabimus et evertemus Ecclesiam. Nec solum clamant ista impii, sed re et factis probare conantur. Interficiunt, pellunt homines recte sentientes. Faciunt dissipationes Ecclesiae multis in locis. Sicut nunc etiam multi boni et sancti viri expulsi sunt e suis nidulis. Id facit Diabolus per sua organa, qui tamen non potest funditus delere Ecclesiam. Ideo proponitur hic in consolationem piorum, comminatio adversus Diabolum et caeteros persecutores.

Qui habitat in coelis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos: Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

Minatur poenas hostibus, et consolatur Ecclesiam, quod inter illos gentium fremitus, tumultus principum, Deus tamen servaturus sit misellam Ecclesiam suam. De poenis hostium alias diximus. Sed de conservatione Ecclesiae, sumite illustrem imaginem, seu typum illum Ecclesiae populi Iudaici, stantis inter scopulos maris rubri. Non potuit illa multitudo tanta, subito transire mare rubrum. Opus fuit ad minimum diebus quatuordecim. Interea steterunt illi montes aquarum. Fuit mirandum spectaculum. Pharao et totus exercitus eius miserabiliter periit in eo mari.

Intuemini etiam imaginem illam Ecclesiae, in conservatione Mariae, et familiae ipsius, tempore Herodis. Nos cogitamus, Iam erunt nova bella, novi tumultus. Delebitur Ecclesia. Sed consolemur nos hoc typo. Sicut defendit tunc Deus Mariam, sororem eius, et alias matronas sanctas, praestantes forma, ingenio, sapientia, quantumvis tales maxime appetantur: Et qui tum in Iudaea vagabantur exercitus, erant petulantissimi: Ita nos quoque et nostros custodiet Deus, Quia scriptum est: *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt.*

Post exordium, quod constat locis patheticis, obiurgatione hostium Evangelii, comminatione poenarum, et consolatione Ecclesiae: sequitur narratio:

Ego constitutus sum ab eo rex super Sion montem sanctum eius.

In Hebraeo est: *Ego constituo regem meum, super Sion montem sanctum.* Est enim sermo aeterni patris, qui affirmat, certo se missurum esse Messiam: Et diserte inquit: *Ego constituo.* Ut sciamus non humanis viribus, sed divinitus regnum Messiae constituendum esse.

Nominat montem Sion, sicut in Psalmo. Dixit Dominus: *Virgam vel sceptrum virtutis tuae emittet Dominus ex Sion.* Et apud Esaiam: *Ex Sion egredietur lex.* Est autem valde pulchrum vocabulum in Hebraeo textu. *Nasachti,* id est, ergo inungo regem istum. Id alludit ad ritum ordinationis, seu inaugurationis. Reges olim ungebantur certo ritu. Promittitur autem stabilitas huius regni, Quia Deum autorem habet, qui et conservaturus est, ne possit everti.

Quid faciet autem hic rex? *Praedicabo praeceptum seu decretum eius.* In Hebraeo est mutatio personae. Antea locutus est aeternus pater. Nunc loquitur filius Messias: qui dicit se non gesturum esse bella, ut reges mundani faciunt, sed se velle docere, seu praedicare Evangelium. Manebit ergo coetus docentium et discentium. Erit ministerium. Erit Ecclesia. Servabuntur studia, etiamsi patiendum sit. Ubicunque legitis, aut quotiescunque auditis, de praedicatione, de ministerio verae doctrinae, transferatis ad consolationem vestram. Cogitate. Ecce Deus promittit se servaturum docentes: Ergo vult nos discere: vult esse studia: amat studia nostra: favet studiis: tuebitur, iuvabit, conservabit studia sine ulla dubitatione, etiamsi non deerit crux. Hoc utile est considerare. Deus non vult Ecclesiam obtinere summa imperia, sed vult similem esse scholae. Et castigat nos, sed tamen servat.

Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: Ego hodie genui te.

Sic non alloquitur Deus angelos, non alias creaturas, sed solum filium. Discernitur ergo filius ab omnibus creaturis: Et significatur, praedicationem in novo Testamento talem esse, ut agnoscatur ex ea filius Dei, in quo etiam placatus est aeternus pater hominibus. Sicut de coelo clamat: *Hic est filius meus dilectus: In quo mihi complacitum est, seu in quo sum placatus.*

Ioannes nominat filium unigenitum, ut discernat eum a filiis adoptivis. Nos vocamur filii adoptionis, seu adoptivi. Non sumus natura filii, sed adoptione, ut cum dives aliquis, aut potens recipit in locum filii miserum orphanum, et facit eum haeredem, qui ex ipso natus non erat.

Solus Christus est unigenitus, id est, natura est filius. Considerandum est igitur pondus verbi, *Genui te,* id est, de mea substantia genui. *Hodie* significat aeternitatem, Quia generatio filii est ab omni aeternitate, Aeterna autem non sunt in tempore. Haec, ut videtis, breviter hic dicuntur in Psalmo. Sed in docendo addiderunt prophetae longiorem explicationem, voluerunt ista proposita esse piis, ut arcana. Non possumus intelligere illam aeternam generationem filii. Sed oportet nos tamen retinere, quantum in verbo revelatum est Ecclesiae. Vocatur filius, et dicitur genitus a patre. Est ergo natus ex substantia patris. Vocatur etiam imago et λόγος. Ergo nascitur cogitatione patris intuentis se ipsum. Ista plene discemus in vita aeterna. Sed tamen in hac vita oportet nos discere, quantum ex verbo cognoscere possumus, ut discernamus personas, et recte invocemus Deum in agnitione filii. Non addam enarrationem prolixiorem, sed vos ipsi pia mediatione ista verba expendite. Iam addit de officio Mediatoris, et sciamus hunc filium semper fuisse intercessorem pro genere humano.

Postula a me: Et dabo tibi gentes haereditatem tuam, Et possessionem tuam terminos terrae.

Rursus fit mutatio personae loquentis, et significatur hoc arcanum mysterium: quod filius Dei factus sit deprecator pro genere humano, intercedat pro Ecclesia. Ideo dicit aeternus pater: *Tu postulas a me*: *Et quia postulas, dabo tibi.* Postulatio significat interpellationem seu intercessionem: et debet referri ad illam arcanam deliberationem, seu ad illam magnam rem deliberatam et actam in arcano consilio divinitatis, quando pater placatus intercessione filii recepit genus humanum, cum vere irasceretur ei propter peccatum. Nos otiosis animis cogitamus ista. Sed debebant nos poenae convincere, ut fateremur Deum vere irasci peccato: Hanc iram sciamus placatam esse per filium intercedentem pro nobis. Huius intercessionis effectus est etiam collectio Ecclesiae ex toto genere humano. Nam quia postulas a me, inquit aeternus pater, id est, quia es deprecator, quia petis a me conservationem generis humani, Ideo dono tibi, Es sey dir geschenckt. Sicut ad deprecatorem solemus dicere, intercedentem pro alio: Sit tibi hoc a me donatum.

Admodum pathetice ista dicuntur, si expendatis, Quia sunt gravissima πάθη, et affectus, si diligenter perpendantur.

Continetur etiam hic doctrina de vocatione gentium. Ecclesia colligetur non ex Iudaeis tantum, sed etiam ex gentibus. Et non ex una et altera gente tantum, sed ex omnibus, ubicunque habitant in terra. Hanc consolationem etiam debemus tenere, et scire, quomodo recipiantur gentes pollutae idololatria, et aliis turpissimis flagitiis, videlicet, quia intercessione et merito filii reconciliantur Deo, et remittuntur eis peccata gratis propter hunc filium

Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos.

Qui nolunt habere hunc filium, salvatorem, ii experientur eum iudicem. Et impii qui non convertuntur, non solum praesentibus poenis punientur, sed etiam opprimentur aeterno iudicio. Conferatur huc Psalmus 110. *Dixit Dominus*, id est, decrevit Deus, fecit decretum aeternum et immutabile: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Item, *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Item, *Iudicabit in nationibus, implebit ruinis, conquassabit capita,* hoc est, monachos, reges, principes, in terra multorum.

Sicut decretum Dei est immotum: Sic utrobique affirmatur, nullius hostis tantam potentiam fore, qui sit deleturus, aut eversurus regnum Christi: Sed quod ipsi hostes tragicum exitum habituri sint. Sequitur Apostrophe seu compellatio ad omnes homines, praesertim potentes et sapientes mundi.

Et nunc reges intelligite: Erudimini qui iudicatis terram.
Servite Domino in timore, et exultate ei in tremore.

Hortatur ad agnoscendum hunc regem, et ut obediant ei, audiant et venerentur eum. Nominatim vero alloquitur reges, ut sciant se quoque inferiores esse hoc Domino, et hunc futurum omnium regum iudicem. Est igitur hic testimonium, quod reges etiam et caeteri principes politici debeant discere doctrinam de Christo, non ludere opinionibus in religione, praebere hospitia Ecclesiae, non adversari. Debebant etiam tueri, Sed hoc regnum non defenditur humanis praesidiis, sed regitur ac conservatur per filium.

Quanquam autem plures semper adversantur, tamen aliqui audiunt, Coniungunt se cum Ecclesia, praebent hospitia, leniunt aerumnas piis membris Ecclesiae, sicut canes lingunt ulcera Lazari. Mandatum Dei non est irritum in universum. Erunt igitur aliqui, quorum mentes flectet filius Dei ad hoc officium, ut praestent Ecclesiis hospitia, etsi maxima potentia in terris repugnabit, ut nunc Turcae, et Pontificii. Quanta asperitas est in Gallia, quanta saevitia? Interficiuntur sancti homines plurimi horribiliter, defenduntur manifestae idololatriae.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta, Cum exarserit in brevi ira eius.

Non est recte redditum, Debet esse sine ulla dubitatione: *Osculamini filium.* Estque dulcissimum παίτες de modo colendi huius Domini. Imo de ipsius adventus conditione. Significat sic advenire eum, at suavissime nos salutaturus sit: Non veniet, ut perdat genus humanum, sed ut omnes ad ipsum confugientes servet, sicut inquit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis.* Haec vox est blanda salutatio, et dulcissimum osculum, quod offert nobis. Non ingreditur Hierosolymam Christus, ut Herodes trucidans populum, sed offerens salutem omnibus. Iubet igitur aeternus pater, ut filium vicissim amplectamur, audiamus, osculemur. Et quia hic filius est nativus filius, seu natura filius, Id enim significat nomen Bar, quod hic in Hebraeo textu ponitur, testatur simul aeternus pater se quoque diligere amicos huius sui filii.

Phrasis sumpta est ex veteri more seu consuetudine, qua hospites advenientes mutuo se exceperunt cum quadam reverentia, et dato osculo. Non intelligite agrestem et deformem amplexum, Sed cogitate de honestorum hominum congressibus, qui cum amplexu reverenter et amanter se mutuo excipiunt.

In aulis postea inolevit alia consuetudo, ut subditi manus regum, principum, magistratuum, oscularentur; Inde fortassis ortum est, quod hodie quoque inferiores prius suas manus osculantur, antequam porrigant principi. Iudicatum fuit, hoc esse civilius, ne cuilibet, apud gentes magis barbaras, liceret ore suo contingere manum ipsius principis.

Sed vetus consuetudo osculandi manus principum duravit olim usque ad Imperatorem Diocletianum: Qui admisit etiam morem osculandi pedes. Hinc morem adhuc retinent Pontifices Romani. Sed vos respicite ad veterem consuetudinem, et cogitate, quam suavis et dulcis sit sensus osculi. Loquimur de vero osculo, non de osculo Iudae, Quia scriptura loquitur de rebus veris, non de simulatione. Cogitate de osculo parentum, quo dant suaviolum infantulo adhuc tenero, ut cum Maria filiolum iacentem in cunis osculata est. In pectoribus parentum divinitus insitae sunt στοργαὶ, quae efficiunt, ut mater laetetur sobole sua, pendente de collo, aut iacente in cunis, aut gremio suo. Sic vult nos Deus laetari hoc filio, vult nos acquiescere in eo, das wir ein hertzliche freud vnd wonne, vnd trost an jm haben.

Sed complectamur et alteram significationem. Nam osculum significat etiam os Messiae docens, Item sermonem et doctrinam ipsam. Vult igitur Deus nos audire filium docentem, recipere sermonem eius, et sic quasi mutua oscula seu basia figere eius labellis. Christus alloquens nos offert pacem, salutem, bona omnia. Hoc est ipsius osculum. Vicissim nos debemus eum excipere. Corda nostra debent laetari in filio Dei, et quanquam sumus miseri, et circumferimus dolores nostros, tamen statuere debemus, quod simus curae Deo propter filium. Debemus nos exuscitare ad invocationem expectare auxilium, sperare mitigationem aut

liberationem in aerumnis, quas vel sentimus vel metuimus. Sic laetari, est illud excipere cum basio, seu osculari Messiam. Omnes sapientes intelligunt esse pathetice dictum. Cogitate et illud in hac imagine. Osculo transfunditur spiritus. Ita Dominus afflat Apostolis spiritum suo habitu. Et per verbum datur Spiritus sanctus qui nos copulat cum Deo.

Iam facite antithesin, et cogitate, quanta sit acerbitas odiorum in sapientibus et potentibus huius mundi. Quanta fuit in summis sacerdotibus immanitas contra Christum, quando audiverunt ex eo, quod non perpetua sit futura ipsorum politia? Cogitate iam de summis hominibus nostro tempore, quanta rabies, et saevitia in eis sit, contra veritatem. Qui cum talibus agunt, ii experiuntur, quale hoc sit. Non est parva crux, versari inter tales, qui ardent odiis et adversantur veritati.

In summa, Sicut in sanctis est laetitia, quae acquiescit in filio, et accipit eum tanquam hospitem gratissimum, osculo vere philostorgo: Sic econtrario in impiis est ineffabilis immanitas odii adversus Ecclesiam, et nos omnes. Et tamen Deus conservat suos, sicut Pharisaei non potuerunt interficere Paulum. Postea cum complevisset curriculum suum, interfectus est a Nerone.

Magnum bonum est, tenere grammaticum sensum congruentem cum fontibus. Ideo debent esse studia linguarum, ut fontes inquirantur, Quia textus debent esse confirmationes fidei. Oportet igitur legi fontes, et considerari sententiam grammaticam; Quantum beneficium est Dei, quod nunc in singulis fere oppidis reperiuntur fontes doctrinae, Novum Testamentum graecum, et Biblia Hebraica, et quod in scholis adolescentia deducitur ad fontes, et excoluntur linguarum studia? Quanquam leviter tincti sumus illa linguarum cognitione, tamen maiores divitias esse existimemus, quam Fuccari opes, et regnum Turcicum. Homini qui Deum timet, qui non est ἄθεος, blasphemus, prophanus, ingens hic thesaurus est, videre, quid sit in fontibus.

Sic igitur inquit Psalmus: *Osculamini filium.* Et addit de poenis contemnentium filium. Non est, quod cogitetis, impune vos persequi posse hunc filium, aut aliud aliquid facere contra hunc concionatorem, laborare, ut deleatur vox Evangelii. In Latina versione dicitur: *Nepereatis de via iusta.* Haec particule *iusta* non debebat esse addita. Potius de malis viis impiorum intelligi debet, in quibus pereundum eis tandem est, ut Nero eodem anno interiit, quo Paulum interfecit. Dicit autem Psalmus: *In brevi exardescet ira eius:* Quia Christus assumit humanam naturam in extrema aetate mundi, in quarta Monarchia, sicut Iohannes inquit: *Novissima hora est:* et Paulus: *Nos sumus, in quos fines saeculorum, devenerunt.* Deinde videtis, quam breve sit curriculum vitae uniuscuiusque. Etsi igitur nobis diu esse videtur cum nobis patiendum est, tamen nec nostrae miseriae erunt perpetuae, nec hostium rabies diuturna, Vere iudicabit et perdet Deus, qui non volunt recipere filium, qui non volunt audire, qui persequuntur.

Sequitur conclusio, quae est instar Epiphonematis. *Beati omnes, qui confidunt in eo.* Commemoravit, quae sit persona, quod officium. Hic docet de applicatione, etsi ea aliquo modo etiam involuta est in verbo *Osculamini.* Est autem haec doctrina fidei, et congruit, quod Paulus ex Esaia allegat: *Omnes qui confidunt in eo, non confundentur.* Affirmat Psalmus beatos fore homines, id est, liberos a peccato, morte, tyrannide Diaboli, si confidant se a Deo recipi, et per filium defendi ac servari.

Simus discipuli istius doctoris. Non corrumpamus hanc dicta, neque affingamus sententiam alienam, Exponamus, sicut proprietas verborum postulat. Pharisaei et alii hypocritae non intelligebant hanc doctrinam, Quia erant oppressi imaginationibus humanis de iustitia carnis, et de merito disciplinae. Sic illi non intelligebant, qui invocabant Deum cum dubitatione. Sed prophetae inculcarunt veram doctrinam de fide, Et postea Christus et Apostoli. Et haec discenda est in veris exercitiis invocationis. Paulus diligenter tractat hunc articulum, quoties de iustitia fidei disputat. Et summa est in hac sententia comprehensa: *Iustificati fide pacem habemus.* Id est, oportet fide agnosci istum Dominum, et fide statui, quod vere nobis beneficia illa gratis exhibeat, R. P. imputationem iustitiae, reconciliationem, Spiritum sanctum et vitam aeternam. Haec sunt beneficia Evangelii, et haec sine dubitatione ab eo petenda et expectanda sunt.

Apostoli sunt illustratores prophetarum. Ideo vox Apostolica debet esse lumen prophetiarum. *Non propter opera, sed fide,* inquit Paulus, *iustificamur.* Et addit particulam *gratis,* et vult nos cum fiducia accedere audacter. Sic inquit Baptista: *Qui credit in filium, habet vitam aeternam.* Ita videtis esse perspicuam et planam concionem Psalmi. Principaliter est confirmatio de his articulis: Quis sit Messias, et quod officium sustineat, Et quomodo beneficia eius accipiamus. Postea adhortationes, commonefactiones, consolationes, comminationes, praecepta sunt interspersa. Quoties enim doctrina traditur, debent misceri motus, Et ad extremum doctrina traducenda est ad timorem et fidem. Ad timorem pertinet, quod minatur illis, qui non amanter excipiunt hunc Dominum. Ad fidem, quod consolatur et omnia bona promittit his, qui excipiunt eum.

Haec vox, *Beati omnes qui confidunt in eo,* debet in nobis singulis excitare fidem, id est, tradu-

cere mentes nostras ad fiduciam Christi, ut in eo acquiescamus, invocemus eum, speremus opem, levationem, gubernationem ab eo. Moses clamat: *Nisi tu praecesseris nos, ne educas nos ex loco isto.* Respondet Dominus: *Praecedam vas.* Hanc consolationem etiam nos teneamus. Acquiescant nostri affectus, et cor in filio, sicut Moses acquiescit. Non potest haec misera vita defendi humanis praesidiis. Sed filius Dei est custos Ecclesiae. In hac fide facienda est invocatio, et coniungenda nostra diligentia.

DIE IOHANNIS EVANGELISTAE.

Textus Evangelii Iohann. 21.

Fuitne idem Iohannes Evangelista, et Iohannes Baptista? Respondeo Iohannes Baptista fuit ex tribu Levi, seu posteritate Aaronis: Et fuit vocatus, ut esset praecursor Messiae, quem digito etiam monstravit: *Ecce agnus Dei.* Ideo autem dictus est Baptista, quia inchoavit Baptismum; Quod Luc. 7. dicitur factum esse ex consilio Dei. Iohannes vero Evangelista fuit oriundus ex tribu Iuda, Eius pater fuit Zebedaeus: Mater Salome, quae fuit soror Ioseph, sponsi Mariae.

Lucas recenset seriem patrum, ex quibus orta est Maria. Ea series, si conferatur cum Genealogia apud Matthaeum, animadverti potest, in quo gradu Iohannes Evangelista et Christus cognati fuerint. Nam Salome et Maria fuerunt sorores patrueles zweyer brüder töchter. Series haec est:

Mathat

Eli, qui et Ioachim dicitur, maritus Annae		Iacob		
Maria mater Christi virgo Iesus Christus.	Maria Cleophae, cuius filius fuit Iacobus Minor Episcopus Hierosolymitanus, dictus frater Domini.	Ioseph sponsus Mariae virginis	Salome soror Iosephi nupta Zebedaeo	
			Iacobus Maior interfectus ab Herode.	Iohannis Evangelista.

Fuit igitur Iohannes Christo agnatus in tertio gradu: Iacobus Minor in secundo gradu. Sed quia Iohannes et Iacobus Maior videbantur Christo paterna linea iuncti esse: Ideo Salome fascinato somnio de regno Messiae politico laborabat, ut filios suos proxime adiungeret Christo, sicut scitis illam petere. *ut alter ei sedeat a dextris, alter a sinistris.* Metuebat enim, ne Maria transferret imperium ad sororis suae liberos, qui erant Christo iuncti materna linea.

Sed Christus molli brachio obiurgat Salomen. Iubet eam cum filiis suis cogitare de cruce, cum dicit: *potestisne calicem bibere, quem ego bibam?* Ita revocat eos a somnio de regno politico Messiae, et taxat non solum inscitiam et ignorantiam eorum, sed etiam aemulationem et invidentiam, quae in utroque sexu regnat. Non tantum de viris verum est, quod scripsit Ennius:

Omnis cura viris, uter esset Induperator:

Sed etiam in muliebri sexu haec imbecillitas est, ut nolint se et suos negligi. Sic Maria soror Moisis incitavit Aaronem, ut opponeret se Moisi.

Historica de vita Iohannis Evangelistae.

De historia ipsius Iohannis pauca commemorabo, ut nota fiant adolescentibus. Pervenit Iohannes ad longam senectam, quod non accidit multis aliis. Attigit enim annum aetatis circiter nonagesimum. Fuit annorum viginti vel paulo amplius, tempore passionis Christi. Ac scribitur habuisse domum Hierosolymis, in qua habitavit cum eo Maria post resurrectionem Domini: Quia Christus peculiariter ei matrem commendaverat, moriturus in cruce.

Post mortem Mariae putatur discessisse ex Hierosolymis. Praecipue vero docuit Ephesi. Sub Domitiano fuit relegatus in Pathmum, quae est una ex Cycladibus. Praedicavit igitur post resurrectionem Christi, usque ad hanc relegationem annis 63. Postea Traianus concessit reditum exulibus. Ibi reversus est etiam Iohannes Ephesum. Mortuus est anno tertio Traiani, ad quem fuerunt anni circiter quinque a tempore relegationis, quia Sophronius expresse scribit, eum mortuum esse anno sexagesimo octavo post resurrectionem Chri-

sti, cum caeteri Apostoli, et Paulus diu ante extincti essent.

Deus alia atque alia curricula attribuit doctoribus Ecclesiae, et mirabiliter aliquos servat, ut sint testes et custodes doctrinae. Ac fortassis significatum hoc fuit a Christo, commendante ei matrem, quod inter Apostolos diutissime gubernaturus esset Ecclesiam. Hanc ei matrem potissimum curae esse Christus voluit.

Ephesi non solum docuit populum, sed etiam scholam habuit, sicut Episcopi olim docebant non tantum in publico coetu, sed etiam instituebant aliquos privatim. Auditores igitur habuit multos, qui post eius mortem propagarunt doctrinam. Tales fuerunt Ignatius, qui factus est Episcopus Antiochenus; Item Polycarpus Episcopus Smirnaeus: Papias Episcopus Hierapolis.

Horum testimonia multum profuerunt Ecclesiae, sicut Irenaeus allegat, quae audiverit ex Polycarpo, cuius ipse fuit discipulus. Ac valde utile est omnibus temporibus, tenere vetera testimonia. Nec quisquam tam audax ac temerarius esse debet, ut putet illa sibi contemnanda esse, aut sibi persuadeat, se non indigere testimoniis veterum, et se controversias de maximis rebus explicare posse, sine ullis testimoniis veteris et purioris Ecclesiae.

Scripta Iohannis, singulari diligentia legenda sunt. Scripsit historiam Evangelicam postremus omnium, et complexus est conciones et miracula Christi valde insignia, quae alii Evangelistae non recitarunt. Articulum de divinitate filii peculiariter illustravit. Omisit autem pleraque, quae ab aliis iam ante scripta erant. Voluit enim scribere Paralipomena, id est, quae a caeteris omissa fuerunt. Oratione usus est ornatissima et pulcherrima.

Camerario, qui potest iudicare de Graeca lingua, admodum placet sermo Iohannis. Est enim in eo magna puritas et proprietas, et dulcedo orationis.

Eusebius narrat a Iohanne scriptum esse Evangelium, ad refutandum Ebionem et Cerinthum, qui contendebant in Christo tantum esse humanam naturam. Ac Ebion tumultuatus est in Iudaea et Palaestina, Cerinthus in Asia.

Non dubium est Iohanni magnum dolorem attulisse illa horribilia dissidia dogmatum, praesertim de summo articulo fidei: Etsi aliae quoque multae sectae simul illis temporibus fuerunt, quarum furores non potuit spectare sine acerrimo dolore animi. Coactus etiam fuit videre excidium Ierosolymae. Et vidit ante ac post deletam Ierosolymam assiduas tumultuationes suae gentis, in quibus magna multitudo quotidie interficiebatur.

Haec spectavit cum ingenti dolore suo. Et in his ruinis patriae, et interitu gentis suae, didicit re ipsa, perpetuas miserias esse Ecclesiae in hac vita: et statuit aliam fore aliquando gloriam Ecclesiae: Didicit, in hac etiam vita Deum ostendere iudicia sua in poenis impiorum.

Doctrinae Iohannis Deus testimonia perhibuit etiam per miracula. Scribitur aliquot mortuos resuscitasse, ex quibus femina nominatur Drusiana, quae cum gestaretur ei obviam redeunti peregre, in vitam ab eo revocata est. Nominantur et alii ab eo resuscitati: Et ipse cum propinatum ei esset venenum, Item, cum coniectus esset in vas plenum fervente oleo, incolumis tamen evasit. Existimo et aliis pluribus exemplis Deum testificatum fuisse de doctrina Iohannis.

Cum adolescens essem, multum utebar libro, qui Graece scriptus erat de historiis Apostolorum, et aliorum quorundam sanctorum. Habebat illum in bibliotheca sua Capnio. Neque meliorem vidi, Erat manu scriptus, et prae se ferebat antiquitatem. Vidi postea alium apud Birckemarum, et alium apud Langum, Sed isti erant recentiores, et magis fabulosi. Fortassis adhuc exstat liber ille, de quo dixi, in Pfortzheim, ubi relicta est bibliotheca Capnionis. Non erat mihi, etiam adolescenti, difficilis Graeca illa lectio, et delectabar cognitione quarumcunque historiarum Ecclesiasticarum.

Eusebius duas adhuc historias habet, quae sunt dignae memoria. Una est de morte Cerinthi. Cum Iohannes intelligeret Cerinthum, sedentem in balneo, evomere blasphemias suas inter suos gregales, hortatus est auditores suos, cum quibus venerat ad idem balneum, ut secum mox regrederentur. Deus enim non feret, inquit, istas blasphemias. Statim cum exivissent, collapsa est domus, et ruina sua opressit Cerinthum cum suis.

Altera historia est de quodam adolescente revocato a Iohanne ad poenitentiam. Commendaverat Iohannes adolescentem quendam generosae indolis Episcopo cuidam in urbe vicina Epheso. Is cum didicisset summam doctrinae Christianae, et baptismum accepisset, postea tamen deseruit scholam Episcopi, et adiunxit se malis sodalitiis, sicut nihil est usitatius, quam aetatem iuvenilem corrumpi sodalitiis pravis: Iohannes, cum rescivisset, ubi esset, profectus est ipse ad latrunculos, in quorum sodalitio ille versabatur, nec destitit, donec eum retraheret, Quia, etsi iuvenis ille fugiebat initio conspectum Iohannis, tamen, cum venia ei promissa esset a Iohanne, rediit cum eo ad Ecclesiam. Hoc est illustre exemplum, quod lapsi possint redire ad poenitentiam, et debeant recipi ab Ecclesia, si ostendant vera signa poenitentiae.

Haec dixi de historia Iohannis, qui fere unus placide mortuus est ex Apostolis: Caeteri plerique fuerunt affecti capitali supplicio. Nunc excerpemus materias praecipuas ex lectione hodierni textus. Sunt autem materiae duae, quarum maximus usus

est in communi vita. Prima est de discrimine disciplinae, et crucis. Altera de sua cuiusque vocatione et de fugienda Polypragmosyne, curiositate, et invidentia.

De duplici cinctura.

Primum inquit Christus ad Petrum: *Cum iunior eras, cingebas te ipsum. Sed cum senueris, alius te cinget.* Hic describitur duplex cinctura: prior significat disciplinam, quae est gubernatio rationis qua regimus externos mores secundum mandata divina: Hanc voluntas humana utcunque praestare potest. Altera cinctura est res multo maior, videlicet subiectum esse cruci, et sustinere afflictiones, non accersitas nostra voluntate. In his recte ferendis, cum sancti praestant tolerantiam, fit in eis mortificatio, et accenduntur cultus spirituales.

Haec confert inter se Christus, ut eximat Petro phantasiam illam, qua somniabat regnum Christi fore suave ctium, in quo Apostoli habituri essent potentiam et opes, essent gubernaturi provincias, et fruituri tranquillitate, et delitiis huius vitae. Hoc dulce somnium taxat Christus, et vult, ut Petrus praeparet se ad crucem, et sciat Deum velle, ut serviatur ei, non tantum disciplina, sed etiam spirituali obedientia, cuius pars est tolerantia in afflictionibus.

Repetam autem causas, propter quas disciplina praestanda sit ab omnibus hominibus: Quia haec vita effera et Cyclopica, qualis nunc est, cogit nos, qui docemus in scholis, urgere adolescentes, ut cogitent, non esse rem parvam, etiam disciplinam praestare.

De causis praestandae disciplinae.

Quae sunt igitur causae, cur praestanda sit disciplina ab omnibus hominibus? Nam disciplinam, id est, diligentiam cohercendi externa opera, oportet esse, tum in his, qui nondum sunt renati, tum etiam in illis, qui habent initia regenerationis.

Prima causa est, Necessitas obtemperandi mandato Dei. Haec est magna causa, quia omnis creatura debet obedire suo creatori. Ideo homo tanquam creatura rationalis obligatus est, ut praestet obedientiam his mandatis divinis, etiam quod ad externam disciplinam, *Non habebis Deos alienos coram me: Non colas statuas: Non afficias nomen Domini contumelia: Non occides: Non moechaberis: Non furtum facies, etc.*

Hanc causam evertunt Antinomi, vel potius Anomi illi, qui disputant, non dicendum esse, quod Christiani debeant obedire: Item qui negant hanc propositionem esse veram: Obedientia est necessaria. Quaerunt depravationes horum vocabulorum debiti et necessitatis, sive ex inscitia, sive ex malitia.

Quasi vero debitum, aut necessitas hic significet coactionem, ac non potius ordinem divinum, pro creatura rationalis obligata est, ut obtemperet Deo. Postea tamen verum est, hoc debito seu hac necessitate non excludi, ut obedientia sit spontanea. Profecto dolendum est, impune spargi istas voces in Ecclesia, quod disciplina non sit necessaria, Sed adolescentes sint praemoniti, ut si quos audiunt ita furiosos esse, ut conentur defendere, disciplinam et bona opera non esse necessaria, eos serio fugiant, ac vitent.

Secunda causa est, Necessitas vitandi poenas. Haec causa intelligatur, non tantum de poenis Magistratuum, sed de omnibus poenis divinis. Multi existimant, si publice a Magistratu non puniantur, nihil imminere sibi periculi, quantumvis indulgeant delictis. Sed scriptura revocat nos ad ultionem divinam, sicut Iob inquit: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parcis delinquenti.* Non igitur cogitandum est aliter, quam certissime poenas secuturas esse, quoties violamus disciplinam.

Quam certa est haec propositio, Deus est: tam certa est etiam haec: Deus est iustus vindex scelerum. Item, Sicut certissima est propositio, Ignis urit, vel ignis fulget: sic ordo divinus est: Atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis. Ideo dicitur: *Qui gladium acceperit, gladio peribit. Vae qui spolias, quia spoliaberis. Scortatores et adulteros iudicabit Deus.* Item, *Non habebit Deus insontem, qui nomen Dei assumit in vanum.* Et, *Maledictus qui contumelia affecerit patrem aut matrem suam.*

Horum dictorum exempla sunt in omnibus, sacris et prophanis historiis, ac coegit experientia quotidiana fateri etiam Ethnicos, non impune homines delinquere. Inde sunt sententiae illae. *ἔκδικον ὄμμα ἔχει θεός.*

Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.
οἷα' ἀνὴρ ῥέξει, τοιοντέλος αὐτὸν ἱκάνει.

Et apud Pindarum pulchre dicitur: *Rapina dulcis est, sed habet τραχεῖαν τελευτάν*, id est, post festum asperum. In Clemente Alexandrino citatur etiam haec sententia: *βέβαιον ἕξεις βίον δίκαιος ὤν.* Tales sententias meminisse debitis, et observare exempla in vita quotidiana, et excutere istas cogitationes, quibus multi sibi blandiuntur: Ego volo obtemperare meis cupiditatibus, quamdiu possum id facere per aetatem, et tamen evadam. Imo non evades, sicut recte inquit Salomon in Ecclesiaste:

Non est evasio impio, Differuntur aliquamdiu poenae, sed ad extremum non bene erit impio. Cum hoc dicto Salomonis congruit etiam dictum illius Poetae Ethnici:

Ah miser, et si quis primum periuria celat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus.

Videtis latrones et fures vel tandem retrahi ad poenas, et multis hoc accidit, ut sponte se offerant poenis. Deus vult intelligi suam iustitiam: Ideo punit delinquentes, Nec est ignavus in poenarum executione. Haec regulariter fiunt in hac vita, et quidem puniuntur homines plerumque per ea, quibus peccarunt.

Etsi mitigat Deus poenas agentibus poenitentiam, sicut Propheta inquit: *In ira tua misericordiae recordaris.* Interim tamen punit etiam in sanctis lapsus. Nec dubitemus, ideo tot calamitates vagari in mundo, et cumulari poenas, quia mundus cumulat peccata, contemnit divina et humana. Quisque sumit sibi licentiam faciendi quae libet. Non potest igitur aliter fieri, quam ut plectamur privatim et publice.

Tertia causa est, Necessitas non turbandi alios, De hac causa dicitur: *Diligas proximum tuum, sicut te ipsum.* Item, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Non simus ita incogitantes, ut putemus, nos solos vivere in genere humano. Debemus frenare nos, ut alii quoque possint esse quieti. Qui non vult hoc facere, nec consulere aliorum tranquillitati: is non est dissimilis parricidae Cain, quem cum Dominus interrogaret: Ubi est frater tuus Abel? ille exceptione hac utitur: *Numquid ego sum custos fratris mei?* Sed hoc sophismate, neque Deo, neque suae conscientiae satisfacere potest.

Sciamus igitur, quod Deus imponat hanc curam singulis hominibus, ut habeant aliorum rationem, neque sint molesti aliis, ut cum petulantes aliqui scholastici noctu vagantur in plateis, et more bestiarum vociferantur, magnas molestias afferunt aliis, Terrent puerperas, turbant aegrotos, impediunt somnum multorum senum. Haec si Magistratus non punit, certe conscientia tua aliquando te arguet.

Huc pertinet, quod violatio disciplinae etiam scandalo nocet aliis, quia, quod alii tè facere vident, id audent ipsi quoque imitari. Qui sunt in iisdem sodalitiis, inficiuntur contagiis, et rapiuntur ad communes poenas, non aliter quam navis fertur, quo venti impellunt. Haec videmus quotidie fieri cum magno dolore nostro, etiam in coetibus scholasticis.

Restat quarta causa, de qua Paulus inquit: *Lex est Paedagogus in Christum.* Est igitur disciplina propterea etiam necessaria, ut homines doceri possint de Christo: Item ut Christus sit efficax in eorum animis. Nam illi qui perseverant in delictis, et contumaciter pergunt violare disciplinam, repellunt a se Christum, nec potest in eis Spiritus sanctus esse efficax. Impossibile est etiam existere fidem, in eo, qui ruit contra conscientiam. Ideo scriptum est: *Nolite errare, Scortatores, Adulteri, Homicidae non videbunt regnum Dei. Et propter haec venit ira Dei super filios inobedientiae.*

Ille qui vult manere adulter, scortator, sceleratus, Denique qui vult manere in quocunque malo proposito, sciat se non posse accipere remissionem peccatorum, quia vox iuramenti divini necessario requirit conversionem: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Et Esaias clamat: *Desinite malefacere, et discite benefacere.* Oportet igitur deponere peccata contra conscientiam.

Adolescentes considerent Metaphoram in appellatione Paedagogi. Officia Paedagogi sunt duo: docere, et castigare. Neutrum vero potest ac debet esse sine altero, Qui non docent iuventutem, sed tantum flagris caedunt assidue, non sunt boni paedagogi. Rursus, nisi castigentur pueri, et coherceantur, non possunt doceri. Debet autem Paedagogus uti castigatione moderata, Non enim habet potestatem interficiendi pueri. Ita lex seu disciplina praestat, ut homines erudiantur de Deo, de Evangelio, de omnibus partibus Christianae doctrinae: Et quanquam lex perterrefacit animos, tamen cum accedit consolatio Evangelii, non habet vim occidendi, sicut etiam Deus renatos ita punit et castigat, non ut perdat, sed ut vocet ad poenitentiam.

Hae causae, propter quas praestanda est disciplina, debent omnibus esse notae, Quia quo diligentius cogitantur, eo magis excitant animos, ad frenandos mores. Certe enim non est virtus, ut aliqui putant, nihil scire, et vitam Cyclopicam agere. Ego considerans haec tempora, saepe ita discrucior animo, ut pene extinguar dolore, praesertim cum experior, quam ubique locorum crescat rabies, inimica legibus. Quam triste est multos Theologos confirmare Antinomicis clamoribus, licentiam omnium scelerum in Principibus et Vulgo.

Talibus furoribus saepe non sine periculo sum adversatus, et contradicam Deo iuvante, donec spiravero.

Postquam vero causas praestandae disciplinae exposui, accommodabo iam ad disciplinae descriptionem Metaphoram, qua utitur Dominus in verbo cingendi, In homine duplices sunt vires, quae regi possunt, cor et locomotiva, sed reguntur dissimiliter. Nam universaliter, regimen aliud est Politicum, quod fit suadendo: Aliud est δεσποτικὸν, quod fit imperando.

Cor ergo regitur regimine Politico, id est, suadendo. Locomotiva herili imperio regitur, quia externa membra possunt cogi, ut huc aut illuc moveantur. Possum avertere oculos, ne videant. Possum etiam in siti abstinere a potu. Possum imperare manibus, ne faciant furtum, aut ne plagam inferant alteri. De hoc ergo regimine locomotivae loquitur Christus, cum inquit: *Cingebas te.* Et potest ratio naturalis hoc regimen praestare. Nihil est, si dicas: Ego non possum abstinere ab hoc et illo delicto. Imo Deus reliquit hanc libertatem in homine, ut possit frenare externa membra.

Gubernatio cordis interior est languidior, sed locomotivae rectio magis est in nostra potestate, et hanc voluit Deus in nobis esse, ut aliquo modo cogitemus discrimen inter libertatem et non libertatem seu captivitatem: et ut intelligamus ipsum Deum esse essentiam liberam: et ut societas humana possit conservari per ordinem disciplinae.

Singuli ergo anniti debent, ut exerceant hanc libertatem seu facultatem frenandi externos mores. Ac nos, qui sumus in Ecclesia, simul debemus invocare Deum, et petere, ut ipse nos regat Spiritu sancto, non tantum foris in praestanda disciplina, sed etiam intus in affectibus reprimendis, sicut clamat Psalmus: *Cor mundum crea in me Deus.* Illi qui sunt sancti, et adiuvantur a Spiritu sancto, firmius praestant disciplinam, et sentiunt in corde ipso motus spirituales.

Estque hoc magnum Dei beneficium, quod vult Ecclesiam esse domicilium Spiritus sancti, et per hunc vult in nobis habitare. Hac immensa bonitate Dei excitemus nos, ut frenum nobis ipsis iniiciamus, vel, ut Christus hic loquitur, accingamus nos, et ambulemus non ut fatui, sed *ἀκριβῶς*, Mit grossem ernst, ut sapientes, ut Paulus praecipit, nominans fatuos: qui neque circumspectionem, adhibent in delectu rerum, nec volunt cupiditatibus suis frenum iniicere.

De cruce et tolerantia.

Quanquam autem in renatis diligentia praestandi disciplinam est cultus Dei, et habet praemia sua, tamen adhuc maiorem sapientiam complectitur Christus, quam non intelligit ratio, cum de altera cinctura inquit: *Alius te cinget, et ducet quo non vis.* Monet enim, Ecclesiam subiectam esse cruci, et sublimiorem cultum esse, obedire Deo in afflictionibus, quae comitantur confessionem doctrinae, et retinere in his fidem, invocationem, spem auxilii et liberationis. Hanc sapientiam nondum intelligebant Petrus et caeteri discipuli, qui non modo ante passionem Christi, sed etiam post resurrectionem Domini habuerunt somnia sua de suavitate huius vitae, et regno politico Messiae. Haec somnia refutat hic Dominus inquiens: *Alius te ligabit,* quasi dicat: Ecclesia est subiecta cruci, ac praesertim illi, qui docent et funguntur Ministerio: quibus etiam Moises in benedictione tribus Levi, crucem in primis praedicit, cum Deut. 33. sic describit ministrum Ecclesiae: *Qui dicit patri suo et matri suae et filiabus suis, nescio vos, et quae sequuntur.*

Est descriptio valde Pathetica, sumpta a summo affectu, qui homines maxime frangere potest. Magnifaciunt homines honesti parentes suos, ac multi retinentur parentum iudiciis, ne subeant pericula in confessione: Multi miseratione coniugum: Sed multo plures amore filiorum retinentur, Quia hic affectus erga sobolem est maior, quam ullus alius. Ideo turbantur plurimi his cogitationibus: habes miseros infantulos, teneras filiolas: Si fueris expulsus, aut captus, quid fiet de illis? an non miseri orphani erunt?

Haec et similia intuetur Moises.

Ideo ut sapiens orator eiusmodi verbis uti voluit, in quibus est *πάθος* valde acre: *Qui dicit de patre suo: non respicio eum, Qui non agnoscit filios suos, etc.*

Magis autem afficiuntur homines calamitatibus, cum incipiunt senescere, et tamen multis hoc accidit, ut in senecta potissimum experiantur adversitates suas: Unde dicitur: *Time senectam, quia non venit sola.* Iuventus facilius fert res adversas, vel quia maior in ea vigor est animi et corporis, vel quia propter negligentiam minus curat negotia, iuxta dictum Euripidis: *νέα γὰρ φροντὶς ἀλγεῖν οὐ φιλεῖ*: Contra vero senes difficilius ferre possunt, quae accidunt, quia decrescit in eis vigor. Maior est in eis imbecillitas. Magis etiam excruciantur curis propter praesentia aut impendentia mala: Et saepe autem res ipsae eiusmodi sunt, ut iis magis moveantur, et excrucientur senes.

Isocrates inquit: *ὥσπερ ἐν χειμῶνι σκέπης, οὕτως ἐν γήρᾳ δεῖ ἀλυπίας*: *sicut in tempestate opus est tegumento: Sic in senecta opus est animi tranquillitate,* id est, ut non sit, quod excruciet animum: ut sunt curae, et causae curarum.

Ista pertinent ad descriptionem naturae, qualem experimur esse in hominibus. Est aliud dictum de senibus apud Thucydidem: *τροφὴ γερόντων τιμή*, id est, *Alimentum est senibus, honos.* Plurimum dolet senibus, cum vident se contemni. Et tamen commune hoc est, quod florentes contemnunt aetatem senilem, sicut in Esaia recensetur inter magna mala, et scelera mundi, *quod perit reverentia senum.*

Non solum ergo praedicit Christus Petro: *Tu patieris:* Sed addit: *Cum senueris.* Vult eum paratum esse ad futuras miserias: et quidem ea aetate,

qua dolorem acriorem sensurus sit iuxta carnem. Sciamus autem et nos paratos esse debere ad sustinendam crucem, tunc scilicet, cum opus est, sicut Petrus dicit: *Non patiamini ut malefici, sed tunc ubi opus est,* id est, in rebus necessariis, cum confessio veritatis hoc requirit: quae hoc dulci Elogio hic ornatur, quod Deum celebret. Sic enim inquit Iohannes: *Christum haec dixisse, ut significaret, qua morte esset glorificaturus Deum.* Est igitur cultus Dei, pati in confessione, seu testificari passione tua, quod revera sic sentias, et hac testificatione propagere veritatem, et multos adducere ad Dei agnitionem et celebrationem.

Apud Clementem Alexandrinum extat narratio de coniuge Petri, quem cum videret Petrus duci ad supplicium, affatus est eam, subiiciens ei haec verba, consolationis gratia: *Memento Domini, o mea tu. Istae sunt nuptiae sanctorum.* Haec narratio testatur Petro seni accidisse, quod ei a Christo praedictum erat: Imo ipse postea Romae a Nerone interfectus est.

Recte autem citatur haec narratio, contra fanaticam opinionem de Stoica ἀπαθείᾳ quae semper vagata est in multis sectis: sicut nostra aetate Muncerus dicebat in casu filii, se non affici: Quia exuerit sensum creaturarum, Er were den creaturen entriffen. Postea vero concitata multitudine ad seditionem, cum captus et iam capite truncandus esset, fuit in tanto dolore animi, ut unum ex nostris aulicis, qui aderat, oraverit, ut sibi daret potum: Quo allato magnum cantharum uno haustu ebibit. Tantum dolorem sensit in metu mortis: Ac fortasse sine consolatione periit. Sed vere sancti non sunt sine sensu affectuum. Ideoque non sine lucta patiuntur, Vincunt tamen dolores suos invocatione et patientia.

Discernenda est autem patientia Philosophica, a patientia Christiana.

Philosophica patientia est in aerumnis obtemperare rationi, ne quid contra decorum faciamus aut contra iustitiam, propter dolorem animi. Hanc patientiam non praestat Cato, cum sese interficit. Facit enim contra iustitiam, id est, contra praeceptum: Non occides. Nec Cicero in exilio est patiens, Quia facit contra modestiam, cum nimium lamentando adeo muliebriter se gerit, propterea quod pulsus esset ex civitate, quantumvis turbulenta: Cum quidem in eo loco, in quo tum erat, multo suavius viveret. Aristides praestat utcunque patientiam philosophicam. Laetatur in exilio, quod sit liberatus a tumultibus urbis Atticae: Gratulatur sibi vocationem a publicis muneribus, Sed non respicit voluntatem Dei, non invocat Deum, est expers fidei et spei.

Longe igitur maius aliquid est patientia Christiana, quae est obedire Deo, nec propter dolorem facere aliquid contra Deum, aut contra mandata eius, et est fiducia praesentiae Dei petere et sperare a Deo mitigationem, aut liberationem. Haec non sunt in Ethnicis.

Cato fremit contra Deum, Cicero clamat: *Omnes Dii abiecerunt me.*

Contra David est patiens: non quod nullus sit dolor in eo, sed quia lenit dolorem, cogitans de voluntate Dei, tribuens Deo gloriam, retinens fidem, invocationem, spem auxilii et mitigationis. Sic patiens fuit Imperator Mauritius captus a Phaco, qui ei eripuit Imperium, et vitam, et antequam ipsum interficeret, iussit in conspectum eius adduci liberos eius, eosque spectante patre omnes interfici. Haec omnia Mauritius Imperator tacitus spectavit, tanquam attonitus, sed cum coniunx feriretur, suspiciens in coelum hoc tantum dixit: *Iustus es Domine, et recta iudicia tua.*

Haec sunt magna et ardua exempla, quibus etsi nos paria praestare non possumus: tamen praeparemus nos ad aliqua ferenda, et petamus a Deo, ut ipse in nobis confirmet patientiam, et mitiget aerumnas nostras, et efficiat, ut prosint ad gloriam Dei. Tantum de prima parte. Accedamus nunc ad secundam materiam.

De dicto: *Tu me sequere.*

Petrus audiens hanc praedictionem Christi, et mandatum additum: *Sequere me,* respicit ad Iohannem, et quaerit, quid de eo futurum sit. Sed reprehenditur a Christo: *Si volo eum manere, donec veniam, quid ad te? Tu me sequere.* Hoc falso accipiunt discipuli in eam sententiam, quasi dixerit Christus, Iohannem non moriturum esse. Nicephorus exponit, *donec veniam,* scilicet Ierosolymam eversurus. Vixit enim Iohannes ad id usque tempus: Quod de nullo alio Apostolorum scribitur.

Multas autem doctrinas comprehendit reprehensio, qua Christus Petrum taxat, *Quid ad te?* et mandatum bis repetitum: *Tu me sequere.*

Primum monemur de diversitate vocationum, et de dissimilitudine donorum, et eventuum, quae varie turbat mentes. Nam cum vident homines, alios vocari ad alia, et experiuntur sibi anteferri, quos aut inferiores se esse iudicabant, aut quibus pares se fore sperabant: Item cum dona dissimilia, dissimiles eventus, dissimiles afflictiones vident: aut pusillanimes fiunt et impatientes, aut aemulatione et invidentia accenduntur contra alios.

Tu quando vides tua dona non esse paria prophetarum et Apostolorum donis, nec potes imitari egregias virtutes, aut res feliciter gestas ab aliis, angeris et dubitas, an Deo placeas, an Deus velit

adesse tuo curriculo. Rursus excutitur bonus aliquis pastor cum sua familia ex nidulo suo: Is cogitat: Ego sum bene meritus de Ecclesia, et eiicior tamen. Quare Deus me tam bene meritum, et iam senem tantopere affligit, cum alii interea fruantur voluptatibus, honoribus, tranquillitate, qui non sunt ita meriti?

Sic cum legimus historias, miramur, cur Deus det regnum Davidi, et non Ionathae, qui adhuc superstite patre, vere erat rex, non quidem nomine, sed re ipsa: Et tamen orbatur regno, et interficitur in acie? Miramur item, cur David per universam vitam suam assidue exerceatur aerumnis et afflictionibus, quoniam constat placuisse Deo? Cur non potius existimandum sit a Deo diligi Tiberium Tyrannum, qui usque ad finem imperii et vitae suae magna tranquillitate usus est?

In hac disputatione consumitur totus Ecclesiastes Salomonis. Queritur enim propter dissimiles casus confirmari opiniones Epicureas: Cum similia eveniant bonis et malis. Imo cum melioribus plura adversa contingant, prioribus res magis secundae eveniant, disputat ratio, An sit providentia divina.

Sed contra hanc imbecillitatem animi, et diffidentiam tenenda est haec regula: *Si illum volo manere, quid ad te?* Ne turberis dissimili exemplo alienae vocationis, donorum, successuum, afflictionum. *Tu me sequere.* Discamus igitur discernere fidem statuentem se Deo placere, et se Deo curae esse, ab omnibus iis, quae foris accidere possunt homini. Sit fides similis in omnibus sanctis erga Deum. Credamus nos placere Deo, et personam nostram ei acceptam esse propter filium. Hac fide Deum invocemus, sive magnis, sive parvis donis praediti sumus, sive res nostrae secundae, sive adversae sunt.

Non offendamur etiam, quod alii nobis antecellunt, quod vocationes, quod successus sunt dissimiles. Haec consilio et voluntati Dei relinquamus, ut hic dicitur: *Si ego volo eum manere.* Agnoscamus vocationes diversas esse: alium alia dona habere, alium aliter affligi. Suum quisque officium sustineat, suis donis contentus sit, suam crucem tollat. Praesient singuli obedientiam Deo in sua tum vocatione, tum afflictione, quam non casu, sed Deo sic volente sustinent. Obtempera tuae vocationi, Considera quae dona tibi sint data, cogita quae Deus te velit pati. Non disputes anxie, quid de aliis Deus decreverit. Vult nos Deus suo verbo nobis tradito regi: Vult servire nos sibi in vocatione, qua vocati sumus. Non vult nos abiicere fidem, propter dissimilitudinem donorum.

Sic igitur impatientiae et diffidentiae nostrae mederi debemus.

Saepe autem dissimilitudo vocationum, donorum, successuum, in naturis acribus parit invidentiam et aemulationem. Hoc malum usitatum est non solum in Ecclesia, sed etiam in aliis hominum coetibus. Cain invidet Abeli, et fit parricida. Interimit fratrem, et sibi, ac parentibus, et posteritati suae est causa magnorum malorum. Esau aegre fert fratrem Iacobum sibi anteferri. Ideo struit ei insidias, minatur ipsi mortem. Saul utitur gloria Davidis: Videt eum magis celebrari a populo, ornari gloriosissimis victoriis a Deo. Conatur ergo eum opprimere.

Sic saepe in Ecclesia mota sunt dissidia, prolata nova dogmata, falsae opiniones defensae, magnae dissipationes factae sunt, ex invidentia et aemulatione. Arius dolens sibi praelatum esse Alexandrum in electione Episcopi, movit certamen de filio Dei. Vidit et nostra aetas exempla multorum, qui tantum livore incitati moverunt aut propugnarunt falsas opiniones, ad labefactandam eorum autoritatem, qui antecellere existimabantur.

Nec bella civilia, quibus fracta est potentia Reipublicae Romanae, aliunde extiterunt, quam ex aemulatione. Invidebat Marius Syllae. Ideo movebat bellum, ut eum loco moveret, et ex fastigio excuteret. Sed fuit sibi, et imperio, et liberis suis causa calamitatum. Cum caput filii Marii ad Syllam afferretur, sedentem ad rostra, *Oportet*, inquit Sylla, *remum agitari ab eo, qui didicit.*

Pompeio dolebat crescere Iulium, vicissim Iulius nolebat se inferiorem duci. Accenditur ergo bellum civile, sicut de causa istius belli Lucanus inquit: *Nec iam ferre potest Caesarve priorem, Pompeiusve parem.* Denique in toto genere humano aemulatio valde commune malum est, unde horrenda Ecclesiae et imperiorum incendia oriuntur. Difficile est autem acribus naturis frenare hunc impetum. Ideo Christus de re magna concionatur, cum revocat hic Petrum a livore et aemulatione. Si Deus vult Davidem antecellere, boni consulat id Saul. Concedat Deo, ut suo consilio distribuat dona et successus.

Agnoscat, se quoque a Deo ex humili statione evectum esse: Agat gratias Deo, quod pro salute populi excitet plures ministros, et oret, ut haec beneficia cumulet. Quid indignius est, quam irasci Deo pro beneficio? *An non ego potestatem habeo faciendi de meo, quod volo?* inquit Dominus. *An oculus tuus nequam est, quod ego bonus sum?* Moises reprehendit Iosuam, qui postulabat, ne concederet prophetare iis, qui non erant in numero gubernatorum. *Quid meo honori metuis? Utinam omnis populus prophetet; Utinam Dominus det spiritum suum super multos.*

Ita quilibet nostrum videns alterum excellere, Deo gratias agat pro hoc dono, gratuletur Reipublicae et oret Deum, ut det multos ministros idoneos.

Sic Ionathas erga Davidem se gerit, scit regnum in populo Dei non esse invadendum ab ullo homine, sed eum id habiturum esse, cui Deus suo consilio tradat. Cum igitur videt Davidem a Deo vocatum esse ad huius regni gubernationem, cedit ei, laetatur, et agit gratias Deo, quod electus sit praestantior, et magis idoneus. Subiicit se etiam Davidi, et diligit eum, ac defendit adversus Tyrannidem patris. Simile exemplum vix ulla historia habet. Nam alioqui fit, quod in versibus dicitur:

Aurum et opes et vasa frequens donavit amicus.
Qui velit ingenio, sic etiam imperio
Cedere, rarus erit.

Videtis in Ecclesiis Evangelicis, quanquam circumdatis magnis et multis periculis, quam rara exempla similis virtutis extent inter ipsos collegas eiusdem ministerii. Quam paucae sunt urbes, in quibus talis consensus est doctorum, ut non occurrant signa invidentiae. Multo plura loca sunt, ubi manifesta odia, inimicitiae, obtrectationes, calumniae, iniuriae conspiciuntur. Nec desunt uspiam qui sint ungues in ulcere, qui exacerbent animos: De quibus versus ille Lucani usurpari potest:

Circuit, atque ignes animis flagrantibus addit.

Et quod Virgilius inquit:

— — — *Acuunt clamoribus iras.*

Non est autem hoc Christianum. Qui vere pii sunt, neque ipsi certare odiis, neque odia aliorum accendere debent. Studeamus potius esse *συμβιβαστικοὶ*, id est, glutinemus animus, alamus benevolentiam mutuam inter homines, Quia abominatio est Domino, qui dissidium inter fratres serit.

De curiositate.

Sed dicamus iam de *πολυπραγμοσαύνη* quoque, quam Christus etiam taxat et prohibet his verbis: *Quid hoc ad te? Tu me sequere.*

Plutarchus scripsit libellum *περὶ πολυπραγμοσύνης*, cuius lectionem commendo adolescentibus. Latini nominant hoc vitium Curiositatem, Germani fürwitz. Inde sunt nomina *πολυπράγμων*, curiosus, ardelio, quem nostri dicunt Hanns in allen gassen, der viel zuthun haben will, vnnd ist ihm doch wenig befohlen.

Tales sunt, qui sciscitantur ea, quae nihil ad ipsos pertinent, de quibus dicitur: Viel fragen machet einen verhaßt. Et

Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.

Sed multo magis polypragmones sunt, qui faciunt, quae ipsis non sunt mandata.

Petrus vocat Allotrioëpiscopos die in ein frembd ampt greiffen, qui ingerunt se in alienam administrationem, ut, quando concionatores volunt regere politica negotia aularum, aut civitatum, aut potentes volunt dominari Ecclesiis, et religiones inflectere ad sua iudicia.

Apud Aristophanem est de Cleone, quod habeat unum pedem in curia, alterum in castris. Hoc dictum soleo transferre ad concionatores, qui volunt regere aulas, aut curias. Vere enim tales unum pedem ponunt in suggestu, alterum in curia.

De eodem Cleone inquit Aristophanes, *πράττει, βουλεύει, καὶ γλώττῃ πολεμίζει* practicatur, ut sic dicam, delibérat, et lingua belligerat. Idem faciunt inquieti concionatores aliqui, concitant factiones, movent practicas, insidiantur, obtrectant, calumniantur alios, idque saepe in negotiis, quae sunt aliena ab ipsorum vocatione.

In vita privata recte nominantur etiam illi *πολυπράγμονες*, qui omissis necessariis, tractant non necessaria ut plerumque homines necessaria negligunt, faciendo non necessaria. Sicut dicitur, *ἐν τῷ βίῳ πλείω εἰσὶν πάρεργα, ἢ ἔργα.* Vocantur *ἔργα*, necessaria opera, quae debebant esse principalia. *πάρεργα* sunt non necessaria, quaenon faciunt ad propositum principale. Et tamen homines magis sunt anxii de non necessariis, illis, id est, de parergis, quam de necessariis, quae sunt *ἔργα*.

Seneca descripsit hoc vitium, cum inquit: *Magna pars vitae elabitur nihil agendo, maior male agendo, maxima aliud agendo.* Quod Stigelius hoc carmine reddidit:

Omnia dum reputat transactae tempora vitae,
Vel male, vel temere, vel nihil egit homo.

Est autem oppositum vitium Sedulitati, quae est virtus recte faciens opera vocationis propria et non egrediens extra vocationem (ut apicula est sedula, facit suas operas, quae ipsi sunt assignatae, ad exercendum mellificium) unaquaeque servit suo loco. Aristoteles iustitiam facit rectricem humanae societatis. Huius pars est Sedulitas, cum quisque facit et tuetur sui loci et muneris opus. Plato idem sentit, cum ait, Conservationem proportionum esse conservationem vitae. Loquitur autem praecipue de proportione Geometrica.

Idem Plato definit Iustitiam, quod sit facere propria, et non esse curiosum: *δικαιοσύνη ἐστὶν ἴδια πράττειν, καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν*, Descriptio est iustitiae distributivae, cuius norma est proportio Geometrica. Ille est sedulus, qui intelligit, ad quid vocatus sit, et qui contentus suo loco diligenter facit ea, quae sunt officii sui, et vitat ac omittit ea, quae non sunt sui officii.

Hanc virtutem sciamus nobis praecipi his verbis Christi: *Tu me sequere.* Et cum Paulus inquit: *Quisque in vocatione, in qua vocatus est, maneat.*

Sciamus totam vitam nostram regendam esse verbo Dei, sicut dicitur: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Inter caetera autem praecepta verbi divini, sciamus etiam haec praecepta nobis sequenda esse, de cura vocationis et de sedulitate in hac praestanda. In Decalogo sedulitas ad plura praecepta referri potest. Sed gradus vocationum praecipue distinguuntur in praecepto illo: *Honora patrem et matrem tuam.* Pater habet suam vocationem, Filius suam. Inde caeteri ordines promanant.

Graeci Sedulitatem vocant *ἀπραξίαν* et *ἐπιμέλειαν*. Vocabula sunt distincta, sed virtus est una, quod ad rem ipsam attinet; ut si de liberalitate et parsimonia cogites, nomina quidem sunt diversa, sed neutra virtus potest esse sine altera: Sunt aut una virtus, aut certe vicinae virtutes: Liberalitas erogat aliquid, sed parsimonia restringit sumptus.

Sic *ἐπιμέλεια* est appellatio diligentiae, sed *ἀπραξία* significat relationem, seu respectum officii: ut vites aliena a tuo officio, non ingeras te alienis negotiis.

Extrema opposita Sedulitati, sunt Ignavia, et Polypragmosyne. Ignavia nihil facit. Multi scholastici, cives, principes, sunt ignavi, non faciunt officium suum, fugiunt labores, sunt Margitae Homerici, qui neque fossores sunt neque oratores. Quaerunt tantum voluptates et otium, ut de Ninia scribitur: *ἐσθίει, καὶ πίνει, τῶν δε ἄλλων κατὰ πετρῶν ὤθει. Edit et bibit, caetera non curat.*

Contra, Polypragmosyne est nimium velle facere, ingerere se alienis, miscere negotia.

Haec oritur interdum ex inquietudine naturae, ex vanitate ingeniorum, ex incogitantia, de qua dicitur, *μάταιοι μάταια λογίζονται δι' ἐπιθυμίας. Vani vana ratiocinantur propter cupiditatem seu concupiscentiam.*

Nonnunquam oritur ex *κακοζηλίᾳ* seu imitatione prava alieni exempli: ut multi nunc volunt similes esse Luthero: praetexunt zelum, qui est sine scientia: tumultuantur de rebus incognitis: non inquirunt fontes negotiorum. Imitantur *πάρεργα*, non *ἔργα*. De talibus inquit Polybius: *Multi volentes videri similes magnis viris, cum ἔργα imitari non possint, imitantur πάρεργα, et producunt in theatrum stultitiam suam.*

In fabulis dicitur, ceram voluisse imitari lateres, et iniecisse se in ignem, quo fuit absumpta. Nam cera liquefit in igne, Lateres durantur. Sunt enim lateres naturae terreae, et quod ibi est humoris, id excoquitur, et duratur ab igne. Cera autem est naturae aëreae, Ideo tota liquefit, et absumitur ab igne.

Haec imago pingit *κακοζηλίαν*, quando homo vult facere illa, quae non sunt suae naturae, nec sunt sui officii, praetextu exempli dissimilis. Ita vident nonnulli crescere alios in aulis: Coniiciunt igitur se quoque in aulas, ingerunt se negotiis, ad quae non sunt idonei, quibus non sunt pares.

Franciscus Petrarcha narrat de quodam Pastore, quod venerit in aulam, Ibi quidam donavit ei speculum, quod nunquam antea viderat. In eo dum se contemplatur, confisus sua pulchritudine, venit in gynaeceum. Sed male tractatus, et deiectus per gradus, exclamavit:

Aeternum gemat ille miser, Pastoribus aulae
Qui primus mala dona dedit.

Videt aliquis celebres et claros aliquos factos esse scribendis libris, aut hoc vel illud agendo, putat sibi idem faciendum esse. Sed peccat polypragmosyne, orta ex *κακοζηλίᾳ*.

Saepissime autem existit *πολυπραγμοσύνη* ex ambitione, qua impulsi pletique multa et aliena suscipiunt, et currunt extra metas. Antonius non contentus societate imperii cum Octavio, suscipit bellum non necessarium. Bellerophon incitato Pegaso vult intueri, quid Iupiter agat in coelo. Alcibiades ducit exercitum in Siciliam ex cupiditate vanae gloriae. Pyrrhus traiicit in Italiam, ut nova gloria frueretur, ubi ictu lapidis interfectus est. Undecunque autem existat polypragmosyne, valde commune vitium est inter homines: Et extant pene innumera dicta, quibus hoc tam vulgare vitium reprehenditur.

Seneca dicit: *Difficile est unum hominem agere*, id est, difficile est, ut aliquis in sua vocatione, et intra metas suas maneat. Sed unus saepe polypragmon multos alios secum implicat. Ideo in versibus apud Stobaeum est:

Ἀπραγμόνως ζῆν ἡδύ, μακάριος βίος
Καὶ σεμνός, ἐὰν ᾖ μεθ' ἑτέρων ἀπραγμόνως.
Ἐν θηρίοις δε καὶ πιθήκοις ὄντα, δεῖ
Εἶναι πίθηκον. ὢ ταλαιπώρου βίου!

Ego utcunque verti hos versus:

Non curiose vivere est ingens bonum,
Si modo nec inter curiosos vivere
Cogaris: et inter factiosos complices.
Sed quando vivis inter beluas malas
Et simios, oportet fieri simium.
Heu vita, quantis miseriis obnoxia est!

Graeci versus sunt meliores. *σεμνὸν* significat aliquid honestum, laude dignum.

Pulchrum est etiam illud dictum Nazianzeni: *ἔργον πάρεργον οὐδαμῶς ἔργον λέγω, τῶν γὰρ παρέργων*

καταφρονητέον. *Hoc quod non est necessarium, nequaquam dico esse opus dignum ut fiat, et despicienda seu fugienda sunt πάρεργα.*

Omnium vero pulcherrimum est dictum Pauli Apostoli, quo iubet vitare polypragmosynen 1. Thessal. 4. *Adhortamur vos fratres, ut in hoc sitis ambitiosi, seu ut antecellatis in hoc, et singulari studio curetis, ut quiescatis, et agatis propria.* Utitur valde significanti verbo, φιλοτιμεῖσθαι. Iubet ambitiose hoc agere, seu singulari diligentia excellere in hac re, videlicet studio tranquillitatis et agendi res proprias. Profanos homines incitat ambitio, ut extra vocationes erumpant. Haec est vitiosa ambitio, et falsa gloriae cupiditas, quae non ordine appetit gloriam, quaerit applausum qualiumcunque, tentatis actionibus supra vires, aut extra vocationem, fiducia propriae sapientiae, aut propriarum virium. Opponit ergo Paulus contrariam ambitionem, seu contrarium modum quaerendae gloriae. Si vultis, inquit, gloriam consequi, sicut omnes ducunt praeclarum quiddam esse gloriam, et a multis cupiditas gloriae putatur esse animi magnitudo: non suscipite res supra vires, aut extra vocationem, sed quiescite, non movete non necessaria, et facite propria, seu facite officia suae quisque vocationis. Non est opus illa cavillatione:

Ambitio est vitium.
Ergo non recte iubet Paulus nos esse ambitiosos.

Respondeo. φιλοτιμία apud Graecos in bonam et malam partem accipitur, id est, nomen commune est ad vitium et virtutem. Sed Paulus utitur hac voce de ordinata appetitione gloriae, qua cupimus retinere bonam conscientiam, et studemus conciliare nobis approbationem honestorum hominum, qui recte de virtutibus iudicant.

Apud Latinos nomen Ambitionis usitatius in malam partem accipitur. Retinuit autem Paulus singulari consilio idem nomen φιλοτιμίας, quod erat apud ambitiosos plausibilius et gratius. Et quia caeteri, qui ambitiosi sunt, quaerunt gloriam, multa movendo extra vocationem, iubet ipse nos contrarium studium habere, amare quietem, et non erumpere extra vocationem.

Etiam si Augustus legisset hoc dictum Pauli, iudicasset viri sapientis sermonem esse. De Spartanis olim dictum fuit, quod essent φιλήσυχοι καὶ δραστήριοι, amantes quietis, sed alacres, cum aliquid agendum esset. Sed redeo ad dicta contra polypragmosynen.

Apud Ciceronem est, qui a Graecis accepit: *Spartam nactus es, hanc orna.* Sparta fuit oppidum primarium in Laconica regione. Iam vocatur Lysistratos, id est, solutio exercitus. Nomen est ominosum. Olim fuerunt ibi bellicosissimi milites. Sed in hoc dicto usurpatur nomen *Spartae* proverbialiter seu figurate pro quolibet munere, seu functione, seu loco honesto, cuius cura et administratio alicui commissa est. Sententia est: Habes locum honestum, hoc utaris ad virtutem exercendam.

Cum in proelio contra Persas contentio incidisset inter Arcades et Athenienses, utra gens priori loco pugnaret ad Plataeas: laudantur Athenienses, quod in illo communi periculo patriae maluerunt cedere de suo iure, cum dicerent: Ubicunque collocati fuerimus, viros fortes nos praebebimus: πάντῃ τεταγμένοι, σπουδήσομεν γίνεσθαι ἄνδρες χρηστοί. Sic dixit Dux Wirtembergensis in conventu principum, cum disputatio esset de ordine seu loco sessionis: Collocetis me sane post fornacem, dummodo efficiamus id, ad quod sumus congregati.

Ita singuli cogitent. Serviant Deo, et Reipublicae in quemcunque locum collocati fuerint, studeant esse strenui et fortes in sua vocatione, sive sit ardua functio sive humilis.

Sunt et haec contra polypragmosynen dicta, ἱππεὺς ἱππεύειν ἐδάη, καὶ ἄοιδος ἀείδειν. *Eques equitare didicit, cantor cantare.* Et quam quisque novit artem, in ea se exerceat.

Phalaris ad Simonidem dicebat: Audio te multum loqui de mea gubernatione: Sed poëtae curae sint Musae suae. *Μοῦσαι μελέτωσαν τῷ ἀοιδῷ.* Aristoteles inquit, *Tunc beatas esse Respublicas, quando artifices iudicant de suis artibus.* Adrianus Imperator deliberabat de aedificatione cuiusdam templi Romae, volebat videri omnia scire. Exhibuit igitur artificibus ideam aedificii. Sed reprehensus est ab uno artificum: *Vade, pinge tu cucurbitas.* Illum postea curavit interfici, offensus eius παῤῥησίᾳ.

Rex Aegyptius patientius tulit Musicum, qui ipsi subiecerat: *Aliud est sceptrum, aliud plectrum,* id est, agas tu, quae ad regnum pertinent, sinas me tractare Musica.

Talia dicta nota debent esse discentibus, ut iudicium inde formare discant. Est enim et haec species πολυπραγμοσύνης, temere iudicare de operibus artificum.

Sed plus est incommodi in faciendo non necessaria. Taulerus exposuit sua exercitia cuidam seniori, et conquestus est de invaletudine sua, quam contraxisset ex assiduitate illorum exercitiorum. Quaesivit senior ille: Quis te iussit haec facere? Respondit Taulerus: Nemo, sed ego sponte ista in me recepi. Tum ille: Nulla tibi debetur gratia. Debebas facere, quae tibi mandata sunt a Deo, et a senioribus.

Hoc exemplum pertinet ad incommoda polypragmosynes in rebus parvis. Plus autem periculi

est in magnis negotiis, in movendis certaminibus de dogmatibus, in mutanda doctrina, in constituenda Ecclesia, in regenda Republica, in suspiciendis bellis. Ista adolescentes nondum intelligunt.

Sed tamen et ipsi in studiis suis sentiunt nonnunquam incommoda, quae sequuntur polypragmosynen, quando discedunt ab ordine, quem in discendo servare debebant. Plerumque enim hoc fit, quod Seneca inquit: *Necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus.*

Maiora autem damna et poenae comitantur polypragmosynen in publicis negotiis. Multi amittunt, quae antea habebant, cum ex polypragmosyne movent bella. Dux Wirtembergensis cum sederet in thermis, et multa cogitaret de bello a se gesto, dixit: Wir wolten Bischoff werden, So sindt wir bad' worden. Allusit ad proverbium Germanicum: Bischoff oder Bader. Sed plures pereunt, rebus infeliciter motis.

In Italia fuit Valentinus Borgias, filius Alexandri sexti, qui fuit Papa ante Iulium secundum. Nomen est a *βοῦς* et *ἔδγον* q. d. laborans bobus. Fuit insigne istius familiae, Caput bovis. Iste Borgias fuit pessimus nebulo. Turbavit multa, et Symbolo hoc usus est: *Aut Caesar, aut nullus,* quod Itali dicunt: O Caesar, o nullo. Interfectus tandem, factus est nullus.

Fuerat anteo servatus in vita, cum pater Alexander et ipse conspirassent in mortem Cardinalium quorundam, quos decreverant tollere veneno. Minister, qui ad mensam ministrabat (absente eo, cui in mandatis datum erat, ut venenum propinaret Cardinalibus) erravit in porrigendo poculo, et hauserunt venenum uterque, Pater et filius inscii. Re autem comperta, ambo sunt insuti in mulas recens dissectas, ut vis veneni dissolveretur. Alexander, quia senex erat, interiit. Borgias servatus est ad aliam maiorem poenam.

Quidam ex principibus Muscoviae gessit bellum cum alio. Postea ex capti et interfecti cranio iussit victor, cui illatum erat bellum, fieri poculum, cui inscripsit: *Iste appetendo aliena, amisit propria.*

Plura exempla observent adolescentes in historiis: et cogitent, quod sicut Deus auxilium promisit iis, qui in vocatione serviunt: sic econtrario deserat suscipientes aliena, contra vocationem.

DIE INNOCENTUM.

Evangelium Matthaei 2.

Hodie celebratur memoria interfectionis infantum, quos Herodes trucidari iussit, in Bethlehem, et locis vicinis, cum audivisset natum esse Messiam, qui futurus esset Rex. Historia descripta est a Mathaeo. Sed coniungenda est cum hodierna lectione, praecedens narratio de Magis.

Illi fuerant Iercsolymis: dixerant de nova stella; interrogaverant, ubi Christus natus esset: Herodes metuens suo regno, convocavit concilium eruditorum, quaesivit ex iis, de loco nativitatis Messiae, qui cum nominaretur, ex propheta, Bethlehem, dimisit eo magos hac conditione, ut invento puero ad ipsum redirent: Sed non reversi sunt magi ad Herodem, moniti per somnium divinum, Grassatus est igitur Herodes in miseros infantulos.

Dicemus autem de Magis die Epiphaniorum. Nunc de Herode, et de statu Ecclesiae illius temporis, et alia quaedam grammatica tractabimus ex hodierno textu, et adiungemus postea principalem locum seu doctrinam de cruce Ecclesiae.

De Herode.

Quale nomen est Herodes, et unde deducitur? Sine dubio est a voce Heros. Suntque eiusdem originis, heros, herus, et hera. Etymologia secundum Graecos est ab Aëre. Aër autem est ab *ἄημι*, spiro, halo, et existimo nostrum Germanicum Athem esse ab eodem verbo *ἄημι.*

Ab aëre Graeci nominarunt etiam Iunonem *ἥραν*, quasi dicas, aëream, coelestem. Apud poetas Iuno ponitur pro ipso aëre, ut cum Virgilius inquit: *Iupiter descendit in gremium coniugis,* id est, in aërem, quando describit tempestates aëris, cum tonitru, fulgure et pluvia: quo pertinet etiam illud:

Coniugis in gremium descendit plurimus Imber.

Latini quoque Iunonem dixerunt Heram, et religiose coluerunt, tanquam datricem divitiarum.

Sic igitur et Heros Graecis est ab aëre, quasi dicas, aëreus seu coelestis. Nos in lingua Germanica dicimus Herr. Et congruit illa vox Graeca *ἥρανος*, dominus.

Fortassis autem non est absurdum, revocare has voces ad Hebraeam originem. Est enim vocabulum Hebraeum, *er*, quod significat *δεσπότην*. In Malachia cap. 2. est gravis comminatio contra sacerdotes corrumpentes doctrinam, et prophanantes Ecclesiam: In ea dicitur: Disperdet Dominus *er veohne:* id est, herum seu magistrum, et discipulum, Ab hoc igitur vocabulo Hebraeo existimo deducta esse nomina, quae Graeci ab aëre derivant, Herus, hera, heros, et Germanicum herr, quod est nomen antiquissimum, et multarum gentium, etiam barbaricarum in Oriente et Armenia.

Haec est ergo Etymologia nominis Herodis, ut sit idem, quod heros, vel ut nos dicimus Herr. Nominamus autem heroem seu virum heroicum, ornatum virtutibus, non communibus, sed coelestibus, sicut scitis in Ethicis distingui virtutes communes ab heroicis. Fortitudo in Alexandro, Achille, Iulio, non est communis fortitudo, qualis est in gregario aliquo milite, sed singularis motus. Ita in excellentibus poetis facultas scribendi carmen, non est commune donum, sed heroicum et divinum aliquid.

De antipatro, *patre Herodis.*

Quae fuit familia Herodis? Quem patrem habuit? Id considerare prodest, ut intelligatur, quod regnum populi Dei, nato Christo, fuerit iam translatum ad homines peregrinos. Non fuit Herodes natus Iudaeus, sed Idumaeus, filius Antipatri, cui (cum esset amicus Iulii Caesaris, et magno ei usui fuisset in bellis Syriacis et Aegyptiacis) commendavit Iulius Iudaeam regendam, non regio nomine, sed ut tutori seu defensori. Videbat enim hunc Antipatrum esse virum industrium, et modestum, et peritum istarum gentium, locorum, et rerum omnium, pertinentium ad gubernationis administrationem.

Considerate autem curam et vigilantiam Dei pro Ecclesia. Primum enim cum populus Iudaicus ipse inter se tumultuaretur factionibus propter certamina fratrum, qui erant posteri Maccabaeorum de regno et pontificatu, voluit Deus custodire Ecclesiam praesidio Monarchiae Romanae.

Deinde in bellis Aegyptiacis magnum hoc miraculum fuit, et beneficium singulare, quod illae duae Aquilae potentissimae praetervolarunt Iudaeam, sine insigni aliqua illius clade. Nam et Iulius tunc, et postea Augustus Iudaeam praeteriit sine ulla vexatione. Ita videmus Ecclesiam servari mirabiliter, non humanis consiliis, aut praesidiis.

Cum essent maxima bella in vicinis locis, tamen Deus praestitit huic populo pacem, et servavit Ecclesiam, dedit Halcyonia quaedam, donec residuum promissionum perficeretur, et nasceretur Messias, doceret, ostenderet testimonia, pateretur, et resuscitaretur.

Quid nominantur Halcyonia? Respondeo. Intervallum tranquillum in mari. Et sic saepe loquuntur autores, ut Halcyonia dicant pro tranquillitate ad aliquod tempus, ut cum apud Plautum dicitur: *Nunc sunt Halcedonia apud forum.*

Nomen ipsum Halcyonia venit ab Halcyone, quae est avis certorum locorum, sive sit eadem cum illa ave, quam nos vocamus Eiß vogel, sive alia, Derivatur autem vox Halcyon ab ἅλς, id est, falsum, vel mare, et κύειν, id est, parere. Halcyon igitur est avis pariens in mari. Dicuntur autem circa hoc ipsum tempus in Bruma Halcyones parere in scopulis marinis: Estque tranquillitas quatuordecim dierum in mari, septem diebus ante, et septem diebus post brumam, donec pulli Halcyonum excluduntur.

Haec est pulchra imago Ecclesiae, quae parit in scopulis, inter magna pericula et fluctus imperiorum, in quibus servantur tamen pii divinitus. Dat Deus subinde aliquam tranquillitatem Ecclesiae, et eam servat inter magnas ruinas imperiorum.

Ita Deus dedit vere Halcyonia isti Politiae sub Iulio et Augusto. Habuerat Iulius occasionem multa petendi a Iudaeis, sicut antea Crassus magna spolia ex templo abstulerat. Sed nihil eis damni intulit. Postea etiam Herodes fuit partium Antonii, non Augusti. Pepercit Augustus tamen Iudaeis, cum Herodes ad eum venisset in Rhodum, et factus esset ei supplex, petens pacem, quam et impetravit. Haec omnia Deus sic gubernavit, ut Ecclesia haberet sua Halcyonia.

Iulius res magnas in Syria et in Aegypto gessit consilio Antipatri: Ideo ei ob fidelitatem commendavit Iudaeam. Hanc tenuit Antipater, ut dixi, sine regio nomine, et fuit princeps sapiens et potens. Sed necatus est veneno, a quodam Iudaeo, qui in historiis nominatur Malchos. Fortassis iste ad se transferre voluit regnum, aut fuit subornatus ab aliis Iudaeis, qui aegre ferebant, se regi ab homine peregrino. Sed sublato hoc bono et moderato principe nacti sunt postea multo duriorem.

Nam filius Antipatri fuit Herodes, qui consecutus est titulum Regis ab Antonio et Augusto, qui tantum ei honorem habuerunt, ut Romae incesserit medius inter hos duos, cum solenni pompa deductus in Capitolium.

De saevitia Herodis.

Fuit autem natura crudelis et saevus, et multa bella gessit contra Iudaeos, qui ipsi adversabantur. Trucidavit multos, ut stabiliret Regnum. Interfecit totum Senatum, qui vocabatur Sanhedrin, vel Synedrion, id est, septuaginta et duos seniores.

Condidit Templum Augusto, quod coactus est demoliri ad Iudaeos placandos. Sic enim fit: Magni Domini ludunt religionibus, et abutuntur iis pro suo arbitrio.

Hic ipse Herodes est, qui interfecit pueros Bethlehemiticos. Interfecit etiam quosdam ex filiis suis, quos suspicabatur insidiari suae vitae. Habebat enim filios plures, natos ex diversis uxoribus. Inter tales usitatum est, esse dissidia in

regnis. Certant inter se aemulationibus, et matres sunt extimulatrices: Quaelibet vult suos antecellere.

Augustus cum audivisset, ab Herode interfectos esse filios, quos antea tamen apud ipsum Herodes accusaverat, dixit: Satius est porcum, quam filium Herodis esse. Nam Iudaei, quorum ritus acceperat Herodes, non vescebantur porcis. Verum sic faciunt Tyranni. Interficiunt quos metuunt.

Imperatores Turcici similiter faciunt. Qui Imperium occupat, non facile fert fratres superstites. Antevertit alius alium, et tollunt se mutuo, vel ut potiantur regno, vel ut stabiliant Imperium, quod nacti sunt.

Plutarchus inquit hanc licentiam sibi sumere Tyrannos saeviendi in proximos sanguine, sicut Geometrae sua quaedam *αἰτήματα*, seu postulata concedi sibi volunt in demonstrationibus suis conficiendis. Est et aliud proverbium Graecum: *ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν, οὐ μὴ γενήσεται δράκων*, *Serpens nisi devoraverit serpentem, non fiet draco.*

Non pepercit ergo Herodes propriis filiis. Non solum interfecit pueros in Bethlehem, et mutationem fecit Synedrii, sed filios etiam suos natu grandiores, metu regni amittendi trucidavit, ut Antipatrum, et Aristobulum, florentes virtute et ingenio.

Mortuus est tandem in magnis cruciatibus, conflictatus variis morbis, quos ut abrumperet, voluit se interficere. Sed vi prohibitus est ab astantibus, ne sibi conscisceret mortem.

Successorem reliquit Archelaum, cuius etiam fuit magna saevitia. Semel Ierosolymis tria millia hominum interfecit. Convocaverat eos per speciem officii, quasi nova quaedam privilegia promulgaturus. Sed immissis equitibus, inermes interfecit.


Admisit et alia multa, quae fuerunt tetra exempla Tyrannidis, donec Tyberius eum a gubernatione amovit, et misit in Galliam, ubi in exilio mortuus est. Postea Iudaea redacta est in formam provinciae, id est, est administrata per Magistratus ex urbe Roma missos. Hoc est enim redigi in provinciam, videlicet, accipere Magistratum ex urbe, habentem summam iurisdictionem.

Ita vero Deus temperavit hanc servitutem, ut Iudaei retinerent *αὐτονομίαν* in religione, et inferiorem iurisdictionem. Voluit enim Deus servare Ecclesiam. Licebat igitur Iudaeis, uti suis ritibus, docere suos de religione: Habebant praeterea disciplinam suam, poterant punire delinquentes in minoribus delictis, poterant cogere debitores, ut solverent debita, poterant imponere mulctas, aut ducere in carceres, Sicut Academiae habent simile Ius, etiamsi non habent summam iurisdictionem, non arma, non exercitus.

Sic in Iudaea post remotum Archelaum praesides Romani habuerunt summum imperium, summam iurisdictionem, potestatem conscribendi exercitum, imponendi tributa, administrandi iudicia capitalia. Ideo in passione dicunt Iudaei: *Nobis non licet interficere quenquam.* Nam inferiorem saltem iurisdictionem reliquerant Romani Iudaeis et *αὐτονομίαν* in cultibus. Id erat magnum Dei beneficium, quod Deus concessit isti populo, quia adhuc erat in eo Ecclesia. Quanquam enim coetus impiorum multo maior erat, tamen erant adhuc multa membra verae Ecclesiae, Maria, Ioseph, Simeon, Anna, etc.

Adolescentes teneant seriem familiae Herodis, quae hoc modo se habet:

Posteritas Herodis.



Antipater primus constitutus est tutor Iudaeae a Iulio Caesare. Herodes Ascalonites filius fuit Antipatri. Tenuit regnum annos 37. Dictus est Ascalonites, quia fuit oriundus ex Ascalone. Et Ascalon fuit in Idumaea vicina Arabiae. Huius anno 30. natus est Christus. Credo, quod Magi post biennium a nato Christo venerunt, quia Evangelista scribit, pueros bimulos interfectos esse. Fuit igitur Christus in exilio annos circiter quinque.

Primus Herodis Ascalonitae filius, fuit Antipater, qui ut avi nomen habet, Sic praeditus fuit

excellenti ingenio et virtute. Et quia maior natu erat inter caeteros filios, debebatur ei successio. Sed pater eum interfecit.

Aristobulus alter filius, etiam praestans virtute fuit. Hunc quoque interfecit pater, metuens, ne ab eo ex regno eiiceretur.

Tertius fuit Archelaus, qui successit tandem Herodi, Sed quia multipliciter crudelis fuit, remotus est a gubernatione, cum non diu tenuisset imperium. Est igitur exemplum regulae: *Iniusta imperia non sunt diuturna*, sicut etiam in Physicis dicitur: *Nullum violentum est diuturnum.* Est regula Physica, et moralis: Nam moralia imitantur Physica. Salomon inquit: *Iustitia stabilit thronum regis. Iniustitia evertit.*

Quartus fuit Herodes Antipas. Hic est interfector Iohannis Baptistae. Antipas dicitur pro *ἀντίπατρος*, ut Cleopas pro *κλεόπατρος* per Syncopen. Scitis nomina propria etiam in nostra lingua mutilari, vel blandiendi causa, vel brevitatis studio, ut Hanß pro Iohannes: Cunß pro Conradus.

Quintus fuit Philippus, cuius uxorem Herodiadem rapuit Antipas.

Dicti sunt autem Herodes Antipas, et Philippus Tetrarcha, id est, principes, non reges, etsi vulgus, quia assueverat nomini regio, Herodem usitate nominavit regem, ut apparet ex Evangelistarum narrationibus. Tenuit autem Herodes Antipas Galilaeam. Philippus tenuit Ituraeam et Trachonitidem. Utrumque nomen congruit scopulosae et confragosae regioni. Ein land das enge gebirge hat. Nam vocabulum *θύρα*, Thür, id est, aditus angustus, est Hebraeum, Graecum, et Germanicum. Et apud Latinos ab eadem origine est nomen Turris, Item mons Taurus.

Τράχων etiam Graecis significat locum confragosum et asperum.

Archelaus tenuit duas partes cum Ethnarchi titulo, Quia rex erat a patre nominatus: Sed cum propter decisionem regni disceptarent inter se fratres: Augustus ei non voluit tribuere potestatem regiam. Herodes Antipas postea fuit in exilium pulsus, et cum coniuge Herodiade mortuus est exul in Gallia.

Aristobuli interfecti a patre filius fuit Herodes, qui nominatur Agrippa, de quo est in Actis cap. 12. Interfecit Iacobum Maiorem, et Petrum coniecit in vincula. Hic post relegationem Herodis Antipae tenuit Galilaeam, et partem aliquam Iudaea.

Filius eius fuit Agrippa posterior, qui destructa Hierosolyma tenuit regnum Chalcidis. Apud hunc fuit Berenice, quam amavit Titus propter praestantiam formam et pulchritudinem. Nomen est Macedonicum, a *φέρω* et *νίκη*, ferens victoriam. Sed illi scripserunt per *B*, Quia fecerunt Aegyptium a *Bar*, id est, purum, nativum, Et *Nek* innocens, innocuum, quasi dicas, puritas et innocentia.

Utilitas considerationis historiarum de posteris Herodis.

Quando cogitatis de posteritate Herodis, considerate exempla punitae tyrannidis, Et quod in versu Theocriti dicitur:

Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώϊα δυσσεβέων δ' οὔ.

Hunc versum sumpserunt Ethnici a sanctis patribus in Ecclesia, sicut in Psalmo in eandem sententiam scriptum est: Generationi rectorum benedicetur. Unde sequitur: malorem generationi maledici.

Universaliter consideratio historiarum, multum affert commonefactionum. Sed Evangelistae ideo toties inculcant mentionem Herodis post nativitatem Christi, ut nos moneant, Completum tunc fuisse dictum: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat Siloh*, Quia tunc regnum Iudaicum translatum fuit ad peregrinam stirpem, necesse fuit Messiam nasci.

Rursus autem moneo, ut consideretis perpetuam, eamque valde mirabilem gubernationem, et conservationem Ecclesiae. Post relegatum Archelaum immediate Iudaea gubernata est per praesides Romanos. Hi multo fuerunt modestiores et iustiores, quam fuerant reges, Herodes et Archelaus. Profuit igitur mutatio ista ad tranquillitatem publicam. Minus enim turbarum fuit, cum Romani praesides praefuerunt imperio Iudaeorum. Hoc modo consulere Deus voluit Ecclesiae: etsi sub ipso quoque Herode texit Deus pia membra Ecclesiae.

Habuit Herodes satellitium collectum ex variis gentibus. In Iosepho est, quod in satellitio Herodis fuerint etiam milites Germanici. Habuit enim fidem Germanis, aut alioqui speravit magis per exteros defendi corpus suum posse, quam per domesticos, a quibus sibi metuebat.

Sed habuit in eodem satellitio, et in caeteris suis exercitibus, quos perpetuo alebat, milites etiam Parthicos, Syriacos, Arabicos, Aegyptios, denique colluviem omnium etiam pessimarum gentium, et ut ipse Tyrannice omnia agebat, sic indulsit istis suis militibus, ut eriperent subditis facultates, coniuges, et filias.

Inter hos tamen nebulones Deus defendit aliquot pias matronas et virgines, ut Annam, Elisabeth, Mariam, et multas alias, praestantes forma et virtute.

Hoc exemplum soleo saepe mihi proponere, et

vos etiam intueri debetis, et in eo considerare mirandam Dei potentiam et bonitatem, qua regit et servat Ecclesiam.

Tot annis Herodes gessit bella initio Regni sui, et postea cum Iudaeis, antequam confirmaret regnum suum. Tanto tempore vagati sunt in Iudaea exercitus variarum et pessimarum gentium, quales nunc sunt Hispani, Mauri, et similia portenta hominum, polluti omni genere scelerum, homines libidinosissimi. Illi tamen non potuerunt Mariam et eius sorores, Elisabetham et similes matronas plurimas, et forma et pulchritudine praestantes attingere, neque corpora violare, neque vitam eis eripere.

Hanc igitur imaginem saepe intueamur, et inde petamus consolationem gratam et necessariam bonis mentibus.

Multi patresfamilias cogitant: Iam rursus erunt nova bella, novi tumultus. Metuunt sibi et liberis suis. Sed consolemur nos hoc typo: Sicut Maria, sorores eius, Elisabeth et aliae praestantes forma, ingenio, et sapientia mulieres (quantumcunque tales appetuntur, maxime a militibus, et pessimis nebulonibus) tamen divinitus sunt defensae: sic Deus nos quoque defendet.

Conferamus etiam caetera exempla ex aliis historiis Ecclesiae, Quam est illustris imago conservationis Ecclesiae, quod populus Iudaicus primum egressus ex Aegypto, stat ad mare rubrum, et utrinque cinctus est scopulis, et a tergo habet hostem imminentem, et postea traducitur per mare, hoste insequente? Non potuit tanta multitudo subito transire intra paucas aliquot horas, vel etiam dies. Ad minimum puto quatuordecim diebus opus fuisse ad traductionem tanti populi, in quo plurimi erant senes, mulieres gravidae, infantes. Isto toto tempore steterunt montes aquarum, et hostes tandem insecuti populum, universi perierunt.

Adiungamus et experientiam nostrorum temporum, et cogitemus, quod res est, nos ne quidem intelligere satis posse, quomodo Deus regat et servet Ecclesiam. Tantum est mirabilium consiliorum, operum, et beneficiorum Dei erga Ecclesiam, et nos singulos.

Ista igitur debemus considerare, ut firmiter teneamus consolationem de protectione Ecclesiae, et singulorum piorum, quae saepe repetitur in Psalmis, ut cum dulcissima forma verborum dicitur: *Abscondisti me ad altare tuum.* Alludit ad ritum supplicum. Nam Rei apud omnes gentes quaerebant Asyla ad aras Deorum, ubi tuti essent aliquamdiu. Sed in dicto Psalmi simul est amplificatio beneficii divini, quod scilicet Deus ita saepe defendat suos, ut non absint ab Ecclesia. Potest Deus defendere pios etiam inter Ethnicos. Sed multo dulcius est, cum nos defendit in ipsa Ecclesia. Sed pergamus iam ad alia.

De Nazaraeis.

Iacob et Maria dicuntur *habitasse in Nazareth* sub Herode, et postea etiam sub Archelao. Nomen *Nazareth* venit vel a germinando, vel a separando. Nominatus est autem Christus Nazarenus, non tantum, quia conceptus et postea educatus est in Nazareth, sed multo magis propter arcanam significationem, quae sumitur ex lege de Nazaraeis. Ad utrumque accommodat Evangelista textum: *Quia Nazarenus vocabitur.*

Id sumptum est ex historia Samsonis, quia Samson fuit typus Christi. Multa sunt enim in factis Samsonis, quae picturam operum Christi continent. Simul igitur est in citatione dicti illius Iud. 16. allusio tum ad nomen Nazareth, tum ad significationem, quod Christus sit verus ille Nazarenus.

Nazaraeus significat idem, quod separatus, Item sanctificatus, seu consecratus Deo, Quia illa, quae separabantur in honorem Dei, erant Deo ipsi sanctificata et consecrata. Dicebantur autem Nazaraei, qui votum certi temporis fecerant, ad certum cultum, qui tamen in lege divinitus erat ordinatus.

Monachi non possunt excusare sua vota, exemplo Nazaraeorum, quorum cultus erat ordinatus divinitus, et erat certi alicuius temporis, non ad superstitionem aut promerendum aliquid coram Deo comparatus, sed ad spontaneum exercitium temperantiae, ut, quod non bibebant vinum, aut alium potum inebriantem, non accedebant ad funera, alebant caesariem, et similia quaedam faciebant, ut agnoscerentur, quod separassent se a vulgo et ipsi interea maiori studio vacarent meditationi doctrinae et aliis laboribus convenientibus suae vocationi. Monachorum vota prorsus sunt alia.

Quaeritur autem, an Christus vere fuerit Nazaraeus, quia bibit vinum, attigit cadavera mortuorum? Respondeo. Christus fuit Nazaraeus non litera, non ritu, seu ceremonia externa, sed spiritu.

Ipse Nazaraeus est, non quia lege talis est, sed quia talis nascitur. Implet ipse significationem legis, non quia lex eum docet, sed quia est filius Dei. Caeteri Nazaraei significabant venturum hunc Nazaraeum, qui est principaliter separatus, id est, persona praecipua, consecrata Deo, uncta non oleo pontificio, sed divinitate, sicut dicitur: *In hoc Christo divinitas habitat personaliter.*

Deinde haec persona est Rex et Sacerdos totius Ecclesiae, et propter eam recipiuntur caeteri

credentes. Est etiam in hac persona, vera mundicies, sapientia, et iustitia superans omnia dona Angelorum, et hominum. Sic igitur Christus revera est Nazaraeus, id est, proprie dicatus Deo, qui est et filius Dei, et caput omnium colentium aeternum patrem: et est sine peccato, abstinens vere ab omni immundicie.

Voluit Deus in lege discernere singulares personas ab aliis, ut Samsonem voluit discernere, non solum singularibus virtutibus, sed etiam singularibus ceremoniis. Sic Samuel et alii secundum legem erant Nazaraei, quia insigniter ostendebant cultum Dei in exercitiis pietatis, et aliis certis operibus. Christus vero est Nazaraeus, superans omnes cultores Dei, praestans aeterno patri summam obedientiam, quantam nulla creatura, nulli Angeli praestiterunt, aut praestare possunt, et quanquam ei mens perpetua est, quod vult patri obedire, etiam extra dolores, tamen fit vere Nazaraeus in morte, ubi obedit patri in summis quoque doloribus, non quod divinitas sit passa, sed quia *ὁ λόγος* serio vult hanc obedientiam in carne assumpta, quam propriam sibi fecit, ideoque quiescit, sustentans quidem naturam humanam, ne intereat, sed tamen non repellens dolores et mortem, nec exerens suam potentiam contra vocationem, ut natura humana pati et mori posset, ut pulcherrime ab Irenaeo dictum est.

Haec omnia cogitanda sunt, cum Evangelista transfert ad Christum hoc dictum: *Nazaraeus vocabitur.* Ipse est vere dicatus Deo, seu devotus Deo, praestans cultum prae omnibus creaturis, et propter eum nos quoque Deo sumus consecrati. Ipse non servavit ceremonias, quas lex praescribebat Nazaraeis, et tamen vere est impletio legis. Non fuit necesse, eum servare ceremonialia. Satis est, scopum legis in ipso extare. Idem Christus etiam est nostra lex, id est, Nos habentes Christum, habemus significata per ceremonias legis.

De dicto: *Rachel ploravit liberos suos.*

Quid significat nomen *Bethlehem?* Secundum Etymologiam significat domum panis. Fuit locus fertilis. Inde igitur nomen accepit Bethlehem propter bonitatem agrorum: Inde est etiam nomen Ephrata. Cogitemus autem de significatione. Ille locus est fertilissimus, quia ibi editus est flos generis humani: id est, Messias, qui est praecipua persona in toto genere humano, Imo in universa natura. Et puto huc alludere prophetam Michaeam, cum inquit de Bethlehem: *Tu non es minima inter civitates Iuda, quia egredietur ex te, qui futurus est dux populi mei cuius egressus est a diebus aeternitatis.*

Est autem ibi sepulta Rachel, coniux Iacobi, mortua in partu: Ideo poetice seu figurate hic dicitur, *Rachel plorasse filios suos.* Ponitur enim Rachel vel pro Bethlehem vel pro matre istus populi. Nam Rachel ibi sepulta, fuit mater Ioseph et Beniamin.

Additur etiam hic: *Vox in Rama audita est: Lamentatio, ploratus, et fletus multus.* Aliqui disputant Evangelistam non recte citare hoc dictum, quia Ieremias propheta (ex quo dictum hoc sumptum est) loquatur de abductione populi in Babylonem. Prius decem tribus Israel abductae fuerunt in Assyriam, tempore Esaiae, qui deplorans eam calamitatem inquit, *sicut venti, dissipaverunt nos peccata nostra.* Ieremias vero fuit spectator abductionis duarum tribuum, Iudae et Beniamin, quamdo destructis Ieresolymis, Nabuchdonosor ex Iudaea iussit abduci plerosque in captivitatem Babylonicam. Sic igitur argumentantur illis:

Ieremias locutus est de abductione populi ex terra Iudaica.

Ergo Evangelista non recte allegat hunc textum de caede infantium in Bethlehem.

Respondeo. Usitatum est dicta et historias veteres accommodare ad negotia similia, quae aliis temporibus accidunt. Sicut nos etiam generalia dicta et sententias saepissime in omni sermone solemus transferre ad certam aliquam speciem, id est, ad aliquid, quod nobis usu venit.

Cum Virgilius inquit: *Collectam exilio pubem, miserabile vulgus,* Solemus hunc versum accommodare ad statum Ecclesiae, plerumque exulantis in mundo, de quo postea dicendum erit.

Ita generaliter hic Evangelista intelligit Ieremiae dictum, de omnibus persecutionibus, Quia una persecutio est imago et exemplum aliarum. Non igitur calumniose disputandum est contra citationem huius dicti. A veteri exemplo persecutionis istius populi transfert Evangelista luctum ad praesentem persecutionem, non aliter quam nos exempli causa casus veteres transferimus ad nostros casus.

Ramah significat altum seu excelsum. Usurpatur appellative, sive intelligas in illa altitudine montium vicinorum, sive etiam in coelo seu aere: ut est apud poetam: It clamor coelo.

Plus momenti est in consideranda magnitudine affectus, quem ex propheta exprimere voluit Matthaeus: *Rachel*, id est, Bethlehem, *ploravit liberos suos.* Intelligamus, per Rachel significari totam Ecclesiam, quae saepe confertur cum parturiente. Simpliciter etiam potest luctus iste accommodari

ad ingentem illum dolorem, quem sentiunt parentes ex calamitate liberorum.

Nullus dolor post sensum irae Dei potest esse in hominum natura maior, prae sensu doloris parentum in calamitate natorum. Non est tantus dolor, quando parentibus ipsis aliquid mali accidit, ac si cogantur spectare turpitudines, vel neces sobolis suae. Quod si utrumque concurrat, tanto fit dolor atrocior. Hic sensus manet, quamdiu natura sana est, et non fascinata a Diabolo.

Graeci habent pulchrum vocabulum, *στοργαὶ* et *φιλοστοργία*: quo significant amorem parentum in suos natos, quos complectuntur, tanquam partem naturae suae. Hunc amorem seu has *στοργὰς* Deus condidit in natura hominum, et aliquam imaginem impressit etiam in brutis. Videtis, quomodo pugnet gallina pro pullis. Fertur etiam de asino, quod est animal stupidum et ignavum, quod etiam per ignem penetret, quando videt periclitari pullos suos. Adeo cum suo periculo cupit depellere periculum a pullis. In hominibus sanis multo acrior est hic sensus: Et est ordo iste divinus, ut liberos et alios sanguine nobis proxime iunctos ardentius diligamus, quam alienos.

In quibusdam animantibus Deus etiam imagines *ἀστοργίας* impressit, ut corvus deserit pullos suos, quam primum eos exclusit. Interea tamen Deus pullos corvorum alit, ut est in Psalmo, quia nascuntur vermiculi in nido. Inde victitant pulli. Postea cum redit corvus, eiicit pullos ex nido, neque patitur eos secum esse. Haec natura corvorum est pictura *ἀστοργίας*, a qua vult Deus abhorrere homines, quibus impressit *στοργὰς* in intimis thalamis cordis.

Quare hic affectus est insitus homini?

Respondeo. Primum, ut nos commonefaciat de amore Dei vero erga filium, et erga nos. Ego plus millies soleo hoc cogitare propter consolationem, de qua etiam Dominus inquit, orans aeternum patrem ante mortem: *Sit dilectio tua in eis, qua me diligis.* Nihil potest filius Dei nostra causa maius a patre petere, nec nobis maius aliquid dari potest. Ideo saepe repeto versus illos:

Nec tu gnate Dei maius meliusre rogare
Aeternum poteras optime Christe patrem:
Quam quali στοργῇ semper te diligit ipse,
Diligat et simili nos ut amore pater.
Nec tribui nobis hoc posset munere maius,
Quid nati posset maius amore dari?

Est vero et alia causa, cur Deus velit genus humanum copulatum esse isto amore. Non possent parentes sustinere tantos labores pro natis, nisi essent in eis *στοργαί*. Ac matribus ideo ubera sunt addita pectori, ut affectus cordis, et memoria transfundantur in natos. Brutis ubera non sunt in pectore, et extinguitur in plerisque animalibus memoria sobolis. Haec consideratio non est contemnenda.

Auget vero *πάθος* in dicto prophetae, appendix illa: *Rachel non voluit consolationem admittere, quia non sunt.* Hoc dicitur de externa specie, qualis foris apparet. Etsi enim non penitus extinguitur Ecclesia, ut hic servatur puer, Maria, Ioseph, in Aegypto: tamen pueri Bethlehemitici extinguuntur in hac vita, Christus et Maria eiiciuntur in exilium. Haec species talis est, quasi sit delenda Ecclesia.

Similis species est, quoties fiunt dissipationes, quae afferunt magnam vastitatem, nunc in his, nunc in aliis locis. Ibi existunt querelae istae, quae sunt indicia maximi doloris. Ah Deus nos reiecit. Nostra politia, nostra doctrina, nostra studia, nostra disciplina, conticescunt. Metuimus universalem deletionem futuram esse. Hoc enim agit Diabolus, ut, quantum in se est, efficiat universales deletiones, sicut nunc facit distractiones doctorum inter se et dissipationes, ut sit species talis, quasi vox doctrinae purioris sit penitus extinguenda.

Cogitate, qualis species fuerit tempore Ieremiae, et Esaiae, quando multa millia Iudaeorum abducta sunt simul? Qualis species est, cum Turca occupat provincias, et abducit aliquot millia hominum Christianorum, abstrahit filios a complexu parentum, divellit coniuges. - Haec sunt acerbiora morte. Homini in Ungaria non est tam triste mori, quam abstrahi a filiis et coniuge in exilium.

Fuit mater in Rhodo, quae cum videret actum esse de defensione urbis, duos filios interfecit, deinde ascendit in murum, et depulsionem hostium adiuvit, quantum potuit, donec periret. Talia exempla declarant hoc triste *πάθος*: *Rachel plorat*, id est, ingenti dolore afficitur, propter tristem illam speciem Ecclesiae, quae talis est, ut videatur, aut iam interiisse, aut paulo post interitura esse penitus. Interim tamen non extinguitur Ecclesia prorsus: Deus servat aliquas reliquias, et pii, qui patiuntur, sustentantur divinitus interiori consolatione, et ornantur tandem aeterna gloria.

Haec postquam de historia Herodis, et de dictis citatis ab Evangelista ex prophetis diximus: Concludemus tandem explicatione praecipui loci, qui est in hoc textu exemplum doctrinae illius, quod Ecclesia subiecta sit cruci.

De cruce Ecclesiae.

Nato Christo Diabolus statim exuscitat persecutionem: Accendit sua organa, ut grassentur et saeviant. Hic cogitetis dictum, quod statim initio ponitur in Genesi: *Ponam inimicitias inter te et mu-*

lierem, inter semen tuum et semen mulieris. Hoc non frustra est praedictum. Diabolus nullo unquam tempore cessat, sed assidue vagatur circumiens, more leonis rugientis. Id experientia ostendit. Videte, quantum fit miseriarum, confusionum, calamitatum in toto genere humano? quantum distractionum et persecutionum, in ipsa Ecclesia?

Etiam cum exigua esset familia Adae, statim Diabolus incitat Cain, ut interficiat Abelum. Huius parricidii magnitudo non potest verbis satis exponi. Erant tunc homines adhuc in magna praestantia naturae, quanquam corrupti per lapsum. Fratres Cain et Abel audierant se esse primos, natos ex parentibus immediate conditis a Deo: Viderant testimonia patefactionum divinarum: Viderant sacrificia patris incensa divinitus: Viderant Angelos locutos cum parentibus in illa prima solitudine. Credo etiam ipsum filium Dei saepe collocutum esse cum Adam et Eva. Et tamen incitatur frater a Diabolo, ut fratrem interficiat. Hoc efficit Diabolus odio contra filium Dei: Non enim principaliter odit nos Diabolus propter nos ipsos, sed propter filium Dei.

Ita hic incitat Herodem ad persecutionem, sive scivit Diabolus, hunc esse Messiam, sive non. Potuit tamen suspicionem habere ex multis signis, sicut etiam Mariam et Ioseph intellexit, custodiri singulariter a Deo.

Fiunt autem in hac persecutione, quam Diabolus excitavit nato Christo, dissimilia. Sunt enim hic exilia, et sunt neces: Quia Diabolus non potest devorare totam Ecclesiam: Etiamsi aliqua membra interficiuntur, tamen Deus servat Ecclesiam. Non potuit Herodes interficere, quem quaerebat, sicut caeteri quoque Tyranni non possunt facere quod volunt, quantumvis grassantur horribiliter.

De Exilio Christi.

Primum igitur consideremus Exilium Christi. Ipse Dominus cogitur exulare cum Maria et Ioseph: Fieri etiam potest, ut traxerint secum familiam aliquam. Proficiscuntur autem in Aegyptum, itinere satis longo, sive in Alexandria sive in Thebaide hospitium quaesiverint.

Hoc Exilium moneat nos, quod valde usitata sint Ecclesiae Exilia. Quare? quia Deus vult nos commonefacere de primo exilio generis humani. Nos ex Paradiso sumus exules propter peccatum. Amisimus in lapsu primorum parentum veram patriam, sumus eiecti ex illa beata vita, in qua non fuisset peccatum et mors, et ex qua translati essemus in vitam coelestem et aeternam sine morte.

Ab hoc exilio ut liberemur, filius Dei descendit de coelo, assumit humanam naturam, fit obediens patri usque ad mortem. Haec omnia pertinent ad exilium Christi. Ipse non tantum est exul, quia exulat in Aegypto, sed quia fit victima, et quia derivatur in ipsum ira Dei, debita nostris peccatis. Ideo autem fit exul, ut nos reducat.

Quare exilia Ecclesiae simul nos moveant, quod vocemur ad aliam patriam, et quod haec non sit vera patria nostra, in qua vivimus in his terris.

Accedit et haec causa, ut agnoscamus praesentiam, et mirandam defensionem Dei in nostris et aliorum exiliis. Quanquam enim durum est ex solo patrio exturbari, et multa aspera eveniunt vagantibus in Exilio, praesertim si quis habeat familiam, tamen Deus curat, et defendit miseros exules.

Apud poetas multa sunt dicta de difficultatibus exiliorum, ut cum Euripides inquit: In exilio plus mali est, quam dici potest: et apud Homerum in Odyss. dicitur: *πλαγκτοσύνης οὐκ ἔστι κακώτερον ἄλλο βροτοῖσι.* Nihil est aerumnosius errationibus, seu vagabundis peregrinationibus. Prolixa etiam est descriptio aerumnarum exilii in carmine Tyrtaei: At miserum est patria amissa, laribusque vagari, etc.

Aliud est, cum adolescens aliquis est instructus pecunia, et vagatur per regiones aliquot, voluptatis causa. Aliud cum paterfamilias cogitur cum familia, in qua habet teneram sobolem, vagari, praesertim si non est instructus viatico. In his exiliis saepe hoc fit, quod Christus de se dicit: *Filius hominis non habet, ubi reclinet caput suum.*

Dat tamen Deus mirabiliter adminicula aliqua, dat viaticum, flectit animos aliquorum ad misericordiam et beneficentiam erga exules, protegit ipse custodia angelorum suorum exules. Sic Mariae attulerunt Magi aliquid viatici. In Aegypto invenit hospitium, in itinere defensa est cum puero, cum cogeretur ire per illa loca vicina Arabiae, quae fuerunt plena latrunculorum, sicut adhuc hodie in illis locis passim vagantur latrunculi. De quo saepe vobis recitavi historiam de Sanseverinate, quam et nunc iunioribus recitabo.

Fuit non multo ante aetatem nostrorum patrum, dux Robertus Sanseverinas, qui fuit princeps in Regno Neapolitano, amicus Ioviani Pontani, qui descripsit hanc historiam: Is profectus est Ierosolymam, ut plerique Germanici principes quoque fecerunt ante nostra tempora. Fuerunt enim Ierosolymis adhuc recens, dux Fridericus, postea etiam dux Albertus, dux Henricus, principes Saxoniae.

Voluit autem Sanseverinas ire etiam ad montem Sinai, ubi hodie est templum S. Catharinae. Inde progredi voluit in Aegyptum. Oportuit igitur eum iter facere per Idumaeam, et loca illa Arabica: Ibi occurrit ei magna caterva latronum. Deductor sive interpres statim agnovit praedones esse, et

dixit Sanseverinati: Domine, non possum vos defendere: Necesse est, ut vos vel pecunia redimatis, vel pugnetis. Bene inquit Sanseverinas, inveniemus aliquid consilii, et statim ipse descendit de equo. Idem iubet facere caeteros comites suos. Iubet et ministros deponere sarcinas, et parare prandium, proferre cibos et lagenulas, in quibus (ut eo proficiscentes facere necesse est) et aqua et vinum vehitur. Strata mensa consident in arena.

Cum accessissent praedones, Sanseverinas obviam eis progreditur. Intrepide et blande eos alloquitur per interpretem. Dicit sibi videri homines nobiles et militares eos esse: Se quoque esse militem, et petere se propter commune foedus, quod debeat esse inter viros nobiles, et milites iustos, ut velint secum prandere. Ait suae patriae hunc morem esse, ut homines dediti militiae, in conviviis familiariter inter se colloquantur de imperiis, et de re militari: se suscepisse hoc iter, ut cognosceret genus militiae, et mores militares istarum gentium.

Mirati latrunculi illi virtutem viri, sicut etiam barbari hominis moveri solent illustribus signis virtutis, descendunt de equis, reverenter salutant, assident ei in arenis, et simul prandent et una bibunt honeste (Nam in locis istis arenosis oportet esse temperantiores).

In prandio narrat Sanseverinas per interpretem, se hominem Italum esse, Commemorat, quae sint praecipua regna in Europa, et qualis sit regum gubernatio, qui sint gradus dignitatum et hominum, quomodo bella indicantur ac gerantur certis legibus. Narrat, qualia sint arma, quae ratio oppugnandi urbes. Illi vicissim narrant suas historias. Tandem cum liberaliter pransi essent, iubet Sanseverinas proferri ex sarcinis, bombardas, arcus, gladios (quemadmodum ad varios usus peregrinatores huiusmodi arma secum habere oportet, et inter haec, etiam omnis generis ornamenta, quae dent hospitibus). Dat igitur singulis xenia, distribuit potioribus alia atque alia arma, dat pecuniam ministris.

Illi delectati oratione illius et muneribus, laeti accipiunt dona, cumque amanter aliquo usque comitantur. Postea agunt gratias, et abeunt. Tantum valet virtus etiam apud ignotos et malos.

Post triduum redeunt iidem latrunculi, sed maiori cum comitatu, et vi capiunt Sanseverinatem, cum suis. Hi putabant iam actum esse de sua vita, sed ducuntur in arcem quandam, ubi honorifice excipiuntur, et retenti triduo, ac donati massis auri nativi, thure, et myrrha reducuntur in viam.

Pulchra est haec narratio, in qua describenda adolescentes stylum exerceant. Est insigne exemplum, quod Comitas saepe prosit in magnis periculis, et quod virtute moveantur etiam homines feri.

Sed nunc recensui hanc historiam, occasione, profectionis Mariae per ista loca, quae semper fuerunt plena latrunculis.

Non fuit igitur profectio ista sine periculo. Sed Deus eam protexit. Et sic protegit etiam alios pios exules, sicut scriptum est: *Posui verba mea in ore tuo, et manu mea protegam te, ut plantes coelos.* Est insignis consolatio pro tota Ecclesia, sed inprimis pro doctoribus, qui crebrius pelluntur in exilia, etiam hoc fine, ut propagetur doctrina, qua colligitur Deo Ecclesia, quae est similis horto coelesti.

Exulavit Daniel in Babylone, ut in illis potentissimis regnis, Babylonico et Persico, notitia Dei inclaresceret, ad quam ab eo conversi sunt etiam reges illi praestantissimi: Nabuchdonosor, Darius Medus, et Cyrus. Fuit in exilio isto, multo maior gloria Ecclesiae populi Iudaici, quam domi florente politia.

Paulus quoque de se et caeteris Apostolis inquit, Vagari ipsos incertis sedibus, *sumus ἀστατούμενοι*, inquit. Quod poeta dixit: *Erramus fatis, acti maria omnia circum.*

Hodie quam multi praestantes viri, excellentes ingeniis, eruditione, et virtute, qui Deum recte invocant, pelluntur sedibus patriis? Vagantur in magnis aerumnis, et miseriis, quorum calamitate vult nos Deus affici, sicut praecipitur in Deuter. et additur ratio: *Memento, quod et tu fueris exul in terra Aegypti.* Aut sumus, aut fuimus, aut possumus esse, quod hic est.

Ego iam sum hic Dei beneficio, 40 annos, et nunquam potui dicere, aut certus esse, me per unam septimanam esse mansurum. Facile possunt homini accidere exilia. Id singuli cogitare debent. Et quia nemo sibi per omnem vitam potest polliceri certum aliquod hospitium, habeamus et nos rationem piorum exulum, sicut dicitur: ξείνοις ἐπαρκῶν, τῶν ἴσων τεύξῃ ποτέ. Honestis exulibus si benefeceris, Deus etiam tibi benefaciet, vel tu quoque consequeris paria. Praecipue vero cogitemus causas exiliorum, de quibus dixi. Et teneamus consolationem, quod Deus velit etiam nos in exiliis iuvare, defendere, servare: Sicut servatus est puer iste, Maria, Ioseph, qui post mortem Herodis redierunt etiam in patriam.

De Parricidio Infantum.

Quanquam autem evaserunt Tyrannidem Herodis, Christus et parentes, et in exilio quoque servati sunt: tamen non desinit Diabolus furere. Imo incipit magis magisque incitare illum senem Tyrannum. Ideo intereunt aliqua membra Ecclesiae.

Trucidantur infantes in Bethlehem, et in tota illa vicinia. Haec fuit magna calamitas, interfici tantam multitudinem infantulorum, qui plerique fuerunt bimuli, Qua aetate cariores solent esse parentibus. Quorum luctus quantus fuerit, nemo satis cogitare potest.

Certe ingens dolor fuit, avelli pueros a complexu parentum, et in eorum conspectu tam immaniter interfici. Non dubium est, multos etiam in sinu matrum interfectos esse. Qui inter vos sunt parentes, possunt de magnitudine istius doloris utcunque cogitare. Etsi infantes quoque habent sensum doloris: quia sentiunt, quod interficiuntur: sentiunt cruciatum, cum lacerantur membra: Tamen parentum dolor est multo maior.

Est autem hoc testimonium valde illustre, quod parvuli pertineant ad Ecclesiam, Quia Evangelista accommodat ad eos dictum prophetae de luctu Rachel, id est, Ecclesiae. Item quia patiuntur isti infantuli propter Christum. Fuerunt igitur membra Ecclesiae, fuerunt martyres, fuerunt haeredes vitae aeternae, sicut de infantibus in Ecclesia inquit Christus: *Non est voluntas patris mei, ut pereat unus de parvulis istis.* Item, *Talium est regnum coelorum.*

Prudentius pulchre scripsit de istis infantulis occisis ab Herode: *Salvete flores martyrum, Quos primo vitae in limine Hostis Herodes sustulit, Ceu turbo nascentes rosas.* Deus ornavit istos pueros martyrio. Ipsi laverunt stolas suas in sanguine agni. Sunt mactati, ut essent testes de Christo, et ut essent similes Christi.

Neque tamen ubique Diabolus similes caedes potuit efficere. Fuerunt servati parentes. Alibi etiam Deus pepercit infantibus. Scribitur, quod Elizabeth tunc fugerit cum Iohanne Baptista trans Iordanem in solitudinem. Vult enim Deus servare Ecclesiam, sicut antea quoque dixi de exiliis. Dat Deus aliquibus tranquillam sedem aliquamdiu. Alios exercet in exiliis. Ita sinit Deus in persecutionibus interfici aliqua membra Ecclesiae, quae tamen suo tempore reviviscent: quorum sanguis interim clamat contra Tyrannos, accusat iniustitiam Tyrannorum, et postulat ultionem contra eos. Alios quosdam servat superstites.

In his omnibus lucet miranda Dei sapientia, et providentia. Conspiciuntur exempla stupendae prorsus et mirabilissimae gubernationis Ecclesiae, sive exilia piorum spectes, sive caedes aliquorum.

Saepe olim factum est, ut Christiani magno numero, seu magnis agminibus expellerentur ex civitatibus. Postea fuerunt in eos immissi equites, qui conculcarent miseros senes, pueros, virgines, matronas.

In Eusebio editione Basileensi Graeca scribitur fuisse Episcopus quidam Chaeremon in Nilopoli, qui cum magna multitudine fuit eiectus ex urbe. Ipse et uxor eius fuerunt senes, confecti aetate et annis. Non potuerunt progredi propter senectam. Sublati sunt autem in coelum in conspectu omnium. Credo hoc vere sic accidisse, et puto multa similia aliis temporibus facta esse. Eripuit eos Deus ex calamitate, et transtulit in vitam aeternam. Sed tamen et ex reliqua multitudine, ut dixi, mirabiliter servantur aliqui in hac vita. Alii ita patiuntur, ut crudeliter interficiantur. Sed glorificabuntur olim, cum Deus Ecclesiam glorificaturus est.

Etiam Zacharias pater Baptistae, aliquanto post interfectus est propter confessionem, Et puto Christum de eo loqui, cum dicit: *Veniet super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est ab Abel, usque ad Zachariam.* Et sic vetustas sensit. Basilius expresse dicit hunc esse veterem sermonem in Ecclesia. Haec consideremus, et sciamus Ecclesiam subiectam esse cruci, et petamus, ut Deus nos confirmet, et servet sibi reliquias aliquas Ecclesiae.

DOMINICA POST FESTUM NATIVITATIS CHRISTI.

Evangelium Lucae 2. *Erant pater et mater eius mirantes, etc.*

Testimonia de doctrina Ecclesiae.

Saepe auditis hanc communem doctrinam, quod Deus velit sibi Ecclesiam colligere in hac vita, per verbum et testimonia huic addita. Ac ad verbum praedicandum missus est filius Dei, inde usque ab initio post lapsum primorum parentum, quibus patefecit promissionem gratiae, ignotam prius omnibus creaturis. Postea idem filius misit prophetas. Tandem ipse apparuit in carne. Misit Apostolos, ad praedicandum Evangelium in toto orbe terrarum. Semper autem adiunxit testimonia, ad confirmandos pios, et refutandos impios. Sed non sic incurrunt in oculos, ea quae geruntur in Ecclesia, ut res gestae Alexandri, aut Iulii Caesaris, quae omnium gentium oculis conspiciuntur. Et tamen vult Deus Ecclesiam quoque certam esse de Articulis fidei. Ideo quando exhibet opera sua, quae in verbo promisit, simul exhibet multa testimonia. Recitantur igitur et de nativitate Christi ab Evangelistis testimonia, quae nobis inculcare debemus, ut fidem in nobis confirment.

Multo conspectius fuit volitare Alexandrum per Asiam cum exercitu, vastantem regna, con-

stituentem novam Monarchiam: Item Iulium volitare per Africam, et Europam, quam hoc, quod filius Dei nascitur in caupona seu publico diversorio, et quidem in stabulo. Nec tamen hoc tantum Dei opus est sine testimoniis. Statim a conceptione fuerunt testes, Maria, Ioseph, Zacharias, Elisabeth, et horum familiae. A nativitate vocantur pastores: et hic testificantur Simeon et Hanna. Postea veniunt Magi ex Oriente, et, ut ego existimo, ex Perside. Illi etiam fiunt testes.

Haec testimonia voluit Deus multis innotescere, ut mirandum illud opus Dei, non modo istis temporibus, sed etiam ad totam posteritatem longe lateque spargeretur ac propagaretur. Diligenter igitur ea nobis proponamus, quia fides exemplo membrorum Ecclesiae confirmatur de omnibus articulis.

Sed consideremus simul dissimilitudinem Ecclesiae, et imperiorum. Non contemnamus haec testimonia propter personas imbecilles. Sciamus assentiendum esse his testimoniis, etiamsi inferiora esse videntur spectaculis illis imperiorum, quae in omnium oculos incurrunt, et suo quodam splendore imperitorum animos capiunt. Hic est primus locus considerandus in hoc textu.

Canticum Simeonis.

Postea coniungatur Concio Simeonis, (quae in hoc textu describitur) cum cantito ipsius praecedente, in quo gratulatur sibi, et Deo gratias agit pro missione filii in carnem, et laetus expetit iam mortem. *Nunc dimittis servum tuum in pace, secundum eloquium tuum*, id est, iuxta Oraculum illud, quo promisisti, me non visuram esse mortem, nisi vidissem prius Messiam, seu Christum, seu unctum Domini. Nunc autem vident oculi mei hunc Messiam promissum, quem carne mea indutum brachiis meis gesto.

De hoc Messia pergit deinde praeconium facere. Nominat eum *salutare Domini*, id est, salvatorem a Deo constitutum, et quidem ordinatum et exhibitum, ad salvandos omnes populos. Hoc est enim, paratum esse in conspectu omnium populorum, id est, Iudaeorum et gentium. *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam populi seu plebis Israel*. Sententia est: Hic Messias lucebit gentibus, seu erit *Lumen lucens gentibus*, ut videant Deum, et habeant consolationem in terroribus peccati et mortis. Idem Messias erit *gloria populi Israel*, id est, per hunc glorificabitur doctrina, et Ecclesia huius populi, quod non fuerint vanae promissiones, divinitus ei traditae. Ipsi etiam electi in hoc populo, agnito hoc Messia, non gloriabuntur ceremoniis suis, aut observatione legis, aut aliis praerogativis corporalibus, sed acquiescent in fiducia huius pueri, qui carnem ex ipsis assumpsit, et ut David loquitur, sic aspicit nos in forma hominis, ut sit Iehova in excelsis Deus

His Epithetis voluit Simeon complecti summam totius doctrinae de beneficiis, et regno Messiae. Beneficia significantur appellatione *salutaris*. Intelligit autem Salutare, non de Imperio mundano, sed de vera salute, qua Deus abolito peccato et morte restituit vera bona, quae ait deinceps afferenda esse toti generi humano, Quia regnum Messiae affirmat in posterum futurum esse in Ecclesia, quae sit colligenda simul ex Iudaeis et gentibus.

Consideretur autem in voce *luminis gentium et gloriae Israel* Antithesis, quae valde illustrat verba Simeonis. Gentes antequam audiverant Evangelium, et agnoverunt Messiam, vixerunt in tenebris, sine agnitione veri Dei, fuerunt oppressae peccato et morte aeterna. Iste Dominus autem est missus, ut colligat Ecclesiam, non tantum ex semine Abrahae, sed etiam ex gentibus, quarum mentionem expressam continent promissiones traditae de Messia Ut cum ad Abraham dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Item, *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec venerit Schilo, et gentes ad eum concurrent*.

Schilo significat faustum et felicem, Item foetum virginis. Nam Schiliah idem est, quod χόριον, id est, pellicula, quae cingit foetum: Et usus est Iacob ταπεινώσει. Non dicit foetus, sed pellicula cingens foetum, ad significandam infirmitatem, qualis fuit Christi pendentis in cruce.

Sic et in caeteris prophetiis passim fit mentio vocationis gentium. Has inquit Simeon habituras per hunc Messiam lucem, id est, agnitionem voluntatis, et cultum veri Dei. Hic Messias pellet tenebras, Accendet novam lucem inter gentes, erit in eis efficax, dabit consolationem et laetitiam acquiescentem in Deo, propter hunc Mediatorem ostensum et agnitum in praedicatione Evangelii. Gentes audita voce de remissione peccatorum vivificabuntur ad iustitiam et vitam aeternam.

Contra: *Tamen gentes habuerunt notitiam legis: Ergo habuerunt agnitionem voluntatis Dei*. Respondeo. Ex lege agnoscitur ira Dei. Sed audita voce Evangelii agnoscitur misericordia promissa in filio. Ethnici, Turcae, hoc sciunt: *Non occides, Non moechaberis, etc.* Sed non norunt doctrinam de propitia Dei voluntate, non de salutari invocatione veri Dei, quam docet Christus: *Quicquid petieritis in nomine meo patrem, dabit vobis. Qui non honorat filium, non honorat patrem.* Extra hunc filium ista misera natura fugit Deum: Et habet Epicuraeas aut Academicas opiniones, quae impediunt invocationem.

Tantum illa agnitio et invocatio Dei vera est, quando scimus, hunc esse verum Deum, qui se patefecit misso filio, ut dicitur: *Qui videt me, videt patrem meum.* Deinde cum statuimus, nos exaudiri propter Christum. In hoc enim omnes promissiones sunt Amen.

Haec omnia ignota sunt Ethnicis: Sed audita voce Evangelii, agnito filio fiunt manifesta. Et postquam mentes illustratae sunt hac luce, vivificantur etiam corda, ut sentiant consolationem, et habeant initia vitae aeternae, regantur a Deo, sanctificentur a Spiritu sancto.

Hoc modo Christus est *lumen ad revelationem gentium,* id est, praebens lucem gentibus.

Iam Iudaei habebant patefactiones divinas factas ipsorum patribus. Sed hae contemnebantur antea a gentibus. Ridebatur non tantum doctrina, sed etiam Ecclesia istius populi. Iudicabatur gens fatua et superstitiosa. Sicut Cicero Iudaeos hoc nomine deridet. Nunc vero exhibito Messia, et propagato Evangelio, agnoscetur gloria huius populi. Palam convincentur omnes, doctrinam traditam isti populo non fuisse vanam nec commentitiam: Israelitas non fuisse mentitos, cum dixerunt, se habere promissiones divinas, et se esse populum Dei.

Nec solum refutabuntur Ethnici, sed etiam hypocritae in illo ipso populo Israel. Tradita erat Iudaeis lex moralis seu Decalogus, traditus cultus ceremoniarum, traditus ordo iudiciorum. Habebant templum, arcam foederis, regnum. Erant orti ex patribus. Gerebant titulum populi Dei. His gloriabantur, propter haec se efferebant hypocritae. Collocabant in his iustitiam suam: Quaerebant in umbris rerum externarum salutem, et vitam aeternam. Non enim recte intelligebant legem, non colebant Deum in veritate et spiritu, non habebant verum intellectum promissionum de Messia.

Electi vero in hoc populo amplexi Evangelium acquiescentes hoc in puero, agnoscent hanc esse veram gloriam coram Deo, veram iustitiam, veram salutem, accipere beneficia huius Domini, petere et expectare propter hunc Dominum remissionem peccatorum, invocare Deum fiducia huius Messiae. Sic igitur plebi seu populo Israel gloria erit puer iste.

Vaticinium Simeonis.

Haec magnifica praeconia cum audiunt Ioseph, et Maria, mirantur, obstupescunt, laetantur. Sed addit Simeon mox praedictionem de futuro scandalo multorum, Item Vaticinium de cruce, Quia dicit: *Positum esse in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. Quin* et *Mariae animam* inquit *penetraturum esse gladium.*

Alludit ad dicta prophetarum de scandalis extituris in isto populo, et ad vaticinia de passione Christi. Matrem ipsam affirmat in magno dolore futuram esse, scilicet, quia videbit filium crucifigi. Ubique autem Maria repraesentat Ecclesiam, cuius afflictiones hic pinguntur, cum dicitur: *Animam tuam penetrabit gladius, dum revelantur cogitationes cordium,* id est, dum se profert, et ostendit impietas, antea tecta specie sapientiae et iustitiae.

Hic igitur sit Locus tertius doctrinae in isto textu. Nam secundum locum constituimus Canticum Simeonis, quod antecedit hanc praedictionem, et tamen cum praedictione coniungendum est.

Etsi autem nota est doctrina de cruce, et saepe repetitur: Tamen non pigeat nos, hoc etiam in loco revocare nobis eam in memoriam. Quod faciemus nunc in genere, et quidem collatis disputationibus philosophorum, cum sapientia Ecclesiae.

Ubi est primum tradita praedictio de cruce? Statim initio: *Ponam inimicitias: Et serpens mordebit calcaneum eius.* Etsi hoc principaliter ad Christum pertinet, tamen ad totum corpus Ecclesiae simul referendum est, Quia Diabolus odio filii Dei saevit in genus humanum: maxime vero in Ecclesiam. Adam vixit 900 annos, et paulo amplius, et vidit eventus huius praedictionis, cum summo dolore suo. Eadem praedictio hic repetitur: *Iste erit in signum, cui contradicetur, Et, tuam ipsius animam penetrabit gladius,* id est, tu senties magnos dolores. Id postea experta est Maria, cum fuit spectatrix supplicii, huius filii sui. Quod spectaculum nulla alia mater facile sustinere potuisset. Sed hos ingentes dolores vicit tamen, confirmata divinitus. Credo non fuisse fortiorem foeminam in toto genere humano. Fuit omnino magnum animi robur, perferre illud triste spectaculum.

Quandocunque autem dicitur de Maria, cogitemus id accommodandum esse ad Ecclesiam universam. Nemo piorum est, cui non accidant mala inextricabilia humanis consiliis, et qui non sentiat dolores in multis et magnis calamitatibus, sicut significare volui in istis versiculis:

Sunt ingentia perferenda sanctis
In mundo mala, ut invocare discant
Mirandum auxilium Deum ferentem
Praesentemque suis adesse cernant.

Conferamus autem causas calamitatum et crucis, quae communiter accidunt omnibus hominibus, et Ecclesiae: et consolationes, notas in philosophia, et in doctrina Ecclesiae.

Causae humanarum calamitatum.

Philosophi quas dicunt causas humanarum miseriarum?

Ponunt duas potissimum. Materiam scilicet corporum, et voluntatem hominis.

Materiam dicunt talem esse, quae sit obnoxia morti: Quia naturaliter ruat ex alia forma in aliam, ut videmus pomum putrescere, et inde fieri coenum. Sic igitur cogitant: morborum et mortis causam in genere humano esse Materiam, quae habeat suas vices alterationum, et corruptionum. Ignorant autem, unde hoc sit, quod materia hominis iam est similibus mutationibus obnoxia, quemadmodum res caeterae nascentes ex terra.

Doctrina vero Ecclesiae docet, Inde hoc esse, quod natura hominum post lapsum est deserta a Deo. Nam si homo mansisset in statu innocentiae, non fuisset mortuus. Fuisset templum Dei, in quo habitans Deus vivificasset hominem, non discessisset ab eo. Quia vero non mansit homo in illa rectitudine, in qua creatus erat, subiectus nunc est morti, ut Paulus inquit: *Corpus mortificatur propter peccatum.*

Deinde vident philosophi, homines volentes sibi accersere multas calamitates, ut Antonius volens movet bellum contra Augustum, et sibi ipsi autor est interitus. Sed hic quoque philosophia ignorat, unde sit tanta infirmitas in voluntatibus hominum, tantum errorum, tantum vitiorum?

Sola autem doctrina Ecclesiae nobis monstrat, fontem horum malorum esse: lapsum primorum hominum, et corruptionem naturae, quae inde secuta est. Sic enim conditum fuit initio genus humanum, ut non modo sine morte, seo etiam sine peccato viveret. Sed primi parentes ultro deserverunt verbum Dei, Admiserunt peccatum, cui proposita fuit haec ingens poena, ut postea hominum natura, amissa priori luce et integritate, obnoxia esset morti et peccato.

Est igitur perfectior doctrina Ecclesiae, quia prima causas miseriarum humanarum monstrat: De quibus cum cogitamus, Oportet primum considerare, cur in toto genere humano tantum sit miseriarum: Deinde cur Ecclesia in primis subiecta sit ingentibus miseriis.

Primum igitur in genere: Causa universalis omnium vitiorum, erratorum, mortis, et aliarum miseriarum in toto genere humano est, Primum peccatum, quod propagatum est in omnes posteros. Nascitur enim iam natura hominum in corruptione omnium virium, et desertione Dei. Non regitur homo a Deo, non praeditus est iis donis, ea integritate virium, quam Adam acceperat pro se et tota posteritate. Inde est, quod materia non vivit, quod mens ruit in errores. Voluntas subiecta est pessimis inclinationibus, cor plenum est rapidis et turbulentis affectibus. Inde sunt scelera sponte electa, quae attrahunt singulares poenas.

Altera causa est Tyrannis Diaboli, cui subiectus est homo propter illud ipsum peccatum, quod haeret in natura. Non tantum homo corruptus, per se fertur sine lege et ordine, sed etiam Diabolus impellit homines odio Dei ad horribilia scelera, ut Cain occidit fratrem, impulsus a Diabolo. Saul persequitur Davidem, incitatus a Diabolo. Idem auget calamitates generis humani, variis modis, ut cum excitat bella iniusta. Quantae caedes factae sunt in bellis civilibus, inter Marium et Syllam, inter Pompeium et Caesarem? Quot millia civium, quam multi praestantes viri interficiuntur? Talia bellu quid sunt, nisi furores Diabolici, de quibus cogitantes, non possumus non obstupescere.

Hae sunt causae in genere humanarum calamitatum. Postea peculiariter considerandae sunt causae, propter quas Ecclesia inprimis sit subiecta cruci et calamitatibus.

Hic rursus prima causa est: Quia etiam Ecclesiae membra nascuntur cum peccato. Quod cum contemnat mundus, vult Deus in Ecclesia conspici iram suam adversus depravationem illam et peccatum haerens in natura: Et ut eam agnoscamus, et nos subiiciamus eius iudicio, Commonefacit nos variis modis, iuxta dictum: *Filium, quem diligit, corripit.* Item, *Innocens coram te non est innocens.* Iob fatetur, se coram Deo iniustum esse, etiamsi afflictionum suarum non sint causae actualia delicta, ut amici eius disputabant.

Secunda causa est: Diabolus magis odit Ecclesiam. Magis igitur insidiatur Ecclesiae et piis singulis, qui sunt Christi membra. Ideo dicitur in libro Iob: *Diabolus stetit inter filios Dei.*

Tertia causa est, ut in cruce exerceantur et crescant poenitentia, fides, invocatio et tota novitas, iuxta dictum: *Bonum est mihi, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.* Item, *παθήματα μαθήματα, quae nocent, docent.* Item, *Angustia tribulationis disciplina clamoris eis,* id est, afflictiones docent clamare ad Deum in invocatione.

Quarta causa est, Quia etiam in Ecclesia sunt plurima delicta actualia atrocia, ut Davidis adulterium, scelera Manasse. Haec punit Deus propter suam iustitiam, et ut alii deterreantur exemplo, et multi revocentur ad poenitentiam: ut dicitur: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* Item, *Cum iudicamur, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo pereamus.*

Quinta causa est, Quia Deus vult neces sanctorum esse testimonia de doctrina. Quia enim

mortem subeunt magno animo, propter confessionem, imo cum pios in tota vita propter officia et cultus, quos Deo praestant, multipliciter Deus affligi sinat: Vult agnoscere alios, quod vere sentiant hanc doctrinam veram esse, et a Deo traditam, et quod non quaerant suas voluptates et commoda, sed serio serviant Deo, ipsius gloriae causa.

Sexta causa est, ut mors sanctorum sit testimonium de secutura resuscitatione, et futuro iudicio. Vult enim Deus nos sic ratiocinari: Quia antea testatus sit, sibi placere Abelum, Esaiam, Ieremiam, Paulum: quos tamen crudelissime sinit interfici a Tyrannis: necessario restare aliud iudicium, in quo damnabit manifeste interfectores carissimorum amicorum suorum.

Septima causa est: Quia vult Deus sanctos fieri conformes imaginis filii sui, non tantum in gloria, sed etiam in passione: sicut Paulus inquit: *Regnabimus una, si modo una patiemur.*

Octava est: Deus vult conspici praesentiam suam in ipsa cruce Ecclesiae, et in multis mirandis liberationibus suorum, Quia et in sensu calamitatum sustentat nos, et multa mala mitigat, et liberat saepe, cum calamitates sunt inextricabiles humano consilio.

Haec doctrina de causis, propter quas Ecclesia cruci subiecta est, semper in conspectu esse debet, ne offensi aerumnis Ecclesiae, existimemus hunc miserum coetum a Deo negligi.

Illustrat autem hanc doctrinam, distinctio graduum calamitatum, quae etiam a veteribus est tradita. Nam in Ecclesia afflictiones sunt, aut τιμωρίαι, ut eiectio Davidis ex regno post adulterium et caedem Uriae: aut δοκιμασίαι, ut calamitas Iobi: aut μαρτύρια, ut caedes martyrum: aut λύτρον, quod est solius Christi obedientia et passio.

Mariae calamitas sentientis gladium penetrantem per ipsius animam, id est, dolorem ingentem ex spectaculo mortis filii, est δοκιμασία.

Consolationes *in calamitatibus.*

Non est autem satis, scire, quae sint causae calamitatum, sed e regione tenendae sunt etiam consolationes: ubi rursus prodest conferre locos philosophicarum consolationum, et doctrinae Ecclesiae.

Praecipuae consolationes philosophicae sunt. I. Necessitas. Ferendum est, quod mutari non potest: Et qui repugnat, ille duplicat sibi miseriam. Pugnat enim de re, quam non potest mutare. Sed haec est frigida et ingrata consolatio. Hoc ipsum enim auget dolorem, quod immutabilia nobis imponuntur.

Secundus locus consolationis philosophicae est Dignitas virtutis. Non debeo facere contra iustitiam fractus dolore, Quia bonum honestum est anteferendum bono utili. Cato non recte facit, quod sibi consciscit mortem.

Tertius locus est Bona conscientia: ut dicitur: *Culpa vacare magnum solatium.* Item, *Est aliquid magnis crimen abesse malis.* Contra vero, quando cor sauciatum est conscientia propriae culpae: duplex est dolor: Externus corporis, et internus cruciatus animi.

Quarto, Exempla leniunt aliquo modo dolorem, et cum cogitamus alios quoque, et quidem praestantiores similia pati. Esset enim inaequalitas, et iniustitia quaedam, et singularis superbia, expetere praecipuam aliquam fortunam, et non velle ferre aliquid communium aerumnarum.

Quinto, Causae finales afferunt similiter aliquam doloris mitigationem, ut quando moritur aliquis pro patria, vel cum pro defensione causae bonae aliquis patitur. Torquatus dimicat magno animo, Quia intuetur patriae commodum, et appetit gloriam seu famam honestam, ut dicitur: *Vicit amor patriae, laudumque immensa cupido.*

Sexto. Collatio eventuum, id est, comparatio malorum inter se, quorum alia rationi maiora, alia minora esse videntur. Aeschines minus dolet propter exilium, Quia laetatur se liberatum esse ab Attica Republica tanquam a rabiosa cane.

Postremo iubet ratio sperare laetum exitum, ut ille inquit apud Comicum: *Heus tu, Omnium rerum vicissitudo est.* Et Aeneas inquit ad socios: *Durate, et vosmet rebus servate secundis.*

Saepe autem nullae spes humano iudicio videntur reliquae, Ubi cum vox divina iubeat tamen retinere spem vitae aeternae, philosophia dubitans de vitae secuturae statu, relinquit animos in desperatione, nec monstrat portum, in quo mens tandem acquiescat. Id cum experiantur Ethnici, fateri ipsi coguntur in magnis doloribus, infirmiores esse consolationes philosophicas, quam ut mederi possint tantis malis, quibus natura humana opprimitur. Ideo Cicero inquit: *Nescio, quomodo imbecillior est medicina, quam morbus.*

Utilissimum est igitur, quaerere in Ecclesia alios locos consolationum, qui efficacius remedium monstrant.

Etsi igitur in levioribus malis suum locum habent philosophicae consolationes, et aliquo modo cum lege congruunt, imo in Ecclesia magis illustrantur, lege declarata ex Evangelio: Tamen aliae sunt consolationes peculiares, quas proprie tradit Evangelium: scilicet, Remissio peccatorum: Agnitio praesentiae Dei in aerumnis: Spes ultimae liberationis et salutis aeternae. Hi loci prorsus sunt ignoti philosophiae, nec traduntur in lege.

Cum philosophia nobis proponit necessitatem, Item virtutis dignitatem: Lex approbat ista, et exaggerat mentione mandati divini, quod praecipit obedientiam in tolerandis adversis, et ne irascamur Deo.

Sic approbat lex conscientiam bonam, et iubet exempla considerare, et conferre eventus et causas finales intueri.

Sed hos quoque locos illustrat collatio Evangelii, Quia non tantum exempla legalia nobis proponit, in quibus videmus, alios quoque poenas sustinuisse propter peccata, sed revocat nos etiam ad exemplum filii Dei, cui oportet nos consimiles fieri in cruce et liberatione. In eventibus quoque iubet cogitare, nos multo graviora meritos esse, Et tamen Deum mitigare poenas debitas delictis nostris.

Finalem vero causam multo potiorem monstrat, videlicet Deum ipsum, et quia afflictiones, quas sustinemus propter vocationem nostram, et confessionem doctrinae, serviunt gloriae Dei, et prosunt Ecclesiae.

Hae declarationes cum adduntur locis philosophicis, qui sunt legales, consideratio fit dulcior.

Sed quia saepissime recordatio nostrorum delictorum, et conscientiae reatus, auget dolores, ostenditur in Evangelio promissio remissionis peccatorum prorsus ignota philosophiae.

David, etsi habet tristissima vulnera conscientiae, tamen tenet hoc remedium: Scit sibi dictum esse: *Dominus abstulit peccatum tuum.* Latro in cruce non frangitur cruciatu dolorum corporis et animi, quia credit sibi remitti peccata propter hunc Dominum, ad cuius latus affixus est cruci.

Ita omnes agentes poenitentiam deducit Evangelium ad filium Dei, et eius beneficia. Affirmat, quod propter filium Deus recipiat quanquam calamitosos: Docet calamitates non esse signa abiectionis a Deo, sed esse castigationes paternas.

Et quia cor non acquiescit, nisi intueatur aliquid boni: Evangelium iubet agnoscere simul praesentiam Dei in aerumnis accepta remissione peccatorum: ut dicitur: *Ego sum cum eo in tribulatione,* Et: *ubi habitabo? In spiritu contrito et tremente sermones meos.* Hoc modo, cum scimus nos a Deo respici, et iuvari, levatur dolor: Et cor intuens hoc bonum, scilicet reconciliationem cum Deo, et praesentiam Dei, incipit acquiescere, et confugere ad Deum, et petere ab eo mitigationem, sicut precatur David in sua calamitate: *Domine ne in furore tuo arguas me.* Item, *libera me a sanguinibus*, id est, a tragicis malis.

Ostendit etiam Evangelium spem certam futurae liberationis totalis seu universalis. Hoc futurum bonum intuens Iob: *Etiamsi occidet me*, inquit, *tamen sperabo in eum.* Item, *Scio, quod redemptor meus vivit, et rursus circumdabor pelle mea.*

Sic Maria sciebat hunc filium suum non mansurum in morte, sed revicturum esse: Quia tenebat praedictiones propheticas de morte et resuscitatione Messiae.

Hanc totam doctrinam de causis calamitatum, et de remediis consolationum necesse est saepe repeti in Ecclesia, ut omnibus sit in conspectu in tantis miseriis privatis et publicis, quas etsi iuventus per aetatem nondum intelligit, tamen adultiores paulatiam sentiunt, gladio penetrante per pectus ipsorum, ut hic de Maria inquit Simeon. Gratum vero debet esse bonis mentibus, quod in collatione doctrinarum vident, quomodo antecellat in hac tanta re doctrina Ecclesiae disputationibus philosophicis, quae nec principales causas calamitatum monstrant, nec firmas consolationes.

Experiuntur autem efficaciam divinarum consolationum omnes conversi ad Deum in vera invocatione: Ubi sentiunt Deum facere opus alienum, ut faciat opus proprium.

Narratio de Hanna.

In textu additur narratio de Hanna, quam Evangelista ait *assidue fuisse apud templum.* Erat enim certus locus assignatus mulieribus prope templum. Ibi habebant suas operas, lavabant et coquebant sacerdotibus et Levitis, qui erant in praesenti ministerio. Educabant puellas, instituebant eas in precibus et aliis exercitiis pietatis et virtutum, sicut fit in schola honesta. Eum morem imitati sunt Apostoli, cum iusserunt eligi grandiores natu matronas in Ecclesia, quae peregrinis aut aegrotis servirent. Et hae alimenta, tanquam mercedes habebant ex eleemosynis, quas tunc Ecclesia liberaliter conferebat.

De hoc more saepe loquitur Paulus in Epistolis, quoties mentionem facit viduarum. Quas cum ait, fidem suam obstrinxisse Ecclesiae: non intelligit votum coelibatus, sed fidem, qua promiserunt fidelitatem in serviendo, aut certe professionem fidei Christianae, qua testatae sunt se amplecti omnes articulos fidei.

Est autem testimonium insigne in hac historia, quod sancti etiam in coniugio placeant Deo, Quia Hanna scribitur post annos virginitatis suae, etiam cum marito vixisse: Et fuisset ei liberum, si voluisset, transire etiam ad secundas nuptias: sicut Paulus iubet *iuniores viduas nubere, esse matres et nutrices familiarum.*

Appendix historica: cui occasionem praebuit dies Sylvestri asscriptus Calendario.

Crastinus dies est ultimus dies anni. In Calendario nominatur dies Sylvestri. Quis fuit Sylvester? Fuit Episcopus Romanus, de quo aliquid dicendum est propter stultas fabulas, quae leguntur in Iure Canonico, quibus dicitur de Sylvestro, quod baptizaverit Constantinum, et quod propterea donatus sit ab eo urbe Roma: et Occidentis, (id est, Italiae, Galliae, Hispaniae, Germaniae, et aliarum provinciarum vicinarum) imperio.

Haec fabula extat titulo Donationis Constantini: Et habet praescriptum nomen *Palea*. Ac putant indocti Paleas dici constitutiones inanes. Sed aberrant in Etymologia vocis, quae non est Latina, sed Graeca, et significat idem, quod nomen *vetus*. Sciant igitur iuniores, ubicunque scriptum est nomen Palea, ibi significari Graecam vocem παλαιὰ scilicet διατολὴ, id est, vetus constitutio. Sed haec neque vetus, neque vera est, ut postea dicam. Prius enim quaedam de Constantino vobis in memoriam revocabo, propter quaestiones, quarum utilis est consideratio.

Fuit Constantinus vir praestans, et excitatus divinitus ad mutandam formam imperii et ad liberandam Ecclesiam ab immanibus persecutionibus, quae duraverant inde usque a Nerone annis ducentis et amplius. Pater eius fuit Constantius, quem Spirae habitasse manifestum est, ex monumentis, quae adhuc ibi conspiciuntur. Nomen Spirae significat cohortem. Fuit ibi cohors regia, das hoffgesind. Nam vetustas nominavit cohortem das hoffgesind. Inde est Curtisanus. Et ego credo eum fuisse conditorem urbis Spirae.

Fuit autem Constantius, unus ex collegis aliorum Imperatorum. Nam ad securitatem, ne orirentur seditiones per ambitionem, plerumque adiunxerunt sibi Imperatores, aliquos collegas. Coniuges Constantii duae fuerunt: una Helena, mater Constantini Magni: altera Theodora filia Maximiani. Sed Constantius praetulit Constantinum filiis natis ex filia regis.

Vivo igitur Constantio fuit Constantinus Caesar: non Augustus: sicut in Imperio Germanico Ferdinandus superstite Carolo V. fuit Caesar antiquo more, donec Carolo successit, resignanti Imperium.

Erant autem magni motus in Italia propter persecutiones Christianorum, cum primum vocatus est ad imperium Constantinus. Magna etiam confusio erat libidinum tunc in Italia, sicut scribitur Sophrona rapta conscivisse sibi ipsi mortem, Lucretiae more. Ita occasio data fuit Constantino transeundi in Italiam: Et dubitanti, an Romam exercitum duceret contra Maxentium, Tyrannum crudelissimum, et impurissimum, ostendit Deus illustre signum victoriae. Nam medio die in clara luce vidit Constantinus in coelo igneam crucem, cum literis, ἐν τούτῳ νίκα, In hoc vince.

Eusebius scribit se hanc narrationem ex ipso Constantino audivisse. Victo autem Maxentio Constantinus cum Licinio, quem Maximinus Caesarem nominaverat, et qui tenebat Illyricum, fecit foedus, et sororem suam consanguineam, Constantiam, ei uxorem dedit. Hi igitur duo Constantinus et Licinius (extinctis iam caeteris Tyrannis, Diocletiano, Maximiano, Maxentio, et Maximino) tanquam collegae tenuerunt imperium, et paulisper pax fuit in imperio.

Sed Licinius contra edicta, quae simul anteae dederant, ut Christianis parceretur, saeviit in Christianos in Oriente, ubi imperabat. Inde extitit bellum, in quo Constantinus Licinium vicit duobus magnis praeliis, fuitque Licinius, cum non desineret res novas res novas moliri, tandem interfectus Thessalonicae, a Constantini praesidio.

Hic quaeritur: An recte fecerit Constantinus, quod bellum intulit collegae et affini suo Licinio, suscepta defensione Christianorum?

Respondeo. Recte fecit. Nam Licinius violato priori edicto, ruperat iam foedus: Et iusta defensio etiam contra socios ad depellendam manifestam saevitiam. Erant socii Lacedaemoniorum Thebani. Et tamen adiuverunt Thrasybulum, petentem ab eis auxilia contra 30 Tyrannos, omnia vastantes Athenis, caedibus et rapinis. Est enim in omnibus foederibus excepta defensio adversus notoriam iniuriam.

Contra. *Licinius non videtur fuisse impediendus in ea parte imperii, quam ipse regebat.* Cur igitur defendit Constantinus alienos, qui erant Licinio subditi? Quid ad Thebanos pertinebat, quomodo Spartani Athenas a se victas gubernarent? Respondeo. Etiam subditis, si sit manifesta saevitia, licet fieri supplices, implorare auxilia ab aliis: Et suscipere eorum defensionem aliis regibus licet. Ita olim Athenienses susceperunt defensionem liberorum Herculis. Sic cum manifesta esset crudelitas praesidii Laconici in Athenienses, Thebani recte fecerunt, ferentes auxilia Atheniensibus exulibus, repetentibus patriam armis contra Lacedaemonios.

Sed Constantinus maiorem causam habuit suscipiendae defensionis Christianorum, Quia ipse erat eis coniunctus societate fidei et religionis. Fuisset scelerata societas Constantini et Licinii, si Constantinus propter foedus, quasi pactione quadam obligatus, passus esset grassari collegam, et infinitam saevitiam exercere in Christianos. Et est hoc praecipuum munus summorum regum ac principum, tueri Ecclesiam.

Contra. *Religio non est defendenda armis.*
Constantinus defendit religionem armis.
Ergo non recte fecit.

Respondeo ad Maiorem. Religio non est armis propugnanda, scilicet per eos, quibus non est datus gladius. Episcopi, doctores, non debent gladium sumere, sicut Christus Petrum Apostolum prohibet pugnare.

Sed obiicitur rursus.

Religio non potest propagari vi corporali.
Ergo Magistratus quoque, frustra suscipit bellum pro religione.

Respondeo. Antecendens verum est, quo ad mutationem cordium: Interim Magistratus tenetur ad disciplinam externam tuendam, id est, debet prohibere blasphemias, et defendere homines innocentes. Idem responderi potest et ad hoc argumentum:

Religio non potest propagari edictis. Quia Ecclesia est corpus spirituale, colligitur docendo. Et Magistratus non potest mutare corda.

Ergo peccavit Constantinus, qui edicta edidit, ut clauderentur templa idolorum.

Respondeo. Potestas politica debet prohibere externam idololatriam, sicut dicitur in Deuteron. *Destrues aras ipsorum.* Non potest Magistratus mutare affectus cordis. Sed externam professionem blasphemiarum, externos cultus idololatricos prohibere debet ac potest. Ita Carolus Magnus recte fecit prohibens Saxonibus idololatricos cultus, et passim constituens Episcopatus, quorum occasione instituerentur Saxones in religione: Sicut ipse in fundatione Episcopatus Bremensis scripsit: *Non volo, ut mihi serviant Saxones, sed ut sint liberi, et serviant Deo.*

Inter multa alia opera Constantini, sunt etiam haec duo: Sanxit pro militum utilitate, ut praedia, ex quibus milites antea habuerant stipendia, transirent ad haeredes, et fierent propria familiarum, Sed ita ut certum numerum militum praeberent. Id initium est eius moris, qui nunc servatur in feudis.

Ante Constantinum bona feudalia non transibant ad haeredes. Nomen *feudum* est a Vevat v, praefectura, Vent, id est, pastor seu qui praeest pastibus per aliquem tractum. Nuden est pascere. Fuit autem haec constitutio grata militibus. Nec solum tenuit Constantinus sibi eos obligatos hac ratione, Sed etiam hoc consecutus est, ut milites honesti mallent in coniugiis honeste vivere, et procreare sobolem, quam vagari, ut antea.

Alterum opus fuit Convocatio Synodi Nicenae ad componendum dissidium de Ariano dogmate. Ibi quaestio est: *An penes Imperatorem sit convocare Synodos?*

Respondeo. Omnino, Quia pertinet ad officium piorum et sapientum Regum, iusto modo et ordine tollere dissidia Ecclesiarum. Ideo opus dignissimum est magnis principibus indicere et recte regere Synodos.

Contra. *Cura indicendi Synodos pertinet ad Episcopos. Et officia non sunt confundenda.*

Respondeo. Lex divina, et politicae potestati et doctoribus praecipit tollere blasphemias et idola. Cum igitur dissidia oriuntur, etiam politica potestas curare debet, ut legitima cognitio instituatur, in qua Doctores et alia membra Ecclesiae idonea, et ipsi principes, re inquisita, dicere possunt suas sententias. Non est enim iudicium illud, unius gradus, sed omnium membrorum Ecclesiae, quae sunt ad iudicandum idonea. Cum autem patefacta est veritas, debet fieri executio.

Doctores refutare debent et damnare blasphemias voce et scriptis. Potestas politica prohibere debet externam professionem impiam, removere blasphemos, ne virus suum afflent aliis.

Ita Constantinus tunc assedit inter Episcopos, et acerrime disputans, et audiens singulos. Tandem post longa certamina scriptum est Symbolum Nicenum, quod adhuc in Ecclesiis retinetur, cui subscripsit ipse etiam Constantinus.

Haec nota esse debent discentibus. Et quid est nisi perpetuo puerum manere, ignorare historias? quarum summas interdum recito, ut iuniores his illecebris invitentur ad legendas historias integras.

Transtulit autem Constantinus sedem imperii, quae Romae antea fuerat in urbem Byzantium, vel quia situs Byzantii opportunus videbatur ad tenendum Orientis et Occidentis imperium, quod post mortem Licinii solus ipse regebat, vel quia Deus hac fatali mutatione voluit punire Italiam et Romam, quae et tunc valde labefactata est, translata hac dignitate, et translatis familiis et opibus ex Italia in Thraciam: Et postea adventu peregrinarum gentium magis vastata est.

Hinc natum est mendacium, ab aliquo nebulone, confictum tantum ad vexandos homines, quod continetur in illa constitutione, quae vocatur Constantini Donatio: Quasi urbem Romam et Imperium Occidentis a Constantino donatum sit Sylvestro Episcopo Romano. Proba, quod sit commentitia haec constitutio. Primum constat ex veris historiis: Ante Pipinum, qui fuit pater Caroli Magni, non habuisse Romanos Episcopos ullam partem Italiae sub sua potestate.

Deinde probo ex definitione. Tradere imperium est iuramento obligare Senatum Romanum et exercitus, ut illi obtemperent, cui imperium traditur. Sed nec senatus, nec exercitus tunc iurarunt

Romano Episcopo. Et post Constantinum, Constantius, Iulianus, et caeteri successores, soli fuerunt Domini exercituum, et Romae praefectos urbis constituerunt. Et Vicarii Imperatorum fuerunt in Italia Exarchi annos circiter centum et sexaginta, a Iustino secundo usque ad Pipinum.

Non igitur tenuerunt Episcopi Romani Imperium Urbis Romae, aut Italiae, aut aliarum provinciarum Occidentis.

Hoc est illustre argumentum ad refutandam narrationem illam falso confictam de donato imperio a Constantino.

Semper manserunt exercitus in potestate successorum Constantini, et Italia gubernata est usque ad Pipinum per duces missos ab Imperatoribus ex Constantinopoli. Quod si Romani Episcopi non habuerunt exercitus, quomodo potuerunt regere imperium? Iurisdictio sine exercitu est inanis sonitus.

Sed addatur et hoc argumentum a persona seu officio Episcopi. Etiamsi oblata esset potentia illa Sylvestro, tamen non licuisset ipsi eam accipere in ea functione, in qua erat, et successoribus tradere, Quia singuli debent facere officia suae vocationis. Pastor debet docere, Rex gubernare exercitus, stipendia, bella, pacem corporum. Non est traditus gladius Pastoribus, sed Magistratui politico. Et Christus inquit: *Reges gentium dominantur, vos autem non sic.* Item Paulus: *Arma militiae nostrae non sunt carnalia.*

Non debuit igitur Constantinus autoritatem politicam in Imperio Occidentis tribuere Romano Episcopo: Nec Romanus Episcopus debuit recipere aut exercere, quamdiu tenuit ministerium.

Uterque suo loco debuit memor esse regulae: *Propria facite.* Hoc argumentum etiam illustre est: Quia nititur distinctione officiorum ordinata divinitus: Aliud est officium docendi Evangelii, aliud regendi politias.

Quod autem sequentibus temporibus Romani Episcopi occuparunt gubernationem urbis Romae, et magnae partis Italiae, id partim concessione seu donatione Ludovici Pii contigit, partim fraudibus Romanorum Pontificum factum est. Nam quod ex scriptura ausi sunt probare, Romanum Pontificem habere ius utriusque gladii: Idque sic scriptum est in constitutione Bonifacii VIII. Id non nisi vanissime et impudentissime dicitur, ut alibi copiosibus explicavimus. Nunc ista attigi, ut moniti iuniores occasione nominis, quod adscriptum est in fine Calendarii, et historias considerent, et recte discernant ministerium Evangelicum et potestatem politicam.

IN DIE CIRCUMCISIONIS DOMINI.

Evangelium Lucae 2.

Postquam consummati sunt dies octo, etc.

Agimus gratias aeterno patri, conditori coeli et terrae, et omnium creaturarum cum filio suo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, passo et resuscitato, et Spiritu S. effuso in Apostolos, quod clementer protexit nos anno praeterito: et veris gemitibus oramus, ut venientem annum facit faustum et felicem Ecclesiae, et hospitiis Ecclesiarum, et piis studiis, ac nobis, et vobis omnibus.

Quod certe debemus serio et ardenter petere, quia multa pericula impendent, et initia magnorum motuum in conspectu sunt. Multa etiam signa antecedunt, quae magnas difficultates minantur. Scimus autem filium Dei Ecclesiae custodem esse a Deo constitutum: Igitur ad eum confugiamus, et protectionem ac defensionem ab illo petamus, ut nos tanquam absconditos ad altare suum servet.

Istam precationem adolescentes veris votis et gemitibus hodie repetere debetis: Quia initia temporum, et actionum omnium inchoanda sunt cum invocatione, ut saepe repetimus versum dulcissimum Nazianzeni, qui omnibus debet esse notissimus: *ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποιεῖ θεόν*, *Sit principium et finis rerum omnium Deus.* Quemadmodum et Paulus inquit: *Omnia facite in nomine Domini,* id est, cum invocatione. Et 1. Cor. 10. *Omnia quae facitis, facite ad gloriam Dei.*

Quia vero habetur hic dies pro initio anni, primum illa usitata repetemus, quae ad considerationem temporum pertinent.

De Consideratione Temporum.

Estne pium discernere tempora, distinguere annos, constituere discrimina dierum?

Respondeo. Gen. 1. dicitur, *Luminaria condita esse in signa, in stata tempora, in dies et annos.* Vult igitur Deus observari tempora, et horum discrimina.

Contra. *Paulus prohibet observare dies et festa. Ergo diligentia ista numerandi et discernendi tempora est improbanda.*

Respondeo. Paulus prohibet superstitiosam observationem, quae non habet causam naturalem: aut non fit ordinis politici causa: aut non habet mandatum in verbo Dei. Quando Medicus observat dies criticos in curatione morborum, non est super-

stitio, quia habet causam naturalem. Sic discernere tempora, ordines externi, sive politici, sive Ecclesiastici causa, non est superstitiosum. Nec pugnat cum pietate considerare motus stellarum, et annos, menses et dies iuxta eos distinguere.

Quid est annus? Respondeo. Annus nominatur spatium, quo Sol peragrat totum Zodiacum, rediens ad illud punctum, a quo egressus est.

Unde nominatur annus? Respondeo. A circuiti, Graeca vox est ἐνιαυτός, cuius Etymologia pulchre significata est hoc versu:

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

Quae composita sunt ab *am*, significant circuitum. Sic annus et ambitus sunt idem, quod circulus, seu circuitus. Est et alia vox Graeca ἔτος, quae annum significat, a continuitate. Fortassis per metathesin ab Hebraeo *Schana* etiam deduci potest nomen Annus. Hebraei sic nominant a mutatione seu revolutione, quia annus annum perpetua serie sequitur: Et in anno variae temporum et rerum mutationes sunt et vices.

Quod est initium anni secundum primam et divinitus traditam et vere physicam rationem? Respondeo. Ab aequinoctio verno. Hoc fuit primum et physicum initium, quod servatum est in Ecclesia Iudaica. Postea gentes variaverunt sive aemulatione, sive studio disiunctionis, sicut plaerumque fieri solet, et nos iam videmus institui ritus contrarios, non dicam odio, vel aemulatione, sed tamen studio aliquo disiunctionis.

Primi patres inchoarunt annum a vere, seu ab aequinoctio vernali, et sic textus aperte dicit in Moise: *Iste mensis erit vobis Principium anni.* Fuit autem mensis ille, in quo celebratur Pascha. Aegyptii diversum fecerunt. His enim initium anni fuit in Augusto et quidem ante aequinoctium autumnale. Asiatici ipsum autumnale aequinoctium constituerunt initium anni. Graeci annum inchoarunt a solstitio aestivo, Latini a brumali solstitio. Haec fuerunt initia anni apud istas gentes.

Sed quia utebantur olim mensibus Lunaribus, sic intelligantur initia annorum, ut sciamus in prima Ecclesia inchoatum fuisse annum a novilunio, quod erat proximum aequinoctio verno.

Apud Aegyptios initium erat anni. Novilunium proximum ortui caniculae. Apud Asiaticos, Novilunium proximum aequinoctio autumnali. Apud Graecos proximum Novilunium solstitio aestivo. Apud Latinos proximum Novilunium solstitio brumali.

Quare annus distinctus est in menses? Respondeo. Ut possit computari: Quia in computatione oportet totum distribui in partes aliquas. Deus ipse voluit anni partes insigniri, distinctione mensium pulcherrimo ordine. Sed et Lunaris mensis habet suam variationem, quia Luna crescit et decrescit: Ideo sunt quatuor quadrantes, seu quartae in mense Lunari. Veteres omnia Novilunia, festiva celebrarunt, ut esset commonefactio de distinctione temporum. Conveniebant tunc homines in coetus publicos, et habebant sua quaedam exercitia in religione et sacrificiis. Atque inde est nomen Calendarum, videlicet a convocando, ἀπὸ τοῦ καλεῖν. Latini calare dixerunt, pro publice aliquid promulgare. Unde comitia calata sunt, id est, publice promulgata. Ovidius dicit, quod olim fuerint decem menses. Sed non puto, inter gentes eruditiores fuisse id usitatum.

Scriptura ostendit annum semper habuisse menses Lunares duodecim, et aliquot insuper dies Epactas seu Intercalares, qui collecti suo tempore inserebantur, et congruentia motus Lunaris et Solaris animadverti posset. Id facile probari potest ex historia Noe, quem textus ait ingressum esse arcam, Mense secundo, die 17. et egressum secundo Mense, die 27. anni sequentis. Scribit autem Moises annum unum Noe fuisse in arca. Ergo duodecim mensibus Lunaribus additi fuerunt dies decem, qui nominabantur Epactae, ut Lunaris annus congrueret ad annum solarem.

Ego saepe cogito aliquid mysterii nobis proponi in distinctione anni Lunaris et Solaris, quia Luna significat Ecclesiam. Sol significat Christum. Luna est suboscura, habet inperfectionem, et variationes suas, neque ita praecise congruunt motus. Christus facit additionem, complet ea, quae nobis desunt.

Nihil pulchrius est Sole, nec quidquam dulcius est, quam considerare motum Solis. Et quorsum condidisset Deus, nisi vellet observari?

In Ecclesia semper fuit haec doctrina nota. Primi patres observarunt motum Solis, Lunae, et aliorum planetarum. Nec quisquam debet esse tam agrestis et barbarus, ut cogitet distinctionem temporum non esse dignam observatione, sicut ille Doctor, cum in mensa Lutheri facerem mentionem doctrinae de coelestibus motibus, et dicerem, nos non posse carere Calendario, dicebat: Mei rustici sciunt, quando sit hyems, aut aestas, etiam sine Calendario. Ibi D. Martinus sedens e regione, me aspiciebat, existimans me aliquid durius responsurum esse. Ego dicebam: *Haec oratio non est digna doctore. Non est vox doctoralis.* Es ist ein unbeterlich rede. D. Lutherus postea ad me dicebat: *Ego metuebam duriorem responsionem, et certe dignus illa fuisset.*

Nemo sit ita efferus aut bestialis, ut temporum distinctionem divinitus ordinatam contemnat. Potius mirari debemus istam sapientiam Dei, quae lucet in toto illo opificio mundi, et in motibus luminum et stellarum, quibus etiam confirmanda est assensio

de providentia, et de primo illo articulo: Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem coeli et terrae.

Propter quas causas tradita est series annorum, et perpetuo conservata in Ecclesia?

Nulla gentium historia recitat annorum seriem tam exactam, ut historia Ecclesiae. Plurimae gentes prorsus amiserunt antiquitatis memoriam, ut dixi alias, de Platone fingente ante 10000 annorum fuisse alias Athenas multo pulchriores. Item de Aegyptiis, quos mirabilia finxisse de superioribus temporibus scribit Herodotus.

Quod igitur in Ecclesia servata est perpetua series annorum, hae sunt causae praecipuae: Primum, ut sciamus mundum coepisse et desiturum esse. Vult Deus sciri, quod mundus non fuerit ab aeterno, et quod generatio sit certi temporis, et tandem cessatura, et futurum iudicium, in quo Deus discrimen sit ostensurus piorum et impiorum, et postea futurus omnia in omnibus electis. Ibi enim plene communicaturus est nobis suam bonitatem in tota aeternitate.

Bonum est communicativum sui et congregativum et conservativum sui et aliorum, Sicut e contrario Malum est destructivum et dissipativum. Atque ideo creavit Deus initio homines et angelos, ut haberet creaturas, quibus se communicaret. Boves et aliae bestiae non intelligunt initia sui generis. Tales non simus nos in Ecclesia, quin retro cogitantes videamus aliqua initia humani generis et huius mundi visibilis.

Secunda causa est. Vult Deus sciri ordinem et seriem suarum patefactionum, quibus temporibus, et quibus testimoniis tradiderit verbum suum. Inde enim intelligi potest, quae sit vetustior doctrina, quando miserit Filium suum. Haec causa quotidie cogitanda est in recitatione symboli. In Daniele clare numerantur anni 490, Et dicitur Dominus venturus esse, in quarta Monarchia.

Tertia causa est, ut sciremus ordinem historiarum, quae acciderunt, non solum in Ecclesia, sed etiam in reliqua parte generis humani.

Huic causae cognata est consideratio utilitatis, quam affert temporum distinctio privatim quoque singulis in contractibus, et aliis negotiis. Quando venis in iudicium, oportet te afferre testimonia, quamdiu maiores tui tenuerunt hoc aut illud praedium: Denique late patet hic usus temporum familiaris et quotidianus.

Hunc usum Deus sanxit etiam pulcherrima illa vicissitudine dierum et noctium et partium anni, veris, aestatis, autumni, hyemis.

Unde dicitur Ver? Varro ait a virendo, quia tunc omnia virent. Sed ego credo ver esse a Graeco ἔαρ, quod est simpliciter Hebraicum. *Ijar* est Hebraeis mensis ille, qui nobis est partim Aprilis, partim Maius. Et nomen est ab herba, quia tunc herbescit terra, seu herbae erumpunt: Et ut poeta inquit: *Tunc est formosissimus annus.* Nos vocamus den Lentz a Glentz, quia splendor Solis tunc est gratus, vel quia terra splendet.

Aestas unde dicitur? ab aestu, von der hitz. et utrumque, aestus et Germanicum hitz est ab Hebraeo *Esch,* quod significat ignem. Apud Graecos etiam αἴθεσθαι, idem est, quod accendere seu urere

Autumnus est ab augendo, quia tunc fruges et arborum fructus colliguntur, Graeci vocant ὀπώρην, quia tunc poma maturuerunt.

Hyems dicitur ab ὕειν, id est, pluere. Nam Hyemem ordinavit Deus ad rigandam terram, et fovendam humiditate et frigore ex ardore aestivo. Aestatem vero ordinavit Deus, ut calor seu aestus excitet et maturet fruges.

Mirum est, quod ambitus ille Solis habet stellas accommodatas aestati aut hyemi, ut cum Sol venit ad Caniculam, augetur aestus. Multa autem irregulariter in vicibus illis temporum accidunt, quia turbantur tempestates, propter peccata hominum. Saepe etiam coniunctiones Planetarum in signis certis faciunt mutationem tempestatum.

Illi qui irrident doctrinam de motibus et effectionibus siderum, nihil aliud faciunt, quam quod sapientiam divinam, imo Deum ipsum derident. Mihi nemo persuadebit, pulcherrimum illud opus coeli, et ordinem qui in eo conspicitur, frustra esse conditum. Et quod quidam citant Lutherum, faciunt ei maximam iniuriam, Cum illorum quidam Lutherum vix viderint, aut parvam cum eo familiaritatem habuerint. Ego toties cum eo de hac re locutus sum, ut certo affirmare possim, reverenter eum de illo ordine sensisse. Et fuit mihi cum eo consuetudo annis 30 familiarissima. Isti indocti asini praetexunt nomen Lutheri, non studio veritatis, sed malitia ad captandam auram vulgi, quod sciunt delectari barbaricis clamoribus.

Appellationes mensium apud Hebraeos magis congruunt cum natura, quam aliarum gentium. Dixi antea de vocabulo *Ijar:* unde est fortassis nostrum herba, sicut facile fiunt mutationes in vocabulis diversarum linguarum. Iste Ijar fuit secundus mensis apud Hebraeos. Primum mensum vocarunt *Abib,* a spicis, quia tunc prodeunt spicae. *Thisri,* id est, septimus mensis, qui partim Septembri, partim Octobri nostro respondet, sic nominatur a musto. *Kisleu* nonus mensis ab Orione nomen habet. Haec nomina sunt optime constituta sive a stellis, sive a distinctione rerum nascentium ex terra.

Graecorum et Asiaticorum menses plerique nomina habent a sacrificiis.

Germanicae nostrae apellationes pleraeque a Latinis acceptae sunt. Jenner est a Ianuario, et Ianuarius est a Iano: quia Ion vel Iavan est pater Latinorum et Graecorum, et tamen veteribus Latinis non fuit primus Mensis Ianuarius.

Hornung dicitur ab horrore vel frigore, quia in Februario est horridum et asperum frigus. Latinis Februarius dicitur a Februis. Sunt autem Februa, sacrificia pro mortuis, quia olim mensis iste fuit postremus ante aequinoctium vernum

Mertz, April, Mey, rursus sunt Latinae voces, et Martius a Marte nomen habet, quem Romani coluerunt propter Romulum.

Aprilis est ab aperiendo terram.

Majus a Maja, quae est una ex Pleiadibus, et a Poetis fingitur mater Mercurii.

Brachmonat est ab aratione. Latinis dicitur Iunius a Iunone.

Hewmonat est a sectione foeni.

Iulius a Iulio Caesare est dictus, quem laudat Lucanus, quod inter proelia etiam consideraverit motus coelestes. In Aegypto quotidie ingrediebatur scholas Mathematicorum. Postea opera Sosigenis constituit rationem anni.

Augstmond rursus est a Latino nomine, et sic dicitur ab Augusto Caesare.

September est quasi septimus imber, id est, tempestas. Ita sequentes quoque menses, quemadmodum olim et Quintilis et Sextilis a numero, quo distabant a Martio, dicti fuerunt, qui olim anni initium erat.

Germanis Herbstmonat est ab initio autumni.

Weinmonat a vindemia.

Wintermonat ab initio hyemis.

Christmonat a nativitate Christi. Ita undecunque emendicarunt Germani nomina mensium.

Sed an non Iudaei etiam aliud habuerant initium anni, sicut ostendunt textus de anno Iubilaeo? Respondeo. Communis annus Iudaeorum habuit initium a vere. Et inde numerabantur festa. Alius erat annus oeconomicus, ad solvendas pensiones et mercedes. Is inchoabatur ab aequinoctio autumnali. Tunc enim fruges collectae erant, ex quibus dabantur dominis pensiones, ministris mercedes. Nam primae, aut certe praecipuae pensiones olim non tam pecunia, quam ex rebus nascentibus solvebantur: Unde est etiam nomen stipendii

Annus Iubilaeus inchoabatur a Septembri, in quo non fiebat sementis vel satio.

Haec debetis considerare, quae dixi de discrimine temporum, non tantum propter utilitatem in vita communi, sed omnium maxime propter gloriam et honorem Dei, qui est architectus illius pulcherrimi ordinis: Et qui valent bonis ingeniis, degustare debent doctrinam Astronomicam, quia Deus dedit hominibus artes illas, ut sint testimonia de Deo et providentia, ut Plato dulcissime inquit: *Grata de Deo fama sparsa est in artibus*, id est, Ipse ordo in numeris, in proportionibus, in motuum certitudine, in considerationibus physicis, in distinctione dierum et noctium, in vicibus aestatis et hyemis, Item ordo notitiarum in mentibus testatur, quod natura non confluxerit ex Atomis Democriti, sed quod sit mens architectatrix, sapiens et bona.

Etiam Paulus ait, *adeo prope adesse Deum, ut fere palpari possit.* Nec aliud, nisi clamores Diabolici sunt, cum haec testimonia de providentia Dei obruuntur. Amemus potius modestiam, et cogitemus de Deo autore totius naturae. Haec maior est sapientia, quam vociferari, et maledicere bonis artibus.

Ingressus sum autem in hanc commemorationem, quia initium anni more usitato inchoatur hoc die. Itaque et nos sic transigamus hunc diem, ut inchoemus annum cum precatione, et quadam solicitudine de cursu secuturo.

Futurum est incertum. τὸ μέλλον ἀεὶ ἀόριστον. Hac solicitudine magis accendi debemus ad invocationem. Sed invocatione simul debemus vincere solicitudinem, ut Christus dicit: *Nolite soliciti esse de crastino*, id est, non sit solicitudo diffidentiae, sed vincatur solicitudo invocatione et fide, iuxta praeceptum Psalmi: *Commenda Deo viam tuam et ipse faciet.* Debemus intelligere nostra pericula, et tamen orare, ut possimus effugere ventura mala.

Postquam autem de consideratione temporum dixi, ad hunc finem, ne iuventus exemplo indoctorum contemnat doctrinas vitae utiles, nec blaspheme ordinem divinum in natura institutum maxima cum sapientia Dei: Nunc de Circumcisione dicemus.

De Ritu Circumcisionis.

Nonne tibi videtur mirum esse, tale sacramentum, seu ritum talem institutum esse, ut amputetur pellicula in ista parte corporis, quam Deus alioqui, et natura vult tegi et abscondi? Cogitate de Abrahamo, qui natus fuit annos 99, quando circumcisus est, et ipse circumcidit multos senes. Rationi videtur hoc stulte fieri, et omnes gentes miratae sunt, aut potius deriserunt istum ritum, quem Iudaei affirmabant divinitus institutum esse. Poetae exagitant propter hunc ritum Iudaeos, quos nominant Apellas, Verpos, recutitos, a resectione cutis.

Herodotus scribit, se in tribus locis invenisse circumcisionem: in Aegypto, in Syria, et Colchica. Id non est intelligendum de totis gentibus, sed Iudaeis, qui in istis locis habitarunt. Herodotus vixit tempore Xerxis post Darium, id est, circa illa tempora, quando iam populus ex captivitate redierat in patriam. Fuit Herodotus coaetaneus Esdrae, sicut Homerus fuit coaetaneus Esaiae. Unde facile iudicari potest, doctrinam Ecclesiae esse antiquiorem.

Inter Graecos Herodotus est vetustissimus scriptor in soluta oratione: Et lustravit varia loca, ut in peregrinationibus illis cognosceret et conscriberet res veras. Non est fabulosa eius historia, ut quidam dicunt, qui nunquam legerunt. Recte dicitur in versu:

Μηδέποτε κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσῃς.

id est, *nunquam sinas iudicare virum ignarum.* Et tamen plerumque fit, ut qui rem aliquam ignorant, aut nunquam recte didicerunt, plurimum iudicare velint.

Scribit igitur Herodotus, se in Aegypto invenisse circumcisionem: Quia multi Iudaei ibi habitabant, et iam olim fuerant hospites in Aegypto. Erat Aegyptus vicina regio Palaestinae. Iudaei multas res acceperunt ab Aegyptiis praesertim frumenta. Rursus Aegyptii acceperunt a Iudaeis vina, olea, dactylos, et similes fructus. Nam in Aegypto non nascitur vinum, et ibi primum cerevisia est inventa propter copiam frugum. In Iudaea et Phoenicia fuerunt optima vina, ut et hodie bona vina nascuntur in terra sancta.

Quod in Syria reperit circumcisionem, id referendum est ad totam gentem Iudaeorum, quam Herodotus existimavit esse partem Syriorum: Alii scriptores, cum non scirent originem gentis Iudaicae, scripserunt Iudaeos fuisse partem gentis Aegyptiacae vel coloniam Aegyptiorum, ut est apud Iustinum et Strabonem.

Sed quare dicit Circumcisionem fuisse in Colchica? Respondeo. Quia decem tribus fuerunt dispersae per Assyriam sub Salmanassar et Sennacherib, et inde coloniae sunt deductae in loca illa circa Colchicam. Ibi reliquiae istae decem tribuum vicinae fuerunt nostris hominibus, Henetis, et Tuisconibus, den Wenden vnd Teutschen. Ac fieri potest, ut Iudaei fuerint ductores nostrorum hominum, ut inde irent in loca septentrionalia. Semper multum Iudaeorum fuit apud nostros maiores, quos consentaneum est aliquid doctrinae ab illis accepisse. Et propterea plus disciplinae et gravitatis fuit apud Tuiscones, quam apud caeteras gentes.

Cornelius Tacitus miratur apud veteres Germanos tantum fuisse iustitiae, castitatis, hospitalitatis, quantum vix fuerit apud aliam gentem. Et si extarent libri Plinii de Germanis, certius aliquid affirmare de eorum moribus possemus. Fortassis suppressi sunt libri ab Italis, qui inviderunt gloriae vicinae gentis.

Quaero, an pertinuerit circumcisio ad omnes homines?

Respondeo. Non pertinebat ad omnes homines, sed tantum ad illam posteritatem Abrahae. Ioseph in Aegypto non ursit circumcisionem, quia sciebat esse signum posteritatis Abrahae, et non aliarum gentium, et quod Messias nasciturus esset ex gente Iudaica, non ex aliis gentibus.

Sed Pharisaei postea extulerunt ceremoniam illam. Dixerunt hominem propter illam habere maiorem gratiam, et ad alios non circumcisos non pertinere Dei gratiam. Hunc errorem Dominus ipse taxat: *Vae qui circumitis mare et terram, ut faciatis unum Proselytum.* Reprehendit eos, quod non doceant de fide, sed tantum de externis cultibus et operibus. Debebant docere alios homines, ut amplecterentur doctrinam de Messia, crederent sibi remitti peccata propter Redemptorem: Docerent obedientiam moralem in hac fide exercendam esse: Istos vero ritus non pertinere ad ipsos, quia non sint eis mandati, et Deum velle discerni posteritatem Abrahae a reliquis gentibus.

In Actis Apostolorum nominantur tria genera hominum, quae venerint ad solennes conventus Iudaeorum. Israelitae, Proselyti, et viri religiosi. Israelitae erant nati ex posteritate Iacob. Proselyti, id est, advenae nominabantur, qui ex gentibus erant conversi, non solum ad doctrinam de Deo, quae erat in illo populo, sed etiam ad ritus. Hi sponte recipiebant circumcisionem. Sed viri religiosi amplectabantur doctrinam veram in illo populo, et invocabant Deum Israelis, sed sine circumcisione, sine ritibus Iudaicis.

Tales omnibus temporibus multi fuerunt. Nec dubium est, factam esse dispersionem Iudaeorum, ut subinde multi ex gentibus converterentur. Nam Deus quanquam delegerat sibi posteritatem Abrahae, tamen nunquam prohibuit, quin possent recipi reliquae gentes, sicut in Genealogia Christi sunt mulieres extraneae, Rahab et Ruth.

Iudaei adhuc hodie ex opere operato fingunt valere circumcisionem, lacerant adhuc et cruentant praeputia puerorum, quia fingunt hoc opus et hunc cruciatum esse sanctitatem et cultum Dei. Turci quoque retinent circumcisionem, quia iactitant se esse ab Abraham. Sed estne instituta circumcisio, ut esset cruciatus? Respondeo. Non, sed ut esset signum promissionis, quae data fuit Abrahae. Hic igitur ad principales doctrinas veniemus.

Ad quam rem novam, seu ad quod novum beneficium confirmandum data est Abrahae circumcisio? (Quaero de causa institutionis: Non est enim ritus tantum intuendus, seu opus externum,

a quo abhorrent homines verecundi, praesertim seniores: Sed alia fuit res magna, per hunc ritum significata.)

Respondeo. Antea fuerat dictum: *Semen mulieris conculcabit caput serpentis.* Haec promissio venturi mediatoris adhuc vagabatur in toto genere humano, sine determinatione seu circumscriptione certa. Ideo quaeri poterat: cuius mulieris erit semen? ex qua gente? ubi terrarum nascetur? qualis erit liberatio ista? Nunc igitur hic articulus, fidei instituitur, qui est novus articulus, scilicet quod ad circumstantiam attinet, videlicet: Venturum illud semen, seu Redemptorem illum nasciturum ex posteritate Abrahae.

Sequentibus temporibus fit maior restrictio. Iacob dicit ex Iuda: et quidem tunc, cum finis politiae istius instabit. Iterum fit nova restrictio, quando Davidi datur promissio, quod ex posteritate ipsius nasciturus sit Messias. Michaeas etiam mentionem loci facit, quia Deus voluit Ecclesiam esse certam, ubi esset expectandus redemptor ille.

Hinc igitur sumatur responsio ad quaestionem, cur instituta fuerit circumcisio, et quid opus fuerit tam accurate celebrare ceremoniam tam absurdam rationi, Cum quidem aliae quoque ceremoniae divinae fuerint illustriores? Adam, Abel, Seth suas quoque ceremonias habuerunt, et, de Seth dicitur: *Iste coepit invocare nomen Dei,* id est, restituit cultum Dei, habuit testimonia divina, habuit ceremonias, docuit de Deo. Cur ergo scriptura circumcisionis meminit cum tali pompa, quasi de re magna et gravi ageretur?

Respondeo. Hoc fit propter illum novum articulum, quod promissio iam pertineat ad certam stirpem, imo etiam ad certum locum, sicut Dominus Abrahamo dixerat: *Ego dabo tibi terram hanc.*

Quoto anno mundi instituta est circumcisio? Respondeo. Anno bis millesimo quadragesimo quinto instituta est circumcisio, sicut invenimus in usitatis computationibus accuratissime compositis: Praeterierant duo millia annorum, quo tempore patres contentos esse oportuit promissione illa generali: *Semen mulieris conculcabit, etc.* Iam vero excitat Deus Abrahamum, elegit personam certam, cuius posteritati alligat primam promissionem. Vixit tum adhuc Sem filius Noe.

Haec diligenter consideranda sunt, ut sciamus, quid novi factum sit, cum circumcisio data est, et quid in hac praecipue fuerit institutum. Mundus intuetur circumcisionem tanquam, rem ridiculam, sed nos debemus intueri voluntatem Dei declaratam in promissione.

Cur autem institutum est hoc signum in illa parte corporis, quae servit generationi?

Respondeo. Principalis causa est, quia promissio loquitur de semine, ideo signum debuit esse commonefactio de illo obiecto promissionis. Nam Sacramenta sunt signa Verbi. Ideo debent convenire cum Verbo seu promissione. Mersio vel ablutio in Baptismo significat ablutionem peccatorum. Sumptio corporis et sanguinis Christi est testificatio, quod inseramur corpori Christi, vivificemur per filium Dei, efficiamur membra corporis eius.

Secunda significatio fuit, quod haec natura nostra sit praecidenda, id est, quod propter peccatum sit destinata morti, imo quod haec carnalis generatio sit desitura, Et tamen quod vitam oporteat restitui per illud semen benedictum.

Tertia causa fuit, ut homines monerentur, quod Deus vellet eos reverenter uti semine: Nam peccata seminis sunt valde horribilia in genere humano, quae attrahunt magnas et tristes poenas.

Suntne homines iusti circumcisione? Respondeo. Paulus dicit, Abraham antea fuisse iustum, sed accepisse circumcisionem, ut esset σφραγὶς, id est, sigillum, quod commonefaceret eum de promissione, et confirmaret in eo fidem. Ita nos in usu Sacramentorum nostrorum debemus admoneri de promissione Evangelii, et scire, quod donatus sit nobis Christus, et quod placeamus Deo, et habeamus remissionem peccatorum propter mediatorem, non propter illud opus aut ritum.

Deus ab initio statim post lapsum recepit primos homines, edita promissione Evangelii, quia Ecclesia constituitur voce Evangelii, non constituitur tantum voce legis. Lex est etiam gentibus nota, etiamsi in Ecclesia magis intelligitur lex. Ita postea mansit Ecclesia tantum in ea parte generis humani, quae conservavit memoriam promissionum.

Fuit autem Abrahae temporibus Ecclesia redacta in angustum. Ideo Deus immensa bonitate eam restituit, renovata promissione, et Abrahae tradita: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Item. *Ero Deus tuus et seminis tui post te.* Quibus verbis pollicetur se collecturum esse Ecclesiam ex posteritate Abrahae.

Annon erat etiam Deus gentium? certe iudicabat gentes. Sicut omnium gentium peccata Deus punit universaliter: Quare igitur dicit, Deus eorum.

Respondeo. Loquitur de principali beneficio, de misericordia, qua Deus vult recipere eos in Ecclesiam, remittere peccata, restituere iustitiam et vitam aeternam.

Ego ero Deus eorum, id est, non solum ero iudex eorum, ut gentium, declarans iram meam adversus peccata, sed etiam excerpam ex illis multos, qui erunt membra Ecclesiae, quos salvos faciam in omni aeternitate. Est autem oratio simul intelligenda correlative seu reciproce. Illi me vicissim agnoscent.

Sed quomodo magis agnoverunt quam gentes?

Respondeo. Ille populus agnoscebat Deum ex promissione, invocabat verum Deum conditorem,

qui se patefecerat data promissione de filio. Apprehendebant igitur in promissione illa, patrem promittentem, et filium promissum, et per ac propter hunc sciebant dari Spiritum sanctum, qui est spiritus sanctificationis, ut Paulus loquitur.

Aliae gentes aliter disputarunt de Deo, ut Plato, Aristoteles, Xenophon, sapientissime philosophantur de Deo, et notitiae naturales discernentes honesta et turpia, et externa iudicia (quod atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis etiam in hac vita) movent sanos homines, ut fateantur esse mentem conditricem rerum. Sed hoc non est satis, Quia quando veniunt calamitates, perturbatur animus hac dubitatione: Nescio, an Deus curet me. Experior esse mentem iudicem, sed ego habeo peccata, quomodo ergo me recipiet? Verum promissio illa tollit dubitationem, *Ego ero Deus eorum*, hoc est, volo te recipere, salvare, donare iustitia et vita aeterna.

Secundum hanc promissionem, quae est vox Evangelii, oportet Deum agnosci, quod velit recipere propter filium. Sic igitur promissio illa spiritualis facit discrimen inter posteritatem Abrahae et alias gentes.

Nihil dubium est, quin infantuli nati in illo populo, etiam qui moriebantur ante circumcisionem, fuerint membra aeternae Ecclesiae, quia promissio dicit: *Ero Deus eorum.* Postea adulti profitebantur hanc fidem suam, et magis magisque applicabant sibi promissionem.

Nos in Ecclesia novi Testamenti habemus similes promissiones: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui credit in filium, habet vitam aeternam. Sic Deus dilexit mundum.* Haec promissio propria Evangelii constituit Ecclesiam, et accipiens promissionem est vere membrum aeternae Ecclesiae Dei.

Quando in conversione erigis te consolatione per has promissiones, tum vere apprehendis filium Dei, et accipis bona, per eum, et propter eum promissa: Ut sunt remissio peccatorum, imputatio iustitiae, Spiritus sanctus, haereditas vitae aeternae. Hic consensus promissionum, quae sunt traditae Abrahae, et quae nobis nunc proponuntur, considerandus est diligenter, ut sciamus unam et eandem promissionem esse omnibus temporibus in Ecclesia, nisi quod promissio Abrahae tradita fuit de venturo Domino: Nostrae sonant de exhibito.

Fuerunt autem ad Abraham additae etiam promissiones corporales: ut, *dabo tibi terram hanc,* Quia Deus voluit ante exhibitum Messiam esse certam gentem, et locum, ubi nasciturus esset Messias, ubi esset conspiciendus, audiendus, passurus, et resurrecturus. Hae circumstantiae loci et temporum tunc fuerunt determinandae.

Nos non habemus promissionem de sede certa. Habemus quidem nos etiam corporales promissiones: Verum non speciales, sed generales, sicut Paulus dicit: *Pietas habet promissiones huius et futurae vitae,* id est, Deus vult servare Ecclesiam in hac vita, sed non dicit, in quo loco, sed alicubi in genere humano. Item Christus inquit: *Pater vester coelestis scit, quibus opus habeatis,* Et idem iubet nos quoque petere panem quotidianum. Item expressissima vox est: *Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis.*

Hae sunt promissiones de praesentibus bonis necessariis. Sed haec dissimiliter dantur, quia Deus vult nos intueri promissionem aeternam. Et tamen quia vult Deus Ecclesiam esse in hac vita, iuxta dictum: *Non mortui laudabunt te Domine:* ideo curat, ut alicubi habeat domicilia, et victum mediocrem.

Etiamsi non sumus tam opulenti, quam Abraham, sufficiat nobis, quod Deus servat nobis promissionem: *Dabo eis Doctorem, et panem arctum, et aquam cum tribulatione,* id est, servat Ecclesiam, quanquam subiectam cruci. Abraham ipse et eius posteritas sero admodum venit in possessionem terrae Chanaan, videlicet, cum Israelitae iam essent reducti ex Aegypto. Interea tamen Abraham retinuit principalem promissionem, quae est spiritualium bonorum.

De impletione legis per Christum.

Iam sequitur etiam doctrina de lege, quia circumcisio testatur, quod filius Dei sit subiectus legi. De hac subiectione inquit Paulus, Gal. 4. *Christus factus est sub legem.*

Stancarus abutitur hoc dicto, disputans Christum esse mediatorem tantum secundum humanitatem. *Tantum corpus,* inquit, *circumciditur: Ergo Christus tantum secundum humanam naturam est subiectus legi.*

Respondeo. Subiectio sub legem plura complectitur, quam circumcisionem. Comprehendit enim totam humilitatem filii Dei, Et quanquam non sensit ὁ λόγος dolorem et cruciatum ut natura humana: tamen humanitatem sibi fecit propriam, et serio voluit hanc obedientiam, quam in humanitate praestitit aeterno patri.

Sed obiicit Stancarus etiam hoc ex dicto Pauli: *Si subiectio sub legem intelligeretur de Christo, etiam secundum divinitatem, sequeretur, illam personam etiam secundum divinitatem esse creatam, quia factum esse, est esse creatum.*

Respondeo. *Γίνεσθαι* non significat semper *ποιεῖν* aut *κτίζειν*, id est, condere, creare, fabricare. Et *γενόμενον* quod Paulus hic ponit, venit a *γίγνεσθαι* quod saepe usurpatur pro gignere, et generaliter significat, quoquo modo aliquid ab alio esse vel aliter se habere, sicut Germani dicunt werden. Iohan-

nis 1. dicitur: Gratia et veritas per Christum facta est. Ist worden. Et 1. Corinth. 1. Christus factus est nobis a patre sapientia, iustitia, sanctificatio, et redemptio.

Non significat autem factum esse sub legem, accipere tantum circumcisionem, vel observare saltem sua, sed observatio externa rituum est signum subiectionis sub legem. Christum autem subiectum esse legi, est eum fieri reum pro nobis, et sustinere poenam legis.

Lex maledicit nobis omnibus, iuxta illud: *Maledictus omnis, qui non fecerit quaecunque scripta sunt in libro legis.* Sed haec maledictio translata est in filium Dei, id est, ira in eum est translata, quia ipse sustinuit poenam, quam postulat lex a nobis, et eius passio est aequivalens pretium, cum ipse sit innocens. Id Paulus dicit his verbis: *Ut nos redimeret a maledictione legis.* Utitur verbo *ἐξαγοράσαι*, quod est pretio certo emere, kauffen, ut significet ipsum solvisse pro nobis pretium, et propter illam satisfactionem nos recipi.

Ad hanc ergo subiectionem sub lege significandam, debuit Christus circumcidi, non quod ipse natus esset in peccato, aut quod in ipso esset natura vitiosa, sicut in caeteris, sed quia derivaturus esset in se iram Dei adversus nostra peccata. Significatur igitur ipsum praecidi et abiici propter nos. Et haec est principalis causa, cur circumcidi voluerit. Deinde accedunt aliae causae.

Ista circumcisio est testimonium, quod natus sit ex posteritate Abrahae.

Item testatur, quod voluerit esse membrum Ecclesiae in isto populo: Imo principaliter debuit servire in ministerio, huic populo, quia missus est ad istum populum, ut in eo doceret, et in illo templo, quod unicum erat in hoc populo, Etsi non prorsus voluit alligatus esse ad hoc templum, sed alibi quoque saepe docuit. Non fuit autem licitum, docere in templo, vel etiam in synagogis, eum, qui non erat circumcisus.

Sed et baptizari postea Dominus voluit, quia voluit etiam membrum esse nostrae Ecclesiae. Est autem revera una Ecclesia: Nam diversitas signorum non facit diversas Ecclesias.

Ecclesia omnium temporum est consociata verbo et agnitione veri Dei, et illis bonis aeternis, quae offeruntur in verbo. Nec recte argumentatus est Marcellinus contra Augustinum:

Deus est immutabilis.
Vestra religio est mutata, quia alii fuerunt ritus post Abraham, alii ante Abraham, alii post Apostolos.
Ergo religio Christiana non est divina.

Respondeo ad Minorem. Religio est mutata, scilicet, quia signa differunt, quorum mutationem Deus ipse praedixerat, et ordinaverat. Deinde unitas Ecclesiae non est in ritibus illis, sed est in verbo, et in societate rerum seu bonorum aeternorum.

Moneat autem nos exemplum Christi, ne seiungamus nos a ministerio. Non putemus esse Christianum, contemnere ministerium, et Sacramenta, sicut multi magnam prophanitatem ea in re ostendunt, quam falso dicunt libertatem esse. Sancti aggregant se ad ministerium, amant, venerantur, adiuvant ministerium, et utuntur Sacramentis.

Haec mementote de causis circumcisionis Christi: Ex quibus sciatis primam esse principalem, quod Christus factus sit sub legem.

Addam igitur alterum quoque dictum illud, quod ad doctrinam de subiectione Christi sub lege pertinet: *Non veni solvere legem, sed implere.*

Quid significat solvere legem?

David committens adulterium violat legem, sed non solvit. Nam solvere legem est abolere legem, ne sit, aut habeatur amplius pro lege, ut apud Spartanos olim fuit lex, ut nummo ferreo uterentur. Postea haec lex est abolita. Coeperunt uti nummo aureo et argenteo. Hoc est solvere legem, ita ut non sit amplius lex.

Fuit lex Pontificia, ne Sacerdotes haberent coniuges. Nostrae Ecclesiae solverunt illam legem, id est, docent legem eam non valere, et nihil esse.

Ita Graeci loquuntur *λύειν νόμους*, tollere legem, et poenam. Christus hic loquitur de lege divina, et hanc affirmat se non solvere, sed implere velle.

Contra: *Tamen abolet, quia non servamus circumcisionem, non mactationes sacrificiorum?*

Respondeo. Lex ceremonialis et forensis est abolita, et poenae illarum legum. Mortuae sunt leges illae, et non sunt amplius leges. Sed loquitur Christus principaliter de lege morali: Etsi recte quoque dici potest, Christum legem moralem quoque eatenus solvere, quatenus credentibus in ipsum sublata est poena aeterna.

Quomodo ergo implet Christus legem?

Respondeo. Quatuor modis implet. Primus modus est, quia ipse perfecte praestat obedientiam, de qua lex concionatur. Ipse est filius Dei, et est imago aeterni patris. Ideo lucet in ipso, sapientia et iustitia Dei: perfecte agnoscit et diligit patrem, et obedientiam ei praestat magis, quam omnes creaturae.

Secundus modus, Implet legem satisfaciendo pro nobis, id est, derivando in se iram adversus omnium hominum peccata: utrumque autem nobis donatur: Obedientia ipsius et satisfactio. Sumus iusti propter ipsum, imputata nobis ipsius iustitia, quam praestitit in agendo et patiendo.

Tertius modus est. Christus implet legem restituendo in nobis legem, quod fit in hac vita in-

choatione, et postea consummatione: Quia cum fide iustificamur, et fide accipimus consolationem, tunc inchoatur in nobis nova iustitia, seu obedientia per Spiritum sanctum: Incipimus aliquo modo agnoscere Deum, et in eo vera fiducia acquiescere, et aliquo modo ei obedire, quanquam haec omnia sunt valde languida, Imo quo maior est quisque, ut Abraham vel Paulus, eo magis deplorat suam infirmitatem. Est tamen aliqua inchoatio: Et erit consummatio in vita aeterna, quam expectamus.

Ita Paulus dicit: *Legem stabilimus per fidem*, quia non tantum donat nobis Christus suam iustitiam et satisfactionem, sed ipse est in nobis efficax per Spiritum sanctum: Sanctificat nos sua sapientia, et Spiritu suo fulgente in nobis. Haec non fiunt per tabulas legis, sed ipso nos vivificante.

Quartus modus. Implet sanciendo et confirmando doctrinam, quia ipse etiam dicit, haec opera, quae sunt praescripta in lege, placere Deo, et alia non placere. Dicit displicere Deo vagas libidines, placere castitatem, et coniugium.

Hoc ergo dictum mementote diligenter, et scitote verum intellectum sententiae istius omnibus hominibus esse necessarium, sicut revera est unum ex principiis doctrinae Ecclesiae: Et declarant se mutuo, hoc dictum Christi, et quod antea ex Paulo citavi, quod filius Dei subiectus sit legi.

Recipit Deus immensa misericordia genus humanum, sed non remittit peccatum ex levitate, et futilitate. Vere et horribiliter irascitur peccato, idque in eo ostendit, quia non voluit placari, nisi filius satisfaceret. Haec ita magna sunt, ut nulla creatura penitus intelligere possit. Sunt tamen initia et elementa discenda, postea in vita aeterna plenius discenda erit haec sapientia, imo in tota aeternitate non poterimus exhaurire considerationem temperamenti iustitiae et misericordiae in Deo.

Postremo addenda est doctrina de applicatione. Haec fit fiducia huius filii in vera conversione. Totum hoc bonum, quod filius Dei est subiectus legi, quod ipse implet legem, id est, quod satisfacit pro nobis, et in nobis restituit, oportet a nobis fide apprehendi, oportet nos certo statuere, quod Christus pro nobis sit factus sub lege, quod impletio illa legis sit nobis donata, sicut alibi inquit Paulus: *Factus est pro nobis peccatum, ut nos fieremus iustitia Dei in ipso.*

Quid est hoc? *Factus est peccatum*, id est, hostia pro peccato, seu quiddam reum, et damnatum. Hoc tam magnum est, ut nulla creatura possit comprehendere. Efficimur autem nos *iustitia Dei in eo*, primum imputatione, ut nos reputemur iusti, et simus accepti propter ipsum. Postea inchoatione, ubi tamen semper manet hoc, quod placemus propter illum Dominum nobis donatum, qui est summus Sacerdos semper interpellans pro nobis.

Haec consolatio debet manere firma, et non est obruenda, ut nunc Osiander disputat de iustitia essentiali. Quo magis crescunt sancti in novitate, eo magis crescit in eis agnitio sordium, atque eo magis fides indiget consolatione illa, quod aeternus pater sit nobis propitius propter filium. Tandem sequetur consummatio, de qua Paulus inquit: *Nos expectamus spem iustitiae*, id est, illam integram conformitatem cum lege, quae in hac vita per efficaciam filii Dei est in nobis inchoata.

De numero dierum Anni.

Aegyptii gloriati sunt, quod haberent flumen Nilum, cuius literae continent dies anni. Sed in Germania Menus eundem numerum dierum reddit, si scribatur Graecis literis.

Ν	50		
Ε	5	*Μ*	40
Ι	10	*Ε*	5
Λ	30	*Ν*	50
Ο	70	*Ο*	70
Σ	200	*Σ*	200
Summa 365 dies.		Summa 365 dies.	

Forma precationis dictata a D. Phil. Melanthone Calend. Ianuarii 1560.

Ipse Deus sapiens verbo qui cuncta creavit,
Et certis annum legibus ire iubet,
Efficiat nobis veniens sit faustus ut annus
Et clemens dextra nos tegat ipse sua.
Et quoniam gnatum misit, qui colligat agmen,
Cuius sit doctor, vita, caputque, *λόγος*.
Hic *λόγος* aeterno natus patre, semper adesse
Et custos nobis, et caput esse velit.
Viribus humanis non est Ecclesia tuta,
Regum praesidiis fortibus orba caret.
Sed nostram indueris cum miro foedere massam
Gnate Dei, semper nos tua membra regas.
Et facias, tecum nos unum ut simus in avum,
Vera laude tuus quo celebretur honos.

De dicto Iustini.

Iustinus inquit: Christus est nobis lex. Sed loquitur tantum de Ceremonialibus. Christum significarunt ceremoniae, et Christo exhibito cessarunt ceremoniae, Quia, cum habeamus rem significatam, non indigemus umbris legis. *Pascha nostrum*, inquit Paulus, *immolatus est Christus.* Credere in Christum est celebrare Pascha.

Hoc voluit dicere Iustinus. Sed potest dictum illud pulchre accommodari ad modos, quibus Christus, partim pro nobis, partim in nobis implet legem. Propter obedientiam et satisfactionem Christi remittitur nobis peccatum, et imputatur iustitia. Deinde per Christum dato Spiritu sancto inchoatur in nobis vita aeterna. Ita Christus est nobis lex, etiam de morali lege loquendo.

DIE EPIPHANIAE.

Evangelium Matth. 2.

Cum Iesus natus esset tempore Herodis, etc.

De appellatione festi.

Quid significat Epiphania? Respondeo. Epiphania generis foeminini, ἡ ἐπιφάνεια significat apparitionem seu patefactionem, Ein erscheinung. Sed Epiphania generis neutri τὰ ἐπιφάνεια est nomen festi: usurpatur in plurali, sicut Saturnalia. In Calendariis nominatur festum Magorum, der Obersten tag. Credo mutilatum esse ex Germanica voce erscheinen, sicut ostern per syncopen est ex voce aufferstehen, quod aliqui dicunt vbrstehn. Estque metathesis literarum saltem, in his vocibus Germanicis vbrstehn et ostern.

Multi existimant Graecam appellationem ἐπιφανείας accommodatam esse huic festo, propter apparitionem stellae. Sed ego existimo, non tam propter Magos et stellam eis exhibitam, quam propter patefactionem divinitatis in baptismo Christi nomen huic diei inditum esse a veteribus. Magorum festum primum coepit, quando fabula illa prolata fuit, quod tria corpora Magorum ex Mediolano translata essent Coloniam. Quidam sacrificulus cum interrogaretur, quid esset Epiphania, dixit fuisse mulierem quandam, quae fuerit nutrix Christi. Putavit esse nomen proprium, ut si nomines Euphemiam. Sed est appellativum. *Φαίνω* Graecis est ostendo, unde est et *φῶς* lumen. Et Epiphania, a Divinitate monstrata in baptismo Christi.

De Magis.

Quid significat appellatio Magorum? Respondeo. Magi sunt Sacerdotes Persici. Aliae gentes aliis nominibus sacerdotes suos nominarunt. Sed Persae sacerdotes suos proprie nominarunt Magos. Sed postquam illi exercuerunt malas artes, seu dediti fuerunt malis artibus, nomen honestum Magorum translatum est ad impostores, et alios, qui pactum habent cum Diabolo.

Nam vitiis hominum vocabula transferuntur in deteriorem partem, scilicet propter abusum rerum, quae per se erant bonae, ut nomen Mathematicus per se est honestissimum et sanctissimum, sicut res est honesta. *Μάθημα* enim est idem quod Disciplina. Sed quia multi praetextu mathematum exercuerunt malas artes, translatum est nomen mathematicorum ad impostores.

Sic Sophista olim significavit Einen schulmeister, docentem in schola. Sed quia multi profitebantur cavillationes inanes, et ineptias, coepit nomen transferri ad malos, qui corrumpunt veritatem in artibus.

Herodotus inquit de Magis: *Non licet Persis sacrificium facere sine Mago, nec sibi ipsi privatim soli licet bona a Deo precari. Magus autem omnibus Persis simul, et Regi inprimis bona precatur.*

Non dubium est nostros maiores fuisse olim vicinos Persis, et hodie dicunt esse ibi simile genus armorum, similem figuram hominum, et corpora Persarum maiora esse, et robustiora caeteris orientalibus. Nomen Persae puto esse a Peres, id est, aquila. Cyrus usus est in vexillis suis, aquila. Postea Alexander potitus Imperio Persico etiam aquilam in vexillis habuit. Tandem etiam Imperatores Romani coeperunt uti aquila.

Nomina Magorum conficta, Melchior, Balthasar, Caspar.

Nostri homines ex Magis fecerunt reges. Fortassis Iudaeus aliquis, ut vexaret nostros homines, nomina eis confinxit: Etsi fieri potest, ut nomina ista sumpta sint ex aliquo poemate, cuius poematis autor forte dedit eis haec nomina, ut significaret, quod imperia debeant coniuncta esse cum Ecclesia: Et quod Regna bene constituta oporteat esse talia, ut sint in illis personae idoneae ad gubernationem. Sunt autem nomina haec: Melchior, Caspar, Balthasar.

Melchior est a melech et or, id est, rex Lucis seu rex illustris. *Caspar* aliqui deducunt a Gaza, ut sit thesaurarius. Credo potius significare scribam. *Balthasar* est a Baal Dominus, et Sar, militia vel exercitus, quasi dicas, Dominus militiae. Unde est etiam nomen Belisarii.

Regmina debent esse talia, ut Rex, vel Princeps, vel Dominus, sit illustris sapientia et virtute. Debet agnoscere Deum et ornatus esse luce di-

vina. Quod cum fit, vere talis est, ut dicitur in Psalmo: *Ego dixi vos Dii estis.* Nero non est Melchior, id est, Rex illustris virtute, seu illuminatus luce divina, sed cloaca Diaboli.

Postea duo sunt officia summa in omni aula. Curia Die Cantzeley oder Rhatstuben, id est, senatoria gubernatio, et militia. In Cancellaria conduntur, proponuntur, enarrantur, ac retinentur leges. Militia servit defensioni: Quia etsi Deus autor Imperiorum, ipse defendit illa, tamen vult per homines tanquam per media agere. Ac recte in prooemio Institutionum dicitur: *Imperatoriam maiestatem non solum legibus armatam, sed etiam armis decoratam esse oportet.* Et sic in versu Homeri dicitur, quo versu Alexander Magnus valde delectatus est:

ἀμφότερον βασιλεὺς ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.
Erat utrumque, rex bonus, et fortis bellator.

Nomen *βασιλεὺς* magis ad pacis tempora pertinet, quam ad bellum. Belli ducem veteres nominarunt *στρατηγόν*. Grammatici deducunt nomen *βασιλεὺς ἀπὸ τοῦ βιβάζειν τὸν λαόν.* Einer der das volck ordnet, qui populum ordinat, collocat, firmat legibus et iudiciis. Sic igitur secundum Homeri versum Princeps debet primum esse bonus gubernator in pace, et iudex iustus. Postea debet esse *αἰχμητὴς*, bellator, hastam gerens, hoc est, talis, qui possit esse clypeus populi: Sed redeo ad nomina Magorum.

Existimo Casparis nomine significari Cancellarium, Balthasaris appellatione Marschallum, seu magistrum equitum, seu Capitaneum belli. Tota autem gubernatio debet adiuncta esse Ecclesiae, servire gloriae Dei, et benefacere piis membris Ecclesiae. Rex Melchior: Cancellarius Caspar: Capitanei Balthasares, debent servire Christo, tegere, iuvare, fovere Ecclesiam. Iste est summus finis regiminum. Ideo Esaias ait: *Reges erunt nutritores tui,* id est, praebebunt hospitia, victum, defensionem Ecclesiae. *Et Reginae erunt nutrices,* hoc est, Respublicae, urbes, civitates, Politiae.

Haec sunt puerilia, et tamen digna consideratione, Et possunt accommodari ad materias graves, et maxime necessarias. Qui accessuri sunt aliquando ad gubernationem, debent haec cogitare, quia Deus graviter punit Principes, et Respublicas negligentes Ecclesiam.

Apud Aristotelem est bona definitio Magistratus, etsi brevis est: *ἄρχων ἐστὶ φύλαξ τοῦ νόμου.* *Magistratus est custos legis,* Est imago Dei in terris. Lex enim est sapientia Dei, et magistratus est viva vox legis, quam debet sonare in genere humano, et exequi. Id vero nos in Ecclesia accommodare debemus ad primam et secundam tabulam Decalogi. Magistratus debet curare, ut homines recte doceantur de Deo. Postea etiam debet tueri et fovere communem consociationem, ad hunc finem, ut tegatur Ecclesia, et foveatur.

Unde venerint Magi.

Evangelista dicit, Magos venisse ab Oriente. Aliqui dicunt ex Saba eos venisse, propter vaticinium Esaiae 60. *De Saba venient, aurum et thus deferentes.* Et Psal. 72. *Reges Arabum et Saba dona adducent.* Sed sive ex Sabaea venerint, sive ex vicina Persia, ut ego existimo, non multum interest, quia Persiae proxima fuit Sabaea, et Sabaei sunt Arabiae Felicis populi, quae velut Chersonesus est inter duos sinus, Arabicum et Persicum. Ptolomaeus Sabam Metropolin collocat in Arabia Felici ad gradum longitudinis 76., latitudinis 13.

In Persia Metropolis fuit Susa, ubi Daniel fuit praefectus. Habet nomen sive a rosa, sive a lilio, quia ibi fuit magna amoenitas. Historici nominatim dicunt, Reges Persarum ita distribuisse aulas, ut aliis atque aliis locis essent diversis temporibus. Initio aestatis propter amoenitatem erant in Susis ad amnem Eulaeum celeberrimum, cuius mentionem facit Daniel. Longitudo Susae est graduum octuaginta quatuor, Latitudo 34. Unde distantia ab Hierosolyma facile colligi potest, cuius longitudo fuit 66 graduum: Latitudo triginta unius, et dimidii. Undecunque ergo profecti fuerunt, sive ex Saba, sive ex Susa, non pauciora, quam 200 milliaria, conficienda eis fuerunt, Hierosolymam usque.

Ego puto ex Persia eos venisse, et fuisse reliquias ex schola Danielis in Susis, ubi Daniel multos docuit. Credo Magos istos retinuisse doctrinam Danielis, et sicut norant verum Deum, et sciebant Messiam venturum esse in populo Iudaico: Sic scivisse etiam aliquid de tempore, quod Daniel constituit, cum nominat 70 hebdomadas annorum, id est, annos 490. a reductione populi, seu extructione templi usque ad passionem Christi. Non dubito fuisse Magos istos, homines sanctos, custodes doctrinae Danielis, Praeterea etiam doctos, qui inspexerunt coelum, et potuerunt iudicare de stellis.

De Stella Duce Magorum.

Non cogitate tantam inscitiam olim fuisse, ut hoc tempore. Quotusquisque nunc est, qui sciat, quae stella sit nova, aut non nova, et quomodo una stella ab alia distinguenda sit? Magi isti intellexerunt, ex loco, non esse stellam firmamenti, neque Planetam, quia superiores illae stellae

in octava Sphaera, et in sphaeris Planetarum, propter maximam distantiam non possunt indicare humilem locum in terra. Viderunt autem Magi se et itinera sua regi et duci stella illa, imo etiam hanc stellam se praecedere, et stare super diversorium Mariae.

Ex stellis firmamenti non potest sumi praecise linea, quae monstret certum locum seu unam aliquam certam domum. Et Planetae sunt intra Zodiacum, illa autem stella apparuit extra Zodiacum, et processit alio motu. Fuit igitur aliquid sub Luna, in aere, ut ex vicino posset indicare etiam breve illud spatium, quod est inter Hierosolymam et Bethlehem.

Chrysostomus dicit fuisse angelum, quod mihi non displicet, quanquam fieri potest, ut stella fuerit, quam vexit seu duxit Angelus. Nec inconcinna est haec sententia, quod fuerit et angelus, et stella, id est, lux in qua vel apparuit angelus, quasi amictus illa luce, vel quam rexit et duxit angelus.

In summa fuit phasma divinitus ostensum, seu lumen aliquod creatum, incurrens in oculos, in modum stellae: Unde Magi iudicare potuerunt, aliquid singulariter novi exortum esse, sicut et digressi Hierosolymis dicuntur laetati esse rursus illius conspectu.

Deus saepe facit in aere apparitiones in prodigiis, imo etiam Diabolus facit multa phantasmata, ut saepe istis annis prodigiosae apparitiones multae fuerunt in aere, quae ostenduntur a Diabolis, fortassis etiam a bonis angelis, qui possunt tales species formare, Exempla multa commemorare possem, ut cum prope Schmideberg conspecta est cerva stans in monte, et magnus exercitus dimicans. Deinde Solis species visa est, quasi in partes duas dissecta. Item conspecti sunt primum in aere equites, postea rustici cum clavis, ac tandem turris, ad quam et homo erat hauriens aquam, ita ut posset agnosci esse aquam. Postremo virum illum insecutus est magnus Draco. Priores duae species, id est, equites et rustici cito evanuerunt. Reliquae species diu praebuerunt se conspiciendas. Visae sunt hae imagines eo ipso tempore, quo foedus Schalmaldicum sancitum fuit, ac mihi videtur exitus foederis significatus esse.

De Dicto Micheae.

Bethlehem quid significat?

Respondeo. Domum panis. Alio etiam nomine vocatur Ephrata, id est, locus foecundus seu fertilis. Fuit ibi plus agrorum, segetum, frumenti. In reliquis locis Iudaeae asperioribus et saxosis multum fuit olei. Fuit autem Bethlehemitica regio attributa stirpi Iesse, et posteritati Davidis. Ideo nominatur quoque civitas David.

Iam cogitemus, illos quoque fuisse homines doctos, qui Micheae sententiam hanc esse intellexerunt, quod in Bethlehem nasciturus esset Christus. Nos legentes locum Micheae, fortassis ita tantum intelligeremus, quod Messias ex posteris Iudeae et semine David sit venturus, et ex Bethlehem educturus exercitum, quia Bethlehem est praecipuum oppidum in tribu Iuda, et antiqua sedes patrum Davidis. Verum illi, etiam de nativitate Messiae, quod in Bethlehem nasciturus esset, Micheam intellexerunt, ac puto eos ex sermonibus antiquorum didicisse, quae esset sententia prophetae, sicut omnibus temporibus multi viri sancti retinuerunt multorum dictorum scripturae sententiam ex patrum sermonibus.

Tales sermones a patribus acceptos nominarunt Cabalas. Nec dubium est, fuisse multas bonas sententias, etsi postea admixtae sunt nugae et imposturae, sicut fit in multis rebus, ut in vera Alchimia: Chimus est humor seu liquor, et chimia est fusio. Al est articulus Arabicus. Vera alchimia est in illis locis, ubi sunt venae metallicae, ut in Valle Ioachimica, et in aliis locis metallicis, ubi excoquuntur magnae massae auri, argenti, plumbi, et aliorum metallorum. Sed postea est inventa quaedam sophistica impostura, quae hodie nominatur alchimia. Ita inter Cabalas multae sunt bonae sententiae, traditae a maioribus posteritati, sed saepe sunt additae ab aliis sententiae phantasticae.

Non fuit hoc vulgare concilium, in quo sancti viri ediderunt confessionem suam. Dixerunt, in Bethlehem nasciturum Messiam. Conciliarunt loca Esaiae, et Davidis, cum dicto Micheae. Nam Esaias et David dicunt Messiam proditurum esse ex Sion: Micheas ait egressurum esse ex Bethlehem. Haec videbantur inter se pugnare. Sed ex antiquis scholis prophetarum, quorum enarratio mansit apud posteros, sumpserunt conciliationem horum dictorum. Sicut semper in Ecclesia ex sermonibus antiquis quaedam intelliguntur, quae alias non intelligerentur, ut cum in Evangelio Iohannis dicitur: *In principio erat verbum*, Demosthenes non intelligeret significari personam. Sed nos scimus hanc interpretationem congruere cum consensu scriptorum, et hanc sententiam accepimus inde usque a temporibus Apostolorum. Ideo verba Iohannis nobis sunt planiora.

Ita isti sancti viri, inter quos puto fuisse Zachariam, Simeonem, et alios, qui acceperant doctrinam a prophetis, et horum discipulis, sciverunt ex illis ipsis prophetarum interpretationibus, locum nativitatis fore Bethlehem, sed locum praedicationis, passionis et resuscitationis fore Ierusalem, quae

non pertinebat ad tribum Iuda sicut Bethlehem, sed ad tribum Beniamin.

Cogitemus etiam, hos sanctos, fuisse viros fortes ac constantes, quod ausi sunt dicere Herodi, Messiam in Bethlehem nasciturum esse, Et haud dubie iam percrebuerat fama, Messiam natum esse. Videntur enim haec facta esse anno uno aut altero post nativitatem Christi. Erat Herodes infestissimus hostis. Et tamen non tergiversantur isti in edenda confessione. Sic Deus dat semper aliquos, qui recte intelligunt doctrinam, et qui constanter perhibent testimonium veritati. Sed alias plures, alias pauciores tales sunt, alias plus, alias minus lucis habent, ut etiam Papisticis temporibus fuerunt multi recte sentientes, qui duriter tractati sunt propter veritatem, ut Ioannes Hus, et Hieronymus Pragensis, in Constantiensi concilio combusti sunt, quia crassos errores quosdam taxaverant. Et Ioannes Hilden in urbe Isanaco est mortuus in carcere. Denique semper servat Deus aliquos in Ecclesia, qui veram sententiam confitentur. Subinde etiam excitat rursus lucem verae doctrinae.

Valetne argumentum?

Oportuit Christum nasci stante Bethlehem.
Ergo non est alius Messiae expectandus.

Respondeo. Valet a connexis, et quidem loquitur de Bethlehem, quae est pars politiae Iudaicae, Sicut Micheas nominat parvam inter Principes Iuda. Multo igitur firmius de tota politia concludi potest:

Messiam oportuit nasci stante politia quae iam pridem eversa est.
Ergo Messias certo advenit.

Bethlehem quae nunc est, est spelunca latronum Arabicorum.

Sed hic cavillantur aliqui, Matthaeus non dicit sicut Propheta: *Tu es parvula*, Sed, *tu nequaquam es minima.* Haec est puerilis cavillatio. Matthaeus volens inseruit illud *Nequaquam*, ut laetitiam Spiritus sui significaret: Quod etsi oppidum illud Bethlehem videretur parvum esse in specie, tamen nunc ornatum seu celebre factum sit maximo dono et gloria, quia ibi natus sit Messias, et multi ibi conversi: quasi diceret: Tu Bethlehem es magna vel gloriosa hoc beneficio, quod ex te nascitur Messias.

Et pertinet hoc ad significationem: Ecclesia est parvula corpore, item misera et aerumnosa, coram Deo tamen est gloriosa, pulchra inter filios hominum.

Hodie pulcherrima civitatum in toto genere humano est Venetia, politice loquendo, quia ibi est pulcherrima politia. Et quanquam Monarchia est nomine, tamen regimen est penes senatum, et revera est Aristocratia: Nam Venetorum Dux non habet fere maiorem potestatem, quam alii Senatores. Ut Rector Academiae, sic Dux Venetorum habet ius convocandi Senatum, sed non concludit sine senatu. Est illa Aristocratia ornata iustitia et legibus, et habet tantam potentiam, ut uni aut alteri regi possit esse par. Roma hodie non est ita ordinata legibus. Est ibi confusio magna, et tyrannis. Aliae civitates Italiae, ut Florentia, Mediolanum, Genua, sunt oppressae servitute, non sunt Aristocratiae.

Iam quaero, uter status tibi magis placeret, status parvi alicuius oppidi, florentis doctrina coelesti, et mediocri regimine politico, an vero Venetiarum? Ut si cogitemus de vicino oppido Schmideberg, quod est oppidum pusillum quidem, sed tamen in quo est Ecclesia, recte docens et invocans Deum, nec publice stabiliens idola, ut fit Venetiis. Etsi enim in urbe Veneta quoque sunt homines recte sentientes, tamen publice stabiliuntur idola et horribiles confusiones dogmatum, Et interficiuntur ab inquisitoribus multi pii homines.

Sic Colonia Agrippina est urbs ampla et locuples, sed est ibi persecutio adversus sanctos, et defensio publica idololatricorum cultuum, ut hoc ipso die, quantum est ibi impietatis? Gloriantur, corpora Magorum ex Parthia Mediolanum, inde Coloniam esse translata, et praetextu horum corporum exercent magnam idololatriam, fit concursus hominum superstitiosorum, et invocatio idololatrica. At Witteberga, aut aliud oppidum, ubi est Ecclesia consentiens, et non stabiliuntur idola, multo est pulchrior civitas, quia habet summum illud decus propter quod celebrationem merentur urbes.

Ita credo Evangelistam ex laetitia spiritus inseruisse negationem: *Nequaquam es minima*, quasi dicat, Bethlehem corpore est parva, sed est magna donis divinis, et erit gloriosa in tota aeternitate.

De Muneribus, quae obtulerunt Magi.

Iam Magi dicuntur obtulisse *aurum, thus, myrrham*, id est, res valde pretiosas. Fuerunt igitur divites: et Deus voluit isto modo curare victum Mariae. Thus et myrrha potuit magno vendi. Fuit autem Mariae opus viatico, quia statim postea coacta est fugere. Plerique sancti in Iudaea erant oppressi a tyrannis, et exiguum forte dare potuerunt. Vocat tamen Deus ex Persia vel Arabia locupletissimos homines, qui instruant Mariam, Ioseph, et puerum exulantes viatico.

Hic mementote dictum Psalmi: *Leones esurierunt, timentibus autem Dominum non deerit ullum*

bonum. Noster textus habet: *divites esurierunt,* sed in Hebraeo est *leones,* qui significant magnos Reges. Demetrius fuit Leo et victor Seleuci, et tamen vicissim in Seleuci manus venit. Ibi esurit, id est, vivit alterius beneficio. Quam multos vidimus Reges et Principes hoc tempore venisse in potestatem victorum? Erat Franciscus Rex Gallicus potens et magnus, et tamen captus est ab exercitu Caroli Quinti. Contra, Deus pascit Ecclesiam suam et eripit ex magnis periculis. Dat nobis viaticum non ad luxum et profusiones, sed quantum satis est, ut dicitur Germanico illo proverbio: Ist es nicht scheffelicht, so ist es doch lefflicht, hoc est, si non est modius plenus, saltem cochlear rerum necessariarum suppeditatur piis.

Haec prima causa oblationis donorum praecipue est consideranda, et pertinet hoc ad Regulam: *Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis.* Postea consideretur etiam, quid munera ista significent.

Aurum significat doctrinam, vel potius puritatem doctrinae et fidei: Hanc debemus nos in Ecclesia ante omnia offerre Deo. Thus significat invocationem, confessionem, et gratiarum actionem, quia fuit mandatum in lege divina, ut suffitus et fumigatio fierret thure. Hoc quod nos habemus in templis vel myropoliis, est thus adulterinum, ut etiam est duplex piper. Antverpiae sunt integrae cellae, plenae adulterino pipere, quod miscetur vero piperi ad decipiendos homines, ut solent κάπηλοι.

Unde venit hoc vocabulum? a καχίζειν et οἶνος. Qui vina corrumpunt, faciunt illa deteriora, vel est a καχίζειν et πῆλος, ut sit, ex vino facere coenum. Latini κάπηλον vocant Cauponem, id vocabulum est a Cupa, quod significat ein stübicht, id est, mensuram exaequantem quatuor cantharos. Paulus inquit: non sitis *Cauponantes,* id est, adulterantes verbum Dei. Prohibet falsam doctrinam miscere verae doctrinae. Fumus thuris ascendit, sic etiam ascendere debet invocatio.

Myrrha significat crucem. Nomen est a Mar Hebraeo, id est, amarum, ut myrrha sit gutta vel lachryma amara. Adhibetur in medicationibus ad prohibendam putrefactionem in vulneribus. Est in historiis, quod Reges Persici gestarint coronas ex myrrha. Fortassis hoc significatum est, reges paratos esse debere ad vulnera accipienda, et onera multa subeunda propter subditos. Debent fortiter praeliari, non fugere vulnera propter defensionem subditorum. Ut autem myrrha prohibet putrefactionem, ita crux est salutaris, et purgat multas sordes peccatorum. Haec mysteria pulchrum est considerare.

Alii sic exposuerunt: Datum est Christo Thus ut Deo, cui debetur invocatio, aurum ut Regi, myrrha ut passuro. Haec expositio etiam non est mala. Sed venio iam post haec Grammatica, ad locos doctrinae.

Ii sunt quatuor, Complectar enim saltem Principales doctrinas.

De primo loco.

Primum observanda est testificatio de nato Messia. Deus vult esse certitudinem doctrinae de Messia. Ideo addit testimonia. Et Apostoli voluerunt ea mandare literis, ut nos confirment de isto Domino exhibito. Non solum Maria testis est, quae scit se virginem esse, et Ioseph, qui audivit concionantem Angelum, item pastores, Simeon, Hanna, Zacharias, Elizabeth. Sed veniunt etiam hic ex Oriente testes, quibus novam stellam Deus exhibuit. De his testimoniis cogitantes, colligamus animo caetera ab initio mundi facta, ut eductionem populi ex Aegypto, resuscitationes mortuorum, et similia. Quae omnia sunt testimonia de doctrina Ecclesiae, et de Messia, quorum consideratione Spiritus sanctus confirmat intus in cordibus nostris fidem, et illorum praedicatione colligitur Ecclesia.

Non recitantur ab Evangelistis omnium nomina, ad quos fama nati Messiae pervenit, vel qui potuerunt esse testes. Sed hoc Matthaeus praecipue agit in hac historia, ut tale testimonium nobis proponat, quod ostendat, etiam homines, non in Iudaea, vel ex Israelitis natos, sed Persicos vel Arabicos, id est, Ethnicos accessisse, ut essent testes. Et Deus vult ita colligere Ecclesiam, ut exaudiatur in mundo, et conspiciatur aliquo modo. Non vult esse abditam in speluncis. Et quanquam testimonia divina, non omnia sic conspiciuntur, sicut victoriae et triumphi Alexandri et Iulii vagantium per totum orbem habitatum, tamen his, qui pie et reverenter illa considerant, non sunt obscura.

De secundo loco.

Secunda doctrina est descriptio personae Messiae de dicto Micheae: *Et tu Bethlehem Iudae nequaquam es minima in Principibus vel multitudinibus vel civitatibus Iuda.* (Haec enim eadem sunt *Ex te egredietur, qui sit dominator in Israel.* Et ut intelligatur, de quo dominatore loquatur, non de Davide, qui ante aliquot secula praecesserat, sed de Messia, addit Propheta: *Cuius egressio est ante dies mundi.* Haec breviter dicuntur, sed sancti recte intellexerunt, et nos possumus dextre interpretari ex doctrina Evangelii.

Describitur duplex generatio Christi. Generatio in carne est ex Bethlehem, id est, ex posteris Davidis, et ex eo loco, qui fuit sedes parentum Davidis. Altera generatio est in Divinitate, id est, filius ante dies mundi nascitur a patre, est λόγος et εἰκὼν aeterni patris, per quem λόγον est condita creatura et qui immediate missus est ad Ecclesiam ex genere humano colligendam et salvandam.

Est igitur eadem sententia hic tradita, quae in Evangelio Ioannis: *In principio erat verbum per quod omnia facta sunt, et verbum caro factum est.*

Micheas fuit paulo ante Ieremiam: Nec diu post eius aetatem, regnum Israel prorsus destructum est. Vult igitur dicere Micheas, se non loqui, vel de Davide qui mortuus sit, vel de alio novo rege, qui habiturus sit regnum politicum in Israel. Sicut etiam post Salomonem nullus fuit, qui omnes Israelitas sub se habuerit, et regnum Samariae, quod nominabatur regnum Israel, post abductionem decem tribuum nunquam fuit restitutum. Loquitur autem Micheas de tali dominatore, qui sit Messias promissus, qui totum populum, seu totam Ecclesiam ex genere humano rursum colliget. Ita non solum personam, sed etiam officium, et beneficia Messiae describit.

Vult sciri hunc Dominum esse coaeternum patri, et fuisse ante conditionem rerum, seu ante omnes creaturas, qui tamen tandem venturus sit ex Bethlehem, natus ex virgine Maria, quae est ex Davidis posteritate. Item hunc Dominum esse eum, per quem promissa sit benedictio, remissio peccatorum, et restitutio vitae aeternae, per et propter quem simus iusti, qui sit efficax, habitet in nobis, sustentet et gestet Ecclesiam sua manu, gubernet et sanctificet nos Spiritu sancto suo. Non enim loquitur de momentaneo Dominatore, aut de politia brevis temporis, ut Iudaei imaginabantur, sed de Dominatore, qui habiturus sit aeternum regnum, qui tollet peccatum et mortem, et restituet iustitiam et vitam aeternam.

Fiat autem applicatio huius doctrinae ad nos. Sciamus nobis datum esse hunc filium, et esse eum omnipotentem, et nobis quoque velle dominatorem esse.

In Germanico redditum est nomen Dominatoris per vocem Hertzog. Ea vox significat Ductorem exercitus, seu eum, qui est in administratione militiae. König a sciendo, quasi dicas sciens vel sapiens, kündig. Vel est a Germanico kün confidens. Latinum est a regendo, quod fit discernendo iusta et iniusta, defendendo iustos, et prohibendo violentiam et scelera.

De tertio loco.

Tertia doctrina est de vocatione gentium Deus omnibus temporibus vocavit aliquos ex gentibus ad societatem Ecclesiae. Nec dubium est: dispersionem decem tribuum Israel, et exilium tribus Iudae, attulisse gentibus hanc utilitatem, ut multi ex eis converterentur ad verum Deum, et amplecterentur promissiones de Messia. Sic enim conversi sunt, Nabuchodonosor, filius eius Evilmerodach, Darius Medus, Cyrus, Reges quatuor praestantissimi, et praedicatione Danielis, cui Deus addidit illustria testimonia doctrinae, ut cum tres viri servati sunt in camino igneo, et Daniel inter leones. Et consentaneum est multa talia accidisse in Babylone, etsi non omnia sunt scripta.

Iam cogitate, quid sit vocatio gentium, et quam doctrinam contineat. Quid norant enim illi vocati ex gentibus? An oportebat eos esse circumcisos, et servare ceremonias Mosaicas?

Respondeo. Non. Sciebant enim Prophetae, Ecclesiam aeternam fore, cui Deus communicaturus esset suam bonitatem in tota aeternitate, et quod propter filium Messiam omnes electi habituri essent remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti, et vitam aeternam, et sciebant hic inchoari novam obedientiam, iuxta legem aeternam, quae est Decalogus, et hanc inchoationem placere Deo, praelucente fide. Haec docebant inter gentes. Non onerabant eas ceremoniis Mosaicis, non cogebant ad circumcisionem, quam sciebant propriae pertinere ad semen Abrahae, ut discerneretur a gentibus, et esset testimonium, quod ex semine Abrahae venturus esset Messias.

Quicunque ergo ex gentibus invocabant Deum patefactum in populo Israel, id est, verum Deum, qui missurus esset filium salvatorem, ii membra erant Ecclesiae Dei, etiamsi non servabant ceremonias Moisis. Satis eis erat, quod tenebant doctrinam fidei de Mediatore, et Decalogum. Statuebant se gratis propter Mediatorem salvari, et studebant praestare Deo gratitudinem in cultibus spiritualibus, et obedientia morali.

Tales fuerunt a Prophetis recepti, Nabuchodonosor, Darius Medus, Naëman Syrus, Et in novo Testamento, Cornelius, et Centurio ille apud Matthaeum. Tales fuerunt etiam hi Magi, ex reliquiis scholae Danielis, qui memoriam doctrinae propheticae conservarunt, et commonefacti ista stella, (fortassis etiam aliis revelationibus ornati, sicut saepe multae significationes concurrunt, etiam in rebus minoris momenti) testantur hac longa profectione sua, quod crederent in Messiam, et essent membra Ecclesiae Dei.

In Actis Apostolorum nominantur viri Religiosi, qui ex Ethnicis conversi erant ad Deum

patefactum in Israel, qui tamen non fuerunt circumcisi, nec servabant alias ceremonias Iudaicas, etsi saepe accidit, ut aliqui ex Ethnicis etiam sponte acciperent circumcisionem, qui nominantur apud Mattheum, et in Actis, Proselyti.

Sed non fuit hoc necesse, urgere apud Ethnicos, ut videmus Danielem concionari Regi Nabuchdonosor, nulla facta mentione circumcisionis, aut ceremoniarum Iudaicarum. Et Rex ipse, cum aliquamdiu fuisset furens (ut Hercules, et multi alii excellentibus naturis praediti tetro et horribili furore saepe opprimuntur singulari quadam poena divina) Postea vero cum precante pro eo Ecclesia, Daniele, et aliis piis, rursus convaluisset: Edictum proponit, in quo et conversionem suam ad Deum recitat, et iubet subditos agnoscere hunc esse verum Deum, qui praedicetur a populo Israel, omissa mentione ceremoniarum, Quia sciebat hanc sapientiam: gentes non esse obligatas ceremonialibus Moisis, modo retinerent doctrinam legis Moralis, et intellectum promissionis, datae isti populo de venturo Domino, propter quem Deus reciperet genus humanum. Sic credo multos ex nostris maioribus conversos esse ad Deum.

Hinc vero discamus agnoscere magnitudinem immensae misericordiae Dei, quod colligit Deus Ecclesiam ex toto genere humano, Praesertim cum gentes pollutae fuerint horribilibus idolis et flagitiis. Cum Apostoli venerunt Romam, ut ibi colligerent Ecclesiam, quid fuit turpius Roma, cui tunc praeerat Nero, cuius scelera plurimos alios invitarunt ad similem audaciam? iuxta versus:

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.
Utque Ducum lituos, sic mores castra sequuntur.
Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Plerumque ita fit: Quales sunt Principum mores, tales sunt mores populi, et plus est, quod Prophetae dicunt: *Qualis sacerdos, talis populus*, quia sacerdotes magis esse debebant exempla virtutum. Facile igitur cogitari potest, quantum turpitudinis Romae tum fuerit, imo in maxima parte generis humani, quando Apostoli sunt missi ad gentes. Quantae igitur misericordiae est, quod ex hac miserrima massa contaminata horribiliter, et ex turpissima et inquinatissima parte generis humani Deus sibi Ecclesiam colligit?

Simul autem cum de gentium vocatione dicitur, comprehendatur etiam haec doctrina, quod recipiamur, non propter legem, non propter nostra bona opera aut merita, sed propter filium Dei, fide, gratis. Haec est valde necessaria doctrina, et consolatio, quod Deus gratis recipiat homines propter filium mediatorem, et inchoet in eis vitam aeternam, dato Spiritu sancto, et quod velit agnosci se esse hunc verum Deum, qui misit filium, et sic velit exaudire et salvare homines, et non aliter, scilicet, si credant in Christum. Cum autem et nos vocati simus ex gentibus, agamus huic vero et vivo Deo gratias et celebremus hanc immensam gratiam, et hac fide excitati invocemus eum. Laetemur, quod nos quoque immensa misericordia Dei recipiamur propter filium, et sciamus, in hac fide Deum velle sic coli, et in omnibus adversis hanc consolationem firmiter retineamus.

De quarto loco.

Quartus locus est de conditione Ecclesiae, quae et ubi et qualis sit in mundo. Erat hoc tempore, quo Christus natus est, Ecclesia in populo Israel, Maria, Ioseph, Elizabeth, Zacharias, Hanna, Simeon, et alii similes. Multi autem sancti alibi fuerunt, partim sub Romanis, partim sub Regibus Persicis, qui tunc non fuerunt subditi Romano Imperio, partim etiam in Germania, partim multis aliis in locis. Et quanquam non erant omnes in illo angulo Palaestinae, tamen respiciebant ad vocem Prophetarum, et doctrinam in hoc populo traditam.

Ita Ecclesia semper est dispersa in multas regiones sub diversis Imperiis: Nec cogitandum est, Ecclesiam esse corpus politicum alligatum ad unius gentis leges et iudicia: Qualem Ecclesiam Papa finxit, alligatam ad suas traditiones, quas qui non teneat, non possit esse membrum Ecclesiae Dei. Quod si omissio ceremoniarum Moisis, quae divinitus traditae erant, non attulerunt necessitatem omnibus, quanto minus nunc Ecclesia alligata est ad easdem traditiones humanas?

Ostendit etiam exemplum illius temporis, Ecclesiam esse: etiamsi hi, qui sunt in successione ordinaria, et titulum Ecclesiae habent, non sunt vera Ecclesia. Ut tunc Pontifices, et Pharisaei non erant Ecclesia. Ita licet nobis hodie dissentire a Papistis, qui palam stabiliunt idola, et sunt persecutores verae doctrinae.

Non moveamur, quod contra nos clamitant, se esse Ecclesiam, se esse audiendos. Imo ipsi non sunt vera Ecclesia, quia crassos errores et idololatriam manifestam defendunt. Ideo necesse est, nos ab iis discedere, et edere confessionem contrariam, iuxta has regulas: *Fugite idola.* Item, *Nolite communicare alienis peccatis.* Item, *Oves meae vocem meam audiunt, alienum vero non sequuntur.*

Nec vero pendet Ecclesia ex ordinaria successione, quam quidem et falso sibi arrogant Papistae. Qualis enim est illa successio ordinaria, quando Episcopatus venduntur, emuntur, nec doctrinae, sed ambitioni tantum serviunt? Granvellanus

solebat dicere: *Tria sunt quae in Gallia efficiunt seu evehunt Cardinales, Rex, pecunia, et meretrices.*

Haec certe non est ordinaria successio, obtrudi Ecclesiae hominem impium, ignarum religionis, nihil curantem doctrinam et salutem Ecclesiae.

Memini fratrem Ducis Henrici Brunsvicensis Georgium Episcopum Mindensem, et postea Bremensem, (qui erat bonus Princeps, et valde beneficus erga pauperes) dicere aliquando: Ego sum factus Episcopus, cum essem adolescens: pater meus putabat satis esse, si haberem ditionem, unde viverem, non sum adhibitus ad studia, et tamen debeo praeesse Ecclesiae.

Idem conquerebatur optimus Princeps Hermannus Coloniensis Archiepiscopus in extrema senecta, quod non educatus esset in studiis, qui tamen, cum pervenisset ad agnitionem Evangelii, studiose hoc agebat, ut fieret reformatio Coloniae.

Haec igitur non est vera successio ordinaria, intrudi quoquo modo in Episcopatus, per venditiones, emptiones, et largitiones. Et tamen propter talem successionem arrogant sibi Papistae possessionem verae doctrinae, et in Synodis rapiunt ad se autoritatem praetoriam, vel regiam in controversiis diiudicandis.

Sed prophetia, id est, interpretatio doctrinae est donum, non est ex successione ordinaria. Synodus non habet potestatem regiam in iudicando et interpretando, sed tantum debet esse testis, sonans veritatem congruentem cum verbo Dei. Ita in concilio isto Hierosolymitano, ad quod vocati sunt multi viri sancti, confessio facta est de sententia vaticinii Micheae. Non est aliquid novi prolatum, pugnans cum verbo Dei. Sic universaliter Synodi iudicium, est testimonium, et confessio singulorum, quid sentiant, et hoc testimonium valet non propter autoritatem loci, sed si congruat cum scriptura.

Potestas praetoria vel regia est potestas in iudicando, determinans et interpretans legem, ita ut interpretatio valeat propter autoritatem loci seu ordinis. Sed Synodorum in Ecclesia iudicium, non propter autoritatem loci valet, sed propter scripturam, si cum illa consentiat.

Etsi autem non describitur ab Evangelistis, quid tentarit Herodes contra viros illos sanctos, qui tam aperte professi fuerant, Messiam nasciturum esse in Bethlehem, tamen persecutio adversus Magos narratur, et post discessum illorum, in pueros Bethlehemiticos. Postea Magi etiam domum reversi, cum profiterentur fidem suam de Messia, derisi sunt a collegio suorum sacerdotum, aut etiam persecutionem passi sunt a tyrannis, qui volebant tollere occasiones ex populo turbandi, et movendi aliquid propter Messiam, sicut ob hanc ipsam causam Herodes incitatur a Diabolo, ut cogitet tollere Messiam, et Magos, qui testati fuerant de eius nativitate.

Servat tamen Deus Magos ab insidiis Herodis, et iter illorum sic gubernat, ut per aliam viam reducat eos, ne sint ministri, et organa tyranni. Sic semper custodit mirabiliter Ecclesiam. Ac mihi non minus miraculum, quam resuscitatio Lazari, videri solet, quod Maria et aliae foeminae praestantes forma, illis temporibus, quibus vagabantur pessimi homines in Iudaea, manserunt intactae et incolumes, quantumvis Diabolus eis insidiaretur, sive scivit, sive suspicatus est, Mariam esse matrem Messiae.

Denique ut Magi afferunt dona Mariae, et infantulo, quibus incommodum fuisset peregrinari sine pecunia, ita Deus prospicit Ecclesiae de victu, dat hospitiola et casulas. Cogitemus etiam Magos dedisse didactra pro doctrina, quam audierant a Maria et Iosepho. Ita scire debemus, Ecclesiae et Doctoribus fidelibus deberi didactra, sicut Paulus inquit: *Qui eruditur seu instituitur, communicet instituenti bona sua*, et alioqui necessarium est officium gratitudo. De allegoria munerum dixi antea, sed pertinet ea ad hunc quoque locum, in quo dicimus de Ecclesia. Nam in sola Ecclesia colitur Deus agnitione verae doctrinae, Item invocatione et confessione, et tolerantia in cruce. De Christo peculiariter fuit praedictum, quod non debuerit putrescere caro ipsius, sicut Psalmus inquit: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, id est, putrefactionem.* Sic igitur, cum de Christo loquimur, myrrha inter alia significat, quod corpus eius non sit putrefactum, sed manserit incolume. Hoc ad superiorem allegoriam addatur, in qua dictum est, quod aurum Christo sit oblatum ut regi, thus ut Deo, myrrha ut homini passuro.

DE BAPTISMO CHRISTI.

Matthaei 3.

Tunc accessit Iesus a Galilaea ad Iordanem, ut baptizaretur a Ioanne.

Veteres diem Epiphaniae nominarunt, non tam propter stellam, quae apparuit Magis, quam propter divinitatem monstratam in Baptismo Christi. An eodem die haec patefactio sit exhibita, quo Magi ducente stella venerunt ad Christum, relinquo in medio. Quidam dicunt eundem quoque diem fuisse, quo Christus in nuptiis fecit primum miraculum. Sed non puto hoc congruere cum historia

Evangelica, Quia Christus miraculum istud fecit in Cana Galilaeae: Baptizatus est in Bethabara Iudaeae. Est autem distantia multorum miliarium, quae uno die non potuit conficere: Quia itinera plaerumque fecit Christus, non solus, sed cum comitatu et turbis. Et textus in Ioanne ait, quod non statim post baptismum recesserit a Iordane, sed aliquos ex auditoribus Baptistae vocaverit, Andream, Petrum, Nathanaelem et Philippum. Ego hoc simpliciter teneo: Ecclesiam veterem nominasse festum Epiphaniorum ab ista ostensione divinitatis in Baptismo Christi, qua nulla unquam facta est illustrior et magnificentior. Ideoque singulari celebritate hoc festum celebravit prima Ecclesia, quae et Theophaniorum festum nominavit, quasi dicas, festum divinae apparitionis.

Facta est autem haec ostensio divinitatis, ad Iordanem. Unde dicitur Iordanis? Ego credo esse a *Iarad*, descendit: ut sit idem, quod descensio, ein abschuß, oder das herunder schießen vom gebirge. Alii dicunt esse a *Iaer*, id est, torrens, et *Dan*, Quia ex illo loco, ubi fuit tribus Dan, oriatur. Sed puto nomen Iordanis fuisse, antequam Dan eo venit. Debent nobis loca ista cariora esse propter filium Dei, et propter caetera opera divinitatis, quae ibi sunt exhibita. Barbaricum est, nihil curare talia. Fuit ibi pulchra amoenitas. Iordanis est limpidum flumen, quod vicinum agrum et rigavit et foecundavit. Fuit terminus Orientalis Iudaeae. Singuli debent in mente habere ideam et imaginem totius illius regionis. Sicut ab Occidente illa terra habuit Mare, sic praecise ab Oriente habuit Iordanem. Versus Meridiem habuit loca vicina Aegypto. Versus Septentrionem fuit Tyrus et Sidon.

Qui sunt loci principales. qui continentur in historia Baptismi Christi? Primus est de Sacramentis in genere. Secundus de causis. quare Christus voluerit baptizari: Ubi etiam dicendum est de sententia huius dicti: *ut impleamus omnem iustitiam.* Tertius, Testimonium de tribus personis divinitatis Quo pertinet doctrina de discrimine verae et falsae invocationis. Quartus de Voce illa patris sonante de coelo: *Hic est filius meus dilectus.*

De primo loco.

Quid est Sacramentum? Est ceremonia divinitus instituta. quae est signum promissionis. Latini veteres usurparunt vocem Sacramenti pro iuramento. Sed nos loquamur cum Ecclesia: Non pudeat nos materni sermonis. Ecclesia est mater nostra. Sic autem loquitur Ecclesia, ut Sacramentum nominet ritum, vel ceremoniam a Deo institutam, vel signum a Deo ordinatum, additum promissioni gratiae, per quam promissionem Deus nos recipit, exhibet nobis remissionem peccatorum, Spiritum sanctum et caetera beneficia coniuncta.

Differunt ceremoniae ab actionibus moralibus, Quia aliud est loqui de actionibus, quae sunt signa, seu quorum finis immediatus est, ut aliquid significent: Aliud vero est loqui de invocatione, de patientia, de caeteris virtutibus seu operibus, quae sunt actiones morales. Patientiae finis immediatus non est, ut significet aliquid, sed ut isto opere praestem Deo obedientiam. Immediatus finis invocationis est, non tantum ut obediam Deo praecipienti hunc cultum, sed ut accipiam a Deo bona necessaria.

Quae est regula de usu Sacramentorum? Nulla res est, Sacramentum extra usum institutum. Item: Nulla ceremonia habet rationem Sacramenti, extra usum ordinatum divinitus. Haec est magni momenti, et valde necessaria regula, Quia semper fuit consuetudo in mundo transformari signa in numina, vel saltem in cultus, et opera meritoria vel propitiatoria: ut Serpens aeneus in deserto fuit signum: Postea tamen Iudaei coluerunt tanquam numen. Inflammatio victimarum de coelo erat signum: Sed Chaldaei et Persae ignem ipsum finxerunt esse Deum. Sacrificia Iudaei transtulerunt in opus meritorium, seu propitiatorium.

Idem universaliter dici potest de abusu signorum, quod omnibus temporibus sint transformata in numina, vel opera meritoria.

Contra hunc ergo abusum tenenda est regula, de qua dixi. Nullum signum, nulla ceremonia extra usum a Deo institutum, habet rationem Sacramenti: Ut si quis vellet lavari in baptismo contra morbum Gallicum, esset manifeste idololatricum. Sic Coenam Domini transferre ad alios usus, ad quos non est instituta, est idololatria, Quia sicut edere promissionem solius Dei est: Ita solius Dei est constituere Sacramentum, vel addere signum promissioni. Haec Elementa seu prima initia bene discenda sunt in Ecclesia, et assidue inculcanda rudioribus. Hodie circumcisio, non est Sacramentum: Quia eius usus debebat durare tantisper, donec Messias esset exhibitus.

Iam constituta hac hypothesi: quod nihil habeat rationem Sacramenti, nisi quando est in eo usu, sicut divinitus est institutum: dicemus de causis, quare Deus addiderit promissioni signa. Sed ordiemur paulo altius.

Quaero igitur, quare Deus ediderit primam promissionem? Potest enim mirum videri, quid opus fuerit, ut ederetur promissio gratiae, de reconciliatione, vel receptione generis humani, vel restitutione iustitiae in homine.

Respondeo. Deus edidit primam promissionem, ut sciamus ex ipsius voce, vere nos recipi. Non

enim nascitur nobiscum haec notitia, et si non esset edita vox promissionis, qua recipimur, nihil sciremus de voluntate Dei propitia erga nos, nihil de remissione peccatorum, nihil de reconciliatione. Manendum igitur nobis esset in perpetua dubitatione, nec possemus Deum invocare: sicut in illis impediri videmus invocationem, qui amplectuntur doctrinam Papisticam, de dubitatione. Qui profecto est horribilis error, et confusionem infinitam facit Ethnicorum et Ecclesiae.

Ethnici ignari promissionum, sciunt aliquid de lege, sed nihil norunt de Evangelio. Habent aliquos cultus, Quia lex naturaliter docet, aliquod numen esse, cuius beneficio natura sustentetur, et illud esse invocandum. Sed quia ignorant promissionem gratiae, necessario dubitant, an recipiantur, et exaudiantur, necne.

Sed Ecclesia non debet esse in dubitatione. Debet audire vocem Evangelii, ex qua certo statuere potest, nos recipi, nos exaudiri, remitti nobis peccata, et futuros nos esse haeredes aeternae consuetudinis cum Deo, et filio ipsius. Hoc est praecipuum discrimen inter Ecclesiam, et Ethnicos, quod tollunt isti, qui stabiliunt dogma de perpetua dubitatione.

Paulus ad Rom. in disputatione de iustificatione nostra coram Deo, potissimum urget hoc argumentum, Quod non pendeat iustitia nostra ex conditione legis, Quia promissionem oporteat esse certam et firmam. Hoc totum abolent Monachi, praecipientes dubitationem.

Iam igitur redeo ad fines, propter quos Sacramenta seu signa sunt addita promissioni. Habent haec signa geminum usum. Primum ut nobis sint signa voluntatis Dei erga nos. Principaliter enim sunt referenda ad voluntatem Dei, sicut et promissio est testimonium de voluntate Dei. Deinde ut sint signa distinctiva, et congregativa, ut ita dicam, id est, ut distinguant Ecclesiam ab aliis sectis, et sint nervi congregationis Ecclesiae. Hic usus signorum est publicus, sicut alter est privatus, de quo tamen semper prius est cogitandum, quoties usurpamus Sacramenta, aut quoties loquimur de finibus Sacramentorum.

Non satis est dicere: Signa traduntur tantum ad distinctionem, ut discernant homines, ut alius ab alio possit dignosci, sicut toga discernebat Romanos a Graecis, qui erant palliati, vel sicut diversa figura cuculli aut vestis distinxit Monachos.

Multi voluerunt Sacramenta tantum esse signa eiusmodi distinctiva, quae discernant Ecclesiam ab Ethnicis, vel aliis hominibus. Sed iste non est principalis finis.

Primus et principalis finis est, ut signa sint testimonia de Deo. Ideo Augustinus recte dixit: Sacramentum est verbum visibile, id est, significat et testificatur idem, quod sonant verba promissionis. Sacramenta enim subiiciunt oculis verbum, quod sonat in auribus, et testificantur de applicatione ad singulos recte utentes. Sunt enim actiones incurrentes in oculos, et sunt *σφραγίδες*, sicut Paulus dicit, Circumcisio erat *sigillum iustitiae σφραγὶς*, id est, Erat Abrahae testimonium vel signum, quod esset receptus. Sic posteri fideles Abrahae habebant in suo corpore insigne testimonium, divinitus positum in certa parte corporis, quod vere reciperentur a Deo, sicut textus clare dicit in multis locis: *Ego ero Deus eorum.* Ista promissio exponit hoc signum.

Sic nos debemus statuere de Baptismo. Cum dicitur: *Ego baptizo te in nomine patris, et filii, et Spiritus sancti*, idem est, ac si dicas: testificor te recipi a vero Deo in gratiam, qui est aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, et filius, et Spiritus sanctos, et recipi te propter filium, et sanctificari te Spiritu sancto. Hunc verum Deum vicissim agnosces et invocabis.

Saepe multumque debemus singuli verba institutionis Baptismi nostri repetere, et considerare pondera verborum, quae sunt valde insignia. *Baptizo te*, id est, mergo te in aquam, et hac mersione testificor, quod sis receptus ab illo Deo, qui est pater, filius, et Spiritus sanctus, quod sis ablutus sanguine filii Dei, et quod sanctificeris Spiritu sancto, et iam sis civis et haeres regni Dei. Congruit enim sententia cum promissione tradita Abrahae: *Ego ero Deus eorum*, qui sunt circumcisi, et fide amplectuntur hanc promissionem.

Cum hic principalis finis constitutus est, postea cogitandum est, quod Sacramenta sint etiam signa distinctiva et collectiva, quae discernunt Ecclesiam ab aliis hominibus, et illam colligunt, Quia pleraque sunt nervi publicae congregationis, sicut est Coena Domini.

Hic rursus est quaestio: Quare instituit Deus congressus publicos? Quia vult eminere et conspici Ecclesiam omnibus temporibus. Non loquor iam de Ecclesia Iudaica tantum, sed de Ecclesia omnium temporum. Semper fuerunt et congressus publici, et signa, quae fuerunt nervi congressuum illorum publicorum. Non solum apud Iudaeos sacrificia fiebant in publicis congressibus: sed etiam in Ecclesia novi Testamenti, quoties conveniebant Apostoli et eorum coetus, administrata fuit coena Domini.

Tales nervos congregationis vult Deus esse, ut in communi conventu invocemus eum, et simul doceamur, et palam testemur, quod simus membra Ecclesiae. Ipsam vero Ecclesiam vult per tales conventus et congregationes publicas conspici et exaudiri in toto genere humano.

Ad hos conventus alligant nos, etiam illae promissiones: *Si duo aut tres congregati fuerint in meo nomine.* Et quod nominatim de Coena inquit Paulus: *Quoties conveneritis.* Item, *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Ubi simul est promissio, quod semper Deus servaturus sit aliquas congregationes, seu coetus. Nec aliud maius testimonium de conservatione Ecclesiae proferri potest, aut consolatio dulcior, quam in illis ipsis verbis comprehensa est, quae affirmant, usque ad postremum adventum filii Dei mansuram esse Ecclesiam, et Deum servaturum esse coetus aliquos: sicut videmus mirabiliter hactenus servatos esse.

Servat autem Deus tales coetus, ubi petitur et expectatur auxilium. Ideo et gratias ei agamus, quod servat, et speremus eum servaturum esse diutius, et petamus, ut inter nos servet.

Turca facit dissipationes et vastationes in multis locis. Idem tentat Diabolus variis modis etiam alibi. Magna est autem miseria, cum dissipantur coetus. Quod cum fit, sequitur Ethnica barbaries et vastitas, sicut Daniel nominat *abominationem desolationis,* id est, abominabilem vastitatem, vel solitudinem: Ut hodie templum Hierosolymitanum est vere abominabilis vastitas, et merae tenebrae.

Ista consideremus, ut cogitantes exempla poenarum, quae nobis sunt proposita, expavescamus, agamus poenitentiam, et simus modestiores, ac diligentiores in rebus omnibus: Item ut ardentius invocemus Deum, pro conservatione reliquiarum Ecclesiae.

Sed redeo ad usus signorum: Inter quos dixi hunc esse principalem: ut sint testimonia voluntatis Dei erga nos: sicut Abraham habuit testimonium voluntatis divinae, scriptum in suo corpore, quod esset receptus. Et quidem in illa parte corporis, quae est organum generationis, ut esset commonefactio de venturo semine, de propitiatore et mediatore, per quem reciperetur, Quia Deus voluit convenire signa cum promissionibus. Sic et nos habemus testimonia voluntatis Dei, in signis illis seu ceremoniis, Baptismo, et Coena Domini. In Bapismo testatur Deus, quod te abluat sanguine filii. In Coena Domini testatur Christus, quod te sibi adiungat tanquam membrum. Postea sequuntur caeteri usus. Sacramenta sunt etiam signa distinctiva, sunt nervi congregationis, sunt signa confessionis. Vult Deus convenire homines ad usurpationem Coenae Domini, ut audiatur simul vox doctrinae, et conspiciatur Ecclesia. Non vult enim Ecclesiam abditam esse in latebris. Accedunt ad hos fines Sacramentorum, etiam umbrae et significationes multae: Inter quas principalis significatio congruit cum promissione, et ad primum finem Sacramentorum referri debet: ut dixi, circumcisionem fuisse in illa arcana parte corporis, ut esset admonitio de venturo semine: Et Baptismus principaliter significat nos mergi in sanguinem Christi, et ablui a peccatis. Coena Domini significat principaliter, nos esse membra Christi, et inseri eius corpori, et nos ablutos esse ipsius sanguine. Haec congruunt cum principali fine.

Simul autem multae sunt significationes aliae: ut circumcisio significabat in generatione carnali nasci naturam hominum ream, immundam, et praecidendam, hoc est, morti addictam. Item generationem istam mutandam esse, hoc est, corruptam et depravatam massam, opus habere regeneratione. Item, tollendam et eradicandam esse concupiscentiam, et sanandam immundiciem cordis, ut Moises inquit: *Circumcidite corda vestra.*

Item significabatur hoc quoque: Quod generatio sit res divina, et quod Deus velit reverenter uti homines generatione, et semine.

Baptismus est imago, quae significat nos mergi in mortem Christi, ad mortificandam carnem nostram. Admonet nos etiam de patientia, Quia significat Ecclesiam mergi in afflictiones. De hac significatione sola dicunt Anabaptistae.

In Coena Domini manducatio communis est commonefactio de communi foedere, consociatione, benevolentia, concordia, quae debet esse inter membra eiusdem Ecclesiae. Nam qui sunt in eadem mensa, debent esse inter se amici. Veteres Ethnici nolebant in mensa communi habere sibi inimicos: Item faciebant foedera in una mensa, unde et nomen *σπονδαὶ*, id est, libationes, pro foederibus usurpabant. Est etiam vetus proverbium hinc sumptum, *ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν*. *Non debes violare salem et mensam*, id est, quando sedes in mensa cum aliquo, debes tueri amicitiam et benevolentiam mutuam. Haec dixi in genere de usu signorum et Sacramentorum. Pertinet autem ad principalem usum praecipue doctrina de fide, Quia sicut oportet promissionem fide accipi: Ita oportet nos Sacramentis uti in fide.

Hoc est, quod saepe dicimus: Exercendam esse fidem in Sacramentis. Non debemus imaginari externum opus esse meritorium, vel propitiatorium, vel recipi nos propter signa, sed oportet nos statuere, quod habeamus Deum propitium, tantum propter promissum Dominum, non propter nostrum opus. Sicut Abraham scivit se iustum esse, non propter circumcisionem, sed se recipi propter venturum Dominum, seu propter promissum semen, quod significabatur per illud externum signum.

Audiverat prius: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Sciebat igitur Sacramentum, vel signum circumcisionis esse testimonium, quod confirmaretur eius fides. Ita et novi Testamenti Sacramenta, commonefaciunt nos de fide, non sunt meritoria opera, non iustificant nos coram

Deo, non valent ex opere operato, ut finxerunt Monachi.

Quando sumis corpus et sanguinem Christi, non oportet de imaginari, propter hanc sumptionem, seu propter hoc opus externum, seu propter hoc signum te recipi, sed statuere debes, quod recipiaris propter filium natum, passum, crucifixum, mortuum, resuscitatum, regnantem ad dextram patris. Non debet fides tua niti externo opere aut signo, sed quia Sacramenta sunt signa, testificantia de promissione statuere debes, te iuxta promissionem recipi, et fidem niti oportere ipso mediatore.

Idem de Baptismo cogitandum est.

Denique de omnibus Sacramentis sive veteris, sive novi Testamenti, coniungenda est doctrina de promissione gratiae, de vero usu signorum, de fide. Hanc doctrinam patres et prophetae, et eorum auditores pii et eruditi bene intellexerunt: Sed magna multitudo omnibus aetatibus oblita doctrinae de promissione et fide, signorum usum multis modis depravavit: Et sunt errores similes in Papatu, qui cum plurimum invaluerint in multorum animis, diligentius consideranda sunt, quae hactenus in genere de Sacramentis dixi.

Sequitur de Causis: Cur Christus voluerit baptizari.

De secundo loco.

Antea fuerat Christus circumcisus. Propter quas causas? Primum, quia voluit extare testimonium, quod esset ex posteritate Abrahae, quod non esset peregrinus, et quidem, quod ille ipse esset, de quo loquitur promissio.

Deinde, Quia voluit esse membrum Ecclesiae Dei, collectae in isto populo, ad quem missus erat, sicut et nos debemus uti Sacramentis, ut testemur nos esse membra eius Ecclesiae, cuius Sacramentis utimur. Sed Christus debebat etiam docere in isto populo, et in isto templo. Quod fieri non potuisset, nisi esset circumcisus.

Postremo. Quia voluit subiectus esse legi. Quod etiam tota eius vita testatur. Non tenebatur ipse lege illa: *Si quis non fuerit circumcisus, eradicabitur.* Placebat Deo etiam sine circumcisione. Sed sicut universaliter voluit subiectus esse legi, sic etiam circumcidi se voluit.

Nec intelligenda est subiectio sub legem, civiliter tantum, quod voluerit esse obsequens civis in externa politia, et hierarchia istius populi: sed de singulari beneficio, pertinente ad nos, in hac persona, quae non erat debitrix. Ipse subiicit se legi, id est, implet legem pro nobis, videlicet non tantum officiis legalibus, et obedientia sua, quae est plena ac perfecta, sed etiam recipiendo in se maledictionem et poenam, quam nos eramus meriti, ad placandum nobis patrem, et ad nos liberandos a maledictione legis.

Haec causa circumcisionis Christi fuit praecipua: ut significaretur eum subiici legi pro nobis, cum ipse non esset debitor: Et sicut pellicula eius praecisa, amputata, et abiecta est, sic obligari eum ad mortem pro nobis, ut nos haberemus novam et aeternam iustitiam et vitam propter ipsum. Sic et de Baptismo Christi cogitemus. Non quaeramus procul speculationes otiosas: sed has ipsas causas circumcisionis Christi accommodemus etiam ad eius Baptismum.

Sit igitur prima causa. Voluit dare testimonium doctrinae et toti ministerio Ioannis, et ostendere, quod ipse esset, cui viam parasset hactenus Baptista. Voluit approbare Baptismum Ioannis, tanquam verae Ecclesiae Baptismum, voluit testari, hanc esse verae Ecclesiae collectionem, quae fieret per Baptismum, receptione Iudaeorum et gentium, et iam imminere finem seu interitum politiae Mosaicae, quem et Ioannes expresse denuntiabat Iudaeis.

Referamus autem hanc causam, non tantum ad dignitatem et comprobationem doctrinae et ministerii Ioannis, quod fuit certi temporis: sed ad nostram quoque consolationem. Sciamus adhuc colligi Ecclesiam per Baptismum: et doctrinam Evangelii, quam sonamus eandem cum Baptista, non esse fictitiam, aut commentitiam, sed verissime divinam esse, et Deum per totum hoc ministerium verbi et Sacramentorum efficacem esse.

Secunda causa voluit ostendere, se esse membrum, civem, socium, imo caput huius Ecclesiae, quae colligebatur Baptistae ministerio. Voluit profiteri, se velle coniunctum esse cum hac nova Ecclesia, quae deinceps quoque colligenda esset in novo Testamento. Hanc causam similiter referamus ad nostram consolationem. Sciamus hunc Dominum esse membrum, imo caput et vivificatorem huius Ecclesiae, cui nos per Baptismum inserti sumus. Quando videmus baptizari infantulum, cogitemus de Baptismo Christi. Cogitemus infantulum lavari cum Christo stante in Iordane, et foedus fieri inter Christum et istum puerum, et infantulum inseri in corpus Christi.

Referamus etiam ad exemplum, quod sicut Christus voluit esse membrum verae Ecclesiae: Sic nos etiam maneamus adiuncti Ecclesiae fideliter sonanti vocem doctrinae divinitus traditae, et

egitime utenti Sacramentis iuxta institutionem divinam. Non vagemur, ut multi faciunt, quibus nihil placet, qui suas tantum opiniones admirantur, qui nulli certae Ecclesiae se adiungunt: ostendamus nos esse membra Ecclesiae in professione fidei, et in communi usu Sacramentorum. Studeamus nostro exemplo tueri consociationem cum Ecclesia vera, et iuvemus ac ornemus conservationem ministerii in Ecclesia.

Tertia causa propria est filii Dei, seu proprie pertinet ad filium Dei: ut mediatorem.

Non indiget ipse poenitentia, non habet opus remissione peccatorum. Et tamen voluit baptizari, ut ostenderet se sustinere nostra peccata, et se immergendum esse in mortem, id est, moriturum propter nostra peccata, futurum victimam pro nobis, satisfacturum pro genere humano: Nec tamen interiturum se prorsus, sed revicturum esse. In hanc mortem Christi cogitemus nos etiam mergi per nostrum Baptismum: Credamus ablui peccata nostra sanguine filii Dei, ut dicitur: *Sanguis Iesu Christi filii Dei purificat nos ab omni peccato.* Statuamus obedientiam et meritum Christi, imputari nobis, liberari nos a reatu irae Dei, Tandem etiam re ipsa in nobis aboleri peccatum, efficacia Christi resurgentis ex morte, quod fit in hac vita inchoatione, postea consummatione in vita secutura.

Haec est amplissima doctrina, involuta in typo mersionis Christi in aquam Iordanis. Significatur enim tota passio eius, et mors, quae tamen non est interitus, sed transitus ad vitam aeternam, et nobis est restitutio iustitiae et vitae novae ac perpetuae.

Quoties autem de Passione et morte Christi loquimur, Complectamur totam humiliationem filii Dei, et intueamur inprimis horribilem agonem luctantis cum ira Dei, derivata in ipsum poena, adversus mea, et tua, et omnium peccata. Iacet ipse prostratus coram Deo, sudans sanguinem: Sentit iram Dei magis, quam ulla creatura ferre posset. Huc pertinet dictum illud: *Eum qui non norit peccatum, fecit peccatum pro nobis*, id est, In quo non erat aliquid pugnans aut dissidens a voluntate Dei, hunc fecit quiddam reum et damnatum, quasi ipse fecisset nostra peccata. Esaias significanter hoc descripsit, cum inquit: *Fecit in eum incurrere nostra peccata.* Sicut diluvio valido aliquis opprimitur: Ita peccata nostra fecerunt impetum in Christum, et presserunt eum: Obruit ipsum ira Dei adversus nostra peccata, ac si ipse contaminasset se, aut fecisset ea. Ipse sensit horribiles dolores, et illam magnitudinem irae, quam nulla creatura potuisset sustinere.

Aliquid interdum degustant homines, alii plus, alii minus. Sed nullius creaturae tanta est capacitas, ut vel intelligere possit magnitudinem irae Dei adversus peccata. Aliquid tamen cogitandum est, et orandus est Deus, ut accendat aliquo modo pectora nostra, ne contemnamus iram Dei, nec extenuemus peccata, sed agamus poenitentiam, doleamus, quod Deum peccatis nostris offendimus: Rursus etiam ut erigamus nos fide, intuentes in filium Dei, qui, cum iustissimum esset nos perire, ipse in se suscepit poenam nostrorum peccatorum, et propter hunc statuentes nos recipi a Deo, invocemus eum, acquiescamus in Deo, habeamus consolationem et laetitiam in Deo. Haec si non accedunt, nihil nobis prodest mersio Christi in mortem, sicut Diabolo nihil prodest. Bene novit Diabolus, quantum onus sustinuerit filius Dei, et plus scit de ira Dei, quam nos, quanquam illam magnitudinem etiam non exhaurit, multum tamen scit, sed non agit poenitentiam, non addit fidem et invocationem.

Non igitur debemus ista cogitare, ut Diabolus cogitat: sed exuscitare nos debemus ad poenitentiam, ad fidem, ad invocationem.

Ita magis ista intelligemus, et proderit nobis ista cogitatio ad consolationem: praesertim si recordabimur etiam nostri Baptismi, in quo obsignatio facta est applicationis beneficiorum Christi ad nos, nec solum mortis, sed etiam resurrectionis ipsius, sicut Petrus inquit: *Baptismum esse stipulationem bonae conscientiae erga Deum per resurrectionem Christi.*

Vetus interpres reddidit vocabulo interrogationis. Sed in Graeco est ἐπερώτημα. ἐρώτημα idem est, quod interrogatio. Sed ἐπερώτημα est asseveratio post interrogationem. Iurisconsulti vocant stipulationem, quae est asseveratio facta ad interrogationem alicuius, seu promissio, in qua aliquis interrogatus de certa re, daturum aut facturum se esse spondet id, quod interrogatur.

Iura dicunt: *Nuda promissio non parit obligationem;* ut si quis dicat: Dabo tibi decem aureos, nondum habes actionem, sed possunt esse verba honoris, ut dicitur: *Bona verba non rumpunt cistas divitum.* Sed si dicas ad aliquem: Vis mihi dare decem aureos? et ille respondeat: Volo, tum habes actionem.

Ideo autem nominat Petrus Baptismum nostrum stipulationem: Quia est mutua obligatio. Aeternus pater, filius, et Spiritus S. obligant se nobis, quod velint nos recipere. Pater testatur, quod miserit filium, ut esset victima. Filius applicat nobis suum meritum et suam efficaciam. Spiritus sanctus impertit se nobis, ut sanctificet nos. Vicissim nos obligamus fide, quod velimus amplecti hoc beneficium.

Veteres accommodarunt ad baptismum, pulcherrimum illud dictum Micheae: *Proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Etsi videtur

esse metaphora, qua in genere significatur, Messiam aboliturum esse peccatum, ne sit amplius: sicut in omni aeternitate non erit peccatum in electis: tamen placet mihi accommodatio veterum ad Baptismum, Sicut et in Ezechiele pingitur ablutio peccatorum in Baptismo, imagine effusionis aquarum.

Haec cogitantes, discite recte intelligere et expendere Baptismum, et laetamini vos esse in foedere Dei, propter filium, baptizatum in Iordane, mergentem se in mortem, et resurgentem, qui ascensurus ad coelum iussit baptizari omnes gentes. Et nitatur fides non externo opere nostri Baptismi, sed ipso filio Dei, qui et meruit nobis remissionem peccatorum, et adhuc in nobis est efficax.

In hoc loco simul complectamur etiam particulam illam historiae, in qua Ioannes recusat baptizare Christum: Quia intelligebat, nec poenitentia, nec remissione peccatorum ei opus esse: Agnoscebat ac profitebatur eum esse caput Ecclesiae, quod omnia in omnibus perficeret, et a quo omnis efficacia penderet externi sui ministerii et operis. Sic igitur inquit: *Ego a te debeo baptizari*, sicut alibi dicit: *Ex plenitudine eius omnes accepimus.* Sed Christus graviter respondet: *Sine modo, sic nos decet implere omnem iustitiam.*

Iubet eum omittere disputationem, Quia nunc sit tempus humiliationis suae, qua volens se submittat huic ministerio ipsius, cui vicissim testimonium tribuere velit, quod vera doceat, et ostendere, quod Baptismus sit consilio Dei institutus, et se coniungere cum Ecclesia novi Testamenti, et significare, quod propterea in mundum venerit, ut mergatur in mortem, ac resurgat, ad dandam remissionem peccatorum, et vitam aeternam credentibus. Haec omnia comprehendit hac voce: *Sine modo*, sicut antea de causis baptismi Christi dictum est.

Quid vero est, quod dicit: *Sic decet nos implere omnem iustitiam?* An Ioannes etiam implet omnem iustitiam baptizans? An Baptismus Christi est nostra iustitia? Quod etsi utcunque potest commode explicari, si intelligas, quod tota obedientia Christi nobis imputetur: tamen cur in plurali dicit: *Impleamus?* videlicet non de se tantum loquens, sed etiam de Ioanne. Ego utor hac simplicissima responsione, quanquam non ignoro, quid alii scripserint. Particulam universalem, *Omnem*, intelligo distributive. *Decet nos implere omnem iustitiam*, id est, Decet me implere meam iustitiam, et te implere tuam iustitiam. De qua vero iustitia loquitur?

Vocabulum Iustitiae hic significat particularem iustitiam, id est, operas ministerii uniuscuiusque, ut si dicam servo: Fac tu, quod tui est officii, et sinas me facere, quod meum est. Aliud est loqui de universali iustitia secundum totam legem: Et rursus aliud est cidere de imputata iustitia, secundum Evangelium. Tota obedientia filii est perfectissima iustitia, et donatur seu imputatur nobis credentibus. De hac non intelligo hoc dictum, sed de proprio opere vocationis cuiusque, id est, de particulari iustitia, quae est, facere unumquemque id, quod est sui officii. Ita Plato hanc iustitiam definivit: *ἡ δικαιοσύνη ἐστὶ τὰ ἑαυτοῦ πράττειν, καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν. Iustitia est, facere quae sui sunt muneris, et non curiosum esse in alienis negotiis.*

Sic igitur dicit Dominus: Deus vocavit te, ut sis minister huius baptismi, constituit te, ut baptizes, et hoc tuo baptismo de me testificeris. Haec est tua iustitia. Ego vero venio, ut baptizer abs te, in hac praesenti vocatione mea, ut confirmem et approbem tuum ministerium, adiungam me Ecclesiae novi Testamenti, ostendam baptismo meo, quod sim futurus victima pro peccatis hominum, id est, quod sim agnus Dei, de quo tu concionatus es, qui tollit peccata mundi. Haec est mea iustitia. Uterque ergo faciamus, quod est nostri officii. Tu facias quod tuum est, ego meum opus perficiam.

Est igitur dictum Christi, commonefactio, ut singuli homines considerent suam vocationem, et fideliter faciant, quae suae vocationis sunt. Nos, qui versamur in munere docendi, fideliter doceamus in scholis et Ecclesia: Vos, qui estis auditores, fideliter discite, et audite, quae proponuntur, non ad calumniandum, non ad turbandam Ecclesiam.

Si cui placet, is exemplum Baptistae potest transferre etiam ad locum de Modestia, sed ita, ut sciat non esse hunc locum principalem in hac materia, ubi res multo graviores tractantur. Et Ioannes multo maiores causas habuit suae recusationis, quam puerilem quandam modestiam. Est tamen ipsa quoque modestia, pulchra virtus, de qua recte monentur adolescentes, consideratis prius locis principalioribus.

Xenophon eleganter inquit: *Κακὸν οὐδὲν φύεται ἐν ἀνδρὶ, θεμέλια θεμένῳ τῶν ἀρετῶν, τὴν σωφροσύνην καὶ τὴν ἐγκράτειαν. Malum nullum nascitur in viro, qui posuit fundamenta virtutum, modestiam et temperantiam.* Ubi fundamenta praeclare iacta sunt, ibi aedificium firmiter imponi potest. Sic virtutibus omnibus locus est, ubi sunt modestia et temperantia.

In adolescente nullum est maius ornamentum, quam modestia, quae est initium aliarum virtutum. Iulius dixit: *In milite non solum magnitudinem animi, sed etiam modestiam requiro.* Non potest esse bona spes de puero immodesto: ut Alcibiades non evadit in virum bonum, quia etiam adolescens non est modestus. Facile possunt vitia cerni, quae pugnant cum modestia, ut, inverecundia, impudentia, vanitas, iactationes Thrasonicae.

Quid est Modestia? Est virtus, quae in gestu, sermone, et opionibus de nobis, servat congruen-

tiam personae. Ad gestum pertinet vestitus. Herodotus inquit: *Mulier cum veste deponit pudorem.* Sed non solum mulier, sed etiam alii homines cum veste deponunt pudorem, ut cum aliquis non tegit illa, quae Deus et natura voluit tegi. In sermone excedunt metas modestiae Thrasonismi. Sed aliqui, etsi linguam utcunque continent in officio, tamen in opinione de se ipsis efferunt se, sunt inflati et mirantur se ipsos. Late patent ista. Et sunt multa egregia dicta de modestia, et vitiis cum hac pugnantibus, apud omnes sapientes.

Verum hic res maiores agitantur in isto colloquio Christi et Ioannis Baptistae, Et verba Ioannis: *Ego debeo a te baptizari*, sunt verba confessionis, quasi dicat: Ego quanquam habeo mandatum divinum, ut baptizem, tamen scio te esse Dominum Baptismi. Tu non indiges meo baptismo, sed es Dominus, per quem efficax est Baptismus. Ita ostendit, quod hic filius sit maior, Quia tota Ecclesia recipitur propter filium, et sic ipse filius sanctificat totam Ecclesiam. Et cum dicit Ioannes: *Oportet me a te baptizari*, loquitur non tantum de externa ablutione, sed de effectione, de qua alibi inquit: *Ille baptizabit vos igni, et Spiritu sancto.* Sed venio ad tertium locum, de ostensione divinitatis.

De tertio loco.

Postquam baptizatus est Christus, exhibetur apparitio divinitatis, qualis nulla alia, tam illustris scripta est. Monstrantur perspicuo discrimine personae tres. *Pater* est persona loquens: cuius vocem audit Ioannes, et tota illa multitudo, astans ad Iordanem. *Filius*, assumpta humana natura, stat in ripa fluminis. Hunc discernit Pater a sua persona. *Spiritus sanctus* conspicitur specie columbae, amplectens filium.

Hic repetatur communis doctrina Ecclesiae de unitate essentiae divinae, item de trinitate personarum, et conferantur huc alia scripturae testimonia de hoc summo articulo fidei nostrae: qualia multa sunt passim: *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est: Ego Deus, extra me non est alius.* Item, *Tres sunt in coelo, qui testimonium perhibent, Pater, Verbum, et Spiritus.* Item Institutio Baptismi nostri, quem iubet Christus fieri *in nomine patris, filii et Spiritus sancti.* Item peculiaria et expressa testimonia de filio, et huius Deitate aeterna, ut Ioan. 1. Coloss. 1. Hebr. 1. Et de Spiritu sancto in concionibus Christi Ioan. 14. et deinceps.

Nos in Ecclesia oportet agnoscere Deum, sicut se ipse patefecit. Philosophia et ratio, non ita loquitur, nec ita sentit de Deo. Non potest ulterius progredi philosophia, quam quod ponit unum initium, unum fontem rerum omnium, videlicet, Mentem aeternam, architectatricem rerum. Haec notitia est naturae impressa, et velut scintilla adhuc reliqua est in natura. Sed divinitas se patefecit Ecclesiae isto modo, quod sit essentia unica divina, conditrix coeli, terrae, angelorum, hominum, et aliarum rerum omnium creatarum, et quod in hac essentia sit aeternus pater, coaeternus filius, et coaeternus Spiritus sanctus.

Repetatur etiam hic communis doctrina Catechismi de discrimine inter *οὐσίαν*, et hypostasin. Essentia Graece *οὐσία* nominatur, quod revera est, id est, quod non est accidens in alio haerens, etiamsi est communicatum. Persona, ut Ecclesia loquitur, Graece *ὑπόστασις*, seu *ὑφιστάμενον* est subsistens, vivum, individuum, intelligens, incommunicabile, nec sustentatum ab alio. Hoc discrimen pie ac reverenter cogitetur, et teneatur hic articulus fidei, Quod essentia aeterna ac omnipotens communis sit patri, filio, et Spiritui sancto: et quod tamen personae subsistentes, re ipsa, non tantum imaginatione distinctae sint, et incommunicabiles.

Repetantur quoque descriptiones singularum personarum, quae discernunt proprietates. *Pater* est, qui genuit ab aeterno filium imaginem suam, et condidit omnia cum filio et Spiritu sancto. Creatio non est solius patris opus, sed totius divinitatis. Aliqui ita solent dicere: *Pater est creator, Filius redemptor, Spiritus sanctus sanctificator.* Non est male dictum, sed recte intelligatur. Non debetis creationem tribuere soli patri, sed etiam filio et Spiritui sancto, *Quia maledicti Dii, qui non fecerunt coelum et terram.* Tota divinitas est creatrix. Et bona est regula tradita ab Augustino: *Quidquid Deus agit extra se, id agunt personae communiter.* Et, *Opera trinitatis ad extra sunt indivisa.* Et tamen addenda est declaratio, scilicet, servato ordine agendi. Filius non agit a se, sed per se. Pater est fons divinitatis, et omnium operum divinorum. Actiones internae sunt distinctae et incommunicabiles. Pater gignit filium. Filius non gignit sese. Pater et filius spirant Spiritum sanctum.

Iam *Filius* est imago patris subsistens, genita a patre cogitando, et assumpsit certo tempore humanam naturam, ut pro nobis fieret victima. Dico cogitando gigni filium, Quia scriptura tribuit ei appellationem λόγου, et imaginis. Et tota vetustas declarationem sumpsit ex similitudine generationis imaginum seu cogitationum in mente humana. Sunt enim umbrae quaedam in hominum natura magnarum rerum. Est in homine mens, quae format imagines cogitando. Nec cogitare est aliud, quam formare imaginem eius rei, de qua cogitas, ut quando cogitas de tuo patre, amico, vel socio, habes in

conspectu imaginem patris, amici, socii. Sed nostrae imagines evanescunt, Nec transfundere substantiam in eas possumus. At aeternus pater intuens sese, gignit imaginem sui vivam et substantialem.

Quomodo est intelligendum, quod filius nominatur sapientia patris? An non pater est sapiens sua sapientia?

Respondeo. Non est imaginandum, quod pater non habeat sapientiam in se ipso, sed tantum in filio. Pater sapiens est sua sapientia, iustus sua iustitia. Sic filius est sua sapientia sapiens. Etsi enim essentia et proprietates essentiales sunt communes in divinitate, tamen persona alia est patris, alia filii, et quaelibet persona est substantia intelligens, individua, incommunicabilis.

Illustrior est appellatio imaginis, et verbi. Et imago correlative se habet ad archetypum.

Semper autem, quoties de discrimine patris et filii dicitur, addendum est, quod sola haec persona, quae est λόγος, assumpsit humanam naturam, Pater non assumpsit humanam naturam, nec Spiritus sanctus. De modo assumptionis, id est, de unione personali duarum naturarum in Christo alibi a nobis dictum est.

Spiritus S. est tertia persona divinitatis, quae procedit a patre et filio, et mittitur in corda ad sanctificandos homines. Hic quaeritur, quid intersit inter nasci et procedere? De filio dicitur, quod nascatur: De Spiritu sancto, quod procedat. Sic loquitur vox divina: *Ego hodie genuite.* Item, *Filius unigenitus.* Et *Mittam vobis Spiritum, qui a patre procedit.* Si quis sophista vellet hoc conturbare, illum non audiremus. Quanquam autem magnitudo illa et profunditas rerum non intelligitur ab ulla natura, nisi Deo monstrante: tamen Deus vult nos initia discere, vult nos agnoscere ipsum, sicut se patefecit. Vult sic celebrari et invocari. Et placent ei hi cultus, etsi res illas arcanas non plane intelligimus, ut dicitur: *Ex ore infantium perfecisti laudem.*

Veteres discrimen vocabulorum sic explicant. Nasci est a mente, procedere a voluntate. In homine sunt duae praecipuae potentiae, cognoscens, et volens seu appetens. Mens, vel intellectus, vel potentia cognoscens format imagines. Potentia appetens habet motus, Et sedes affectuum est cor. Imagines sunt a potentia cognoscente. Motus et agitationis organa proxima et propriissima sunt spiritus qui existunt in corde. Ita Spiritus sanctus procedens a potentia appetente seu a voluntate est actor, motor, agitator. Spiritus in nobis sunt flammulae, quae cient omnem motum, et agitationem et sunt vita ipsa. Sic Spiritus sanctus confertur flammae: sicut etiam apparet specie flammae. Est incendium seu flamma amoris, quo pater amplectitur filium, et filius amplectitur patrem, et quam flamma pater et filius amplectuntur nos. Quod profecto est res magna. Deus impertit nobis Spiritum suum, ut dicitur: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Pater et filius spirant in cor tuum Spiritum sanctum, quo te sibi copulant, et te vivificant in omnem aeternitatem. Quid potest Deus donare maius, quam se ipsum? Haec saepe cogitanda sunt, ut nos ad gratitudinem excitemus.

Quaero, an valeat haec consequentia? Spiritus sanctus apparet peculiari specie. Ergo est persona distincta a patre et filio? Ita valet, Quia esset tantum motus creatus, non appareret peculiari specie. Si esset accidens, non conspiceretur extra cor huius Domini, in quo tanquam in templo suo perfectissime fuit efficax. Item si esset proprietas in patre, sicut Iudaei imaginantur, et πνευματομαχοὶ, non appareret distincta specie a patre.

Cum dico: *Ista columba est Spiritus sanctus:* quae est praedicatio?

Respondeo. Est Synecdoche, id est, cum illa re visibili, quae exhibetur oculis, revera est Spiritus sanctus. Nec dicitur hic de generali praesentia, sed de speciali, quae est gratiae et efficaciae peculiaris. Sic cum dico: Flammae seu linguae igneae conspectae in prima Pentecoste novi Testamenti, sunt Spiritus sancti, similiter est praedicatio figurata per Synecdochen, id est, cum his speciebus, seu formis visibilibus, vere affuit, ac praesentem se exhibuit Spiritus sanctus.

Nunc de usu, seu fine huius tam illustris patefactionis aliquid dicemus. Vagatur haec imaginatio in multorum animis et sensibus, quod omnes religiones sint eaedem, et tantum nominibus differant, ut quidam scripsit ante multos annos edito libro Lutetiae: Et videtur haec opinio sapientibus valde plausibilis. Metuendum est etiam in postrema aetate mundi, magis hunc errorem grassaturum esse, quod aut nihil sint religiones, aut differant tantum vocabulis. Non autem ita insaniamus, sed clamemus ad Deum, ut nos confirmet, et retineat mentes nostras in vera agnitione, et simus memores dicti: *Qui non honorat filium, non honorat patrem.* Item, *Haec est vita aeterna, ut agnoscant te esse solum verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum.* Ista et similia Oracula divina teneamus, et sciamus infinitum discrimen esse inter veram Ecclesiam recte agnoscentem Deum, et Ethnicas ac prophanas aliarum sectarum cogitationes de Deo.

In primis autem transferenda est doctrina de agnitione Dei ad exercendam invocationem. Multi volunt videri, se tribuere aliquid religioni, et gloriantur se invocare Deum: sed non cogitant serio de discrimine invocationis in Ecclesia, et apud Ethnicos et alias sectas. Vos in precatione quotidie cogitate, discernendam ac disiungendam esse nostram invocationem ab Ethnica, et sistite vos ani-

mis et cogitatione ad ripam illam Iordanis, ubi exhibita est tam clara et perspicua revelatio divinitatis. Assuefacite etiam vos, ad certam formam precationis, quae distinguat vestram invocationem ab Ethnica, ut Ecclesia in antiquis collectis solita est complecti formas convenientes precationum, in qua fieret mentio trium personarum et beneficiorum Dei, ut quando dicitur: *Deus qui vis non recipere propter filium. Remitte nobis peccata et sanctifica nos Spiritu sancto.* Et pleraeque collectae finiuntur hac clausula: *Per, vel propter Dominum nostrum Iesum Christum.*

Unde dicitur Collecta? Quidam dicunt, nomen inde esse, quod tunc, cum precatio ista fiebat, conferebatur seu colligebatur eleemosyna. Potest tamen collecta simpliciter exponi de oratione coetus seu Ecclesiae. Collecta, id est, Ecclesia seu coetus collectus sic orat, sic invocat.

In Psalmodiis adhuc usitatum est, ex veteris Ecclesiae consuetudine addere hunc versum: *Gloria patri et filio et Spiritui sancto.* Quod etiam fit ad segregandam invocationem propriam Ecclesiae, ab invocatione Ethnica, etsi apparet initio oppositum fuisse hunc versum haereticis, negantibus divinitatem filii et Spiritus sancti.

Apud Eusebium recitatur pulcherrima forma precationis, qua Polycarpus usus est in postremo agone suo, rogo iam impositus: *Deus pater dilecti filii tui Iesu Christi, per quem agnitionem tui accepimus. Conditor universae creaturae, te invoco, te confiteor esse verum Deum, te glorifico per Pontificem dilectum filium tuum, cum Spiritu sancto: Suscipe me, et fac me socium resurrectionis sanctorum tuorum.*

Similis est illa forma, quam crebro repetere soleō. *Omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, Conditor omnium rerum, et conservator, una cum filio et Spiritu sancto tuo, sapiens, bone, verax, iuste, caste, misericors, iudex, liberrime, qui te patefecisti nobis certo verbo, et testimoniis divinis, et dixisti: Vivo ego, Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Miserere mei, Iustifica me propter filium tuum, et sanctifica Spiritu sancto tuo, Rege Ecclesiam, me, et familiam meam. Guberna mentem, linguam, negotia mea. Custodi corpus et animam meam. Da bona et salutaria regimina: largire victum, successus in vocatione. Effice, ut studia, et totum curriculum vitae meae sit felix et salutare mihi et aliis, etc.* Talis aliqua forma sit vobis in conspectu, et quia Deus semper voluit agnosci, per aliquam externam rem, qua se patefecit, cogitate hanc et alias patefactiones Dei, et nominatim complectimini promissiones traditas de filio mediatore, propter quem vult nos Deus exaudire, et iuvare.

Quibus modis differt Ethnica, Mahometica, Iudaica, Papistica invocatio a verae Ecclesiae invocatione? Principales differentiae duae sunt. Prior est Agnitio essentiae et personarum in Deo. Altera Agnitio voluntatis Dei et mediatoris.

Ethnici invocantes nesciunt, qui invocent, ut Hecuba dicit apud Euripidem: *Invoco te o Iupiter, quidquid es, sive hoc coelum, sive mens in coelo.* Alii invocant statuas, alius aliud numen, Herculem, Quirinum, Palladem, Iunonem. Simonides coluit Deum ὕστερον, id est, diem posteriorem precatus est, ut dies sequens sibi faustus esset.

Iudaei recentes, Mahometistae, Turcae sunt blasphemi contra filium Dei. Fingunt Deum conditorem, qui non sit pater Domini nostri Iesu Christi. Nos in Ecclesia alloquimur Deum patefactum missione filii, et effusione Spiritus sancti, et aliis mirandis testimoniis, inde usque ab initio generis humani.

Ad haec testimonia deducit nos Deus ipse, sicut statim in primo praecepto dicitur: *Ego sum Dominus Deus, qui eduxit te ex Aegypto ex domo servitutis.* Proponit testimonium patefactionis, quo vult discerni verum Deum a commenticiis numinibus.

Et Christus adducit nos ad se, Quia omnes aliae patefactiones sunt referendae ad hanc summam patefactionem, videlicet, ad missionem filii. Cum Philippus dicit: Ostende nobis patrem, respondet Christus: *Qui videt me, videt patrem.* Apostoli in Actis dicunt: *Deus patrum nostrorum, Abraham, Isaac, Iacob.* Quare sic loquuntur? Distinguunt verum Deum a commenticiis numinibus. Id autem fit per patefactiones patribus exhibitas. *Deus Abraham*, id est, qui dedit verbum Abrahae, et quem invocavit Abraham. *Deus Isaac*, id est, qui dedit verbum Isaac, et quem invocavit Isaac. *Deus Iacob*, qui dedit verbum Iacobo, et quem invocavit Iacob, et praedicavit, sicut nota est ipsius precatio: *Benedicat pueris istis Deus patrum meorum, Abraham et Isaac, et Angelus, qui me liberavit ab omnibus malis*; *ubi filium nominat Angelum, tanquam personam missam.*

Haec sunt magni momenti, et assidue inculcanda iuventuti: Quia crescunt profanae opiniones, et crescent magis. Recens Servetus disputavit contra doctrinam de Trinitate. Transformat Ecclesiae doctrinam in imaginationes Mahometicas et philosophicas.

Alterum discrimen dixi esse de voluntatis agnitione. Ethnici, Iudaei, Mahometistae, et multi ex Papistis, qui non intelligunt Evangelium, non possunt statuere se placere Deo, et exaudiri. Epicurus dicit Deum nihil esse, neque irasci, neque misereri. Alii perterriti agnoscunt iam, sed non misericordiam Dei, ut Saul. Papistae iubent manere in dubitatione. Quod simpliciter est Ethnicum.

Nos in Ecclesia debemus intueri promissionem

et fide amplecti mediatorem. Scimus Christum constitutum esse propitiatorem, per quem et propter quem exaudiamur. Iste est summus Sacerdos noster, perferens nostra vota ad aeternum patrem. Hanc agnitionem voluntatis Dei, et fiduciam mediatoris afferamus ad precationem, et cogitemus vere exaudiri nostros gemitus, recipi nos propter filium, et propter hunc dari nobis bona necessaria, sicut inquit hic ipse Dominus: *Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Huc pertinet tota doctrina de poenitentia, de fide, de iustificatione, quam exercere debemus in omni invocatione. Quod cum faciemus, experiemur preces nostras non fore irritas. *Turris fortissima, nomen Domini*, inquit Salomon. Et Syrach: *Lachrymae descendunt, sed oratio vere invocantis ascendit.* Idem de precatione hoc praeceptum nobis praescribit cap. 7. οὐ μὴ ὀλιγοψυχήσεις ἐν προσευχῇ σου. Quare dicit? Non sis pusillanimis in oratione tua. Opponit hoc geminae dubitationi. Una est propter indignitatem nostram. Altera propter magnitudinem rerum, quas petimus.

Primum cogitas. Ego sum miser homo, contaminatus multis peccatis, non habeo tanta dona, quantis ornati sunt alii. Quid ergo curaret Deus preces meas? Haec dubitatio et pussillanimitas est magnum peccatum, Quia adimis Deo laudem misericordiae, et ex Deo facis προςωπολήπτην. Deus irascitur peccatis in omnibus, et recipit omnes confugientes ad filium. Non discernit, quod ad gratiae promissionem attinet, magnos a parvis, fortes ab imbecillibus, praeditos magnis donis, et non praeditos.

Deinde cum vicimus hanc tentationem, mox alia dubitatio nos angit. Nimis multa et magna sunt, quae petis. An custodiret Deus tuum sordidum corpus, praeberet tibi panem, amictum, pecuniam, et similes nugas. Item, Quid tu, qui es omnium infimus, petis, ut sit tranquillitas publica?

Tales sunt cogitationes humanae. Intuemini pectora vestra, et videbitis, nos circumferre eiusmodi dubitationes. Vult autem Deus non excelsum animum afferre ad invocationem, scilicet, propter promissionem in filio nobis traditam. Vult nos vincere fremitum et dubitationem, quae oritur ex indignitate. Vult nos cogitare, tantam esse opulentiam et bonitatem Dei, ut velit nobis multo maiora bona dare, quam petimus.

Haec sunt discenda in veris exercitiis invocationis, Et haec sunt excitanda, etiam sequentis loci consideratione.

De quarto loco.

Pater aeternus clamat de filio: *Hic est filius meus dilectus, quo delector.* In vulgari translatione est: *In quo complacui*, vel *in quo complacitum est mihi*: Est infeliciter redditum, Quia et infirmius est, quam ut nativam sententiam exprimat, et est obscurum, Sicut quidquid alienum est a consuetudine linguae, est obscurum. Nos Germani habemus duo vocabula, quae sunt significantissima. Daran ich freud vnd wonne habe, id est, in quo acquiesco, quo valde delector, qui est mea summa voluptas, sicut Stigelius optime reddidit: *In quo laetitia est, in quo mihi sancta voluptas.* Sunt eadem verba posita in Esaia: Et est dignum observatione, quod quibus verbis hic utitur aeternus pater, iisdem etiam antea usus est de Messia. Non tantum dicit, dilectum esse, sed addit, quo valde delector. Magnum est, aliquid amare: sed habere oblectationem, et laetitiam in re amata, adhuc maius est.

Contra. *In Deum non cadunt affectus.*
Ergo non sunt in eo amor, laetitia et similes motus.

Respondeo. Deponendae sunt Stoicae phantasiae, qualis haec est, In Deo non esse affectus. Ipsae στοργαὶ, quas Deus condidit in homine, sunt testimonia, quod etiam in Deo sunt affectus. In scriptura toties dicitur, *Deum irasci*: Et hic dicitur: *Hic est filius meus dilectus, quo delector.* Credamus Deo talia affirmanti: Et intueamur imaginem Dei in homine, cuius pars sunt στοργαὶ, quae propterea nobis insitae sunt, ut commonefaciant nos de amore Dei erga filium. Qui sunt ἄστοργοι, qui non amant, non curant suos, ii naturae ipsi repugnant, et sunt obsessi a Diabolis. Natura, quamdiu est sana, retinet hunc affectum naturalem, ut amet cognatum sanguinem, tanquam partem naturae propriae.

Sed obiicunt Stoici:

In Deo non est stultitia, non inordinatum, non vitiosum, non turbidum aliquid.
Affectus sunt stultitia, habent aliquid inordinati.
Ergo in Deo non sunt affectus.

Respondeo. In homine, etiam affectus ordinati, habent aliquid ἀταξίας: et multo magis inordinati. Quando Paris amat Helenam, est inordinatus amor, Quia non debebat appetere alterius coniugem. Ruben amat novercam suam, coniugem patris Iacob, quod est magis tetrum. Nam etiam Ethnici abhorruerunt a tali nefario incestu, ut Hippolytus abstinet a Phaedra noverca solicitant eum ad stuprum. Sed dicamus de affectibus ordinatis a Deo.

Quando pater diligit infantem, multa stulte facit, ludens inepte cum puero. Sponsus multas ineptias miscet amori erga sponsam. *Crede mihi stul-*

to nemo in amore sapit. Quid est ira, nisi furor brevis? Quam multa fiunt deformiter ab iratis? Denique quis nostrum tenet modum in ullo affectu? Singuli affectus possunt occidere hominem. Multi extinguuntur laetitia, plures maestitia, multi indignatione, multi amoribus moriuntur. Sic in nobis affectus vagantur extra ordinem. Sed in Deo non sunt inordinati, non turbidi, non vitiosi. Etiam in nobis non essent turbidi, si peccatum non accessisset.

In angelis, et hominibus beatis, non sunt similes ineptiae, futilitates ἀταξίαι affectuum: Quia non est in eis peccatum. In sanctis etiam in hac vita affectus sunt puriores, quam in non renatis. Abraham diligit filium, sed magis amat Deum, et ei obtemperat, iubenti mactare filium. Babylas senex octogenarius stat cum coniuge anu, et confirmat filios in supplicio. Mulier Maccabaea hortatur a constantiam liberos suos. In Africa propter Arii dogma clamaverunt matres ad filias, quae nudae suspendebantur, ut probrum illud patienter ferrent, nec abstraherentur a vera doctrina, etsi sexus muliebris valde movetur ista contumelia, quam augebat etiam cruciatus ustulationis.

Ibi videtis, quanta fuerit crudelitas Arianorum. Ea ipsa crudelitas fuit testimonium spiritus homicidae in eis. Sed ego propterea hoc exemplum allego, ut intelligatis in sanctis corrigi et emendari affectus, et redigi magis in ordinem.

Sed redeo ad illud dictum, In quo aeternus Pater affirmat se delectari hoc filio. Hic applicationem consideremus, et adiungamus hoc, quod Paulus dicit: *Nos sumus dilecti in dilecto.* Id est, propter hunc filium recipimur, et placemus Deo. Sunt igitur hic comprehensae omnes promissiones, quarum usum discere debemus experiundo. In nostris maximis miseriis debemus confugere ad hunc filium, et petere, ut propter ipsum recipiamur, exaudiamur, iuvemur.

Mementote etiam Grammaticam explicationem verborum Pauli: *κεχαριτωμένοι ἐσμὲν ἐν τῷ ἠγαπημένῳ.* Usus est Paulus singulari cura et consilio, duabus vocibus: De nobis inquit: Sumus *κεχαριτωμένοι*, id est, dilecti per misericordiam, per gratiam. Filius est *ἠγαπημένος*, id est, diligitur natura.

Christus in agone petit: *Dilectio tua sit in eis, qua me diligis.* Quid potuit filius maius petere a patre? Quae esset stultitia, si tu accederes ad Carolum V. et diceres: Domine Imperator, diligas me, ut tuum filium? Aut si ad alium magnum virum, cui esset filius praestantis indolis, et formae eximiae, diceres: Domine, dilige me, ut tuum filium. Et tamen filius Dei orat pro nobis, ut pater nos ita diligat, ut filium. Vult Ecclesiam recipi et amari vera dilectione, sicut pater ipsum amat inenarrabili *στοργῇ*.

Huc adiungite dictum in Ieremia: *Dedi dilectam animam meam in medium inimicorum.* Ait se diligere Ecclesiam, ut se ipsum, sicut solent homines loqui: Iste est cor meum, ocellus meus, animus meus. Non potest amor plenioribus aut vehementioribus verbis explicari. Et tamen mirabili consilio sinit Deus Ecclesiam in hac vita versari inter procellas et fluctus mundi.

Cogitate, quanta haec sint: Sunt ita magna, ut nulla creatura possit magnitudinem exponere. Nulla mens est tam capax, ut possit satis de hac amplitudine rerum cogitare. Sed non sit cogitatio otiosa. Exuscitemus nos ad fidem, qua statuamus nos recipi, et hac fide petamus et expectemus necessaria Ecclesiae et nobis, ut videtis, quam multum instet periculorum et calamitatum.

Tribuamus Deo hunc honorem, quod vera, non ficta, non falsa sit oratio, quae testatur de suo amore erga filium et erga nos: Et accendamur magnitudine huius amoris, ut credamus promissionibus et petamus supplices vero corde, ut misereatur nostri aeternus pater propter filium, et mitiget calamitates, tollat peccata et scandala, liberet ac servet Ecclesiam.

Ista debetis petere, et non dubitare, quin exaudiamini. Et quanquam fides est infirma, tamen debemus statuere, nos vere placere Deo, sicut D. Caspar Cruciger saepe dicebat ante mortem: *Inroco te aeterne Deus, miserere mei propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, Santifica me Spiritu sancto tuo. Inroco quanquam languida fide, sed tamen fide.* Et Marc. 9. clamat pater paralytici: *πιστεύω κύριε, ἀλλὰ βοήθει τῇ ἀπιστίᾳ μου. Credo Domine. sed opem fer imbecillitati meae.* Haec de tam illustri patefactione, quae facta est in Baptismo Christi, quomodocunque dicta sint: quam sciamus non tantum propter illius temporis Ecclesiam, sed etiam ad nos confirmandos exhibitam et scriptam esse. Et quia noster Baptismus, veluti consecratus est Baptismo Christi, cogitemus ad nos etiam pertinere, quae in Baptismo Christi contigerunt. Cogita, quod in tuo quoque Baptismo divinitas se patefaciat, sicut verba illa sonant: *Baptizo te in nomine patris, filii, et Spiritus sancti.* Et ut tunc coelum fuit apertum, Ita in tuo Baptismo adest divinitas, et peccatum remittitur, et inchoatur sanctificatio. Nec propterea fit Baptismus irritus, etiamsi labamur post Baptismum, modo lapsi redeamus ad poenitentiam. Tum enim rursus aperitur nobis coelum, Recipimus omnia beneficia Baptismi, recipimur propter filium, et sanctificamur Spiritu sancto.

DOMINICA I. POST EPIPHANIA.

Evang. Lucae 2.

Cum esset Iesus annorum 12. etc.

Quo tempore haec historia acciderit.

Narratio est valde dulcis, atque utinam haberemus plures narrationes de adolescentia, et caeteris annis Christi, ante publicam praedicationem eius, Quia non dubium est, subinde multa illustria testimonia accidisse, ut illa tanta res magis magisque innotesceret, quod exhibitus esset Messias.

Ipsa etiam colloquia, quae Christus in templo habuit cum Pharisaeis adhuc puer, optandum esset descripta extare, quia consentaneum est, quod disputaverit de praecipuis doctrinae capitibus: In primis vero de regno Messiae, quod Pharisaei putabant fore politicum: Quae opinio cum infixa esset etiam animis vulgi, variae seditiones inde natae sunt, ut cum Iudas Gaulonitas concitavit seditionem sub Coponio praeside Romano. Id vel eo ipso anno, quo Christus Hierosolymam cum parentibus venit, vel anno praecedente factum est. Nec sine labore, et difficultate Coponius oppressit Iudam illum Gaulonitam.

Quare ut plerumque occasiones disputationum sumuntur ex re praesenti, sic quaesivit Christus de illa Iudaeorum opinione, qua putabant Messiae regnum fore politicum, et disputabant se potius omnia in discrimen ponere debere, quam parere Gentibus: sicut credo sanctos in illo populo saepe fuisse adversatos consiliis seditiosorum, cum dicerent, iam instare finem politiae Iudaicae, et gratias Deo agendas esse, quod relicta sit Iudaeis *αὐτονομία* in doctrina et cultibus, item regnum Messiae aeternum esse.

Proposuit igitur Christus vaticinia Prophetarum de iisdem rebus in hoc colloquio, refutavit falsas illorum interpretationes, reprehendit eorum superstitiones in cultibus, et suas asseverationes firmissime probavit ex scriptura, unde sapientiam eius dicuntur admirati fuisse. Haec optandum erat descripta esse. Dicemus autem aliquid amplius de circumstantia istorum temporum, quibus accidit historia huius textus.

Erat iam Iudaea redacta in formam provinciae, quando Dominus Hierosolymam ivit cum parentibus, anno aetatis suae 12. Nam Archelaus iussu Caesaris Augusti fuerat relegatus in Gallias, et gubernabatur Iudaea a Romanis praesidibus, et oppressa seditione Iudae Gaulonitae per Coponium, erat in Iudaea status tranquillus, Ideo credibile est, quod conventus in festis tunc fuerint frequentiores, quia Deus voluit aliquid quietis esse, ut Messias innotesceret.

Alibi etiam in Imperio Romano fuit pax, ut Virgilius ludit sub Augusto redditam esse aetatem auream. *Ah sinite*, inquit, *hunc saltem miseris succurrere rebus.*

Sed tamen circa hoc fere tempus, quo Christus est Hierosolymis, accidit in Germania clades illa Romanorum sub Quintilio Varo, qui est interfectus ab Harminio Ea clades contigit ad Luppiam amnem in Westphalia, non procul a Padelborn: Suntque caesae tres legiones Romanorum, id est, octadecim millia militum, qui erant in Germania collocati, praesidii causa, ne a Germanis iam ante devictis moverentur bella. Item qui excubias agerent contra Gentes ad Albim, quae nondum erant domitae a Romanis, quarum Dominus fuit Harminius, qui tenuit Saxoniam, et Westphaliam. Nam Romani domitis Noricis et Rhetia processerant iam in Arctoam Germaniae oram, quam et proprie Germaniam vetustas nominavit.

Suevi qui antea fuerant in ora Pomeraniae, et paulatim concesserant ad Rhenum, translati sunt sub Augusto in Rhetiam, id est, superiorem partem Germaniae, vicinam Alpibus. Est adhuc ibi in extrema ora nomen Rhetiae antiquum der Rhiß. Et augusta in historiis vocatur Augusta Rhetica. Nomen Rheti recensetur inter gigantes, qui voluerunt excindere coelum. Fuerunt Rheti homines bellicosi, ut et hodie Helvetii sunt, qui sunt a Rhetis.

Ad Albim ergo opponebat se Romanis Harminius. Nomen idem sonat, quod apud Germanos Herman. Et quia fuerat olim obses Romae, et peritus linguae, militiae, et motum Romanorum, facilius ei fuit cogitare de insidiis adversus eos parandis. Virgilius Romae vidit Harminium, et fuit ei familiaris, Ideo celebravit eum, tanquam militem in castris Turni, ut poetae solent figurate describere personas certas, adhibitis suis quibusdam fictionibus, sicut idem Virgilius Aeneam describens intuetur Augustum, et facit Aeneam talem, qualem vidit esse Augustum, de quo dicit:

Iustitiaene prius mirer, bellive laborem?

Sic igitur de Arminia lib. 11. Virgilius:

Ingentemque animis, ingentem corpore et armis
Deiicit Harminium, nudo cui vertice fulva
Caesaries, nudique humeri, nec vulnera terrent.
Tantus in arma patet.

Haec est descriptio hominis Saxonis, quod ad robur corporis, et ad habitum attinet. Saxones fuerunt procera statura: Et fuit mos veterum Germanorum,

ut humeris nudis pugnarent. Nam tunc nondum erant bombardae, et valuit in eis virtus.

Aliqui Harminium vocant Ducem Cheruscorum. Cherusci sunt die Hartzländer, ab Islebia usque ad Goslariam et Gottingam. Magdeburgensis tractus olim dictus est Longobardia, sicut Strabo inquit, *Albim dirimere Longobardos et Senones.* Post Magdeburgam fuerunt Bructeri, Brunsvigam usque, unde adhuc nomen est montis der Bruckerberg. A Brunsviga Bremam usque habitarunt Cayci. Ergo Cherusci fuerunt ad latus Longobardorum et Bructororum. Haec nomina debent vobis adolescentibus nota esse, ne sitis ignari patriae vestrae.

Fuit igitur Harminius Dux potens. Si nunc esset unus Princeps, qui teneret tot regiones continuas, et bellator esset, qui posset exercitum recte armare, et ducere, ei satis virium esset contra quamcumque externam potentiam.

Obruit autem Harminius legiones Romanas ex improviso, et delevit eas, ac satis duriter tunc Germani egerunt cum Romanis.

Quaestoribus et Causidicis, quos oderant, praeciderunt linguas, et consuerunt illis ora, et cum exprobratione dixerunt: *Sibila nunc vipera.*

Tantus autem terror Romanis incussus fuit, deleto hoc exercitu, ut Augustus alliso ad parietem capite clamaverit: *Redde legiones Quintili,* et mandaverit novis praesidiis moniri Italiam, et miserit Germanicum, filium Drusi, cum quindecim legionibus in Germaniam: Quae fuit dimidia pars potentiae Romani Imperii, quod ad praesidia attinet. Fuit enim totius Romani Imperii potentia 30. legionum, quae semper fuerunt in praesidiis.

Germanicus in Germania rebus compositis fecit inferias et funebria Romanis interfectis in saltu Teutoburgensi. Haec facta sunt circa id tempus, quod describitur historia hodierni textus. Nec quaero iam praecisionem. Eo autem fine ista recensuit, ut consideretur, Iudaeam tunc quievisse, sicut plerumque provincialia imperia fuerunt quietiora, praesertim sub Augusto.

Sed venio ad principales materias in ista lectione, quarum prima est de festis.

Secunda de negligentia matris, et Ioseph, Item de dolore Mariae et ingentibus aerumnis Ecclesiae, quia Maria semper repraesentat Ecclesiam.

Tertia est de obedientia debita parentibus, item potestati ordinariae.

Quarta de dicto: *Proficiebat puer sapientia, aetate et gratia.*

Haec etsi ad omnes pertinent, tamen maxime consideranda sunt a iuventute.

De primo loco.

Primum dicit Evangelista: *Ascendebant secundum consuetudinem.* Quaero, an fuerit mos vel lex?

Respondeo. Fuit lex, et tamen quae ex legibus fiunt, saepe dicuntur etiam ex consuetudine fieri. Exod. 23. et Deut. 16. expresse mandatum fuit, ut quotannis ter venirent omnes masculi, quorum aetas ad profectiones erat idonea, ad eum locum, quem delegisset sibi Dominus. Mulieres erant exceptae, et tamen aliquae una venerunt, quas non detinebat valetudinis aut oeconomiae necessitas.

Erant autem festa illa, ad quae conveniebant quotannis, Pascha, Pentecoste, et festum Tabernaculorum, quae iis temporibus celebrabantur, quibus ascensuri ad festa habere poterant iucundum iter per illa loca amoena. Nam Pascha incidit in ver, ubi est pulcherrimus annus incipientibus virescere hortis et agris. Pentecoste erat ante messem, et nondum tum erant intensi calores vel aestus. Festum Tabernaculorum erat post vindemiam, quando poma iam erant collecta, ut possent haberi nova musta, et aliae deliciae, quales sunt in autumno. Adeo pulchre Deus festa distribuerat in tempora amoenissima.

Non debemus imaginari legem Dei esse quiddam barbaricum. Omnia fuerunt elegantissime ordinata, et in illis festis res maximae gestae sunt, non solum in veteri, sed etiam in novo Testamento. In Paschate eductus fuit populus ex Aegypto, et Christus postea passus est. In Pentecoste data fuit lex, et postea facta est effusio Spiritus sancti in Apostolos. In festo Tabernaculorum celebratur memoria conservationis populi in deserto, et postea circa idem festum finis futurus erat totius istius Politiae. Nam in festo Tabernaculorum tandem funditus exstirpata est Hierosolyma, et tota illa pulcherrima politia.

De cuius delectione cogitantibus, semper in mentem veniat haec commonefactio: Si Deus illi politiae tam pulchre a se constitutae non pepercit, puniet etiam aliarum gentium peccata, et non respiciet, quam sint urbes, aut regna nitida, ornata, splendida. Sicut videmus magnas Monarchias ruere, et paulatim etiam alias provincias experiri suas ruinas. Deus mitiget haec mala, et servet in illis naufragiis aliquas reliquias Ecclesiae.

Iam causae sunt considerandae, quare instituti fuerint isti congressus, et tam severe mandati a Deo. Quod tamen cum *ἐπιεικείᾳ* seu cum aequitate est intelligendum. Illi qui aegrotarunt, aut qui retinebantur necessariis causis, habebant excusationem, Non debent ita superstitiose, Iudaice,

Stoice intelligi istae leges, quae potissimum eo spectabant, ne festa contumaciter a quoquam contemnerentur, quemadmodum et nostra festa ordinata sunt, ut conserventur publici congressus. Et tamen, cum aliquis est impeditus occupationibus, ne possit accedere, excusatus est.

Cur ergo vult Deus conservari congressus illos? Respondeo. Deus vult aliquod certum tempus tribui officio docendi et discendi, Haec ratio legis est scripta in ipso praecepto Decalogi, cum dicitur: *Sanctifices Sabbatum*, id est, istum diem colloces in operas sanctas, in explicationem et auscultationem doctrinae. Illi qui debent docere, doceant: Reliqui audiant et meditentur. Doctrinam sequatur gratiarum actio, et invocatio communis, et usus Sacramentorum, Item communicatio aliquorum officiorum in conferendis eleemosynis, sicut inquit lex: *Non apparebis vacuus in conspectu Domini.*

Haec in nostris etiam congressibus facienda sunt. Sciamus nos Deo debere hanc obedientiam, ut conservationem communis ministerii adiuvemus. Deus vult nos convenire, audire verbum, coniungere vota, concorditer orare, ut servetur Ecclesia, nec extinguatur lux Evangelii, serventur aliqua hospitia, ut sit vita pia, Deo placens, tranquilla, modesta, sicut Paulus haec omnia simul comprehendit, cum iubet nos orare pro magistratu, *ut tranquillam vitam agamus,* id est, habeamus pacem, et defensionem, idque *in pietate,* ut sit vera agnitio Dei, *et in honestate,* ut sint exercitia omnium virtutum.

Nihil est, quod aliqui dicunt: *Ego sum Christianus, sum liber a lege, ideo licet mihi ista negligere.* Christianismus non est vita barbarica, nec libertas Christiana versatur in contemptu omnium bonarum ordinationum, quae recte constitutae sunt.

Contra. *Iusto non est lex posita.*
Tu es iustus.
Ergo non est necesse te ire ad concionem in templo.

Respondeo. Iusto non est lex posita, scilicet quo ad coactionem, et quo ad condemnationem. Item, lex non est posita iusto, scilicet, in quamtum est talis. Sed est in nobis cupiditas, quae non est semper congruens cum lege. Eam oportet frenari lege. Iusti in quantum sunt tales, volentes faciunt, quae sunt praecepta in lege. Sed pauci sunt vere iusti, et inter hos etiam magna est differentia graduum.

In Graeco est verbum *κεῖται*, quod valde duram significationem habet, ut in illo dicto Ioannis: *Mundus in maligno positus est,* id est, mundus iacet oppressus malis, ex quibus, etiam tunc, cum luctamur, tamen eluctari non possumus, et quanquam luctamur cum pravis consuetudinibus, et publicis iniuriis, tamen ita sumus implicati malorum consuetudini, ut non possimus eluctari. Ita lex non est posita iusto, id est, non opprimit iustum.

Ac dolendum est, nomen libertatis Christianae transferri ad contemptum honestorum morum et disciplinae. Multo maior res est libertas Christiana, videlicet liberatio a peccato, ab ira Dei, a morte aeterna, esse reconciliatum Deo, habere Deum, non solum propitium, sed etiam adiutorem, et gubernari a Spiritu sancto. Et quanquam libertas Christiana liberat nos a ceremoniis Mosaicis, tamen non liberat nos a moralibus.

Est autem observatio dierum festorum, quod ad genus attinet, et conservatio congressuum publicorum, aliquid morale. Et ritus, qui sunt honeste in Ecclesia constituti ex veris, non superstitiosis causis, etiam scandali ratione non sunt temere violandi.

Multi cogitant, non sibi opus esse concionibus, posse se domi legere. Sed hi tamen exemplo suo debebant invitare alios, et quantum in ipsis est, iuvare conservationem ministerii. Quid attinet plures distractiones facere, cum alioqui plus satis dissipationum sit? Non volo dicere de distractionibus Imperiorum, aut amicitiarum inter homines, in vita privata et publica, Cogitemus saltem de distractionibus opinionum in Ecclesia, ex quibus oriuntur incendia odiorum, ex odiis ruinae et vastationes Ecclesiarum. Ideo debes te adiungere ad communem consociationem, et singuli aliorum morbos ferre debemus, ne fiant maiores dissipationes.

De Maria et Ioseph obiicitur etiam hoc argumentum, cuius solutio pertinet ad eandem commonefactionem, quod convenire debeamus ad communes congressus Ecclesiae etiam propter alios exempli causa:

Sancti non opus habent paedagogia.
Maria et Ioseph erant sancti: Et filius erat perfectissime iustus, quia habitat in eo divinitas corporaliter. et humana natura eius est sine labe.
Ergo non fuit eis opus venire ad festa et ad similes ceremonias alias.

Respondeo ad Maiorem. Sancti sunt liberi a ceremoniis, seu paedagogiae illi non sunt necessario subiecti, scilicet, quod ad ipsos attinet, non quod ad exemplum, quo excitandi sunt alii. Si dicat civis aliquis, habens fontem in suis aedibus: Non est mihi opus aquae ductu. Ergo nullum faciam sumptum, in aquae ductibus, quos potestas politica vult in urbem traducere. Hoc non sequitur: quia, etsi tu non indiges, tamen debes adiuvare utilitatem publicam.

Lex de festis est ordinata, ut sit paedagogia totius populi. Semper autem in coetu populi multi

sunt qui non sunt renati, quos oportet per illam paedagogiam adduci ad cognitionem doctrinae, et ad conversionem.

Deinde etiam illi, qui sunt renati, indigent confirmatione. Et debent etiam renati obedientiam hanc Deo, ut non modo propter exemplum, sed etiam propter Deum et ad exercitia fidei in se ipsis augenda, et confirmanda, ament congressus publicos.

Estne cultus Dei ire ad coetus publicos?

Respondeo. Est.

Contra. *Nullum opus ex opere operato est cultus Dei. Ergo ire ad publicos congressus non potest esse cultus Dei.*

Respondeo. Per se non est cultus. Nec Maria et Ioseph tam fuerunt stupidi, ut putarent illud externum opus esse cultum Dei per se. Sed studium conservandi ministerii et propagandi doctrinam, est cultus Dei, quia fit propter Deum.

In genere humano nihil pulchrius est, quam convenire ad audiendum verbum Dei, et ad communem invocationem et gratiarum actionem. Homo non monstrosus, natura delectatur honestis congregationibus, Quia natura condita est ad congregationem, et laudat Euripides urbem Athenarum, quod fuerit *καλλίχορος*, id est, habuerit pulchros congressus et choros. Nos in Ecclesia debemus scire honestos congressus esse imaginem vitae aeternae.

Saepe etiam cogitemus singularem promissionem datam esse a Deo congressibus publicis. *Si duo aut tres erunt congregati in nomine meo, ero in medio eorum.* Item. *Si duo consenserint in terra, quicquid petierint, fiet illis.* Quod non sic intelligendum est, quasi domestica et privata lectio, meditatio, invocatio nihil valeat. Sed quia in publicis precibus multi simul orant, et quasi manu facta, ut Tertullianus inquit, Deum ambiunt. Haec vis Deo grata est.

Amemus ergo frequentiam, ubi Deus invocatur, celebratur, et gratiae ipsi aguntur, quod fit in templis, de quibus Christus dicit: *Domus mea, domus precationis est.* Qui non veniunt ad huiusmodi frequentiam, et se assuefaciunt ad deambulationes, helluationes, et alias turpitudines interea, dum pii frequentes sunt in concione, ii magis magisque degenerant in porcos, beluas et Diabolos. Es werden Saw, Vnflater, vnd Teuffel draus.

Tubingae in mea habitatione, quae fuerat etiam habitatio D. Hieronymi Schurffii, erat hic antiquus rhythmus scriptus:

Kirchen gehen seimet nicht,
Almussen geben armet nicht,
Vnrecht gut bleibet nicht.

Id est, accedere ad Ecclesiasticos coetus, audire verbum Dei, recitare precationes sive in publico sive in privato, si omnino non potes venire in publicam congregationem, nihil impedimenti affert in laboribus necessariis perficiendis. Dare eleemosynas non minuit opes. Bona iniuste parta non diu durant. Pulchrum est in familiis parentum, qui honeste vivunt, pueros assuefieri ad hanc paedagogiam.

Sed Maria et Ioseph habuerunt etiam alias causas plures, cur accederent ad ceremonias, quia sciverunt, quod Deus vellet ostendere testimonia de Messia. Et Christus ipse una ascendit Hierosolymam, ut ostenderet se velle esse socium, et membrum istius Ecclesiae, Et ut hac etiam in parte satisfaceret legi, et suo exemplo caeteros invitaret ad ministerii divinitus instituti conservationem, Denique ut haberet occasiones innotescendi. Sicut hic sedet in templo, et disputat haud dubie de regno Messiae et eius adventu.

Non erant virulentiores homines, quam Pharisaei et Saducaei, qui etiam inter se erant distracti opinionibus, Et tamen inter illas echidnas et viperas sedet, et refutat illorum errores, etsi fuerunt etiam ibi boni et sancti aliqui. Potest fieri, ut ipsi pueri certo quodam loco consederint, et inter se habuerint quaedam exercitia disputationum. Seniores qui audiverunt, ex animo laetati sunt, cum viderunt seminaria Ecclesiae. Sicut senibus eximiam laetitiam affert, cum vident pueros, seu adolescentes aliquos, in quibus est bona spes. Et ut nunc fit in scholis, ut alius post alium loquatur in disputationibus: Ita fuerunt olim *ὁμιλίαι*, id est, colloquia, quemadmodum ex Paulo quoque apparet ad Corinth. Qui conveniebant, sunt amanter collocuti, quomodo hoc, quomodo illud intelligendum esset.

Christus dicitur hic sedisse in medio Doctorum et audivisse eos, et interrogasse eos. Est autem magnae artis, quaestiones proponere de rebus gravibus. Disputavit, Christum esse passurum, non esse dominaturum more politico, nec provincias Iudaeis distributurum. Interrogavit, quid significet apud Danielem: *Adducetur iustitia sempiterna,* et apud Esaiam: *Notitia servi mei iusti iustificabit multos.* Reprehendit, quod sacrificiis putarent, se remissionem peccatorum mereri. Haec magnam laetitiam attulerunt multis sanctis viris, qui super intelligentia et responsis eius obstupuerunt. Hoc exemplum Christi invitet nunc quoque iuventutem, ut assuefaciat se ad mutua colloquia cum aliis, exerceat se in docendo et discendo.

De secundo loco.

Quod ad secundum locum attinet, de dolore matris, quem conciliavit sibi negligentia sua, vel potius securitate: Res certe mirabilis est, quam nos senes non possumus satis admirari. Vos iuvenes non intelligitis, Sumitis hinc exempla licentiae. Putatis parentes nullam habere curam de vobis. Est comica oratio illius senis Terentiani, sed significans res magnas, videlicet curas parentum de filiorum salute: *Satius est illa evenire, uxor irata quae cogitat, si absis uspiam, aut si ubi cesses, quam quae parentes propitii.* Postea multis verbis haec declarat Mitio, et admiscet leporem, qui decet comoedias, sed valde dulce ἦθος est, et multum sapientiae in se continet, quod de sua solicitudine addit pro Aeschyno. Quale est illud quoque apud Virgilium: *Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.*

Ego audivi Maximilianum Imperatorem, primum huius nominis, in quadam frequentia Comitiorum dixisse ad Fridericum Ducem Saxoniae: Friderich hab acht auff meinen Sohn, *commendo tibi curam de meo filio.*

Sed non modo στοργὴ, sed etiam aliae circumstantiae multae debuissent in Maria et Iosepho excitare, et acuere maiorem curam et solicitudinem de Christo puero, Quia habuerant tam multa signa manifesta, ex quibus sciebant eum esse Messiam filium Dei, ipsorum curae a Deo commendatum.

Deinde solebat in solennibus festis innumerabilis multitudo convenire Hierosolymis. Saepe aliquot centena hominum millia eo confluebant.

Praeterea vagabantur in istis locis Plagiarii, nebulones pessimi, qui furabantur homines, praesertim adolescentes, bonae indolis, quos videbant antecellere forma et ingenio, quos magno pretio postea vendebant exteris, sicut in ultima Ungaria, illa consuetudo est, ut eiusmodi nebulones, etiam ex Christianis aliqui, furentur vicinis adolescentes et puellas formosas, et vendant Turcis, Tanta est eorum malitia. Ideo eos vicissim devorat Turca.

Erat autem puer iste ingeniosissimus et pulcherrimus. Si quis rapuisset eum, abduxisset in Aegyptum, vel in Syriam, vel vendidisset Romanis. Quare cum Maria et Ioseph discederent Hierosolymis, postquam perfecerant ea, quae erant usitata in festo, valde miror, quod Christum ibi reliquerint, nisi quod alter alterius diligentiae confisus fuit.

Maria quae erat in coetu mulierum, putavit adolescentem esse apud Ioseph. Rursus Ioseph fuit in coetu virorum, existimavit adolescentem esse apud matrem. Fortassis fuit consuetudo pueri, quod magis fuit familiaris matri, sicut scribitur, quod etiam facie retulerit, seu expresserit matrem specie honestissima et verecundissima.

In hac securitate conficiunt iter unius diei. Ibi primum incipiunt esse solliciti, quaerunt eum apud cognatos, et non inveniunt. Ex quo, quantum dolorem perceperint, nulla oratione exprimi potest a quoquam hominum. Non est enim dubium, quin cogitaverint omnia, quae parentes honesti, aut homines sapientes in tali casu cogitare possunt.

Inprimis ingens dolor fuit in Maria. Multo plura ei in mentem venerunt, quam quisquam nostrum cogitare potest. Fuit enim mulier sapiens et φιλόστοργος. Luctata est secum ipsa, cum cogitaret: En tibi a Deo tantis testimoniis commendata est custodia huius pueri, et tu eum neglexisti. Deus te elegit tanto miraculo, ut esses mater illius, et tu eum amisisti. Quantum hoc malum est? Quantum peccatum? Ille debebat esse salvator generis humani, et tu servare eum debuisti, donec perficeret sacrificium. Venit forte in potestatem plagiariorum, et abducetur, ut nemo sciat, quo pervenerit. Contulit se cum Eva et cogitavit. Eva primum perdidit genus humanum, tu iam secundo. Denique tanti fuerunt dolores eius, et tanta lucta, ut nobis fuisset intolerabilis.

Ipsa magnitudinem huius tentationis patheticis verbis aliquo modo significat, cum postea reperto filio inquit: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.*

Sed ad commonefaciendos adolescentes de gradibus delictorum, proponam Argumentum de collatione peccati Evae et Mariae:

> *Peccata distinguuntur obiectis, seu obiecta discernunt peccata secundum maius et minus.*
> *Maria amittens filium sibi divinitus commendatum peccavit circa maius obiectum quam Eva gustans pomum prohibitum.*
> *Ergo Maria plus peccavit.*

Respondeo ad Maiorem. Obiectis distinguuntur peccata, scilicet minus principaliter. Sed distinctio principalis peccatorum sumitur ex causis interioribus. Obiecta sunt causa exterior. Haec obiecta possunt differre secundum maius et minus, ut, Plus est occidere hominem, quam occidere pecus.

Interiores et principales causae alicuius operis sunt mens intelligens mandatum Dei, considerans, et ratiocinans, quid fieri debeat aut non debeat: Et postea voluntas assentiens aut repugnans, ut cum in malo opere eligit aliquid contra mandatum Dei. Hae causae interiores principaliter discernunt peccata. In exemplis res erit clarior.

Uter magis peccat? Latro, qui volens occidit hominem? an filius, qui patrem casu, et nolens interficit? Est valde atrox res, cum quis etiam ignarus et nolens patrem occidit. Et tamen latro plus peccat, qui sciens, imo etiam insidians alterius vitae, homicidium committit: Semper enim plus pec-

cat, qui mente iudicante, et voluntate sponte obtemperante deliquit.

Sic maius peccatum est occidere fratrem, quam peregrinum hominem, si ad obiectum respicias. Sed potest fieri, ut plus peccet, qui interficit peregrinum hominem, scilicet sciens et volens, quam qui interficit fratrem, nesciens aut ignorans, Quia hic causae interiores discrimen principale faciunt. Semper peccatum contra conscientiam, maius est in infinitum, quam peccatum non contra conscientiam.

Ergo ad Minorem sic est dicendum. Maria non volens elegit hoc peccatum, sed erravit. Fuit igitur peccatum Evae maius, quia sponte, et mente iudicante deliquit, Maria vero per ignorantiam seu errorem. Sed non ita facile fuit Mariae, durante lucta invenire solutionem huius argumenti, quod ita eam pressit, ut interitura fuisset, si dolor durasset diutius

Plerique nostrum ita sumus ingrati nostris parentibus, ut ne quidem cogitemus, quid et quanta res sit dolor talis: cum tamen post illum dolorem, qui immediate est sensus irae Dei, omnium dolorum summus sit, qui existit ex calamitate sobolis, in parentibus non monstrosis. In Maria vero amplius aliquid fuit, quam in caeteris parentibus. Ego de mea morte non sic excrucior, quam de salute liberorum. Sic vestri parentes faciunt. Vitam et salutem vestram pluris faciunt, quam suam. Et quotusquisque vestrum est qui sit gratus pro illa *στοργῇ*, quam parentum cordibus inseruit Deus, ut commonefaciat nos de sua storge erga filium, et erga nos.

Sed redeo ad discrimen peccati contra conscientiam, et peccati non contra conscientiam. Inter haec infinita est distantia. Ideo dicimus: Qui peccat contra conscientiam sciens et volens, eum contristare et excutere Spiritum sanctum, et damnari, quando non convertitur. De peccatis non contra conscientiam, ut sunt multa peccata omissionis et ignorantiae, hoc non dicimus, quae pertinent ad illam regulam: *Delicta quis intelligit: ab occultis meis munda me.*

Est tamen et hoc considerandum de ignorantia. Alia est affectata, quae est peccatum contra conscientiam, quia voluntas non vult inquirere, consulto et volens contemnit ac fugit inquisitionem. Talis est etiam affectata omissio, quae similiter aequiparatur peccato contra conscientiam, sicut Iurisconsulti dicunt, affectata culpa aequiparatur dolo. Sed alia est ignorantia non affectata, quae habet excusationem. Sed de his rebus copiosius disputatur in doctrina philosophica et theologica, cum agitur de delictis consulto aut inconsulto admissis, item de peccata regnante et non regnante.

De tertia loco.

In tertio loco consideranda est collatio ministerii, et obedientiae debitae parentibus. Fuit Christus puer amans parentum, et morigerus, sicut Evangelista inquit: *Erat subditus illis.* Sed tamen suos quosdam motus divinos habet, qui non cadunt in communem regulam.

Nos sciamus vitam esse regendam secundum verbum Dei, in fide et operibus, iuxta illud. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Iam vero verbum dicit: *Si quis dilexerit patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Oportet igitur anteferre confessionem doctrinae mandatis parentum, Item ministerium in his qui vocantur.

Quando est casus confessionis, debemus confiteri, aut quando vocamur ad ministerium, et necessitas Ecclesiae urget debemus servire Ecclesiae, sive velint parentes, sive non velint. Ita Christus erat vocatus, ut fungeretur ministerio in isto populo, et scivit, se eius rei specimen edere debere, etiam in illa sua aetate tenera. Ideo inquit: *An nesciebatis, quod in his quae patris mei sunt, esse me oportet?* Discernit patrem suum a Ioseph, et praefert obedientiae parentibus, alteram obedientiam debitam ministerio. Hinc facile est respondere ad argumentum:

Debetur parentibus obedientia.
Christus non praestitit parentibus obedientiam.
Ergo non rectefecit.

Respondeo ad Maiorem. Parentibus debetur obedientia, scilicet quae non impediat vocationem aliam divinam. Recte igitur fecit Christus, anteferens ea, quae ad Divinam vocationem eius pertinebant. Idem tamen postea descendit cum parentibus domum, et praestat obedientiam in vita oeconominica, que non impedit vocationem divinam, seu principalem. Hoc exemplum obedientiae inprimis meminerint adolescentes. Non dubium est enim, quin Deus puniat contemptum parentum, seu ingratitudinem erga parentes, et quo atrocius quisque: offendit parentes, eo magis punitur.

Extant ea de re multae honestae sententiae etiam apud Ethnicos, ex quibus commendo adolescentibus hos dulcissimos versiculos Euripidis:

ὅστις δὲ τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει,
ὅδ᾽ ἐστὶ καὶ ζῶν καὶ θανὼν θεοῖς φίλος.

Qui parentes in vita colit, ille et vivus et mortuus Deo carus est. Item:

οὐκ ἔστι παισὶ τούτου κάλλιον γέρας
ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι
καὶ τοῖς τεκοῦσιν ἀξίαν τιμὴν νέμειν.

Non est aliud pulchrius bonum, quam patre bono et honesto natum esse, et parentibus dignum honorem tribuere.

Tales sententias amare debetis adolescentes, quia conveniunt cum natura. Et possunt usurpari venustissime in scribendo et dicendo. Cum vel tu ipse scribis ad parentes, vel cum hortari vis alios, ut parentes colant. Exuscitari etiam debent animi vestri, ut studeatis illa facere, quae conveniunt cum ordine divino, quem Deus in ipsa natura sanxit, partim lumine naturali, partim affectu et στοργῇ, imo etiam lege sua.

Alia res est, si parentes prohibeant studium verae doctrinae, aut si velint te cogere ad idololatriam, ad adorationem hominum mortuorum, aut artolatriam, id est, adorationem panis consecrati: Tum enim magis est obediendum Deo, quam parentibus.

De quarto loco.

Sequitur postremus locus de dicto: *Proficiebat sapientia, et aetate et gratia coram Deo et hominibus.* Sic argumentor:

> *Habens perfectam cognitionem omnium rerum non crescit nec proficit.*
> *Christus habet perfectam cognitionem omnium rerum.*
> *Ergo non crescit nec proficit.*

Respondeo at Minorem. Concedo de natura divina Christi: Sed quod ad humanam naturam attinet, Christus assumpsit humanam naturam, et quaecunque sunt propria humanae naturae, quae non sunt peccata: Ergo ut infantes habent sua incrementa in corpore et animo, sic Christus crevit membris corporis, et horum actionibus, et profecit in cognitione rerum.

Fuit vere infans, non potuit statim loqui, paulatim aucto robore coepit ingredi. Creverunt etiam in eius animo notitiae et affectus, ut in aliis hominibus. Non semper laetatus est, fuit saepe moestus. Creverunt etiam in eo exercitia virtutum, sicut Paulus inquit ad Philipp.: *Habitu inventus ut homo.* Et ad Heb.: *Habemus pontificem, qui est tentatus per omnia sine peccato.*

Alii quaerunt veteratorias et phantasticas elusiones, *Christus erat omniscius, noverat omnia,* inquiunt. *Ergo non didicit,* ut quando vas est plenum, tum nihil potest amplius infundi. Eiusmodi Diabolicae praestigicae sunt execrandae. Etsi enim fuit in Christo Divinitas, tamen ea non semper eodem modo, ut Irenaeus inquit, *Requiescente verbo ut mori et crucifigi posset.*

Fuit in Christo λόγος, qui est aeterna imago patris. Et hic logos non dolet, non excruciatur, non luctatur cum morte, sicut Christus secundum humanitatem cum morte luctatur, nec semper eodem modo sentit illam illustrem laetitiam, quae est in λόγῳ. Sic de notitiis. Non vidit eodem modo omnia semper, cum esset in illa humilitate.

Et quanquam apud scholasticos quoque, multorum variae quaestiones sunt de notitiis abstractivis et habitualibus, et fatendum est Christum habuisse singularia dona, tamen negari prorsus non potest, crevisse in Christo notitias intuitivas.

Ego novi crocodilum notitia abstractiva, scio, quid de eo scribatur, sed non vidi coram. Ideo non habeo intuitivam notitiam crocodili. Tu scis, quid sit elephas, sed non habes notitiam intuitivam. Sunt autem intuitivae notitiae illustriores, quam abstractivae. Ita Christus etiamsi scivit Coponium praesidem esse Ierosolymis, tamen cum eo venit, coepit eum agnoscere notitia intuitiva.

Crescunt etiam habitus non tantum acquisiti, sed etiam infusi, ut loquuntur, exercitiis. Sicut pulcherrime dicitur in versibus:

> *Vidi ego quassatas mota face crescere flammas*
> *Et vidi nullo concutiente mori.*

Ovidius autor horum versuum ipse iudicavit pulchros esse hos versus. Ac scribitur sedisse aliquando Ovidius, cum aliis in convivio. Ibi cum reprehenderent eum aliqui, quod dicerent esse eum negligentiorem in corrigendis suis versibus, Respondit Ovidius, fateri se, quod non libenter sumat sibi laborem emendandi suos versus, sed tamen, ut videre possitis, inquit, non deesse mihi iudicium, volo certare vobiscum. Scribat aliquis vestrum versus in tabulam, et quos iudicet esse optimos; et quos deterrimos: scribam etiam ego. Quidam ex convivis scripsit inter optimos, hos, quos nunc recitavi: *Vidi ego quassatas mota face, etc.* Et inter deterrimos: *Semivirumque bovem, semibovemque, virum.* Eosdem versus scripserat etiam Ovidius in sua tabella: Ex quo animadversum est, eum recte iudicare posse de suis versibus. Haec narratio extat apud Senecam.

Cum movetur facula, crescit ignis; sic omnes motus animi, affectus, habitus, virtutes agitando crescunt. Sic Paulus Timotheum iubet ἀναζωπυρεῖν *donum Dei,* id est, iubet accendere tanquam ignem sopitum. Nos debemus in donis Dei exercendis esse fideles, iuxta parabolam de negotiantibus.

Deus dat nobis talenta, aliis plura, aliis pauciora. Sed requirit ab omnibus fidelitatem, quae complectitur diligentiam in exercendis donis divinis, quae quidem ipsa exercitatione quoque crescunt.

Ita Augustinus dixit: *Dilectio meretur augeri dilectionem.* Multi disputarunt hic de merito. Sed Augustinus non respexit eo: Principaliter respexit ad hoc, quod habitus, notitiae, virtutes, crescunt exercitio, iuxta illud: *Omni habenti dabitur.*

Ita igitur in Christo creverunt omnia dona, quia exercebat ea. Hac simplici responsione simus contenti.

Multi putant esse decus ingenii omnia quae sunt recte constituta, labefactare argutiis, sed hoc non est decus ingenii: Illud potius laude dignum est, acquiescere in veritate, et vero corde orare Deum, ut regat mentes nostras, ut possimus manere in veritate.

Quaero, an sciverit Christus legere? Respondeo, scivit legere, quia non solum hic disputans cum Pharisaeis, allegavit sententias prophetarum, sed etiam in Synagoga legit locum Esaiae: *Spiritus Domini super me, etc.* Item Ioannis 8. dicitur: *Scripsit in terram.*

Quis docuit Christum? Respondeo. Didicit apud matrem. Etsi gens illa alioqui etiam valde fuit studiosa, et habuit singulis fere in locis scholas.

Proba, quod sit discendum: Respondeo. Ipsum exemplum Christi debet nos excitare ad discendum. Sed et Paulus dicit: *Attende lectioni, doctrinae, et consolationi.* Haec sententia omnibus nobis debet esse notissima.

Quare praecipit primum de lectione? Respondeo. Non temere incipit a lectione, quia doctrina Ecclesiae est dissimilis doctrinae philosophicae. Incipitne philosophia a lectione? Non, sed a Principiis. Omnis rationalis doctrina inchoatur a principiis natura notis, non a lectione. Fatui qui non possunt discernere numeros, non possunt doceri Arithmeticam.

Sed doctrina Ecclesiae non potest disci sine illis libris, quos Deus voluit scribi per prophetas et Apostolos. Oportet nos inchoare a lectione. Quanquam enim lex est nota naturaliter, tamen nos in Ecclesia indigemus confirmatione. Evangelium vero prorsus non est naturaliter notum. Est enim promissio reconciliationis et remissionis peccatorum gratuitae, prolata, seu revelata a filio Dei ex sinu patris.

Quia ergo oportet nos discere ex libris, Ideo Paulus incipit a lectione, ut moneat, nos debere alligatos esse ad verbum.

Adiungit autem lectoni doctrinam. Quare? Quia loctioni textus, oportet adiungere explicationem et ordinem. Oportet tradere definitiones et distinctiones, quia alii textus, qui loquuntur de regno Christi, dicunt de regno externo mundano, ut, *Regnum meum non est de hoc mundo,* alii loquuntur de aeterno et spirituali regno, ut, *Regni eius non erit finis.*

Ita oportet explicari, quid sit iustificari operibus, quid item iustificari fide. Cum essemus Augustae in conventu, et confessio esset scribenda, Quidam dicebat, Propositionem, iustificamur fide, posse probari ex Catone, in quo scriptum sit:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi praecipue sit pura mente colendus.

Quaero, an recte intellexerit iste propositionem Apostoli? Respondeo. Non, quia putavit hoc dici, quod internis operibus simus iusti. At longe aliud est, iustificari fide, videlicet, Quod simus iusti, id est, accepti Deo per misericordiam propter filium, quam fide oportet nos apprehendere, non propter nostram dignitatem. Haec certe et similia oportet doceri iuventutem, et Deus vult esse ministerium in Ecclesia, ut homines doceantur.

Sed cur addit Apostolus: *Attende consolationi?* Respondeo. Finis sapientiae humanae est postremus versus Virgilii:

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Sed finis doctrinae Ecclesiae est vita aeterna, iuxta dictum: *Omnis qui credit in filium, habet vitam aeternam.* Haec est consolatio, quae quidem et praecipua est in omnibus tentationibus. Haec dico propter nostrum ordinem, ut sciant adolescentes literarum studia mandata a Deo esse. Commendemus igitur Deo cursum nostrum, et sciamus Deum defensurum scholas et congressus Ecclesiasticos.

DOMINICA II. POST EPIPHANIA.

Evang. Ioan. 2.

Et factae sunt nuptiae tertia die, etc.

Explicatio circumstantiarum textus, et vocabulorum.

Quem diem intelligit Evangelista?

Respondeo. Christus post Baptismum ingressus est in desertum, ubi cum tentatus esset, venit postea in Galilaeam, ubi haec historia facta est. Nam ex Galilaea postea ascendit Hierosolymam, ad illud primum pascha, in quo expulit ex templo

nummularios, qui lucrum faciebant ex commutatione pecuniae in emendis et vendendis victimis.

Quid significat vox Galilaea?

Respondeo. Galilaea idem est quod regio limitanea, Eine grenz. Nos in Germania, loca limitanea vocamus Marchias, ut cum in historiis nominatur Marchia Orientalis, quae hodie vocatur Österreich Item Marchia Badensis, Marchia Brandeburgensis, Marchia Misnensis. Nam limes et Marckt eandem habent significationem. Quanquam Sabinus non ineleganter vocabulum Marchiae derivabat a Nomarchia, quae vox est in libro Maccabaeorum, Et composita est a νόμος et ἀρχη. Significat autem νόμος praefecturam. Aegyptus fuit distincta in duodecim νόμους. Sed retineo in appellatione Marchiae Etymologiam congruentem cum lingua Germanica, ubi Marckt significat limitem, et Marcktstein est signum limitis.

Ideo autem Galilaeae hoc nomen tributum est, quia fuit extrema hora Palaestinae, id est, eius terrae, quam tenebant Israelitae. Ac fuerunt in Galilaea et in vicinia, amoenissima loca. Fuit ibi Cana Galilaeae, Naim, Nazareth, Capernaum, Tiberias. Nec procul abfuit stagnum Genezareth. Horum locorum crebra fit mentio in historia Evangelica, quia in singulis fere oppidulis istis facta sunt insignia miracula a Christo.

Naim habet nomen ab amoenitate, Sic et Capernaum significat idem, quod villa pulchra oder Schöndorff. Apud Iosephum Capernaum nominatur Iulia. Nazareth nomen habet a surculo.

Vocabulum Cana simpliciter expono arundinem, et congruit in lingua Latina nomen Canna, Quia multa vocabula in omnibus linguis Germanica, Vandalica, Latina, Graeca, sunt ex Hebraea lingua, quae est prima et antiquissima. Ideo quoties in aliis linguis vocabula reducere possum ad fontes Hebraeae linguae, soleo esse contentus, nec quaero ulteriores Etymologias.

Sic ergo communem illam interpretationem retineo in nomine Canae, quod sic dicta sit ab arundine, quia multum eo in loco fuit arundinum, propter paludes vicinas. Estque imago Ecclesiae, quae celebrat nuptias in arundineto.

Arundinetum significat istas miseras, infirmas, fragiles, aerumnosas politias, in quibus Ecclesia habet suos nidulos. Quanquam enim proprie illius populi politia significatur, tamen in genere intelligi possunt omnia hospitia Ecclesiae, quae plerumque sunt infirma, et languida. Non praebent defensionem, cum opus est, nec habent stabilem aliquam pacem. Sed et nos ipsi in tanta fragilitate naturae humanae quid sumus aliud nisi arundinetum?

Fit in hac historia etiam mentio hydriarum, et Metretae. Est autem Metreta genus mensurae continens sextarios sexaginta, aut triginta cantharos, quia duo sextarii faciunt unum cantharum. Sextarium nominamus Ein Nösel, id est, duae cotylae. Si ergo una hydria habuit duas metretas, quaelibet ex illis sex hydriis, aequavit amphoram, quam nos vocamus Eymer. Donavit ergo Christus sex amphoras vini, id est, sex Eymer, quod nostrates dicunt, Ein halb füder weins.

Vocabulum nostrum Germanicum Eymer est ab amphora. Ac Romae in Capitolio fuit olim amphora saxea et quadrata, quae ibi collocata fuit, ut maneret certitudo mensurae, ne caupones corrumperent mensuras, sicut apud nos in multis oppidis Medimnus saxeus collocatus est in foro, quod est utile consilium, ut maneat certitudo Mensurae, et ut suspicio defraudationum removeatur, si quis forte mensuram angustiorem velit supponere in privatis aedibus.

Vocabulum autem amphora est originis Graecae, ab ἀμφὶ, id est, circum, et φέρω porto, ἀμφιφορεὺς vel ἀμφορεὺς est vas, quod potest gestari cum duabus ansis, sed fuit quadrangula amphora, ut esset certior capacitas.

Vetustas fuit studiosa Geometricae, et quicquid habemus utilium inventionum in artibus, habemus ab illa sapienti antiquitate. Et Deus vult vitam hominum esse ordinatam, et servari similitudinem mensurarum et pretiorum.

Quod nos vocamus Einen Eymer, in his nostris regionibus, non multum discedit a veteri mensura amphorae, Sed non dico iam de praecisione, quia tempora, et malitia hominum semper aliquid abradunt et mutant, sicut meminimus etiam nostra aetate hoc accidere, ut pondera et mensurae magis magisque diminuantur propter avaritiam, superindicta, expilationes, et βουλιμίαν subditorum et gubernatorum.

Quid significat βουλιμία? Est morbus plurimum vorantium, et tamen assidue esurientium. Ein wolfs-hunger. Talia nunc passim sunt regimina. Exugunt et exhauriunt sanguinem miserae plebis, neque gubernatores inde ditescunt. Hae communes miseriae in vita simul considerandae sunt in explicatione vocabulorum.

Fortassis multi vestrum sciunt, quibusdam in locis ostendi hydrias, similes capacitate cum his, de quibus narratur in Evangelio. Ego vidi duas, unam Magdeburgi, alteram Bambergae. Utraque magnitudinem et formam referebat pene similem. Sed non puto probari posse, quod hydriae illae, quae monstrantur in Ecclesiis Cathedralibus, eaedem sint cum illis, de quibus Evangelista narrat, quod fuerint lapideae, et quod ibi fuerint positae, hoc est, collocatae, ut uno in loco aedium perpetuo manerent.

Potest fieri, ut fuerint lapides excavati, Steinern tröge: Non autem hydriae quales fiunt ex argilla, et quae manibus portantur. Idque capacitas indicat. Nam Evangelista inquit, singulas coepisse metretas binas aut ternas. Tantum liquoris non

potuit ab uno portari, quia communis urna, seu amphora aequat pondere centenarium unum et dimidium. Minores autem hydriae potuerunt capere amphoram. Maiores sesquiamphoram.

Additur etiam apud Evangelistam, quod positae fuerint hydriae istae secundum purificationem Iudaeorum, id est, secundum consuetudinem illam, qua Iudaei crebris lotionibus uti solebant, quemadmodum Marci 7. scribitur. Non est igitur absurdum dicere, aequales fuisse positos in vestibulo aedium, ut ingredientes sese abluerent.

Christus fortassis fuit cognatus sponso vel sponsae, Quia Maria describitur hic, tanquam una ex gubernatricibus rei culinariae vel penoris, Ideo decuit Christum dare *γαμήλιον* excellentius quam alii dederunt.

Quantum pecuniae solvitur mediocribus annis pro una amphora vini boni?

Respondeo. Apud nos vinum est carius, quia hic non nascitur, et multum impenditur pro vectura. Sed ubi nascuntur, potest amphora boni vini, id est, ein Eymer oder halbe Ohme comparari duobus aut tribus florenis. Itaque si numeres saltem sex amphoras, tamen fuit munus egregium, et fuit haud dubie vinum generosissimum melius usitato, seu patrio vino, quanquam alioqui etiam vinum in Iudaea et Phoenicia fuit valde generosum, et adhuc hodie habetur inter laudatissima vina.

Illi novi sponsi potuerunt reservare aliquid ex tanto munere ad oeconomiam instituendam. Non enim omne exhaustum fuit in convivio nuptiali. Nos Germani profundimus dona Dei, et bestialiter haurimus vina, etsi bestiae non bibunt plus, quam naturae convenit. Vulgo dicitur: *Plures pereunt gula, quam gladio.*

Deus dedit vinum Nohae iam seni, ut natura infirma haberet potum, ex quo melior sanguis fieret, et qui melius nutriret. Aqua nostra fontana est valde exigui nutrimenti. Nam quo est aqua purior, eo minus nutrit. Nihil enim nutrit, nisi quod est mixtum. Illa aqua, quae ex cavernis montium profluit, est magis cocta et dulcior, quia magis est mixta, est naturae terreae et aereae. Aqua, quae non est mixta, est insipida. Dulcedo est ex mixtione. Quo ergo aqua plus est mixta, eo est accommodatior ad nutriendum. Et tamen est exigui nutrimenti. Vinum melius nutrit, et quo est plenius, eo est ad nutritionem accommodatius.

Dedit igitur Deus vinum senescenti naturae et senibus salubrior est usus vini quam iuvenibus. Ideo recte nominatur vinum, *lac senum*, et Solon iam senex, ut est in eius carmine, inquit, *se duabus rebus delectari, vino et discendo.* Architriclinus ipse commendat generositatem vini, cum inquit: *Tu servasti bonum vinum usque ad hoc tempus.* In quo simul est dulcis allegoria pro agentibus poenitentiam. Vinum Evangelii est dulcius vino legis. Item post Mosaicam politiam datur melius vinum Evangelii.

Quid significat Triclinium?

Respondeo. Significat utrumque, Locum seu conclave, in quo erat mensa: et mensam ipsam, circa quam erant tres lecticae, seu scamna.

Nomen Triclinii est, quasi dicas *τρεῖς κλίναι*, tres lecti. Veteres non assederunt ad mensam, ut nos erecto corpore, sed discubuerunt quietis causa.

Quando Maria Magdalena accessit ad pedes Christi, non occultavit se sub mensa, sed astitit ad lectum, in quo Christus accubuit, pedibus in lectulo collocatis. Mensae potuerunt removeri, quae nominantur *τραπέζαι*, unde est apud Virgilium:

Postquam epulis exempta fames mensaeque remotae.

Sed Triclinium aliud fuit, scilicet lectuli positi ad quamlibet mensam, ac plerunque tres lectuli ponebantur ad unam mensam, quia tres possunt colloqui, et sermones inter se permutare. Inde Proverb. est: *Tres convivium, novem convicium.* In Germania, in unam Mensam contruduntur ut plurimum duodecim, saepe etiam plures. Et alter consusurrat cum altero, non aliter, quam si proderent se mutuo.

Colloquia in conviviis debent esse communia, et suavia, et habere vices. Debemus convenire ad mensam cum invocatione et gratiarum actione, et alter alterum recreare debet suavitate sermonis. Singuli pro decoro personae suae debent occasiones quaerere dicendi aliquid, quo alii excitentur, et discutiantur affectus. Mihi valde molestum est, quando aliqui in mensa sedent, qui tantum pendent de vultibus et oculis aliorum, aut tacite inter se colloquuntur, tanquam insidiatores. Cogitemus illos veteres sapientes homines fuisse suaves, et amanter una vixisse, non fuisse feros, non barbaricos.

Est apud Bachilidem, quod bonum convivium debeat habere non corpora bonum, sed mediocrem apparatum cibi, et bonum vinum, Item Musicam seu colloquium suave: et benevolentiam convivarum, quae est anima boni convivii, Quia non est vera laetitia, ubi non est amor mutuus.

Architriclinus significat eum, qui curabat totum convivium, quasi dicas, praesidem Triclinii, sive intelligas lectulos illos positos ad mensam, sive coenaculum.

Est usitatum dictum: Qui servat ordinem ad mensam, is servat etiam ordinem in laboribus. Wer sich nicht recht zu Tisch schickt, der schickt sich auch nimmermehr zur Arbeit. Multi non servant ordinaria tempora prandii aut coenae. Hi conturbant etiam ordinem laborum in vocatione. Aliqui, etiam exordinarie se implent cibo et potu, postea cum as-

sident ad mensam: sedent tibi tantum pro forma, habent mensam pro μαρεργῷ interim tamen pereunt sumptus.

Vetustas fuit amans ordinis etiam in victu, quem non tantum patresfamilias servabant, sed etiam caeteri, qui erant in familia. Idque non modo ratione temporum, verum etiam ratione modi seu mensurae in victu familiae.

Paterfamilias singulis quotidie dedit Choenicem, id est, panem pro tribus nummis, et sextarium vini, et certam partem carnis, et aliquot ficus. Fit mentio Choenicis in Apocalypsi. Latini vocarunt dimensum. Et potuerunt homines temperantes habere inde, quantum satis fuit naturae: Imo etiam comparcere aliquid, ut ille apud Comicum inquit: *Comparsi de meo dimenso.* Vetustas non fuit sordida, nec inimica naturae, sed liberalis, et potuit paterfamilias scire, quantum quotidie opus haberet ad alendam familiam.

Inter nostros homines magna est barbaries. Hoc totum, quod vocatur temperantia, parsimonia, frugalitas, ignorant nostri homines: Non cogitant, quid consumant quotidie, aut quid reliqui habeant. Haec declaratio vocabulorum est consideranda, quia multa complectitur historica. Et dignum est homine erudito considerare antiquitatem.

Multi contemnunt ista, sed hoc non est artis. Quid est enim cuique facilius, quam omnia contemnere? Quod stulti etiam faciunt, et res ostendit plerumque illos, qui ista aspernantur, etiam in caeteris rebus maioribus non quaerere veritatem, sed certare odiis, et delectari praestigiis absurdarum disputationum. Tales neque veritatem volunt audire, neque antiquitatem. Sed sinamus illos frui sua stultitia.

Interim adolescentibus gratum sit haec considerare, quae ad augendam quoque eruditionem multum momenti afferunt.

Prosunt etiam illa moribus, et multa monent de ratione valetudinis habenda. Mensurae veterum monent nos de frugalitate, quae respicit collocationem rerum in oeconomia, quia est virtus, quae ordine et oportune collocat et fruitur rebus. In multis familiis multo plus perit inutiliter, quam recte collocatur, ut eo fruantur homines, et propter profusiones illas plectuntur Principes et populus. Si esset frugalitas, plus esset pecuniae ad res magnas gerendas. Nec inconcinnum est proverbium: *Bonus Servatius, facit bonum Bonifacium,* id est, qui res suas recte collocat, et aliquid tempestive comparcit, is potest etiam benefacere aliis.

Sed et valetudo nulla re magis iuvatur, quam temperantia, quae est virtus medica, et tribuit honorem corpori, id est, non perdit corpus vel abstinendo nimium, vel immodico cibo et potu, quia πᾶν τὸ πολὺ πολέμιον τῇ φύσει, ut est apud Hippocratem.

Nec pugnat cum temperantia, tempestiva hilaritas, ut ille inquit apud Athenaeum, *Tres potus concessos esse, primum restinguendae sitis causa, secundum salubritatis, vel somni causa, tertium hilaritatis, sed quartum esse vitandum, qui est furoris.*

Dicebam nuper ad Stigelium, me praebibere ipsi poeticum haustum, id est, de bono potu, et ex bono corde. Μισάνθρωποι, id est, morosi et abhorrentes ab omni consuetudine hominum, sibi ipsis plurimum nocent. Mihi placet versus ille: *Sint tempestivae coenae, laetaeque profestae.*

Unde est nomen nuptiae? Respondeo a nubendo. Nubere autem est velare, quia in solennitate nuptiarum sponsae velabantur, sicut omnes gentes habuerunt certos ritus nuptiarum. Vocabulum nuptiae est convenientibus mulieribus. Ideo in Epithalamiis rectius est ita formare titulum: *Epithalamion, scriptum in honorem coniugii huius vel istius*, quam in nuptiis.

Graecis γάμος commune est viro et mulieri, et dicitur ab ἅμα, id est, simul vivere: ut coniugium apud Latinos nominatur a copulatione duorum. Maritus et uxor sunt coniugati, id est, colligati et copulati ad perpetuam societatem. Et haec quidem de vocabulis. Nunc dicendum est etiam aliquid de rebus ipsis, et primum de castitate in genere, postea de coniugio. Tum etiam de significatione istius historiae seu allegoria.

De primo loco.

Quid est Castitas? Respondeo est virtus, vitans omnes seminis profusiones lege Dei prohibitas. Haec definitio fit remotione contrarii, κατ' ἀφαίρεσιν ἐναντίου, ut cum definimus sobrietatem, dicimus eam esse, non fieri ebrium. Nam vitia magis sunt nota.

Adolescentes quando exercent se in scribendo, saepe argumenta poematum et declamationum sumere debent de materia Castitatis, Quia Deus delectatur hac cogitatione, et studia abeunt in mores, et multa sunt praeclare scripta de hac virtute. Multae sententiae insignes et historiae possunt intexi eiusmodi scriptionibus, de praemiis castitatis, et de poenis libidinum.

Diabolus illaqueat homines tetris libidinibus, ut irritet iram Dei adversus genus humanum. Tristis est illa clausula, quae ponitur in fine 18. capitis Levitici: *Omnis anima quae fecerit abominationes istas; eradicabitur*, omnis anima, inquit, sive sint reges, principes, domini, sive subditi et infimae conditionis homines, dabunt poenas con-

fusionum in libidinibus. De poenis aeternis inquit Apostolus: *Nolite errare, scortatores et adulteri non possidebunt regnum Dei.* De caeteris poenis notum est illud in Epistola ad Heb. *Scortatores et adulteros puniet Deus,* quod intelligatur vel mediate vel immediate.

Erat hic quidam Phanaticus, qui scripserat magnum librum, quem volebat exhibere Duci Saxoniae. Habebat suam quandam Phantasian de reformatione Ecclesiae. Is utebatur hoc argumento:

Scortatores iudicabit Deus.
Ergo non homo.

Ego inspecto libro retinui eum apud me, et dissuasi, ne publicaret, in quo ille me audivit, cum instruxissem eum viatico. Est autem inepta consequentia illius argumenti, quia in antecedente comprehenditur Magistratus, sicut et in illo dicto: *Mihi vindictam et ego retribuam*, scil. vel mediate vel immediate. Potestas ordinaria est manus Dei, sed quando potestas est negligens in officio suo, Deus punit.

Semper in mundo maximae poenae grassantur propter libidines. Nominantur hae diserte inter causas diluvii. Postea Sodoma et Gomorrha pereunt propter libidines. Ita Thebae et Troia, Item maxima pars tribus Beniamin propter eandem causam pene funditus deletur.

David lapsus adulterio quantam ruinam in isto populo traxit? Quanta mala in familia ipsius secuta sunt? Coniuges eius stuprantur a filio, filii mutuis caedibus cadunt. Et antea Ammon stupraverat sororem Thamar, quia peccata in semine puniuntur in semine. Etsi David egit poenitentiam, tamen non tulit impune adulterium commissum.

Multi alii, qui non convertuntur, ruunt insuper in aeternas poenas, a quibus etsi liberantur, qui convertuntur ad Deum, tamen sentiunt poenas in hac vita.

Cogitemus exempla in familiis magnorum Principum nostra aetate, quia talia sunt conspectiora, Quanquam etiam in privatis familiis quotidie se exempla offerunt. Polluunt se potentes, quia putant sibi hoc licere, sed vel ipsi, vel liberi luunt poenas libidinum. Ego ipse multorum exempla memini, qui miserrime perierunt propter libidines.

Fuit Marchio Badensis, qui factus est Episcopus Trevirensis, in quo adhuc iuvene tanta erat vis ingenii, ut in conventu Coloniensi, Anno 1505, responderit nomine Imperii, legatis Pontificis Latine, legatis Venetorum Italice, legatis Galiicis Gallice, statibus Germanicis Germanice. Fuit doctus in iure, industrius in musica, et in re militari. Debuit habere coniugem, quae fuit mater Ducissae Bavariae, sed Maximilianus I. Imperator propter exellentiam ingenii ipsius, voluit eum esse Electorem, cum diceret, opus esse Imperio eiusmodi Principe, inter Electores spirituales, qui antecelleret aliis. Man muste einen gelaren haben, der ein Man wer für andern. Fuit autem ille incontinentior. Tandem interfectus est a sutore in Cobolentz, id est, ad confluentem Mosellae et Rheni.

Cum essem Heidelbergae, Dalburgius, Cancellarius principis Alberti Palatini, vir ingeniosissimus, doctus Latine, Graece et Hebraice, versatus in iure, mathematis, et omni doctrinarum genere excultus, ingressus in domum meretricis incidit in cellam vinariam, et misere periit. Factum hoc est Anno 1513. Fuerat hic Dalburgius familiaris Rudolpho Agricolae in Italia, quem secum postea aliquot annis Heidelbergae habuit. Erat tanta eius industria et eruditio, ut omnibus anteferretur, quotquot tunc erant in aula.

Novi etiam comitem valde eruditum, excellentem ingenio et consilio, Ludovicum de Lewenstein, qui gratus erat Imperatori Maximiliano I. et multis aliis Principibus. Is cum male regeret mores, propter incontinentiam interfectus est a quodam suo scriniario seu famulo [illegible], quem ablegaverat alio ad literas alteri cuidam perferendas. Sed scriniarius suspicans aliquid mali, cum simulasset abitum, abdidit se in domo, et cum Comes lectum uxoris peteret, eum interfecit. Talia exempla multa possem commemorare, quae nostra memoria facta sunt, ex quibus adhuc unum commemorabo.

Erat Ulmae homo honestus, sed inferiori genere natus, qui habebat uxorem male moratam, sed natam ex potentiori et nobiliori familia. Hic saepe conquestus est apud propinquos de moribus uxoris. Sed cum videret suas querelas non audiri aequo animo, aliquando mane domo egressus est, tanquam abiturus Francofortum ad mercatum. Rediit autem paulo post, clam relicto equo in proximo aliquo pago. Cum se occultasset, venit vesperi Moechus, quem suspicatus ille fuerat affuturum esse. Convivium productum est in multam noctem, tandem Moechus contulit se in cubiculum uxoris. Ille hactenus sub scalis latitans, cum tota familia cubitum ivisset, ascendit, induit thoracem, reperit cubiculum clausum. Mulier audiens strepitum surgit, aperit ianuam, haud dubie fato divino. Circumspectat, quis adsit. Ille vero apprehendit seram, irruit in cubiculum, et interficit Moechum et coniugem. Sequenti die venit in senatum, exponit negotium, et absolvitur a crimine parricidii. Non potuit enim puniri, quia legibus hoc conceditur.

Vetera exempla nunc omitto. Singuli cogitent exempla similia, quae ipsis nota sunt, et considerent in his iudicium divinum, et discant timorem Dei. Universaliter, atrocissimae poenae sunt in

mundo, omnibus temporibus propter Idololatriam, caedes, et libidines.

Iam considerentur etiam causae, quare Deus tam severe puniat contaminatos libidinibus, et cur velit coli castitatem, et ubi manserit in genere humano huius virtutis intellectus et reverentia. Est igitur principalis causa, cur Deus velit notam esse castitatem, ut sciamus, Deum esse essentiam castam, et discernamus eum a Diabolis immundis, Ideo enim vult intelligi castitatem, et caeteras virtutes: Ideo etiam punit horribiliter libidines, ut extent testimonia, quod sit Deus, et qualis sit, Item ut ordo virtutum sit testimonium providentiae, et poenae testentur de iudicio divino.

Saepe recito hunc versum: *Casta Deus mens est, casta vult mente vocari.* Cum invocamus, oportet cogitari, quid invocemus. Oportet in invocatione seiungere Deum ab aliis creaturis. Non enim apprehendimus manu Deum, nec intuemur eum oculis corporalibus in hac vita. Intuemur autem eum mente, et cogitatione discernimus eum a Diabolis, etsi neutrum videmus, nec palpamus manibus.

Ethnici fecerunt confusionem Dei, bonorum angelorum, et Diabolorum. Omnes istos vocarunt Deos. Ita non debet fieri a nobis in Ecclesia.

Cogitemus, hanc esse insignem differentiam, et inter precandum mente et verbis discrimen illud exprimamus, quod Deus sit verax, iustus, beneficus, misericors, propter filium, et castus. Contra quod Diabolus sit spiritus immundus, qui delectetur mendaciis et destructione generis humani, et incitet miseros homines ad libidines tetras, odio Dei. Nam ipsi nihil prosunt libidines, cum non sit corpus, nec habeat carnem, mixtam ex Elementis. Interim tamen cupiditas vindictae adversus Deum, et malitia, qua studet nocere hominibus, delectat eum.

Manet autem in sola Ecclesia intellectus castitatis, et aliqua eius reverentia. Gentes non retinuerunt intellectum castitatis, approbarunt abominandas confusiones libidinum. Papa etiam cum suo impuro coelibatu hac labe aspersit ordinem sacerdotalem: Et pleraeque sectae et haereses contaminatae fuerunt libidinibus, ut hodie Anabaptistae.

Hoc diligenter consideret iuventus, ut quia sumus membra Ecclesiae, amore castitatis ornemus Ecclesiam, non deformemus. Nunquam ex animo deponamus praecepta vocis divinae de castitate, et exempla poenarum. Profecto enim magnum quiddam est, quod scriptura inquit: *Sine castitate nemo videbit Deum.* Et si maior cura castitatis esset, minus esset poenarum et dissolutionum in omnibus gradibus vitae humanae.

Non potest satis dici de praestantia castitatis, et de ingentibus miseriis, quae comitantur contrariam turpitudinem. Adolescentes huic cogitationi addant preces et gemitus, quibus petant a Deo castitatem, et continentiam, et orent depelli a se Diabolum, qui mirifice insidias struit iuvenili aetati, ut sauciet conscientias, et implicet multos horribilibus poenis.

Erat quidam pastor in oppido Weida, quod non dico ad cuiusquam contumeliam, sed ut adolescentes discant intelligere, et vitare insidias Diaboli. Iste habebat honestam coniugem, ex qua etiam liberos susceperat, sed attigit aliquot alienas, ac tandem carceri inclusus est. Dux Ioannes, ut amabat castitatem, ita iussit eum decollari. Pastor in ipso supplicio gratias agebat Deo, quod revocaret ipsum ad poenitentiam, ac profitebatur se antea, cum saepe habuisset in animo mutare mores, tamen aliquoties relapsum esse. Item se coegisse ancillas quasdam ad libidinem apposito cultro ad pectus illarum. Hoc certe plane est Diabolicum, addere flagitiis molitiones caedium perpetrandarum. Adeo furit et saevit Diabolus in miserum genus humanum.

Debet autem ad preces adhiberi etiam circumspectio quaedam in vitandis occasionibus, quia verissimum est quod dicitur: *Vitare peccata est vitare occasiones peccati.* Contra vero, *Qui amat periculum peribit in illo:* Et hoc volunt illa dicta poetarum: *Ipse alimenta sibi maxima praebet amor.* Item: *Intrat amor mentes usu, dediscitur usu.*

De secundo loco.

Secundus locus est de Coniugio, quod est pars quaedam castitatis. Quandocunque autem dicendum est de coniugio, pulcherrimum est, ordiri ab illa concione in Genesi: *Dixit Dominus, Non est bonum, hominem esse solum.* Ita enim ordimur a fonte. Ac certum nobis sit, quod singulare aliquid instituatur, quoties in scriptura legitur: *Dixit Dominus.* Est enim *dicere,* cum Deo tribuitur, idem, quod decernere et sancire mirando consilio, propter causas gravissimas, nec solum arcana deliberatione statuere, sed etiam patefacere generi humano hoc consilium, seu decretum sua voce.

Postea si addatur illa sententia: *Erunt duo in carnem unam,* id est, unus mas et una foemina inseparabiliter iuncti: facile est, extruere totam definitionem coniugii. Est enim legitima et indissolubilis coniunctio unius maris et unius foeminae, instituta divinitus, ut agnoscamus Deum esse mentem castam, et ei in castitate serviamus, et hoc modo propagato genere humano colligatur Deo aeterna Ecclesia.

In eodem quod iam citavi dicto comprehensum est totum praeceptum: *Non moechaberis.* Nam si

tantum *duo*, id est, mas unus et foemina una vivere debent in coniugio, sequitur, prohiberi omnes alias commixtiones extra institutionem illam. Particula vero: *in carnem unam*, significat inseparabilem coniunctionem.

Haec est antiquissima lex coniugii sancita statim in paradiso, cum natura adhuc esset integra. Hanc voluntatem Dei necesse est nos intueri, Quae cum singulari deliberatione sit sancita, sequitur, ut quaeramus, quare Deus duos condiderit? Cur enim non condidit genus humanum, ut singuli nascerentur ex singulis, sicut ex uno semine nascitur arbor, et ex una planta nascitur semen pro pluribus? Respondeo: placuit Deo duos condere, ut esset Ecclesia, et ut in societate celebraretur. Plura dicere non possum, sed in vita aeterna videbimus altiores et profundiores causas.

Sed rursus quaeritur: Quare Deus condidit marem et foeminam, cur sic est ordinata generatio, ut sit maris et foeminae copulatio? Respondeo: ut sit amor verus, et ordinatus, Item significationis causa, ut Paulus dicit: *Mysterium magnum est: Dico autem de Christo et Ecclesia.* Multi disputant de causa amoris, sed sympathia naturalis est vera causa amoris. In nuptiis Cadmi Musae cantarunt hunc versum: *ὅττι καλὸν, φίλον ἐστὶ, τὸ δ' οὐ καλὸν, οὐ φίλον ἐστί*, id est, *Quod pulchrum est, carum est, quod non pulchrum est, non est carum.* Verum saepe fit, ut aliquis amet minus pulchrum. Id fit propter similitudinem animorum: Nec est universaliter vetus versus Propertii: *Cur quaeris: quare non habet ullus amor?*

Est Fabella. Quidam Eremita ducebat filium suum secum in civitatem. Videt ille virgines, quas nunquam conspexerat ante. Quaerit ex patre: quid hoc est animalis? Miratur pater, eum statim coniicere oculos in puellas; sunt anseres, inquit. Tum ille: o utinam et nos haberemus tales anseres.

Sed concinnius est illud Epigramma, in quo dicitur adolescens quidam iussisse virginem oculos coniicere in terram, cum tamen ipse illam contueretur, illa lepide respondet: Tu es ex terra: potius tu intuere terram: Mulier ex viro sumpta est: cur ergo non intueret materiam, ex qua orta sum? Significatur, quod *στοργή* sit mutua et naturalis in viro et muliere.

Res digna admiratione est: Omnium adolescentum amores primi sunt casti. Saepe fit, ut adolescens et puella mutuo amore se prosequantur, et in coelo se esse putent, si aspicere aut contueri se invicem liceat. Neque auderet quisdam inhonestum verbum dicere alteri, multo minus mali aliquid expetere. Ille est castus et sincerus amor. Et talem vult nos Paulus cogitare in Christo amorem erga naturam, quam assumpsit et erga Ecclesiam.

Discant autem hic adolescentes respondere etiam ad vulgare argumentum:

Deus dixit: non bonum est homini esse solum.
Paulus vero ait: bonum est homini mulierem non tangere.

Quomodo haec sunt concilianda? Respondeo. In Genesi dicitur de specie generis humani, id est, de tota natura hominum, quae sic condita est, ut sit foecunda. Non posset genus humanum propagari, nisi fieret procreatio sobolis. Si Adam et Eva fuissent coelibes, desiisset in eis genus humanum.

Paulus vero loquitur de individuo, id est, de paucis quibusdam, habentibus donum continentiae, Item de iis, qui non sunt idonei ad coniugium, ut senes, imbecilles, onerati magnis doloribus, et curis Reipublicae, ut multa sunt, quae possunt hominem languefacere. Non igitur tollit Paulus, nec improbat ordinem coniugii, quia ipse se interpretatur: *Melius est nubere, quam uri.* Item, *Unusquisque suum donum habet.* Tollit autem superstitionem, seu opinionem necessitatis, quasi omnibus sine exceptione necessario imponendum sit coniugium.

Hominem sexagenarium ducere uxorem est fatuitas et stultitia, et aliquid alienum a natura, quae alioqui est infirma in senibus. Aliqui senes ita sunt stupidi, ut secundo vel tertio contrahant matrimonium. Haec est stulta quaedam imaginatio et phantasia, et recte dicitur: *Turpe senex miles, turpe senilis amor.* Apud Athenaeum est hic versus:

ὥρα δὲ ἐρᾷν, ὥρα δὲ γαμεῖν, ὥρα δὲ πεπαῦσθαι. *Tempus est amandi, tempus ducendi uxorem, tempus cessare ab amoribus.* Item est alius versus Graecus:

ἐσχάτη δυστυχία γέρων ἐραστής. *Extremum infortunium est senex amans.*

Capnio ridebat senes amatores hoc ioco. Dicebat oportere senem amantem, marsupium plenum aureis appendere ad longam furcam, et demittere per fenestram, et animadvertere, num amica accedat, et videat, quid sit in marsupio aperto.

Sed redeo ad conciliationem dicti Genesis et Pauli. Etiam Hieronymus et alii scripserunt: *Bonum est homini uxorem non tangere. Ergo malum est tangere.* Valetne consequentia?

Respondeo. Non, Quia contraria debent opponi iuxta differentias, non iuxta genus aut communia accidentia. Item, remoto uno contrario, non necesse est poni alterum, praesertim in contrariis mediatis. Non sequitur: haec tunica non est alba: ergo est rubra, quia potest esse nigra. Bonum et malum sunt contraria mediata. Bonum morale est medium inter bonum naturale, et malum naturale.

Bonum naturale concessum est, quod est et coniugium et purus coelibatus, vel virginitas. Ioannem Baptistam, Christum, et Paulum non ne-

cesse est ducere uxorem, et hic coelibatus ipsorum est res bona, non impura. Denique virginitas est virtus, et coniugium potest esse virtus in sancte et recte utentibus.

Cogitemus autem hic et antithesin: *Dixit Dominus: Non est bonum homini esse solum*, Contra vero dixit Papa, dixit Diabolus: Homo non vivat in coniugio, fiat Monachus, fiat monialis, fiat sacrificus. Hoc est unicum fundamentum impuri coelibatus clericorum, Sed nos constanter opponamus illud: *Dixit Deus.* Huic voci divinae qui non obtemperant, offendunt oculos Dei et angelorum, contaminant coelum et terram, polluunt totam naturam rerum, et tales non potest non punire Deus, tum in hac vita, tum post hanc vitam.

Complectamur hic etiam dissimilia iudicia hominum de coniugio. Videmus, quam dissimiliter Ethnici de eo loquantur. Est usitatum dictum: *Μεγάλη τύραννις ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή, Soboles et uxor est magna tyrannis, seu magnum onus viro.* Id verum est, in bonam et malam partem. Quam multa cogitur facere et ferre maritus uxoris et liberorum causa? Boni bene ferunt, et multa discunt in coniugio, sicut recte dixit Stigelius:

Coniugium humanae quaedam est Academia vitae,
In qua nemo satis se didicisse putet.

Sed mali male ferunt, ex quibus multi ex impatientia deserunt coniuges, quia non possunt sustinere hoc onus coniugalis vitae.

Simile dictum est Menandri: *Qui ducit uxorem, in medium pelagus se coniicit.* Hoc verum est, si respicias ad difficultates et aerumnas coniugii, ex quo non licet fugere. Hinc uxor et liberi retinent, illinc Deus punit desertores.

Adde et illud dictum: *χειμὼν κατ' οἴκους ἐστὶ ἀνδράσι γυνή. Mulier est viro in familiis tempestas,* quia natura mulierum est inquieta et polypragmonica. Paulus uno verbo modeste et verecunde ista omnia complectitur, *Qui maritus est*, inquit, *divisus est, servit Deo et familiae.* Iuventus ista nondum intelligit, sed considerare tamen debet, ut cum timore Dei et invocatione ingrediatur in hoc vitae genus, Et cogitet non posse sustineri hoc ingens onus, nisi Deo iuvante.

Opponamus autem sententiam Salomonis: *Qui invenit uxorem, invenit bonum, et hauriet voluptatem a Domino.* In Graeco est verbum *εὐτυχῶν*, id est, qui feliciter ducit uxorem, cuius coniugium est felix, ille invenit magnum bonum. Germanice dicimus: Dem es gereht, der wol antrifft. Latinus textus de suo addidit: *Qui invenit bonam uxorem.* Sed in fontibus simpliciter dicitur de uxore. Sunt autem haec verba promissionis: *hauriet voluptatem a Domino,* id est, Deus exhilarabit et consolabitur eum, etiamsi erunt multae adversitates. Hac consolatione nisi multi sustentarentur, non possent non extingui, et exanimari in tantis miseriis generis humani. Verum sustentat Deus pios coniuges, adest eis, custodit domunculas ipsorum, cunas, puerperia, dat mutuum consensum, et *συμπάθειαν* inter coniuges, quod est unum ex maximis bonis coniugii.

Ethnici etiam celebrant hoc bonum, sed non cogitant de Deo autore. Homerus inquit: *Nihil melius est, quam consensus viri et uxoris,* Et apud Theognidem extat hic versus: *οὐδὲν κῦρν' ἀγαθῆς γλυκερώτερον ἀνδρὶ γυναικός. Nil, Cyrne frater, dulcius viro est bona coniuge.* Et apud alium quendam poetam: *ἀνδρὶ γὰρ ἀσχαλόωντι παρήγορος ἐστὶν ἄκοιτις. Viro tristi uxor solatio est.* Alpha in voce *ἄκοιτις* ponitur pro *ἅμα*, sicut etiam in *ἄλοχος* pro *ἁμάλοχος*, id est, uxor. *ἀδελφὸς* pro *ἁμάδελφος* frater uterinus. Sed non volo cumulare plura dicta.

Passim sunt obviae sententiae, quibus Ethnici alias laudant, alias vituperant coniugium. Ac soleo saepe mirari, quod apud Ethnicos, tamen umbra aliqua coniugii servata sit, idque magnum opus Dei esse arbitror, qui ipsemet retinet coniugium in genere humano, idque facit mirabiliter.

In poetis multa sunt *convicia* mulierum. Sed non minus est infirmitatis in viris. Recitatur apud Stobaeum haec sententia: *Viri bilis est fel. Collata vero ad bilem mulieris est mel.* Hoc non est verum. Etsi foeminae aliae sunt mitiores, aliae acerbiores, tamen multi viri reperiuntur, qui sunt iracundiores uxoribus. Multi viri sunt saeviores bestiis, propter tyrannidem et crudelitatem, quam exercent in suis aedibus. De quibus recte usurpari potest versus ille, quo describitur *ἀστοργία*: *Nescio, quid sit amor, nec amo, nec amor, nec amari.*

Simonides discernit gradus mulierum. Dicit aliam similem esse equae, id est, ferocem et superbam, aliam sui, propter sordes, aliam api, propter frugalitatem. Habet tamen etiam apis aculeum.

Aristoteles in Oeconomico citat Pythagorae praeceptum: *Ne maritus sit crudelis adversus coniugem, sed parcat illius infirmitati, quia supplex ipsi tradatur ad aram.* Hic possem multa praecepta *γαμικὰ* addere, qualia collegit Plutarchus, sed adolescentes privato studio ista legant, et observent in scriptoribus.

De tertio loco.

Dicam pro conclusione huius materiae pauca quaedam de historia huius Evangelii, et imagine Ecclesiae. Christus adest in istis nuptiis, ut significet se esse sponsum, qui foedus iniit cum natura nostra, et copulat sibi Ecclesiam, sanctificat, et

liberat eam, et dat ei vitam aeternam. Idem vult adesse in coniugiis, vult esse custos istius miseri coetus.

Sicut est verus et ardens amor sponsi ad sponsam, ita est verus et ardens amor filii Dei ad naturam, quam assumpsit et erga nos, quos adiungit suae naturae, sicut Paulus inquit: *Est caro ex carne nostra, os ex ossibus nostris.*

Hic filius immediate servat coniugia, et efficit, ut illa societas domestica sit Ecclesia invocans, et celebrans Deum, in educatione, et institutione sobolis, et caeteris officiis pietatis et castitatis.

Vinum bonum, quod donat, est consolatio animorum, quam etiam in hac vita praebet. Sequetur autem finalis liberatio, cum in ultimo seculo apparebit Christus, et omnino glorificabit Ecclesiam, et hoc puto significari per numerum hydriarum.

Sex hydriae significant sex millia annorum mundi. In ultimo seculo infundetur bonum, vinum, id est, ostendet se filius Dei in consummatione mundi, et liberabit Ecclesiam ex omnibus aerumnis. Interim spes illius liberationis, et gustus bonitatis divinae, quem percipimus ex doctrina Evangelii, et ex mitigatione aerumnarum, et ex multis mirandis liberationibus, non aliter quam vinum exhilarat corda piorum. Nam vinum datum est propter laetitiam, et ad moestitiam depellendam.

Est autem hic exemplum quoque invocationis, pertinens ad quascunque calamitates sive corporales sive spirituales. Maria semper repraesentat Ecclesiam. Fuit mulier sapiens, sed tamen est πολυπραγμονική. Mota commiseratione accedit ad filium, et vult eum facere miracula suo arbitrio. Ecclesia etiam iam clamat: *Domine non habent vinum.* Sunt magnae calamitates et dissipationes. Sed est in nobis quoque magna imbecillitas, sicut Paulus inquit: *Nescimus, quid petamus, quomodo peti oporteat.*

Christus non facit miracula nostro iudicio, et vult, ut in corporalibus miseriis subiiciamus nos ipsius voluntati, ideo duriter hic respondet matri: *Quid mihi et tibi est mulier?* haec est Hebraea phrasis. Latini dicunt: Quid mihi tecum est negotii? Quaero autem, an nihil negotii est Christo cum matre? an non debet ei obedientiam?

Respondeo. In sua vocatione, nihil est ei negotii cum matre. Ipsa debet audire Messiam, non debet ei imperare in sua vocatione. Debet autem Christus matri obedientiam, scilicet in re, non pertinente ad ministerium. Quanquam autem duriter respondet, tamen oratio non est irrita, facit tandem, eo modo et tempore, quando ipsi visum est. Ita fit etiam de nostra invocatione, Deus vult invocari, vult conspici suam praesentiam, misericordiam, amorem erga nos. Ideo tradidit praecepta, et promissiones: *Petite et accipietis.* Sed differuntur eventus, et non eo modo Deus nos iuvat, quem nos cogitamus. Nec tamen prorsus est irrita invocatio nostra. Ideo scriptum est in Abacuc: *Etiamsi differat, veniens veniet et non tardabit.* Et Iudith inquit: *Qui estis vos, qui vultis Deo tempus praescribere?* Commendemus ergo Deo tempus et modum, et expectemus ab eo auxilium, et urgeamus invocationem.

Ita dabitur nobis multo melius aliquid, quam nos cogitare potuimus, sicut hic curavit vinum, multo generosius et largius, quam mater expectaverat. Idem fit etiam in nostris liberationibus. Sed opus est aliquantisper patientia, quia Deus vult exerceri fidem nostram in invocatione, et nos simul humiliari sub manu Dei, quae est potens, scilicet ad domandum, ne fiamus negligentes aut feroces, sicut dicitur in Psal. *Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.* Eadem vero manus est etiam potens, scilicet ad liberandum.

DOMINICA III. POST EPIPHANIA.

Evangelium Matth. 8.

De leproso et centurione.

De appellatione et causis *παραλύσεως*.

Quid significat paralyticus? Respondeo. Paralysis est amissio motus in aliqua parte corporis, als wenn einem ein arm oder schenckel ist lam werden, hoc est, cum in brachio aut pede aut alio membro quocunque amissus est motus, seu facultas se movendi. Unde fit amissio illa motus in paralysi? Oritur paralysis, sicut plerique morbi, fere ex intemperantia. Estque propterea consideranda causa istorum morborum, qui passim in Evangelica historia narrantur sanati fuisse a Christo, ut intelligamus, Christum sanasse etiam illos, qui sua culpa accersiverant sibi morbos. Quod plurimum servit consolationi, qua tamen minime abuti debemus.

Cum agnoscimus a nobis ortam esse causam calamitatis alicuius, fit, ut timidius petamus, quia cogitamus nos iuste plecti. Quanquam autem poena est iusta, tamen non est omittenda invocatio, qua petamus vel liberationem, vel mitigationem. Debemus etiam tunc invocare Deum, cum iuste

plectimur, et statuere, quod poenae illae saepe mitigentur, aut omnino tollantur, etiam cum accersitae fuerunt nostra culpa, sicut apud prophetam Michaeam dicitur: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* Et tamen mox additur: *Cum sedebo in tenebris, Dominus lux mea,* id est, exaudiet, consolabitur, iuvabit me. Non est ita cogitandum:

Ego contraxi hoc mea culpa.
Ergo nihil auxilii mihi sperandum est a Deo.

Valde languefacit invocationem haec disputatio conscientiae, sed vincenda tamen est fide. Maxima pars morborum in his, quos Evangelica historia scribit ad Christum venisse, ex intemperantia extiterunt. Sed clementer horum quoque Christus misertus est.

Propter hanc doctrinam et consolationem consideranda sunt nomina morborum, quae nos simul etiam monent de temperantia, et diligentia in regenda et tuenda valetudine.

Cogitemus exempla bestiarum et plantarum. Radiculae illae, et fibrae, quae sunt in plantis, servant in attrahendo nutrimento suum modum et proportionem, id est, mediocritatem convenientem naturae: Sic et bestiae servant ordinem suae naturae. Soli homines non servant. Commessantur, potant immodice, sunt intemperantes, praesertim nostri homines in Germania. Aliae gentes sunt temperantiores, quamvis peccant in aliis flagitiis.

Magnum malum est intemperantia, et magnum impedimentum in negotiis, in studiis, in meditatione, in invocatione, in deliberatione. Itaque singuli, etiam ob exercitia pietatis et operas praestandas in vocatione, debebamus moderari luxum, ubicunque possemus. Man solt es meßigen, wo man köndte. Sed apud nostros homines adhuc deterius est, quod multi faciunt magnos apparatus, non solum propter ingluviem, sed etiam ad ostentationem: Ita semper habet vita humana multiplicem confusionem ordinis divini.

Quae est proxima causa amissionis motus in paralysi? Respondeo. Fit illa amissio motus, quia languefiunt nervi, et non possunt amplius fungi suo munere. Inde est etiam nomen ipsum παράλυσις quasi dicas, solutio nervorum. Sunt autem nervi, instrumenta motus et sensus, estque facilima laesio nervorum. Languefiunt facile, aut humiditate, aut frigiditate nimia. Ideo maiori diligentia parcendum eis erat.

Oriuntur nervi ex cerebro, aliqui etiam ex medulla spinae in dorso, quae est velut rivus cerebri. Haud dubie cerebrum est quiddam coeleste. Oritur ex subtilissima parte seminis. Habet intus cavitates suas, in quibus fiunt actiones spirituum, et tamen pendet cerebrum, quasi extensum, instar coeli. Ex cerebro igitur voluit Deus texere nervos, qui sunt naturae cognatae cum cerebro, et sunt vehicula et organa spirituum, qui sunt causa sensus et motus. Plura dicere non possumus.

Sunt mirabilia opera Dei, quae considerare debemus, ut cogitemus de opifice, et admiremur ac magnifaciamus opera illa inenarrabili arte facta, nec temere violemus.

Videmus, quomodo Diabolus grassetur in genere humano caedibus. Homines etiam ipsi, se et alios saepe et facile laedunt contra severissimum mandatum Dei: *Non occides.* Cui ratio additur in Genesi: *Quia homo ad imaginem Dei conditus est.* Sed cogitemus etiam de filio Dei assumente humanam naturam. Hic est perfecta imago Dei, et filii causa, tanta arte elaboravit Deus naturam hominis. Magnificiamus igitur nos quoque hoc opificium, et summo studio vitemus violationem tam mirandi operis.

Pulchrum est deducere hominem ad considerationem opificii Dei in natura, et prodest ea consideratio ad moderationem in omni vita.

Romae gladiatores vivebant in perpetuo luxu, quia oportuit semper paratos esse ad lanienam, quandocunque Domini iuberent. Hi furores ita grati fuerunt populo, ut obrutus sit saxis, qui primus legem tulit de abolendis illis spectaculis. Et fatetur Augustinus, sibi quoque placuisse. Sed postea inter peccata sua id numerat. Nos exhorrescimus, quia non est consuetudo apud nos. Et certe bonum est, esse abolitum istum morem.

Interim tamen multi non desinunt apud nos dies noctesque indulgere genio, quasi iam iam sint mactandi. Aliqui etiam, cum sunt ebrii facti, more gladiatorio provocant alios ad lanienas. Quod deplorandum est, fieri etiam in coetu scholasticorum. Execremur istam barbariem toto pectore, et oremus filium Dei, ut reprimat Diabolum adeo horribiliter grassantem inter homines, et destruentem, quicquid est ordinis divini in natura hominum.

De paralysi quaeritur ulterius, quid differat ab apoplexia? Fit autem apoplexia, quando cerebrum, quod est principium nervorum, obruitur viscoso et tenaci humore. Tum enim ruit cerebrum, quod, ut dixi, in sanis corporibus extensum est instar fornicis.

Huic morbo causam praebet helluatio. Nam vapores magna copia ascendentes in cerebrum, tenaciter ibi adhaerent, quemadmodum fuliginem videmus adhaerescere in camino. Cum igitur condensantur, et nimis magna moles collecta est, opprimitur tandem cerebrum.

Medici sic distinguunt morbos istos vicinos. In paralysi dicunt fieri laesionem nervorum motivorum. In epilepsia est laesio nervorum sensitivorum. Apoplexia autem est universalis destructio principii nervorum motivorum et sensitivorum.

Dolendum est autem, homines adeo inordinate vivere, et multipliciter affere vim operi divino. Talia peccata agnoscamus et deploremus, et frenemus stultas cupiditates nostras.

De phrasi: *In testimonium ipsis.*

Quid significat phrasis, quae hic ponitur in textu: *In testimonium ipsis?* Respondeo. Multa disputantur de hac phrasi. Sed iudico simplicem esse expositionem, ut sit idem, quod ius eorum. Nam Hebraei saepissime utuntur vocabulo testimonii, pro lege, seu pro iure, quod nos Germani dicimus: Es ist seine gerechtigkeit. Sic igitur sententia erit: Ostende te sacerdoti, et offer munus, quod praecepit Moses in testimonium illis, id est, das man den priestern ihr gerechtigkeit gebe.

Iam hic multa discenda sunt, quia semper Grammatica expositio deducit nos ad historias, et in historiis multiplex doctrina est involuta.

Primum discendum est, quale fuerit officium Sacerdotii Iudaici. Fuerunt Sacerdotes illi, simul et physici seu medici, et theologi. Nam sine physica, et doctrina medica, non potuissent diiudicare lepram et alios morbos. Est autem haec summa sapientia, habere cognitionem doctrinae de Deo, et versari in consideratione naturae.

His rebus sine ulla dubitatione occupati fuerunt Adam, Noe, Sem, Abraham, et caeteri patres in Ecclesia. Prophetae etiam fuerunt medici, et cum vocati fuerunt ad summos Principes, habuerunt occasionem docendi eos de Deo. Id de Esaia expresse scribitur, qui medetur Ezechiae.

Vult autem Christus istum leprosum iam sanatum non modo ostendere se sacerdotibus, sed etiam exhibere munus ordinatum in lege. Quid hic significatum est?

Respondeo. Christus non vult adimere iura debita ministerio. Etsi enim tunc multiplex erat abusus ministerii, tamen non voluit eripere ea, quae attributa sunt ministerio divinitus. Ita vult Deus nunc quoque dari ministerio mercedes. Idque saepe repetitum est in sacris libris.

Paulus inquit: *Nemo suis obsoniis militat*, id est, proprio suo stipendio. Vocabulum obsonii factum est ab ὄψον et ὠνέομαι. Nominarunt enim obsonia, cibaria quaecunque. Ideo autem obsonia significant stipendia, quia olim consuetudo fuit, sicut nunc quoque in aliquibus locis, ut darentur frumenta, aut carnes, stipendii loco. Etiam in Academiis multis dantur Professoribus vina et frumentum.

Observetur igitur hoc testimonium, quod non voluerit filius Dei eripere ministerio mercedem, aut aliquid de ea imminui. Atque ita debebant nunc quoque attribui iusta et liberalia stipendia servientibus in scholis et Ecclesiis. Debebant curare Respublicae, ut et docentibus et discentibus aliquibus darentur stipendia. Ad hunc finem initio fundationes Ecclesiarum directae fuerunt. Sed tempus depravat etiam bene ordinata.

In Lege Deus varia constituerat ad alendos Sacerdotes. Iustum est igitur, nunc quoque dari ministris docentibus mercedes. Hanc commonefactionem gignit simplicissima illa expositio vocabuli testimonii. Est autem prorsus alia disputatio, quam movent aliqui, quod lex sit testimonium, de qua breviter hoc moneo. Lex non tollit peccatum et mortem, sed est vox arguens peccatum, testificans de voluntate Dei, et ostendens iram Dei adversus peccata nostra. Non annuntiat lex remissionem peccatorum, non vivificat. Haec suo loco copiosius explicantur. Venio iam ad illa, quae non sunt tantum Grammatica.

De miraculis in genere.

Videmus hic duo miracula recitari. Semper autem oportet communem doctrinam de miraculis in conspectu esse, praesertim quod attinet ad causas finales miraculorum.

Quae sunt istae causae?

Respondeo. Prima est, ut sint testimonia doctrinae, ut, Christus facit hic miracula, ut extet testimonium, quod sit divinitus missus, quod non sit Pseudopropheta, quod doctrina ipsius sit vera.

Secunda causa est, ut miracula sint exempla promissionum. Christus in verbo suo promittit auxilium in malis corporalibus et aeternis. Sed miraculose multis opitulatur, ut constet, eum velle facere promissa.

Sed hic magna tentatio oritur de applicatione. Sic enim cogitamus: Ex particularibus nihil sequitur, ut non valet argumentum. Iste ditatus est in aula. Et alius item est ditatus. Ergo omnes ditantur in aula, imo contrarium saepe fit in aulis. Sic cogitamus, etiam de promissionibus divinis, et exemplis liberationum divinarum. Putamus argumenta esse ex particularibus, et ex his nihil posse firmiter concludi, si quis nobis dicat. Iste leprosus est sanatus. Item, iste paralyticus recepit sanitatem corporis. Ergo et mihi opitulabitur Deus.

Ac hanc tentationem hoc modo est respondendum. Exempla congruentia cum regula idem valent quod regula ipsa. Quanquam igitur exempla sunt particularia, tamen promissio est universalis. Oportet nos igitur coniungere verbum Dei et exempla, quibus illustrantur promissiones verbi Dei.

Ipsa quidem exempla non possunt esse universalia, quia non omnes accipiunt promissionem, nec omnes eodem modo liberantur in corporalibus malis. Ionathas vir bonus et sanctus, tamen interficitur in proelio, et quidem in eo, in quo pater eius rex impius periit. Hoc certe est mirabile Dei consilium. Manasses agens poenitentiam reducitur ex captivitate. Multi alii sancti viri abducti in captivitatem non sunt reversi.

Sed sciamus tamen omnibus in genere auxilium promissum esse, qui recte Deum invocant, ut dicitur: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

De discrimine promissionum.

Discernamus autem promissionem spiritualem et promissionem bonorum corporalium. Promissio spiritualis nullam habet exceptionem additam, sed Deus mandat, ut promissioni illi credamus, et nominatim petamus et accipiamus remissionem peccatorum et vitam aeternam, iuxta vocem iuramenti divini: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Item: *Sic Deus dilexit mundum, etc.* Item: *Iustificati fide, etc.*

Tales aliquae sententiae semper nobis in conspectu esse debent, tanquam axiomata illustria, ad quae referamus nos, in illa difficili et gravi disputatione mentis de gratia et reconciliatione cum Deo. Et haec est vox Evangelii, quae discrimen facit inter Ethnicam doctrinam, et Christianam. Item de hac promissione, et vero huius intellectu praecipue pugnamus cum adversariis Pontificiis.

Semper etiam praelucere oportet hanc promissionem spiritualem, et hanc fidem afferri ad petitionem quorumcunque bonorum, quod propter Christum recipiamur et exaudiamur: Et quia non modo particularitas, sed etiam indignitas nostra deterret nos ab invocatione, et spe exauditionis, sciamus promissionem spiritualem, non modo universalem esse, sed etiam gratuitam, id est, non pendere ex conditione propriae dignitatis, sed nos gratis recipi ex misericordia, et exaudiri propter solum filium Dei, ut maneat certitudo fidei.

Iam, quod ad promissiones corporalium bonorum pertinet, Deus has etiam tradidit, propter gravissimas causas, quarum prima est, ut illae promissiones sint testimonium, quod bona illa corporalia non dentur casu. Nam quia Deus promittit, et vult te iuvare etiam in hac vita, necesse est te statuere, quod nihil sit casuale.

Nos quidem ita caeci sumus, ut non agnoscamus liberationes divinas, ut si quis incidit in aquas, et inde rursus enatat, id putat esse casuale.

Sed contra hanc caecitatem Deus edidit promissiones de bonis corporalibus, ut sciamus liberationes esse divina beneficia, et fieri Deo regente et gubernante, sicut dicitur: *Non passer unus cadit in terram sine voluntate patris vestri.* Item, *Vos multis passeribus meliores estis.* Nec dubium est, quin divina bonitate servetur Ecclesia, et singuli nostrum, inter tot fluctus et procellas, quibus saepe ita obruimur, ut pereundum nobis esset, nisi divino beneficio liberaremur. Atque utinam agnosceremus haec beneficia divina, et serio deploraremus profundam caecitatem nostram, et perpetuas dubitationes, quibus subinde affligimur.

Secunda causa est, cur traditae sint promissiones rerum corporalium, quia Deus vult excitari fidem in necessitatibus corporalibus. Vult peti beneficia: vult celebrari propter priora beneficia, vult fidem crescere in istis exercitiis. Atque ideo sinit Ecclesiam premi calamitatibus, ut habeamus occasionem exercendi fidem. Sicut Esaias inquit: *Angustia tribulationis est eis disciplina clamoris,* id est, castigationes divinae erudiunt et commonefaciunt de fide et invocatione.

Non est vera invocatio, quando non expectamus fide beneficium, quod petimus. Ideo semper in fine precationis dicendum est: credo Domine, te exaudire precationem, sed fer opem imbecillitati meae. Hoc non fit sine magna lucta.

Non habent omnes tam firmam fidem, ut hic laudatur fides Centurionis, *Tantum dic verbum,* id est, tu verbo imperas naturae, multo potentius, quam ego meis ministris imperare possum. Fuit miles Ethnicus, et tamen multum intellexit de Messia. Estque exemplum, quod Ecclesia colligatur ex gentibus et Iudaeis.

Tertia causa est, quia promissiones corporales semper sunt commonefactiones de spirituali promissione. Non enim possumus petere bona corporalia, nisi prius petamus remissionem peccatorum. Oportet semper fidem iustificantem praelucere fidei et spei in aliis rebus petendis et expectandis. Imo promissiones corporales sunt referendae ad promissionem spiritualem.

Quarta causa est. Deus his promissionibus vult testari, quod velit servare Ecclesiam. Ideo Paulus dicit: *Pietas habet promissionem praesentis vitae et futurae.* Haec est insignis sententia, quae nos monet etiam de illo Psalmi dicto: *Non mortui laudabunt te Domine.* Nam si Ecclesia non servaretur divinitus inter istos tumultus, ne quidem esset Ecclesia in his terris. Verum non modo colligit, sed etiam servat Deus filio Ecclesiam in genere humano, sicut dicitur in Psalmo: *Postula a me, et dabo tibi gentes, etc.*

Ut igitur certi simus de hoc mirando Dei opere, quod velit colligere et servare Ecclesiam,

dedit nobis promissiones, etiam de hac vita corporali, et secundum illas dat nobis cibum, potum, defensionem, hospitia, etiamsi simul nos sinit experiri magnas calamitates, sicut semper Ecclesia angitur, et concutitur multis modis.

Diabolus quaerit undequaque occasiones premendi, et conculcandi Ecclesiam, quocunque modo, ut implicet nos erratis, et peccatis, et cumulet nobis poenas. Undique immittit vexationes, et varias aerumnarum ἀφορμὰς excogitat.

Inter istas miserias tamen, et in magna nostra infirmitate Deus servat Ecclesiam suam, et tradit nobis ea in re consolationes magnas et multas. Quarum summa comprehensa est in hoc dicto Psalmi: *Multae sunt tribulationes iustorum: sed ex his omnibus liberabit eos Dominus.*

Has causas saepe consideremus, et sciamus hanc esse veram, et necessariam doctrinam: non esse similem inanibus cavillationibus, sed sapientiam divinitus nobis traditam.

Quomodo sunt autem petenda bona corporalia, item quomodo intelligendae sunt promissiones istorum bonorum? Respondeo. In petitione remissionis peccatorum, nullam debemus addere conditionem. Sed in petitione rerum corporalium est conditio, sicut Leprosus hic inquit, petens corporale auxilium: *Domine si vis, potes me mundare.* Ita et nos non debemus praescribere Deo tempus et modum exauditionis, aut liberationis, sed subiicere nos voluntati divinae, et acquiescere in ipsius consilio. Quod ut rectius intelligatur, consideremus definitionem spei.

Quid est Spes?

Respondeo. Est certa expectatio vitae aeternae dandae propter mediatorem: et est expectatio auxilii, id est, vel mitigationis vel liberationis in praesentibus malis, secundum voluntatem Dei. Haec definitio ostendit, duo esse obiecta spei, sicut etiam fidei: Unum obiectum est liberatio ultima. Hanc oportet simpliciter certam esse. Et quidem pendet ea certitudo ex fiducia illa, quod propter mediatorem recipiamur a Deo gratis. Alterum obiectum est corporalis liberatio. Liberantur autem alii aliter, et tamen nunquam invocatio est irrita.

Deus in Ecclesia vere audit vota et gemitus nostros, nec sinit illa esse irrita, et dat alias liberationem, alias mitigationem. Haec necesse est nos discere, ut praestemus Deo hunc cultum, de quo dicitur: *Invoca me in die tribulationis.*

Proponamus nobis nostras necessitates, sive publicas, sive cognatorum, sive parentum, sive ad nos ipsos pertinentes, et illas afferamus ad Deum, sicut Paulus dicit: *Innotescant coram Deo petitiones et postulationes vestrae.* Et Christus inquit: *Assidue orate, et non defatigemini*, quasi dicat, mora cruciat homines, et quod non statim respondet eventus, sicut vellemus. Hac mora ne frangamini.

Quomodocunque autem se res habeat de bonis corporalibus, retinenda est semper illa sententia Iobi: *Etiamsi occiderit me Dominus, tamen sperabo in eo*, id est, quanquam non respondent eventus cupiditatibus nostris, tamen semper debet esse certa nobis ultima liberatio.

Haec sunt Principalia in hoc Evangelio. Sed addam adhuc unum.

De ceremoniarum violatione externa.

Christus hic attingit leprosum, ut saepe alias. Sic argumentor.

Lex prohibet attingi leprosos.
Christus attingit.
Ergo facit contra legem, et per consequens, peccat.

Respondeo. Messias est Dominus, et abrogator legis. Deinde lex prohibet contrectationem leprosi hoc fine, ne latius serpat contagium. Non autem prohibet curationem morbi. Ideo si etiam alius attigisset, ut curaret, non fecisset contra legem. Oportet nos considerare sententiam legis, non verba calumniose detorquere.

Huc etiam pertinet regula illa communis: Moralia sunt anteferenda ceremonialibus. Quam regulam alibi Christus citat, et exemplis ex oeconomia sumptis declarat, cum hydropicum curat in Sabbato. Dicit posse laborem extrahendae pecudis ex fossa fieri etiam in Sabbato, quanto magis curatio morborum, quae est opus immediate divinum, et est opus supra legem? Non igitur peccat contra legem Christus opere sanationis, sicut ipse inquit: *Filius hominis est supra sabbatum.*

Lex ceremonialis est lata, ut serviat isti politiae, non ut impediat opera divina.

Alibi citat ex propheta hoc dictum: *Misericordiam volo, non sacrificium.* Hoc dictum loquitur de collatione operum moralium et ceremonialium. Et quidem Hoseas Propheta coniungit opera primae et secundae tabulae: *Volo scientiam Dei et misericordiam.* Scientia comprehendit agnitionem Dei, et caeteros cultus, quos requirit prima tabula, ut sunt timor, fides, dilectio, spes, invocatio, gratiarum actio, confessio, etc. Per misericordiam intelligit opera dilectionis, quae requiruntur in secunda tabula.

Idem dictum reprehendit etiam Idololatriam Iudaeorum. Cumulabant enim sacrificia illo tetro errore, quasi mererentur Remissionem peccatorum ex opere operato. Interim erant sine fide, sine ti-

more Dei, sine dilectione proximi, etc. Haec omnia incidunt in solutionem argumenti propositi.

Christus eo ipso, quod tangit leprosum, testatur se esse Messiam; et leprosum vere a se mundatum esse. Id erat supra legem, et tamen summum opus legis, id est, illustrationem gloriae Dei adiuvabat. Deinde attingit, ut monstret ceremonias admittere dispensationem in officiis dilectionis. Nam externa ceremonia non obligat semper in omnibus casibus. Sicut recte excusamus Maccabaeos pugnantes in Sabbato propter publicam necessitatem, et conservationem veri cultus.

Comminatio contra Iudaeos.

In fine textus est comminatio adversus hypocritas. Minatur enim Christus Iudaeis exitium, quod freti lege et titulo populi Dei, contemnebant Evangelium, sicut nunc quoque adversarii nostri purae doctrinae Evangelii opponunt titulum Ecclesiae: *Filii regni,* inquit, *eiicientur in tenebras exteriores.* Contra vero dulcis consolatio est de receptione gentium: *Multi ab oriente et occidente venient, et accumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno coelorum.*

DIE CONVERSIONIS PAULI,

cuius Historia recitatur, Actor. 9.

Recita veteres versiculos ex vulgaribus observationibus sumptas de tempestatibus huius diei.

Clara dies Pauli, bona tempora denotat anni,
Si fuerint venti, designant proelia genti,
Si fuerint nebulae, pereunt animalia quaeque,
Si nix et pluviae, designant tempora cara,
Sed si vult Dominus, convertit omnia solus.

Non est indignum homine erudito, conservare memoriam sermonum veterum, quidquid etiam sit de eventu istarum observationum.

Cuias fuit Paulus? ubi natus fuit? Fuit Tarsensis, id est, natus in urbe, cui nomen fuit Tarsus. Ubi sita fuit Tarsus? Fuit metropolis Ciliciae. Nomen habet a Tarsis filio Iavan, et Tarsis est vel a Thirosch, id est, musto, vel Iarasch, haereditas, possessio.

Graeci ignari originis gentium, Etymologiam nominis *Tarsus*, ex sua lingua finxerunt. Et quia ταρσος significat Graecis partem imi pedis, quae est proxima calcaneo, et eminentior seu altior anteriore ac plana regione, quam usitate vocamus planum pedis: fingunt a τάρσῳ Bellerophontis isthic fracto, nomen urbi fuisse inditum.

Quod Graeci τάρσον vocant, nos Germani dicimus, den Reyhen. Scitis in imo pede primum esse digitos pedis, die Zeen. Postea est planum, πεδίον. Tum altitudo pedis, continua planitiei, seu πεδίῳ: saepe autem pars ponitur pro toto. Ideo dicunt Bellerophontem pede fracto, cum esset excussus ex Pegaso, urbem a se isthic conditam, nominasse Tarsum.

Quis fuit Bellerophon? Fuit Corinthius, filius Glauci, qui fuit rex vel dominus Corinthi, quae olim dicta fuit Ephyra. Fuit vir praestans robore corporis et animi. Dictus est Bellerophontes, quasi dicas galeatus interfector. Nam βέλλερος antiqua appellatione significat galeam, etsi Graeci Bellerum quendam nominant, primatem Corinthiorum, quem Bellerophon de medio sustulerit.

Cum a Praeto Argivorum rege exceptus esset hospitio, uxor Praeti amore eius capta, solicitavit eum ad stuprum, et repulsa ab eo, accusavit innocentem apud maritum, qui cum domi suae eum interficere nollet, propter ius hospitii, quod ab illo tamen violatum esse credebat, misit eum ad socerum in Lyciam, traditis literis, quibus iubebatur interfici, unde proverbium est, *de literis Bellerophontis,* quales nos dicimus, *literas Uriae.* Sed aliquoties ad difficiles pugnas a rege Lyciae ablegatus, cum semper victor redisset, postremo ad Chimaeram interimendam missus est. Quem laborem etiam, nactus Pegasum equum, feliciter superavit.

Est exemplum continentiae, et defensionis divinae. Et sunt in historiis Ethnicorum aliquot eiusmodi narrationes, quae similes sunt historiae Iosephi. Vos adolescentes mementote has tres narrationes.

Hippolytus filius Thesei, cum non assensus esset mulieri impudicae, novercae suae Phaedrae, accusatus fuit apud patrem, qui fidem adhibens quaerelae uxoris, curavit eum, quanquam insontem, obiici periculis. Sed discerptum ab equis Aesculapius incolumitati restituit.

Deinde Peleus, a Coniuge Acasti regis Thessalorum, similiter ad stuprum solicitatus est. Sed cum recusasset ei morem gerere, illa apud virum criminata est eum. Acastus obiecit eum centauris, ut ab his interficeretur, vel ut poëtae aliqui fingunt, nudatum armis, praebuit feris lacerandum. Fuit autem ei gladius porrectus a Mercurio, quo se defendit.

Tertia narratio est de Bellerophonte, quem foemina lasciva, uxor Praeti, falso accusavit, quasi contra ius hospitii vim ei inferre voluisset. Sed superatis periculis omnibus, rex Lyciae virtutem

eius admiratus, alteram illi ex filiabus cum regni parte uxorem dedit. Quod cum audisset Praeti Coniux, Schenobaea (hoc enim nomen ei fuit) sibi ipsi mortem conscivit.

Sunt exempla castitatis divinitus ornatae praemiis. Deus castos adiuvat.

Verum Bellerophontes felici rerum successu elatus, cum in coelum evolare cum Pegaso conaretur, immisso a Iove aestro, equo excussus est, et fracto tarso, seu pede imo, postea claudus mansit in omni vita. Incidit etiam in melancholiam. Vagatus est solus in agris, ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans, ut inquit Homerus. Pegasum Iupiter transtulit in coelum, et inter sidera reposuit.

Videtis, quomodo misceantur poëticae phantasiae, sed tamen subest aliquid historicum, et involutae sunt res pulcherrimae.

Pegasus significat heroicam fortitudinem et prosperitatem in rebus magnis gerendis. Sed quod voluit Bellerophon penetrare in coelum, ut videret, quid ibi rerum Iupiter ageret, significatur, quod factus fuerit insolentior, et quod propterea punitus sit a Deo: sicut Phaeton et Icarus tentantes ea, quae erant supra vires humanas, finguntur decidisse ex alto. Et est usitatum dictum, quod *Adrastia, seu Nemesis divina puniat insolentiam.* Wenn man stoltz wirdt, so kommen gewißlich die straffen. *Deus superbis resistit: Humilibus dat gratiam.* Alexander occupata Monarchia fit insolens, temulentus, crudelis. Ideo dat poenas. David in rebus secundis plus sibi indulget, Ideo punitur. Pompeius movet bellum non necessarium, et vincitur a Iulio Caesare.

Sit igitur omnibus infixum Salomonis dictum: *Beatus homo, qui semper timet,* id est, qui reprimit insolentiam, cohercet errantes impetus, metuit iudicium Dei, nihil sciens ac volens fecit contra Dei voluntatem petulanter. Multa talia se offerunt, in explicandis fabulis poeticis, quas antiquitas illa sic involuit, ut commonefactiones de rebus magnis essent gratiores.

Alii nomen Tarsi ad aliam fabulam referunt. Dicunt Perseum filium Iovis et Danaes fuisse conditorem Tarsi, et sic nominatam esse urbem ab ungula Pegasi, quia ibi Pegasus excusserit fontem. Nam *τάρσος* significat etiam ungulam equi. Et fingunt poetae, Pegasum initio fuisse donatum Perseo a Minerva cum freno aureo. Pegasus, ut dixi, significat motum heroicum fortitudinis, coniunctum cum felicitate et successu rerum gerendarum. Ideo enim fingitur fuisse equus alatus. Frenum aureum significat sapientiam, quia ad fortitudinem, ut sit felix, oportet accedere consilium. Et haec donantur a Pallade, id est, Nullae res magnae feliciter geruntur, nisi Deo dante heroicis viris fortitudinem, sapientiam, et successum. Ut heroicus impetus in Alexandro est motus divinus. Est iuvenis, et vix natus est annos 21. cum bellum movet adversus Persas. Macedonici regni potentia fuit impar monarchiae Persicae: Et tamen cum 30000 traiecit Alexander in Asiam. Invasit regnum Persicum instructum magnis opibus et exercitibus. Haec fortitudo in iuvene fuit quiddam divinum. Nec solum fortitudine excelluit, sed etiam consilio. Dissensit saepe in consiliis publicis a Parmenione et aliis sapientissimis consiliariis, qui diu apud patrem eius Philippum fuerant, et habebant usum rerum bellicarum. Ipse tamen consilia multo sapientiora protulit, quibus saepe et sponte cedebant senes consiliarii. Denique impetus et consilia ipsius fuerunt felicia. Ita vere insedit Alexander Pegaso.

Fons, quem ungula sua effecit Pegasus, significat venam poeticam, cui exercendae occasionem praebent viri heroici, factis suis laude dignis, Quia ad istum fontem Musae dicuntur habitasse. Et facta egregia merentur celebrationem.

Nos retinemus Etymologiam Tarsi ex historia Biblica, Quia constat posteritatem Iavan, quem Graeci vocarunt Ionem, (a quo et apud Danielem Alexander eversor regni Persici, *rex Ionum* appellatur) complevisse minorem Asiam, item Graeciam, et vicinas aliquas Europae partes: sicut testantur nomina Aeolorum in minore Asia, ab Elisa: Dodanaeorum in Epiro, a Dodanim: et Macedonum, a Cittim desumta. In Graeca lingua *τάρσος* significat etiam latitudinem remi. Potest fieri, ut a civitate Tarso haec appellatio orta sit, Quia fuerunt ibi nautae et pyratae celebres. Et inde fortassis per metaphoram, latitudo pedis dicta est *τάρσος*.

Saepe est autem in scriptis prophetarum mentio navium Tarsis, pro navibus maris Mediterranei, ut in Iona dicitur, quod invenerit navem in Tarsis, id est, in mari Tarsensi seu Mediterraneo, quod nomen habuit a Tarso, et vicinis urbibus litoralibus, quas condidit Tarsis filius Iavan. Maria accipiunt nomina ab aliquo insigniori ioco, vel ab aliqua gente celebri, ut mare Tyrrhenum a populo Tyrrheno: Ligusticum a Liguribus: Hellesponticum ab Hellesponto dicitur.

Etiam in prophanis historiis ita nobilis est urbs Tarsus, ut Sardanapalus inscripserit suo monimento, quod ipse condiderit Amphialen et Tarsum. Fortassis collapsam instauravit, sicut in bellis mutantur multa.

Sardanapalus fuit initio gloriosus Postea voluptatibus se dedidit. Nomen est valde magnificum Sar, id est, princeps militiae: Dan iudex: et Poel effector. Homerus complectitur officia gubernatoris in hoc versu, quem Alexander usurpavit loco Symboli:

ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθός, κρατερός τ' αἰχμητής

Cum hoc versu congruit nomen Sardanapali. Rex debet esse peritus rei bellicae, et fortis in depellendis externis hostibus. Debet etiam esse in toga iudex, iuste iudicans in rebus controversis inter subditos. Et non solum mandare, sed etiam exequi debet. Hodie adhuc est civitas Tarsus et vulgo vocatur Tarso: Cilicia cuius metropolis est Tarsus, hodie nominatur Caramania. Fuerunt olim ibi studia. Et adhuc Pauli aetate fuit in Tarso Academia florentissima, non multum cedens celebritate, scholae Alexandrinae, aut Atticae.

In hac ergo urbe habitarunt parentes Pauli, qui fuerunt Iudaei, ex tribu Beniamin, Quia genus Iudaica, etiam stante politia fuit dissipata mirabiliter. Deus voluit eam sic dissipari, credo, ut colligeret passim Ecclesiam ex gentibus, Item ut praepararet Evangelio viam.

Apparet autem Paulum in Academia patria liberaliter fuisse institutum in bonis literis. Didicit adolescens initia artium, Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam. Legit Poetas et Oratores, sicut genus sermonis ostendit. Utitur enim lectissimis verbis, et citat interdum aliquid ex poematis.

Postea fuit missus Hierosolymam, ubi sedit ad pedes Gamalielis, id est, fuit eius auditor, quemadmodum ipse narrat Act. 22. Ab hoc institutus est in lege, et traductus ad disciplinam sectae Pharisaicae, cui mordicus adhaesit, donec converteretur ad agnitionem Christi.

Sed excultum fuisse omni liberali eruditione, testantur plurima verborum pondera, quae non tantum ex libris sacris, sed etiam ex scriptis, qualia sunt illa, *ὀρθοτομεῖν, συμβιβάζειν, ὑπωπιάζειν, ἀναζωπυρεῖν*, Item, *καυτηριασμένοι, περιψήματα, ἄστοργοι, ἄσπονδοι, τετυφωμένοι*, et similia multa, quae passim in eius Epistolis occurrunt: Quae sine cognitione veterum historiarum, et liberali eruditione nec intelligi, nec enarrari possunt.

Manifeste etiam cernitur in eius Epistolis artificiosa ratio disputandi, et ordo congruens ad praecepta methodi. Et velle interpretari Paulum sine Dialectices et aliarum artium praesidiis et adminiculis, est sine stellis monstrantibus portum, navigare velle caeca nocte.

Quot sunt versus, quos citat Paulus ex poetis Ethnicis? Tres. De Cretensibus citat in Epistola ad Titum, ex Epimenide, veteri poeta:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Cretenses sunt semper mendaces, malae bestiae, et ventres ignavi. Homines insulares sunt bestiales. Sed occasio reprehendendi Cretenses de mendacio, nata est ex illorum gloriatione, quod affirmarunt penes se esse sepulchrum Iovis. De primo ortu naturae humanae, citat in Actis illud Arati: *τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν Dei genus sumus.* Et de conversatione cum malis, ex Menandro allegat ad Corinthios: *φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί. Corrumpunt bonos mores colloquia prava.*

Sed cur dicit Paulus se esse civem Romanum, cum fuerit Tarsensis? Ideo hoc dicit, quia Tarsus fuit donata iure civitatis Romanae ab Antonio Triumviro, collega Augusti. Ex hoc beneficio habuit Tarsus idem ius, quod habuerunt Coloniae Romanorum, videlicet libertatem, honores, et caetera privilegia, communia cum iis, qui in ipsa urbe Roma habitabant.

Vos adolescentes mementote, qui gradus fuerint Imperii Romani. Ubicunque sunt imperia, ibi oportet esse ordinem, distributionem officiorum, gradus onerum et immunitatum. Ubi non est ordo, ibi non est regimen. Paulus nominat imperia, potestates a Deo ordinatas. Cogitate, quale regimen esset futurum, aut potius, quanta confusio, si singuli vellent ascendere in curiam, et esse iudices, cum liberet, aut si singuli vellent in militia esse Capitanei?

Gradus igitur fuerunt illorum, qui erant coniuncti imperio Romano: Primus ordo erat civium: Secundus Municipum: Tertius Vectigalium: Quartus Sociorum.

1. Cives habebantur, non tantum in ipsa urbe habitantes, sed etiam in aliis urbibus, quibus in Italia, vel extra Italiam ius Romanae civitatis datum erat. Hi omnes erant participes militiae, praemiorum, honorum, privilegiorum. Qui erat civis Romanus, poterat fieri Romae Consul aut praetor, poterat habere imperium provinciale, Proconsulare, vel Praetorium. Hoc fuit non solum honori, sed etiam magno commodo. Si quis biennium fuit in provincia cum imperio, potuit et se, et totam familiam suam ditare. Adeo multum eis accedebat, qui obtinebant provincias.

Hoc ius retinebant ii, qui ex urbe Roma, ubi cives fuerant, alio transferebantur in Colonias, quas sic nominabant: quales Coloniae multae fuerunt in Germania, ut Colonia Agrippina, Cöln am Rhein. Colonia Tiberina, Regenßburg. Augusta Rhetorum, Augßburg, etc.

Hae Coloniae erant participes honorum, sicut etiam una militabant. Civis Coloniensis potuit Romae fieri Consul, potuit pervenire ad gubernationem provinciarum. Caeteri, qui non traducebantur, tamen, si donati essent iure civitatis etiam sine traductione, eodem iure Coloniarum fruebantur. Talis fuit Tarsus. Potuit igitur civis Tarsensis quoque adipisci Magistratus.

Praeterea omnes cives habebant ius ferendi suffragii. Inde Cicero in Epistola 1. ad Atticum inquit: Videtur in suffragiis multum posse Gallia, Quia multae Coloniae Romanae erant in Gallia togata.

2. Municipes dicebantur, qui militabant una, sed non capiebant una honores. Unde componitur municeps? Non a munere, id est, dono, sed a munia et capio. Munia significant onera publica, sicut apud Graecos vox *λιτουργία*. Falso dicunt Papistae, quod Liturgia significet Sacrificium, aut precationem: Quo praetextu conantur defendere Missam suam. Idem significat *λιτουργία*, quod onus publicum, ein gemeyner dienst oder last.

Habebant municipes ius militiae, ut nunc nobilitas militat Dominis feudi Der adel muss den leben herrn dienen im krieg. Nec pendebant municipes tributa, nisi quando cives pendebant, Quod raro, et non nisi in summa necessitate fiebat. Inde Municipium dicebatur, oppidum in quo erant municipes.

Utebantur municipia suo iure et legibus propriis. Unde et sacra, et iura seu leges municipales dicuntur, videlicet sacra et iura uniuscuiusque civitatis, Et Municipalia magisteria, id est, administrationes et officia municipii cuiusque. Inter se ad conservationem sui municipii pendebant quidem singuli aliquid: sed non pendebant tributa imperio.

In Suetonio est, quod Augustus parcissime dederit *ius Civitatis*. Sed largius dederit *ius Latinitatis*. Id vero fuit ius municipiorum. Est et mentio apud scriptores Coloniarum Latinarum, quae differunt a Coloniis Romanorum. Coloniae Latinae habebant ius non civitatis Romanae, sed municipii. Erant participes militiae cum Romanis, sed non honorum et Magistratuum. In bellis mittebant certum numerum militum, perinde ut municipia.

Ipsi Latini in urbe Roma initio habuerunt tantum ius municipii. Cum Torquatus esset Consul, voluerunt Latini ex suo corpore alterum Consulem creari: Ibi Torquatus dixit, se hoc minime passurum, et si reliqui assenserint, se Latinum Consulem in ipsa Curia interfecturum. Postea ista mutata sunt, ut fit, cum imperia fiunt nimis magna, non potest ita servari ordo, ut in principio, cum sunt minora.

3. Vectigales, neque militabant una, neque honores capiebant, sed conferebant tributa, dabant pecuniam. Non tantum fidei eis tribuebatur, ut simul asciscerentur in militiam. Et tamen quia in potestate Romanorum erant, fuerunt, onerati tributis, non militia. Non fuit eis commissa defensio Reipublicae. Nec fuit eis permissum ius armorum, ne possent rebellare. Haec fuit species quaedam servitutis, et sic Christiani sub Turca coguntur dare tributum. Singula capita coguntur numerare drachmam auri, einen vngerischen gulden. Si paterfamilias habeat decem capita in sua familia, cogitur tot aureos ungaricos pendere, quod certe multum est. Imperium Turcicum est magna tyrannis, in hac ultima senecta mundi. Et tamen credo non fuisse mitiorem servitutem aliquandiu in populo Iudaico post reversionem ex captivitate Babylonica. Esdras dicit, se non velle a populo quadraginta siclos postulare, quos pendebant patresfamilias prioribus capitaneis. Id etiam valde multum fuit, quod singuli patresfamilias cogebantur viginti thaleros pendere praefectis. Ipse remittit hanc pensionem, prohibet etiam usuras.

Appianus scribit, quod, quando occupaverunt Romani provinciam, coacti sint provinciales pendere Romanis decimas. Hoc fuit tolerabile. Sed magis magisque creverunt onera. In quarto libro Esdrae inter miserias ultimi temporis recensetur, quod crescent tributa et superindicta, ut iam in omnibus regnis creverunt.

Vere nunc imperia postrema sunt *βουλιμίαι*. Nos dicimus einen wolffshunger, cum aliquis semper appetit cibum, et tamen effundit rursus, neque alitur. Ita reges et principes hoc tempore exugunt subditos, et rursus profundunt. Neque ipsi quidquam iuvantur. Non dico de hoc aut illo principe. Nihil ea res ad me pertinet. Tantum adolescentibus expono vocabula. Et loquor de miseriis omnium regiminum, et de nostris peccatis, quae merentur poenas. Regimina iam ruunt. Imperium ruit. Omnia tendunt ad finem. Instat dies Domini, et utinam se cito Dominus ostendat suae Ecclesiae visibiliter.

In Esaia est: Videbunt Regem honoratum et florentem, id est, videbunt bona imperia. Haec numerantur inter praemia sanctorum. Quando Deus peculiari gratia vult dignari sanctos, dat eis bonum regimen.

In his nostris regionibus, Dei beneficio, mediocris pax fuit ante proximum bellum. Et mitigavit Deus etiam belli istius exitum. Oremus Deum, ut deinceps quoque parcat miseris reliquiis Ecclesiae. Nescitis, quam grave sit, cum imperia sunt incerta et tyrannica, et optimi viri interficiuntur contra voluntatem Dei, et iura. Deus conservet, doceat, et gubernet nos.

Haec considerate, cum auditis istas grammaticas expositiones, et historica, quae nos de magnis rebus commonefaciunt.

4. Socii fuerunt, qui ultro se adiunxerunt Romanis. Tales fuerunt reges aliqui, et civitates, quae non erant vectigales, neque municipes: Sic Athenae aliquando fuit socia civitas.

Maccabaei fuerunt socii Romanorum ex certa formula. Sunt eius rei adhuc quaedam umbrae in Germania. Aliud est civitas imperii, aliud libera civitas. Argentina est libera civitas, et certo modo adiuncta imperio. Strassburg ist eine freystadt. Non potest ei Imperator quidlibet imperare, sicut aliis civitatibus subditis. Augusta, Noriberga sunt civitates imperii. Sed puto olim quoque saepe sic

accidisse, ut sociae civitates duriter haberentur, sicut dicitur: *Minores aves devorantur a maioribus,* die grossen vogel fressen die kleynen.

Hodie nostrum imperium, quod adhuc habemus, est magni nominis umbra.

Quo consilio seu fine Paulus contra vim militaris praesidii Actorum 22. et postea in provocatione ad Imperatorem Actor. 25. profitetur se esse civem Romanum? Quia non licebat ad supplicium rapi, aut interfici quenquam civium Romanorum indicta causa, vel ut ipse loquitur, indemnatum: Non licebat etiam de capite civis Romani iudicari ab aliquo provincialium Magistratuum in causa dubia, id est, quae non expresse definita erat legibus imperii Romani: Qualis tunc erat ista de religione controversia, quae Paulo intercedebat cum Iudaeis, quae nihil pertinebat ad leges Romanae Reipublicae.

Fuit hoc magnum privilegium civium Romanorum. Antequam fieret Monarchia Romae, fuit forma politiae Democratica post expulsos reges, quia fuit provocatio ad populum. Publicola (id est, populi cultor) tulit legem, ut esset provocatio a Consulibus ad populum. Non licuit de capite civis Romani in casu non expresso legibus iudicare, nisi Comitiis Centuriatis. Cicero provocavit ad Comitia Centuriata, id est, ad cognitionem et suffragia populi. Galba est absolutus a populo. Liberatus est suffragiis populi, quanquam in causa mala.

Hoc ius populi fuit postea translatum ad Imperatorem, sicut in caeteris etiam rebus potestas summa ad eum delata est.

Quaero: An prorsus non licuerit Magistratui provinciali pronuntiare de capite civis Romani in provinciis?

Respondeo. Si causa erat manifesta, ut in casu seditionis, rebellionis, vel laesae maiestatis. Item si quis commiserat caedem, et ea esset notoria, tum leges Romanae praescribebant, quid agendum esset, Quia expedit Reipublicae, ut mali homines tollantur ex provinciis. Imo Necessitas est, tollere latrones, prohibere latrocinia. Sed quando casus ambigui incidebant, id est, quando quaestio fuit dubia, de ea re, de qua non fuit constituum legibus, non licuit statuere Magistratui provinciali.

Talis fuit causa Pauli, Quia Romani permittebant varias religiones: Iudaeis Iudaicam, Graecis Graecam, aliis aliam religionem et cultum. Fuit magnum hoc beneficium, quod Iudaica gens illis postremis temporibus retinuit αὐτονομίαν templi. Accusabant autem Iudaei Paulum de religione. Ibi non licuit Magistratui provinciali pronuntiare: sicut alibi etiam propter religionem non licebat provinciali Magistratui quenquam interficere, praesertim civem Romanum, antequam sunt missa edicta de persecutionibus Christianorum, quod postea factum est.

Utitur ergo Paulus politica defensione. Quod exemplum observandum est. Tu potes ac debes te defendere contra latronem. Imo cum in defensione vitae tuae occidis latronem, non iniuste facis. Sic Paulus, cum habeat iniquum provincialem praesidem, reprimit eum non sophistice, non fucate, sed proposito fundamentali iure. Defendit se isto privilegio civium Romanorum. Et recte fecit. Deus constituit imperia, ut sint honori bonis, et terrori malis.

Etsi multum est confusionum in politiis, tamen magnum bonum est bonis hominibus, qualiscunque ordo, quo utendum est ad iustam et legitimam defensionem. Si Paulus non allegasset ius in defensione vitae, non recte fecisset. Confirmasset tyrannidem et latrocinia.

Unde Paulus accepit nomen, cum historia in Actis eum nominet etiam Saulem? Consentaneum est eum fuisse binominem, et ab Hebraeis Saulem, a Romanis Paulum fuisse nominatum. Saulus nomen familiare fuit in familiis tribus Beniamin, propter memoriam regis Saul. Et significat hoc nomen idem, quod postulatus. Fuit autem Paulus ex tribu Beniamin. Nomen Pauli fuit usitatum Latinis. Significat idem, quod pauxillus, vel pusillus.

Romani multi, nobiles et celebres viri, delectati fuerunt hoc nomine. Hebraeis Poel significat effectorem, ab efficiendo. Id congruit ad Paulum Apostolum, qui magnam Ecclesiam colligit ex Iudaeis et gentibus. Apud Graecos παῦλα significat quietem. Iunxit Paulus Graecam Ecclesiam cum Iudaica. Interim est Paulus, id est, contemptus et spretus Latinis, sicut tandem interfectus est Romae.

Ista Grammatica volui primum dicere, ne sitis plane rudes talium rerum: et ut excitetur in vobis diligentia: Quia quorundam est nimis agrestis et barbarica inscitia. Vereor, ne paulo post ingruat crassa quaedam barbaries. Quod cum fiet, crescent confusiones. Satis nunc est monstrosarum opinionum. Et tamen, si accesserit barbaries, erunt multo maiores tenebrae. Quando manet aliquid lucis, et diligentia viget in considerandis vocabulis, phrasibus, historiis, facilius possunt evolvi pleraque, in maioribus etiam disputationibus.

De locis doctrinae.

Iam dicemus de locis doctrinae, qui sunt cogitandi in historia Pauli. Hic quaero primum in genere: Quare necesse est nosse historias sanctorum in Ecclesia?

Respondeo. Sicut in qualibet Republica ne-

cesse est sciri historiam eorum, qui praefuerunt rerum administrationi: Sic praecipuorum luminum Ecclesiae historia tenenda est, propter ipsam Ecclesiam. Ipsius vero Ecclesiae perpetua historia, quantum sciri potest, propter has causas consideranda est.

Primum ut sit testimonium de hoc articulo Symboli; *Credo Ecclesiam sanctam Catholicam,* id est, Credo genus humanum ideo conditum esse et conservari a Deo, ut inde colligatur filio Dei aeterna haereditas: Item Credo illam esse Ecclesiam veram, discernendam ab aliis gentibus et sectis, quae doctrinam scriptis Prophetarum et Apostolorum comprehensam, amplectitur, profitetur, et conservare ac propagare studet incorruptam. Denique credo semper esse, et perpetuo usque ad consummationem saeculi talem fore in terris Ecclesiam, et hanc mirabiliter conservari, regi, protegi, inter tot insidias Diabolorum, inter tantos furores multiplicium hostium, inter tot et tanta pericula, inter confusiones tristissimas huius vitae, inter ruinas imperiorum.

Haec est magna et necessaria causa considerationis historiae Ecclesiae, et quotidie cogitanda in invocatione. Debemus agnoscere, quod sit aliqua Ecclesia electa omnibus temporibus, et quae sit illa, et quod sit mansura usque ad universalem mortuorum resurrectionem seu usque ad diem ultimi iudicii.

Secunda causa est, ut exuscitentur animi ad gratiarum actionem, quod se patefecit, quod doctrinam suam tradidit, quod semper colligit sibi coetum aliquem, eumque conservat, gubernat, defendit, et subinde instaurat ac renovat ministerium Evangelii, et saepe obscuratam lucem veritatis coelestis rursus accendit, missis et excitatis organis idoneis, quae ad Ephesios cap. 4. nominatim recensentur: *Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, alios quidem Prophetas, alios Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores, alios doctores, ut aedificetur corpus Ecclesiae, et ne quolibet vento doctrinae circumferamur.*

In huius causae consideratione laetari debemus, cum cernimus, quae et ubi fuerit vera Ecclesia, et cum discernimus doctrinae genus, quod est Ecclesiae proprium, ab imposturis et mendaciis aliarum sectarum. Item debemus laetari, quod conservatur Ecclesia, et quod nos etiam sumus vocati ad societatem Ecclesiae.

Debent in nobis esse assidui gemitus, pro Ecclesiae propagatione, et pro nostri etiam gubernatione, qui sumus membra Ecclesiae. Subinde sic cogitemus: Ago tibi gratias aeterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, Conditor coeli et terrae, et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo, et Spiritu sancto, quod te patefecisti, quod misisti filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, quod colligis et servas Ecclesiam, quod me vocasti ad Ecclesiae societatem: Tuere, rege, serva hunc coetum, Accende in corde meo veram lucem, et rege me Spiritu sancto.

Haec quotidie in gratiarum actione erga Deum, et in precibus nostris repetere debemus.

Tertia causa discendae et considerandae historiae Ecclesiae est, ut confirmetur in nobis fides de certitudine doctrinae, quam profitemur, quando videmus, per quos sit doctrina propagata, quibus testimoniis singuli ornati fuerint, quod doctrinae genus circumtulerint, quem gradum vocationis tenuerint: quomodo pene continua successio fuerit doctorum Ecclesiae.

Apud Salomonem legitur in Canticis: *Ecclesiam ordinatam esse, ut castrorum acies ordinata est.* Nihil pulchrius est, instructa acie militari, in qua milites singuli consistunt suo loco: Sic quanquam Ecclesia aliis atque aliis temporibus, foris alias squalidior, alias minus deformis apparet, tamen cum considerantur lumina Ecclesiae, id est, doctores praecipui omnium temporum, et quasi corpus totum Ecclesiae, inde usque ab initio mundi ad nostram aetatem, animo subiicitur, vere pulchrum est spectaculum.

Deinde ut in praeliando illi, qui sunt in prima acie, primi dimicant: cum vero aliquis ex iis cadit, mox in eius locum alter succedit, ex secundo ordine, velut in ipsum vestigium prioris insistens: sic perpetua et quasi continuata series est successionis doctorum et gubernatorum Ecclesiae, subinde submissis et substitutis aliis atque aliis in loca seu vestigia eorum, qui divinitus evocati tanquam de statione sua decesserunt.

In locum primi parentis Adae, extincto Abele, succedit Seth. Ex huius posteris succedunt sibi invicem Enoch, Mathusalem, Noah. Cuius successores post diluvium fuerunt Sem, qui et Melchisedeck putatur esse, Abraham, Isaac, Iacob, deinde patres in Aegypto, et ex his Ioseph in primis, Post cuius mortem, cum Israëlitae dura servitute premerentur in Aegypto, excitatur Moses. Huic successit Iosue, Samuel, David, Elias, Elisaeus, Esaias, Hieremias, Daniel, Aggaeus, Malachias. Secuti sunt Maccabaei, post quorum aetatem, interfectis multis senibus, Deus excitavit Simeonem, Zachariam patrem Baptistae, et alios. Ita semper, fere in eadem vestigia successerunt aliqui, quorum alii fuerunt in maioribus difficultatibus, alii paulo tranquilliorem gubernationem tenuerunt.

In novo Testamento Iohannes Baptista est praecursor Domini. Tum Christus ipse indutus carne fit caput ministerii visibilis. Hic mittit Apostolos, quos secuti sunt longa serie doctores et Episcopi, Ignatius, Polycarpus, Irenaeus, Gregorius Neo-

caesariensis, Athanasius, qui magna certamina sustinuit cum Arianis. Postea Augustinus, qui refutavit errores Pelagianorum. Item Prosper, et alii multi boni ac docti viri, quorum alii aliis rectius senserunt

Inter ipsos Monachos fuit Bernhardus, qui fundamentum fidei retinuit et propagavit, post quem etsi paulatim errores invecti sunt, et plaerique super fundamentum fere nihil aliud nisi stipulas extruxerunt, aliqui tamen subinde taxarunt idola Pontificia. Multum lucis habuit, etiam ante haec tempora Taulerus: Et patrum nostrorum memoria fuit valde doctus vir, cuius scripta extant, Wesselus Groningensis. Nomen Wesselus puto esse nomen Basilii. Audivi Capnionem narrantem de eo, quod Parisiis expulsus sit propterea, quia dogmata quaedam scholasticorum improbarit. De plaerisque capitibus religionis Evangelicae sensit idem, quod a nobis nunc traditur, postquam nostra aetate repurgatio Ecclesiae facta est, et lucem Evangelii splendidiorem Deus mirabilibus occasionibus iterum accendi voluit.

Scripta Wesseli sunt bona, si quis cum quadam dexteritate, et non cavillatorie iudicet. Dei beneficio iam singula traduntur explicatius. Non habuit tunc multos, cum quibus conferre posset sententias suas. Magis illustrantur res, quando plures conferunt studium et operam, sicut dicitur. *ὁμιλία ἔτεκε τέχνας*: *Ferrum ferro acuitur, sic vir virum acuit.* Cum res agitantur, et fiunt collationes sententiarum, non tantum excitantur ingenia ad inquirendos fontes doctrinarum, sed etiam confirmantur animi, et res ipsae fiunt illustriores.

Capnio narrabat Wesseli morem fuisse, ut partem temporis tribueret lectioni Bibliorum hebraicae, quia fuit bene doctus in linguis, partem vero tribueret aliis docendis. Docuit autem simul hebraice, et doctrinae Ecclesiae summam explicavit, et coniunxit philosophica. Postea consenuit in Phrysia. Et scripsit mihi Pater seu prior Groningensis, ante multos annos, se audivisse illius colloquia cum Rodolpho Agricola, de iisdem rebus, quae nunc proponuntur in nostris Ecclesiis.

Sic igitur servavit Deus veritatem omnibus temporibus in aliquibus membris. Et subinde instauravit ac renovavit ministerium et Ecclesiam. Id monstrat haec ipsa series continua successionis piorum doctorum in regimine Ecclesiastico: Quam intuentes, confirmemus fidem de perpetua praesentia filii Dei in Ecclesia, et de veritate doctrinae, quam sonamus, et amplectimur, et quam ad posteros transmittere, singuli suo loco studere debemus.

Plurimum etiam ad confirmandam fidem prodest, cum non modo consideramus, quomodo continuata serie successerint sibi invicem sancti, et quid quisque sanctorum docuerit, sed etiam cum mirandas eorum vocationes, mirandos item eventus et liberationes cogitamus. Nam his testimoniis divinis et ipsum doctrinae genus sancitur, et quasi obsignatur, et privatim in nobis accenditur et alitur fiducia erga Deum, ut statuamus nobis quoque Deum affuturum esse, sicut illos constat divinitus exauditos et adiutos esse. Sic enim et Psalmo 34. singulis Ecclesiae membris commendatur talium exemplorum pia cogitatio, cum inquit David: *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum. Igitur et vos accedite ad eum.*

Quarta causa, cur aspicienda sit historia Ecclesiae, est, ut excitemur ad studium imitationis earum virtutum, quae lucent in sanctis in vita privata et publica, Quia, etsi non possumus imitari seu assequi illarum virtutum gradus et excellentiam, tamen initia in nobis esse debent, et ea quotidianis exercitiis fovenda et augenda sunt. Nam et in sanctis virtutes fuerunt dona Dei, sed ipsi dona ista exercuerunt, et diligentia sua retinere studuerunt, non excusserunt dona Dei. Ut ergo ipsi fidem, invocationem, dilectionem, tolerantiam, lenitatem, fortitudinem, constantiam praestiterunt, et in omni officio diligentes fuerunt: Sic in tota obedientia Deo debita, et in officiis vocationis nostrae ad imitandum nobis proponamus exempla illarum virtutum, et petamus a Deo, ut similes virtutes in nobis accendat, tueatur, et confirmet, nec ignavia aut petulantia nostra excutiamus initia donorum spiritus sancti.

Sed ut *κακοζηλία* vitetur, sciendum est, primum Exempla ad regulam accommodanda esse: et heroica, quae sunt inimitabilia, discernenda esse ab iis, quae possunt esse Communia in omnibus. Deinde et vocationum diversitas, et donorum dissimilitudo consideranda est. Ego non debeo pugnas Davidis in acie imitari, sed officium, quale mihi attributum est, fideliter facere, in docendo.

Haec est generalis doctrina de utilitatibus historiae Ecclesiae, ad quam referenda est commemoratio de sanctis, quos constat illustrasse ac propagasse doctrinam a Deo traditam. Prorsus autem alia res est, quod adversarii dicunt, sanctos invocandos esse, vel ut opitulatores, vel ut mediatores.

Nullo modo ad ullum sanctum facienda est invocatio, sed dirigendae sunt preces nostrae ad patrem Domini nostri Iesu Christi, et ad ipsum filium Dominum nostrum Iesum Christum et spiritum sanctum. Et fiducia nostra in invocatione niti debet uno et solo mediatore Christo. Hic honos non est transferendus ad prophetas aut Apostolos, aut Mariam, aut quemlibet alium sanctum. Improbanda igitur et fugienda est hominum mortuorum invocatio. Est enim Ethnicus mos, qui et Deos multos et homines mortuos, qui virtute aut rerum

gestarum gloria antecelluerunt, quos heroas illi vocabant, ut Herculem, Quirinum, et similes, invocare soliti sunt.

Nunc in praesenti historia Pauli Apostoli quaeramus locos illos praecipuos, qui in singulorum sanctorum historiis observandi sunt: Videlicet: 1. Quae fuerit vocatio eius, et quomodo seu quam mirabiliter sit vocatus. 2. Quam doctrinam defenderit. 3. Quae habuerit testimonia divinitus addita doctrinae. 4. Quas aerumnas expertus sit, et quas liberationes. 5. Quae habuerit exercitia voluntaria.

De vocatione Pauli.

Hic duo se offerunt consideranda. Primum, quod vocatus fuerit ad munus Apostoli. Deinde quomodo sit conversus, cum prius fuisset persecutor Christi et Ecclesiae.

Apostolus ipse passim in titulis, et exordiis suarum Epistolarum facit mentionem suae vocationis, ad commendandam autoritatem sui ministerii. Nominat se *κλητὸν ἀπόστολον*, id est, Apostolum immediate et singulari modo vocatum, et hoc urget ad Galatas. Discernantur igitur gradus vocationum. Alia est mediata, quae fit ordinarie ab Ecclesia, seu ab hominibus. Alia est immediata, qualis est vocatio prophetica et Apostolica, cum Deus ipse excitat, et testimoniis divinis ornat, quos vult audiri ab aliis in Ecclesia, tanquam non errantes de doctrina.

Haec vocatio immediata multo est superior mediata seu communi vocatione, Quia qui mediate vocantur, sunt alligati ad scripta Apostolorum et prophetarum, nec habent aliud testimonium, quod non errent, nisi illa ipsa scripta prophetica et Apostolica. Prophetae subinde repetunt haec verba in suis concionibus: *Haec dicit Dominus*. Et, *Sic locutus est Dominus*: ut doceant, ipsorum concionibus credendum esse, tanquam voci de coelo sonanti. Hoc fine inculcat etiam Paulus vocationem suam ad munus Apostoli, ad quod ait se invitum et aversantem Evangelium, pertractum esse.

Sed quia citavimus antea dictum Pauli ad Ephesios de donis, quae filius Dei sedens ad dextram patris dat hominibus: repetamus discrimina appellationum.

Quid erat propheta in veteri Testamento? *Propheta* in illo populo fuit persona immediate vocata a Deo, ad illustrandam promissionem de Messia. (Haec enim praecipua pars muneris prophetici erat.) Postea etiam ad aliqua consilia politica: et habuit testimonia, quod non erret. Non volumus ista subtilissime persequi. Loquor de plerisque. Qui delectantur cavillationibus, iis nihil dici potest, quod non labefactare studeant. Nos simus contenti mediocri explicatione. Ita Moses fuit Propheta. Sic Elias, Elisaeus, Ieremias, Daniel, Haggaeus, fuerunt prophetae, declararunt promissionem Evangelii, sicut Petrus inquit in Actis: *Huic omnes prophetae testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius, omnes, qui credunt Evangelio.*

Deinde adhibiti sunt ad gubernationem politicam, aut certe ad aliquam partem consiliorum politicorum. Moses fuit dux populi Dei, David rex, Samuel iudex. Esaias consiliis suis iuvat Ezechiam contra Sennacherib. Ieremias dat consilium Ieconiae de spontanea deditione. Elisaeus unxit tres reges. Daniel fuit praefectus in Susis. Haggaeus rexit consilia de reditu ex Babylone. Omnes autem isti habuerunt testimonia divinitus, quod non errarent.

Quid est Apostolus? Nihil interest inter prophetam et Apostolum, quam quod Apostoli nihil habuerunt negotii cum politia Israelitica, aut ulla parte administrationis aliarum Rerumpublicarum. Sed recitemus definitionem. *Apostolus* est persona immediate vocata a Deo ad docendum Evangelium, quocunque loco, (Habet enim vocationem universalem, non alligatam uni loco) et habet testimonium doctrinae, quod non erret, nec habet mandatum ad tenendam vel regendam gubernationem politicam. Deus ornavit non modo prophetas, sed etiam Apostolos testimonio Spiritus sancti, et miraculis, ut certum esset, doctrinam eorum divinam esse.

Evangelista est persona mediate vel immediate vocata ad docendum Evangelium in multis locis. Erant enim aliqui, qui subinde mittebantur aut vocabantur ad diversas Ecclesias, ut ibi Evangelium docerent. Tales scribit Eusebius nominatos esse Evangelistas, et celebrat Pantaenum, lectorem scholae Alexandrinae, qui pervagatus fuit multas Ecclesias in Oriente, et eas erudiit. Noster Pastor Iohannes Bugenhagius potest dici Evangelista, quia praedicavit in multis locis, et diversas Ecclesias constituit.

Pastor seu *Episcopus* est persona mediate vocata scilicet per Ecclesiam, ad docendum Evangelium, et ad publicam administrationem Sacramentorum in loco certo. Debet autem doctrinam accipere ab Apostolis, seu recitare doctrinam traditam ab Apostolis, et cum ab hac discedit, errat, ut saepe accidit: Nec habet potestatem ubique docendi, ut Apostolus.

Cur necesse est, Apostolos ornatos esse miraculis? Episcopum non necesse est facere miracula? Annon Apostoli docuerunt idem, quod prophetae? Respondeo. Quanquam nihil novi faciunt Apostoli, praeterquam quod praedictum est a pro-

phetis: tamen articulus de Christo exhibito est novus, quem prophetae praedixerunt venturum esse. Sic abrogatio legis, quanquam fuit praedicta, tamen res nova fuit, cum eam inchoarunt Apostoli. Sic multa alia prophetae non ita clare explicant, ut Apostoli. Indigent ergo testimoniis miraculorum Apostoli, ut certum sit eos non errare. Sed pastorem vel Episcopum, non oportet habere similia testimonia, quia simpliciter accipit doctrinam ab Apostolis. Debet illam vocem Apostolicam sonare, et nihil aliud. Non debet, neque potest novum articulum fidei proponere, aut quidquam novi facere.

Doctor est persona vocata ad docendum Evangelium, non ad gubernationem Ecclesiae. Habet potestatem docendi, non habet administrationem Ecclesiasticam, Item non administrat Sacramenta: Ut ego non habeo administrationem Sacramentorum. Doctores sunt infra ordinem Pastorum, nisi simul aliqui sint et Pastores et doctores.

Iam redimus ad vocationem Pauli, in qua celebranda est bonitas Dei, quod ex persecutore fecit Apostolum. Christus eum vocat *vas electionis*, id est, organum electum, quo usus est ad vocandas gentes, sicut ipse Apostolus nominat se *doctorem gentium*. Nec dubium est rectissime tribui Paulo hoc Encomion, quod sit praecipuum lumen Ecclesiae novi Testamenti, et optimus ac eruditissimus interpres scripturae propheticae. Item quod duplici nomine possit praeferri caeteris Apostolis: Primum quod in suo ministerio longius ac latius sparsit ac propagavit vocem Evangelii, quam reliqui collegae: Deinde quod Ecclesiae etiam secuturi temporis usque ad finem mundi plura et accuratius scripta reliquit, quam caeteri discipuli Christi, quorum quidem scripta ad nostram aetatem pervenerunt.

Proponit autem Paulus vocationem suam, etiam ut exemplum gratiae, seu gratuitae Remissionis peccatorum. Dicit se esse παράδειγμα doctrinae, quae est Evangelii propria, quod peccata gratis remittantur, per et propter filium mediatorem, non propter opera vel merita hominum. *Fidelis sermo est*, inquit ad Timotheum, id est, certus, non dubius sermo, *et omni acceptione dignus, quod Iesus Christus venit in hunc mundum, salvos facere peccatores, quorum ego primus sum.* q. d. Mundus hanc concionem Evangelii ridet et contemnit. Sed tamen verissime recipit Deus peccatores propter filium. Et hoc ostendit meo exemplo, sicut alibi eiusdem doctrinae exempla recitantur de publicanis, Matthaeo, Zachaeo, et aliis, de muliere peccatrice, de latrone converso in cruce, etc.

In his exemplis discamus etiam nos: Veram esse propositionem, quod Deus remittat peccata gratis propter Christum, non propter nostra opera. Teneamus hoc ad nostram consolationem, et ad refutandas imaginationes Pharisaicas de meritis legalibus. Non dubium est, hanc esse omnium consolationum summam in magnis doloribus, quod gratia exuberet supra delicta. Et quid potuit habere meriti Paulus, cum esset hostis et persecutor Christi, antequam ipsius filii Dei voce retractus est ad agnitionem Evangelii, et ad poenitentiam? Non certe merita ulla habuit, sed magna et horribilia peccata.

Obiicit autem ratio hoc argumentum: *Ego etiam libenter crederem, si tali testimonio vocarer, sicut Paulus est vocatus voce sonante de caelo. Sed nihil tale video mecum fieri. Quomodo ergo credam, me quoque vocari?*

Respondeo. Vocationes fiunt diversis modis et occasionibus. Alio modo vocatur Manasses, qui abducitur in Babylonem et collocatur in carcere. Aliter Zachaeus stans in Sicomoro, qui audit Christum amice eum compellantem. Aliter mulier peccatrix, quae habuit singularem motum in corde, quo perducta est ad agnitionem peccati sui. Paulus vocatur fulmine caelitus edito, quo concutitur et prosternitur. Arguitur eius peccatum divina voce, ex caelo sonante: *Saul, Saul, quid me persequeris?* Audit testificantem Dominum: *Ego sum Iesus, quem tu persequeris.* Ista fulmina non eodem modo fiunt.

Non est ergo vocatio uniusmodi in omnibus et singulis. Ordinaria vocationis ratio est per ministerium Evangelii, quod publice sonat in Ecclesia, et accedunt saepe afflictiones, in quibus castigatos movet Deus, ut agant poenitentiam. Placuit immensae bonitati Dei, sic colligere Ecclesiam, scilicet, per ministerium Evangelii. Plaerumque autem fit, ut homines a Deo vocentur singularibus poenis et castigationibus, iuxta illud: *Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.* Item, *Vexatio dat intellectum.* Ista dicta docent, quod Deus ad se trahat et vocet homines per castigationem. Facit alienum opus, ut faciat opus proprium. Castigat nos primum. Hoc est illud alienum opus, quod Deus facit. Finis autem castigationis est, ut redeamus ad Deum, donemur remissione peccatorum, consolatione Spiritus sancti. Hoc est opus proprium Dei.

Etsi autem vocationis modus non est similis in omnibus: tamen ipsa conversio in corde est una et eadem. Oportet in omnibus, qui convertuntur, esse eundem ordinem et numerum partium poenitentiae, quantumvis gradus possunt esse dissimiles, ut videmus dolores contritionis ab aliis languidius sentiri, imo saepe in iisdem alias maiores, alias minores esse. Sed in omnibus tamen, oportet aliquam contritionem primum esse: Postea scintillam aliquam fidei, in terroribus apprehendentem

misericordiam Dei promissam in Christo, et propositum desistendi a peccatis.

Haec coniuguntur in praedicatione poenitentiae, Evangelii propria. Arguitur peccatum in omnibus. Postea proponitur consolatio credentibus. Tum fructus bonorum operum, et odium peccati praecipitur. Haec cum audimus, debemus expavescere agnitione nostrorum peccatorum, et luctari, ut assentiamur promissioni gratiae, et deponere propositum perseverandi in peccatis. Ista oportet fieri in omnibus. Et quanquam praecipuum opus est Spiritus sancti, ut ista in nobis efficiantur, tamen non debemus nos refragari, aut repugnare Spiritui sancto, qui vult esse efficax per cogitationem verbi, et adiuvat nos luctantes cum dubitatione, et cum cupiditatibus pravis ac vitiosis.

Tota conversio est beneficium Dei, sicut etiam ipsa vocatio. Necesse est filium Dei docere mentem, et Spiritum sanctum movere voluntatem et trahere cor. Sed tamen hoc ordine convertit Deus, ut, quando ipse est in nobis efficax, concurrere velit cogitationem nostram in meditatione verbi: et motum voluntatis et cordis, expavescentis agnitione peccati et irae Dei, et inter ipsos dolores, aliquo modo se erigentis fiducia, quantumvis languida, divinae misericordiae, et magis magisque conantis repugnare diffidentiae, et in hoc conatu seu lucta difficili implorantis opem et auxilium Dei, sicut dicitur: *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram.* Et, *Credo Domine, sed opem fer incredulitati meae.* Similiter et in emendatione vitae vult Deus concurrere studium et diligentiam nostram in reprimendis vitiosis affectibus, et corrigenda securitate.

Haec ita esse, docemur hoc ipso conversionis Pauli exemplo, qui fuit antea hostis et persecutor Christi. Fuit iuvenis ardens ac vehemens, voluit esse defensor legis, et politiae constitutae divinitus, sicut cives constantes, in dissensionibus publicis, qui volunt esse optimarum partium, student defendere praesentem statum Reipublicae. Cum igitur Stephanus diceret fore, ut destrueretur illa politia, et propterea ad necem raperetur, delectatus fuit Paulus caede Stephani, et acceptis literis a sacerdotibus, proficiscitur iam ex Hierosolymis, Damascum versus, ad persequendos discipulos Christi.

Hic igitur, cum in caecitate sua, et in illis magnis et horribilibus peccatis suis pergeret, immensa bonitate vocat eum Deus, et vocat singulari spectaculo, id est, loce miraculosa, et voce caelesti, et quasi fulmine quodam terrorum penetrantium et frangentium cor ipsius, retrahit eum ex medio cursu persecutionis.

Hoc quidem, ut dixi, singulare quiddam est. Sed in ipsa conversione, seu eo ipso, cum convertitur, conspiciuntur in Paulo omnes partes poenitentiae, et ordo seu modus, quo Deus sic operatur in eo, ut concurrat aliqua actio voluntatis, motae divinitus, ne repugnet, sed assentiatur Deo vocanti.

Primum enim filio Dei sua voce accusante peccatum, et illuminante mentem, et tangente pectus ipsius sensu irae Dei, agnoscit peccatum suum, et in seria contritione discit se prius fuisse hypocritam tumentem persuasione falsa suae iustitiae, et agnoscit, ut ipse loquitur, se hactenus sine lege vixisse. Agnoscit se horribiliter peccasse, et dolet toto pectore, quod tanta acerbitate persecutus sit membra Christi, et quod hac persecutione petierit Christum ipsum, cuius severissimam comminationem audit: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.*

Haec agnitio peccati etiam postea in eo fuit, sicut saepe conqueritur, quod ignorans persecutus fuerit Christum et sanctos, et nominat se *ἔκτρωμα*, id est, *abortum.* Nam *ἔκτρωμα* est foetus abortu editus. Quo nullum est spectaculum foedius et miserabilius.

Tale *ἔκτρωμα* se vocat Paulus coram Deo, id est, miserrimam massam, foedam, abominabilem, plenam contaminatione, et multis magnis peccatis.

Deinde cum inquit: *Domine, quid vis me facere?* Et cum postea describitur *orans,* significatur lucta cum terroribus, quantumvis adhuc languida sit scintillula fidei. Nam quia ad ministerium Ananiae a Christo remissus erat, iam tum spes veniae ei proponebatur. Haec fides crevit in eo postea, audita consolatione Ananiae et accepto Baptismo. Antea singulae voces Christi fuerant singula fulmina, quibus non potuit non vehementer perterrefieri, prosterni et conturbari. In his terroribus oppressus consternatione periisset, nisi proposita spe veniae, luctatus esset cum dubitatione, et fide se erexisset, quantumvis adhuc infirma, donec pleniorem consolationem accepit, cum Ananias ei annuntiavit remissionem peccatorum et in testimonium acceptationis, seu remissionis peccatorum ei baptismum impertivit.

Postremo sequuntur et fructus poenitentiae, confessio, et afflictiones. Ita exemplum conversionis integrae est in hac parte historiae Pauli: Et in singulis conversionis illius partibus cernitur aliqua actio voluntatis, quatenus sanari divinitus coepit. Manet enim regula illa vera: *ἕλκει μὲν ὁ θεός, βουλόμενον δὲ ἕλκει. Trahit Deus, sed volentem trahit.* Non pergit repugnare Paulus, sed assentitur. Obtemperat verbo, sequitur ductum Spiritus sancti trahentis et moventis eum per verbum. Sic in nobis quoque, cum convertimur, est aliquod velle. Quamdiu enim prorsus repugnamus verbo, quamdiu non subiicimus nos Deo trahenti per verbum, tamdiu nulla potest dici aut esse conversio. Quae quanquam Dei est beneficium, tamen

non fit sine nostra assensione, et haec ipsa assensio est argumentum seu indicium conversionis nostrae ad Deum. Relinquite imaginationes Enthusiasticas, de raptibus Enthusiasticis, de necessitate, de coactione, quae non prosunt conscientiis.

De doctrina Pauli.

Quod est corpus Paulinae doctrinae?

Complexus est Paulus universam doctrinam Ecclesiae, id est, omnes partes seu membra doctrinae Christianae, ut, de vera Dei et mediatoris agnitione, et invocatione, de creatione, de peccato, de lege Dei, de promissione propria Evangelii, de conversione hominis ad Deum, de iustificatione, de bonis operibus, et veris cultibus Dei, de causis calamitatum in toto genere humano, de vera Ecclesia, de ministerio Evangelii et Sacramentorum, de electione salvandorum, de Ecclesia et imperiorum distinctione, de discrimine iustitiae spiritualis et politicae, de vinculis obedientiae debitae ordini politico, de Christiana libertate, de scandalo, de resurrectione mortuorum, de secuturo iudicio, de gloria piorum in coelesti vita, de sempiternis poenis impiorum.

De his omnibus recitat Paulus doctrinam, statim ab initio per filium Dei patefactam Ecclesiae, et a patribus ac prophetis semper propagatam, et illustratam, et in scripturis expresse traditam, Quia omnibus temporibus sonat eadem vox doctrinae in vera Ecclesia, et idem corpus doctrinae comprehensum est in scriptis prophetarum. Ideo Paulus initio suarum Epistolarum passim disertis verbis testatur, se non afferre novam et prorsus ignotam populo Dei sapientiam, sed vocem Evangelii, quae unica, perpetua, et consentiens doctrina sit in vera Ecclesia omnium temporum.

Sunt autem in Pauli scriptis haec maxime insignia, propter quae non immerito illa anteferuntur multis aliis monumentis seu scriptis Biblicis.

Primum, interpres et lumen praecipuum est totius veteris Testamenti Paulus. Sed et novi Testamenti libris plurimum lucis addit. Nam vice methodi esse possunt Conciones et Epistolae Pauli ad omnem lectionem scripturae Propheticae et Apostolicae, cum omnes articuli fidei adeo erudite, adeo plane et luculenter ab eo tradantur, et citatis propheticarum Concionum testimoniis ita muniantur, ut et vera sententia doctrinae, quae est Ecclesiae Dei propria, conspici et agnosci possit, et ordo in disputationibus secundum praecepta artium dicendi usitatus, artificiose informatus appareat, et refutatio adversariorum ex veris, firmis, et evidentibus fundamentis extructa undiquaque se offerat, oculis et animis legentium.

Deinde non modo illustrat Paulus ea, quae prius tradita sunt in prophetis, et planiora omnia facit, et methodum legentibus praebet ad prophetas et Evangelistas explicandos: sed ut alia tempora habent alia certamina, sic Paulus contra Pharisaeos, quos habuit adversarios, peculiariter de his tribus quaestionibus dimicat:

Primum *de iustitia legis*, quam defendebant Iudaei fingentes, hominem facientem opera legalia iustum esse coram Deo, et disciplinam externam et sacrificia mereri remissionem peccatorum.

Deinde *de Ecclesia*, quam dicebant Pharisaei istum populum esse, qui servaret legem, nec volebant recipi gentes, nisi insererentur isti populo per circumcisionem, et observarent caeteras ceremonias praescriptas in lege.

Tertio *de persona et regno Christi*, quem imaginabantur Iudaei, tantum hominem futurum, et habiturum esse regnum politicum.

Priora duo nunc etiam urgent Papistae. Clamant hominem esse iustum operibus, et opera interpretantur de suis ceremoniis. Dicunt se esse Ecclesiam, et neminem dissentientem a Pontifice Romano, et huius traditionibus esse membrum Ecclesiae. Cum nos eis contradicimus, et negamus hominem iustum esse aut consequi remissionem peccatorum propter satisfactiones et ceremonias, quas ipsi defendunt. Item, cum negamus eos esse Ecclesiam, qui manifesta idola tuentur, Et dicimus eos esse idololatras, qui panem in Missa faciunt Deum, et eum invocant, qui approbant invocationem mortuorum. Tum ipsi vociferantur, nos esse haereticos, schismaticos: Excommunicant, damnant nos, sicut Paulo accidit a suis adversariis.

Qui tamen nihil absterritus, fideliter docuit Ecclesiam de capitibus illis controversis. Refutavit imaginationes *de iustitia legis seu de iustitia operum*. Docuit neque diligentiam humanam faciendi opera legis moralia, neque observationem ceremoniarum esse iustitiam coram Deo. Ostendit aliam esse iustitiam nostram, quam ignoret ratio, quam non tradat lex, sed quam revelet Evangelium, Quia lex, inquit, requirit perfectam obedientiam. Homines vero in hac vita non possunt satisfacere legi, disciplina aut virtutibus suis: Ceremoniae vero sunt typi venturae victimae. Ideo lex accusat perpetuo homines, et arguit non tantum externa delicta, sed etiam interiorem depravationem naturae Evangelium vero perterrefactos sensu peccatorum suorum, et irae Dei, deducit ad agnitionem et conspectum mediatoris, et per ac propter hunc iubet nos accipere fide, gratis, remissionem peccatorum, imputationem iustitiae, Spiritum sanctum et vitam aeternam. Affirmat nos recipi, placere Deo,

iustificari, et salvari, per misericordiam, imputata nobis iustitia mediatoris, qua vestiti reconciliemur Deo, ac liberemur ab ira eius et condemnatione aeterna. Simul etiam docet restitui in nobis iustitiam et vitam aeternam, cum datur seu effunditur in nos Spiritus sanctus, qui accendit in nobis veram lucem et novos motus legi divinae congruentes: Et tamen in hac vita manere adhuc reliquias peccatorum in anima et corde renatorum. Ideoque etsi habeant credentes initia novarum virtutum, tamen fidem pertetuo niti debere obedientia Christi propitiatoris et intercessoris, non ipsis virtutibus aut actionibus novis divinitus in eis inchoatis.

Hic articulus fidei de iustificatione hominis peccatoris coram Deo nusquam ita perspicue et evidenter traditus et explicatus est, quam in Epistolis Pauli, propter certamina, quae ei fuerunt cum Pharisaeis et Pseudoapostolis.

De Ecclesia etiam luculente refutavit imaginationes Iudaicas. Docuit, politiam illam constitutam fuisse, ut duratet ad certum tempus, donec exhiberetur Messias. Hunc confirmavit iam esse exhibitum, et pertinere ad Ecclesiam electorum etiam gentes, quae deinceps vocandae sint universali vocatione, et notas Ecclesiae ostendit esse, non observationem ceremoniarum Mosaicarum, quae iam finem suum acceperint, sed doctrinam Evangelii incorruptam, et legitimum usum Sacramentorum, et obedientiam ministerio debitam.

Similiter *de persona et officio seu regno mundano Christi* acriter refutavit somnia Iudaeorum. Docuit de divinitate filii, sicut ad Coloss. et Hebr. illustria testimonia ostendunt: *Qui est imago Dei, per quem omnia consistunt.* Item ad Ephes. *Sedet ad dextram patris, et dat dona hominibus.* Dare dona est naturae omnipotentis. Haec dicta non possunt labefactari, et nos in precatione proponamus nobis sententias tales de divinitate filii, qualis etiam illa est: *Det vobis Dominus Iesus Christus gratiam, et haec aut illa bona.* Item, *Qui natus est ex patribus secundum carnem, et est Deus benedictus in saecula.* Item, *Factus ex semine David, secundum carnem, et declaratus, quod sit filius Dei per resurrectionem ex morte, etc.*

Docuit item *regnum Christi* non esse politicum, Nec eum missum esse, ut lex et politia Iudaicae gentis propagaretur inter Ethnicos, sed ideo venisse, ut fieret victima pro nobis ad placandam iram Dei et satisfaciendum iustitiae divinae, et ut credentes iustificarentur per ac propter eum, id est, absolverentur a reatu, et liberarentur ab aeternis malis: Et haec esse beneficia Christi propria, gratuitam remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, donationem Spiritus sancti, et restitutionem in nobis iustitiae ac vitae aeternae. Haec donari credentibus merito et efficacia Christi resuscitati, et potenter ac gloriose regnantis ad dextram Dei, Et haec bona inchoari in nobis voce Evangelii et dato Spiritu sancto, donec recuperemus statum coelestem, secuturum post hanc vitam, ubi traditurus sit regnum patri, et Deus sit futurus omnia in omnibus electis.

Ita et contradixit Paulus suis adversariis, et doctrinam veram toti Ecclesiae proposuit, addita hac regula ceu norma immota, quam opposuit condemnationibus suorum adversatiorum: *Si quis aliud Evangelium docuerit, sit Anathema.* Hac voce consolemur nos quoque contra nostros adversarios. Ipsi dicunt nos esse anathemata, catharmata, alastoras, peripsemata, quae Deus abiecerit, et propter quae irascitur generi humano. Nos Pauli doctrinam retinentes incorruptam, illos potius pronuntiemus tales esse, non nos, sed illos statuamus a Deo reiectos esse.

Quid significat *ἀλάστωρ?* Significat eum, qui non est attingendus, quem fugere nos oportet.

Κάθαρμα significat purgamentum. Latini vocant piaculum, das man wegthuen soll.

Περίψημα, id est, abradendum, das man wegschaben soll.

Ἀνάθεμα, id est, dedicatum ad necem, Paulus alibi addit *Maranatha. Qui non diligit Dominum Iesum, sit anathema Maranatha*, id est, *Dominus venit.* Sunt verba increpationis, et ponuntur recitative. Recitant enim verbo anathematis, ut cum dicis, das gott den Mahomet schende vnd zu nicht mache. *Dominus veniat adversus Turcam.* Hieronymi temporibus fuit in Phoenicia idolum, quod nominatum est *Maran*, a More, id est, legislator, seu magister. In lingua Syriaca Maran vocatur Dominus. Vidi recens Missam quam vocant Basilii in Syriacam linguam conversam, Ex ea deprehendi, quod, ubi nos ponimus *κύριος*, illi dicunt Maran. Haec consideranda sunt, ut sciatis, quid principaliter Paulus docuerit, et cogitetis, quae fuerint occasiones disputationum Pauli. Ita melius intelligetis scripta ipsius, cum cogitabitis, quid agat, quem scopum sibi propositum habeat.

Etiam vos pueri saepe debetis legere Paulum propter hanc causam, quia, ut supra dixi, abundat multis elegantibus vocabulis, habet emphatica verba. Non cogitate, Theologum non oportere esse Oratorem: sicut aliqui dicunt: *Theologi loquuntur ex Spiritu sancto. Ideo licet eis barbarisare.* Spiritus sanctus non amat barbariem. Barbaries non tantum hoc affert, quod non est grata auribus, sed parit etiam confusiones dogmatum.

Paulus fuit insignis Orator, et habet hoc peculiare, quod novit *ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον θεοῦ.* Verbum est sumptum a sacrificiis. Significat recte partiri, recte distribuere membra. Non erat cuiusvis, secare victimas, sed artis erat, uti ordine

quodam, ceu Anatomico, in dissecandis victimis. Erant aliae partes assignandae Deo, ut caput, cauda, adeps. Aliae sacerdotum erant, ut pectus et armi. Reliquae partes in sacrificiis Eucharisticis reddebantur iis, qui obtulerant, ut inde instituerent convivia ad sacra loca, in quibus laetabantur una, et hilariter gratias Deo agebant pro acceptis beneficiis.

Nusquam in totis Bibliis tam diligenter discernitur iustitia rationis et legis a iustitia fidei seu Evangelii: Item iustitia politica, a spirituali, ut in scriptis Pauli.

Quam est insigne hoc dictum, quo docet, quid sit iustitia spiritualis? *Regnum Dei non est cibus et potus, sed iustitia, pax, et gaudium in Spiritu sancto.*

Quam illustre est testimonium sanciens et muniens ordinem politicum Roman. 13? Non frustra voluit Deus doctrinam de ordine politico repeti et explicari in novo Testamento: Quod haud scio, an uspiam tanto splendore orationis factum sit, ut a Paulo, qui etiam conscientias nostras alligatas esse docet, ut obediant Magistratui, Et tamen fanatici spiritus corruperunt postea doctrinam de ordine politico: etiamsi clarissime traditum sit a Paulo, quod Ecclesia in corde habeat lucem divinam recte agnoscentem et invocantem Deum, et foris conferat operas et labores ad communem societatem retinendam. Hoc discrimen tanta perspicuitate expressit Paulus, quanta posterorum doctorum nemo, qui obscurius de hac re locuti sunt, nisi quod Irenaeus, cum refutat Marcionem, inculcat Pauli testimonia, quibus nihil potest illustrius.

Amate igitur doctrinam et scripta Pauli, et saepe legite. Id magis proderit, quam si legatis magnos acervos Commentariorum. Qui ordinem observat in Epistolis Pauli, et saepe relegit, plus discit, quam qui evolvit multos Commentarios. Cogitate Prophetas et Apostolos non fuisse fanaticos. Quid differunt vere Prophetae a Pseudoprophetis? Paulus dicit: *Spiritus Prophetarum est subiectus Spiritui*, id est, veri Prophetae intelligunt, quae dicunt. Fanatici spiritus non intelligebant, quae dicerent, cum sonarent haec verba: *Croesus transiens Halym, evertet magnum imperium.* Cogitate de Lichtenbergio. Is multa dixit, quae ipse non intellexit: Ein wolff wird beyssen die von Trier vnd Mentz. Nondum factum est, ex quo intelligi hoc possit.

Paulus loquitur ut intelligens, et ordinat membra concionum suarum, et verba sic disponit, ut possit ab aliis intelligi. Non est pulchrum, velle barbarizare et silicizare, confusa et flexiloqua dicere. Qui non habet studium proprietatis in dicendo, is male facit. Merito deplorandum est, tantum esse improprietatis, barbariei, confusionis in Ecclesia nostro tempore apud multos. Et crescent ista mala ad posteros, et nocebunt Ecclesiae plurimum. Deus sanet nostra vulnera, quae non sunt parva.

De Testimoniis, item aerumnis et liberationibus Pauli.

Deus fecit per Paulum multa miracula, ad confirmationem doctrinae eius. Ipsa vocatio fuit miraculosa. Postea sanationes morborum plurimae recitantur in Actis. Item Resuscitatio mortuorum per eum facta est. Haec miracula testantur doctrinam Pauli divinam esse, et fuerunt illis temporibus occasiones conversionis multorum: ut quando in navigatione illa tempore hyberno, servata est navis et propter Paulum conservati sunt in vita omnes qui erant in ea navi.

Hoc miraculo multi sunt conversi ad Christum, sicut videmus custodem carceris cum tota domo sua recepisse fidem Christi aperto carcere per terrae motum, et ruptis vinculis Pauli et Silae. Et cum post naufragium, Paulus et comites ipsius venissent in insulam Meliten, quae hodie vocatur Malta, inter Siciliam, et Aphricam Minorem, ibi serpens pendebat de brachio Pauli. Aliqui mirati sunt, eum non interfici a serpente, Deus tamen custodivit Paulum, et fuit ea conversionis multorum occasio.

Pertinent huc caetera omnia, quae narrantur de cursu vitae et praedicationis Pauli, de aerumnis eius et liberationibus. Totum eius curriculum fuit plenum periculorum, difficultatum, certaminum, quae cum humano consilio essent inextricabilia, Deus tamen mirandis modis eum saepe liberavit, sicut describitur in Actis, et ipse in posteriori Epistola ad Corinthios prolixa narratione recenset.

Versatus est in munere Apostolico annos 36. Isto tempore bonam Asiae et Europae partem pervagatus, fideliter docuit, et longe lateque sparsit Evangelium: Et plus curarum, solicitudinum, molestiarum, adversitatum sustinuit, quam quisquam nostrum existimare, aut cogitatione sua complecti potest.

Conversio ipsius, in itinere ad Damascum (quod distat a Hierosolyma miliaribus quadraginta) incidit in annum Christi 35. Tiberii 19. Interfectus est a Nerone anno Christi 70.

Cogitate, sub qualibus principibus fuerit. Non credo fuisse continuos principes in genere humano tam tetros, quam fuerunt illa horribilia monstra a Tiberio uspue ad Vespasianum, sub quibus vixit Paulus, Ioannes, et pauci alii Apostoli. Plerique

enim ante Paulum interfecti sunt. Id considerare debemus, ut miserias generis humani deploremus, quod in illo summo loco, in fastigio imperii, sint tam horribilia monstra, et tam tetra portenta, de quibus cogitantes, expavescere nos oportet, sicut profecto cohorresco toto corpore, quando cogito de illis monstris. Debemus autem tanto diligentius orare Deum, ut det nobis bonos principes, ne fiant dissipationes generis humani, et ut ipse sit custos Ecclesiae. Nec sinat nos tam horribiliter abiici, sicut illi abiecti sunt.

Simul autem cogitemus magnitudinem bonitatis et misericordiae Dei, quod tamen colligere sibi voluit praedicatione Pauli Ecclesiam, etiam in illis locis, ubi dominabantur teterrima illa monstra, Claudius, Caligula, Domitianus, Nero, quorum aulae plenae erant omnis generis turpitudinum horribilium. Nam exemplis illorum, multi alii corrupti sunt, iuxta dicta illa, quae sunt descriptiones casuum mundi, et loquuntur de facto, non de iure: *Qualis princeps, talis civitas*: *Quales Dominae, tales catellae*, wie die Herrn sind, so ist auch das Gesinde. Wenn der Abt würffel auflegt, so ist den München erlaubt zu spielen.

Forte cubos primus posuit si futilis Abbas
Tum sese Monachi ludere iure putant.

Adolescentes meminerint versus Claudiani:

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Item:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Item:

Utque ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Construe hunc versum. Castra est nominativus, a quo pendet constructio: id est, Milites sequuntur mores ducum, sicut sequuntur lituos, id est, tubas ducum. In summa, Homines plerumque fiunt deteriores licentia, et malis exemplis, sed maxime gubernatorum.

Scribitur Paulus propterea decollatus fuisse a Nerone, quia aliquos converterat in eius aula ad Christianismum.

Iam si de ipsa urbe cogites, Magnum est miraculum, quod Deus non everterit totam urbem Romam, ut Sodomam et Gomorrham, cum non minora peccata ibi fuerint. Non fuit alibi tanta turpitudo, quanta fuit Romae tempore Neronis. Mirum est igitur, quod Deus non statim abiecit totam urbem in imum Tartarum. Apostoli invenerunt mundum, temporibus talium Imperatorum valde turpem et effrenem. Et tamen tanta est immensitas misericordiae divinae, ut inde collegerit sibi Ecclesiam, ut iam quoque mundus admodum refertus est peccatis, et tamen colligit sibi Deus Ecclesiam ingenti et inenarrabili bonitate.

Debetis autem et hoc cogitare, quam mirabilis sit gubernatio Ecclesiae, et sanctorum, inter tot et tanta pericula, qualibus obiectum fuisse videmus cursum ministerii, et vitae Pauli a conversione eius usque ad mortem, in tam multis peregrinationibus, naufragiis, latrociniis, seditionibus, furoribus Iudaeorum et Ethnicorum, imo etiam falsorum fratrum insidiis, de quibus nominatim conqueritur.

In his tamen Deus dedit testimonia multiplicia suae praesentiae, ut ostenderet, Ecclesiam et pios doctores, non solum destitutos praesidiis humanis, sed etiam a causis secundis desertos, tamen custodiri, tegi, defendi mirabiliter ab ipso, frustra frementibus Diabolis et horum ministris, donec vult eos in vocatione sua versari.

Non dicam iam de aliis periculis, quae Paulus sustinuit. Sed cogitate hoc exemplum, quod ipse scribit, *se pugnasse saepe cum bestiis.*

Fuit usitatum istis temporibus, abiicere miseros homines bestiis. Et tamen leones, pardi, et aliae saevissimae bestiae in circo saepe pepercerunt sanctis. Deus voluit talibus spectaculis testari, illas bestias esse mitiores tyrannis, et aliis hostibus, non parcentibus Ecclesiae. Exempla multa recitantur apud Eusebium, ut cum Attalus, et eius coniux Blandina sunt obiecti bestiis, leones circumiverunt, olfacientes et lambentes, et transiverunt illis illaesis.

Aliqui, cum saepe essent obiecti bestiis, et tamen non laederentur, alio genere supplicii sunt affecti. Coacti sunt carnifices gladio eos ferire. Deus ostendit plus esse mansuetudinis in bestiis, quam in illis Iudicibus rabiosissime persequentibus Christianos.

Ita olim obturavit filius Dei ora leonum famelicorum, cum Daniel in specum leonum coniectus esset. Sic igitur pepercerunt et Paulo leones et bestiae, ut discamus Ecclesiam, et sanctos servari et custodiri mirabiliter.

Nos ipsi non scimus, quomodo servemur, aut quomodo vivamus in hoc mundo. Et tamen petere debemus a Deo conservationem Ecclesiae, et nostri. Sciamus ipsum esse custodem Ecclesiae, et fore nostrum quoque custodem, si modo serviamus ei fideliter in vocatione.

Cogitate, quam mirabile hoc fuerit, quando Deus servavit olim sanctos obiectos leonibus, et aliis truculentissimis bestiis. Cogitate etiam, quanta fides fuerit in istis sanctis hominibus, commendantibus se Deo, ubi steterunt inter medios leones. Rex Anglicus cum vellet experiri fortitudinem generosissimi cuiusdam canis sui, intromisit eum in hortulum, in quo alebantur leones: Canis compul-

sus, ingressus est in hortum. Venit in conspectum unius ex leonibus. Leo iacuit ibi, non se commovit, sed tantum torve intuitus est canem. Canis vero mox concidit, extinctus subito pavore.

Quisque vestrum cogitet, si staret tali loco solus, ubi leones, pardi, aut similes bestiae libere circumeunt, quid animi sibi futurum esset. Ego memini me expavescere, cum primum audivi leonem rugientem. Postea cum viderem leonem ipsum, cogitabam, si illa bestia erumperet (Erat enim inclusus leo in caveam) nemo nostrum evaderet. Cogitate igitur, quantum robur fidei fuerit in sanctis inter leones.

Haec fides fuit opus Spiritus sancti, sicut etiam hoc fuit opus Dei, quod ora leonum occlusit. Ita semper Deus mirabiliter custodit, quos vult custodire. Non cogitemus, nos tutos esse praesidiis humanis: Sed agamus Deo gratias, quod hactenus nos servavit, et petamus, ut ipse nos deinceps servet. Teneamus etiam hanc consolationem, quod unicuique Deus periodum certam, id est, spatium certi temporis praefinit, singulari consilio, et quamdiu vult singulos quasi in stadio vocationis esse, servat nos, donec perficiamus nostrum curriculum, quemadmodum videmus, nullis terroribus et periculis, nulla saevitia potuisse cursum Pauli impediri, priusquam ex voluntate Dei illum conficeret.

Tandem vero, cum ornasset ac confirmasset Deus ministerium Pauli multis testimoniis divinis: passus est hoc insigne decus, et lumen Ecclesiae suae interfici a sceleratissima et teterrima illa bellua, videlicet, a Nerone. Hic considerate vulgares istas obiectiones, et discite recte ad eas respondere.

Est commune dictum: *Bonus homo non male moritur*, ut scribebat mihi Oecolampadius de quodam bono homine, cum scripsissem, eum pie et placide mortuum esse. Et sic in versu graeco dicitur:

οἷά τ' ἀνὴρ ῥέξει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.
Qualia vir fecit, talem finem sortietur.
Pauli finis est malus.
Ergo non fecit bona, seu non fuit vir bonus.

Respondeo ad Maiorem.

Regula est vera universaliter de poenis politicis, quae iuste administrantur. Deus vult hoc servari in politiis, ut, si sis modestus, non puniaris a Magistratu. Sic in vita communi plaerumque etiam hoc fit, ut boni viri habeant placidos exitus. Sed in Ecclesia exceptionem singularem habet illa regula, Quia Deus vult praecipua lumina Ecclesiae sua morte confirmare doctrinam, quam docuerunt antea.

Quid fuit Pauli mors? Fuitne *τιμωρία*? Non, Quia *τιμωρίαι* sunt illae calamitates, quae pro certis delictis imponuntur, ut exilium Davidis eiecti ex regno per Absolonem fuit *τιμωρία*, id est, poena. Sic cum fur suspenditur, cum latro interficitur, est *τιμωρία*. Quid erat Iosephi carcer? Erat *δοκιμασία*. Ita afflictiones, quas sustinet multi pii, sunt probationes et exercitia fidei, quae qualia sint, non intelligunt caeteri, qui non tentantur similiter, ut dicitur, *παθήματα μαθήματα*. Nec tamen imponit Deus eadem onera omnibus. Imponit fortibus maiora et graviora onera, iuxta illud: Fidelis est Deus, qui non sinit vos tentari ultra id quod potestis. Quid fuit Passio Iohannis Baptistae? Fuit *μαρτύριον*, id est, testimonium de doctrina.

Tale testimonium est etiam mors Pauli. Mundus probri loco habet martyria, sed magnus honos est, cum Deus vocat aliquem, ut in passione luceat eius confessio. Paulus ostendit suo supplicio, quod illam doctrinam statuat esse veram, quam praedicavit: Et quia non tanti facit vitam suam, aut ulla alia bona huius vitae, quanti confessionem doctrinae, testatur, se non propter suas voluptates, sed propter gloriam Dei, et salutem suae animae hanc doctrinam amplexum fuisse, quam propagavit.

Testatur etiam illa mors Pauli, restare aliud iudicium post hanc vitam, Quia, cum antea Deus affuerit Paulo, et dederit eius doctrinae testimonia per resuscitationem mortuorum et alia miracula, et tamen sinat nunc eum interfici a teterrimo portento, Nerone, non obscure significatur, secuturum esse aliud iudicium, in quo patefiet ira Dei contra Neronem, et Paulus ornabitur laetitia et gloria sempiterna.

Inde sumi debet responsio etiam ad hanc obiectionem:

Iustis debet bene esse.
Paulo non est bene:
Ergo Paulus non est iustus.

Respondeo ad Maiorem.

Iustis debet bene esse, scilicet, quo ad finem ultimum, qui ostenditur in Evangelio. Seu Iustis debet bene esse, scilicet, secundum declarationem Evangelii, quod interpretatur legem. Nam illa sententia, quae penitur in Maiore, est sententia legalis. Deinde respondeo ad Minorem. Paulus est iustus, scilicet, imputatione, et inchoatione, non consummatione. Ideo adhuc est subiectus morti, ut ipse inquit: Corpus mortuum est propter peccatum. Etiam sancti non sunt liberi seu immunes a peccato, circumferunt adhuc reliquias peccati. Igitur et ipsi sunt obnoxii morti. Haec est generalis causa, quod, sicut vult Deus totam Ecclesiam subiectam esse morti, propter peccatum haerens

in natura: sic vult etiam Paulum commonefacere de peccato, cum sinit eum interfici.

Disputabatur aliquando hic de Socrate inter amicos. Ego opponebam hunc Syllogismum cuidam amico meo:

Illud est finis, quod conservat naturam.
Virtus destruit naturam, ut apparet in Socrate et in illis, qui praeliantur in iusta causa.
Ergo Virtus non est finis hominis.

Ille meus amicus respondebat: *Oportebat eum alias mori.* Sed hoc non satis est. Respondeo igitur. Est fallacia accidentis. Virtus destruit bonos per accidens. Mali destruunt etiam optimos propter virtutem, quod alioqui non facerent, nisi odissent in eis virtutem. Proprie igitur malitia improborum, non virtus destruit bonos. Item virt[illegible] conservat speciem, voluptas utcunque individuu[illegible]. Sed haec in philosophicis disputationibus auditis copiosius explicari. Adolescentes exerceant se in eiusmodi argumentis solvendis. Ita non tantum Dialectica praecepta rectius addiscent, sed etiam acuent ingenia, et formabunt iudicia de multis utilibus materiis.

Addite et hanc causam caeteris, de exitu sanctorum. Deus vult excellentia membra Ecclesiae fieri conformia imagini filii Dei, non tantum in glorificatione, sed etiam in passione et morte. Ita videtis, quam sit ampla et copiosa materia, quando agitur de suppliciis sanctorum.

De studiis et exercitiis Pauli.

Dixi supra, Paulum in adolescentia fuisse institutum in schola patria, Postea etiam Hierosolymis. Sed addam nunc Strabonis locum de schola Tarsensi, qui commendat nobis studia philosophica. *Tantum,* inquit Strabo, *Tarsensibus studium rerum philosophicarum, et disciplinarum, quas Encyclias vocant, fuit, ut superaverint Athenas, Alexandriam, et si quis alius nominari potest locus, ubi philosophorum et artium ad humanitatem pertinentium scholae habebantur. Id interest, quod Tarsi, qui studia ista colunt, fere sunt indigenae, peregrini non facile eo veniunt, etc.*

Habuit ergo Paulus occasionem discendi artes philosophicas in patria. Sed simul diligenter legit sacra Biblia. Haec studia etiam postea continuavit in aetate adulta. Nam scripta eius testantur fuisse literatum, et praeclare doctum. Ipse iubet sibi mitti libros et membranas, quas reliquerit. Multa mutuatur in suis scriptis ex eruditione Graeca et Hebraica: fuit bonus textualis. Et quidem multum hebraizat, ut nos germanizamus, etiam cum aliis linguis utimur. Saepe utitur sermone prophetico, quotis disputat de dogmatibus.

Fuit in eo studium. Nec cogitare nos oportet: *Paulus habuit Spiritum sanctum: Igitur nihil didicit.* Imo Deus vult dona ali exercitiis, Quia, sicut flamma crescit agitata: sic omnes habitus crescunt exercitatione et usu. Negligentia extinguit habitum, qui adest. *Habenti dabitur,* est in parabola, *et a non habente, etiam id quod habet, auferetur.* Haec transferamus ad nostrum usum et imitemur diligentiam in exercendis studiis.

Praecipue autem hoc agamus, ut legamus diligenter scripta Pauli, quae si non pietatis causa, saltem eruditionis augendae studio ab adolescentibus legi debebant. Nec vero sine liberali doctrina intelligi, ac multo minus enarrari possunt scripta Pauli. Ideo Deus orandus est, ut conservet inter nos studia linguarum et artium, ad retinendam nativam et incorruptam sententiam scriptorum Pauli. Recte scripsit Plato, *indoctos lacerare sententias, sicut catelli lacerant panniculos.* Idem fit in interpretandis scriptis Pauli et aliorum, si quis non afferat cognitionem linguarum et artium. Lacerant indocti materias non intellectas, cum debent alios docere, cum ipsi antea non didicerint, prorsus ut catelli panniculos lacerant.

Videtis, quantae tenebrae, quanta confusio fuerit ante haec tempora in magnis rebus. Et tamen nunc, postquam magnas res Dei beneficio mediocriter evolvimus, coniiciuntur in nos maledicta, propterea quod clamamus de studiis colendis et conservandis.

Illyricus dicit: *Melius esset Philippum non esse tam eruditum.* Isti sermones non sunt utiles Ecclesiae. Sunt voces barbaricae, gratae multitudini prophanae. *Optandum erat, Illyricum, et eius similes non esse tam contentiosos, et improbos.* Faciamus nos nostrum officium Amemus literas et studia, et agnoscamus, non exiguum Dei donum esse, quod scintillam istam suae sapientiae generi humano tradidit, et tueamur eam, quanta possumus diligentia. et utamur ad illustrandam gloriam Dei, et ad quaerendam veritatem.

Nihil opus est absterrere homines a discendo. Excitemus potius et acuamus diligentiam in multis, quae simul affert modestiam, circumspectionem, et alias virtutes.

Consideremus et imitemur quoque multarum virtutum exempla in Paulo. Etsi languidior est in nobis fides et obedientia, quam in illis luminibus Ecclesiae: tamen initia fidei et obedientiae in omnibus nobis esse debent. Moneant igitur nos exempla Pauli, sicut et aliorum sanctorum, ut agamus poenitentiam, credamus nos recipi in gratiam, Invocemus, simus obedientes, diligentes in vocatione, patientes in aerumnis, Frenemus etiam affectus,

regamus impetus nostros disciplina, sicut inquit Paulus: *Ego castigo seu suggillo corpus meum et in servitudem redigo.* In Graeco usus est significantibus vocabulis: *ὑπωπιάζω καὶ δουλαγωγῶ.*

ὑπωπιάζειν significat tundere ad livorem usque. Wenn man einen schmeißt, oder streichet, das ihme striemen aufflauffen. *ὑπώπιον* est livor, vel vibex. Partes contusae fiunt lividae. Quae est ratio Physica? Quia sanguis excutitur ex propriis locis, et ibi putrescit, nisi redeat mox ad loca propria. Contra.

Sanguis cedit.
Ergo non erumpit verberando.

Respondeo. Sanguis cedit, scilicet de loco proprio ad alienum. Percussione igitur pellitur in vicinas partes, et ibi conglobatur, et si diutius ibi consistit, tandem putrefit. In tumoribus (wenn einer einen Beuel gestoffen hat) praecipitur, ut statim adhibito ferro supprimatur tumor ille: Tum sanguis redit ad suum locum, Quia nondum facta est magna mutatio. Sanguis nondum factus est densior; nondum factum est coagulum. Sed si mora longior intercedat, fit putrefactio.

Sic igitur dicit Paulus: *Ego suggillo ὑπωπιάζω meum corpus,* id est, duriter tundo, ut fiat tumidum, et lividum. Significat acrem intentionem, et diligentiam in cohereendis membris, imo etiam in animorum impetu cohibendo. Commendat igitur nobis suo exemplo diligentiam in regenda Locomotiva, et frenandis motibus vehementioribus animi: sicut alibi inquit: *Ambulate accurate, non ut fatui. Ἀκριβῶς* ait, non ut ipso habitu, gestu, incessu, vociferatione, familiaritatibus pravorum sodalitiorum ostendatur impietas, et contemptus Dei.

Addit igitur verbum *δουλαγωγῶ*, id est, cogo, ut mentis iudicio obtemperent cor, lingua, oculi, et caetera membra. Et est *δουλαγωγία* ista, effectus illius castigationis, cicurationis, vel contusionis, quae praecessit. Scitis omnia inconsueta esse difficilia, sicut dicebat ille concionator Heidelbergensis: *Queid est deiffeicile? Consueita reilenquere.* Erat Suevus. Pronuntiatio erat absurda. Sed dictum ipsum est bonum. Haec difficultas vincenda est assuefactione: Omnia fiunt faciliora, quando consuetudo accedit, quae facit habitum. Qui non est assuefactus ad labores, ei omnia sunt difficilia. Rursus qui se assuefecit ad aliquid, sive sit bonum sive malum, ille facile rem expedit. Qui se assuefecit ad temperantiam, illi facile est abstinere. Qui ad potandum se assuefecit, is facile fertur ad ingurgitationes. Ideo dicitur: *Malarum rerum consuetudo pessima est.* Significatur igitur difficultas primae assuefactionis in verbo *ὑπωπιάζω*, quae cum, non sine certamine, victa et superata est, postea sequitur *δουλαγωγία*, quando membra externa propter assuefactionem praecedentem obtemperant, quasi in gyrum rationis coacta.

Monachi transtulerunt hoc Pauli dictum ad umbras Ceremoniarum, et simulationem torvitatis, et lacerationem membrorum corporis, ut Flagelliferi olim vagati sunt, et adhuc in Hispania certis temporibus tales conducuntur, qui flagellis corpus lacerantes fucum faciunt hominibus. Sed Paulus loquitur de seriis exercitiis virtutum necessariarum, in quibus fit cum dolore aliquo repressio affectuum, et gubernatio disciplinae. Ut cum non sine ingenti lucta et conatu franatur ira, invidia, odium, cupiditas vindictae. Et haec est vera mortificatio carnis, quae debet esse assidua, sicut alibi copiosius alibi copiosius dicitur.

DOMINICA IIII. POST EPIPHANIA.

Evang. Matth. 8.

De Navicula periclitante.

Ecclesiae imago proposita in navicula Christi.

Narratio ista Evangelica est pictura horribilium confusionum et miseriarum in genere humano, et in Ecclesia. Quassatur cymba, et Christus dormit. Apostoli non habent tantam fidem, ut sperent se futuros incolumes, nisi excitato Domino. Quaerunt auxilium fiducia carnali, sicut milites Scipionis putabant se tutos esse praesente hoc duce suo. Sic nos trepidamus in calamitatibus, respicimus ad visibilia, et carnalia praesidia.

Interim magnae ubique et saevae sunt tempestates. Turca gerit bellum adversus sanctos, ut Daniel praedixit. Papistae nihil cogitant aliud, quam de Evangelicarum Ecclesiarum deletione. Inter nos est multum intestinorum dissidiorum, a quibus plus timendum est, quam ab hostibus. Dissentiunt inter se principes, et sunt perpetuae rixae theologorum.

Christus dormire videtur, sed adest tamen in Cymba, non deserit Ecclesiam, servat eam, etiamsi nulla sint humana praesidia. Succurrit imbecillitati Discipulorum, sinit se excitari e somno.

Haec imago, ad gubernationem et conservationem Ecclesiae omnium temporum facile potest

accommodari, quae quidem unum est ex maxime mirabilibus operibus Dei, inde usque ab initio mundi.

Doctrina de cruce et afflictionibus.

Sed nunc in genere accommodabimus historiam hanc ad communem doctrinam de cruce et afflictionibus, ubi haec quatuor praecipue consideranda sunt.

Primum, quod non affligamur casu, sed volente Deo. Nam Christus hic primum ascendit Naviculam, et eius ductum sequuntur discipuli. Sic obtemperant pii Deo vocanti, et ad certum vitae genus se conferunt. Sicut autem vocatio est a Deo, ita et aerumnae vocationis sciente et ordinante Deo contingunt. Nec enim putemus tantum bona divinitus dari, sed certo statuendum est, adversa quoque divinitus accidere.

Id aperte testatur dictum: *Ego sum Deus creans bonum malum.* Non est Deus causa istius mali, quod vocatur malum culpae, sed loquitur hic Propheta de malo poenae, id est, de rebus nocentibus, quibus castigantur etiam piorum peccata. Alibi etiam dicitur: *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt.* Item, *Pauper et dives una habitant, Deus fecit utrumque.* Est autem paupertas species afflictionum.

Opponamus igitur hanc sententiam imaginationibus Epicuraeorum, qui bona et mala putant casu contingere. Magnum est autem aliquid, in calamitatibus semper respicere ad Deum, autorem afflictionum, quibuscunque mediis illae nobis accidant. Inde enim colligere possumus, Deum statuisse metas certas, quo usque grassari mala debeant.

Secundo discendum est, afflictiones non semper esse signa irae, nec propter calamitates abiici nos a Deo. Est in hac navicula Christus, sunt in ea discipuli Christi, de quibus dicitur Ioannis 16. *Pater diligit vos, quia credidistis, quod ego exivi a patre.* Non igitur odio immittitur eis tempestas ista, sed ut discipuli discant agnoscere infirmitatem suam, et carnalem securitatem, et insidias Diaboli, Item ut crescat in eis fides et invocatio. Ita immittuntur nobis afflictiones, non ut pereamus, sed ut revocemur ad poenitentiam; Exerceamus fidem in rebus adversis, pellamus securitatem, invocemus Deum, discamus coercere cupiditates carnis: Quia in sanctis etiam adhuc haeret peccatum, et cum nullas sentimus calamitates, plaerumque reddimur securiores, non timemus, non invocamus Deum.

Haec mala agnoscuntur et emendantur in afflictionibus. Ideo scriptum est: *Filium quem diligit pater, castigat.* Item, *Ubi habitabit Dominus? In spiritu contrito et tribulato.*

Prodest autem considerare hanc commonefactionem, quia conscientiae, cum sentiunt afflictiones a Deo oriri, statim delabuntur in eam opinionem, quod odio habeantur a Deo, et quod propterea affligantur: Item se abiectos esse a Deo: Non placere Deo; Inde nascitur fremitus contra Deum et desperatio. Animus incipit diffidere Deo, odit eum tanquam iniustum iudicem, et Tyrannum, qui miseram naturam nostram tantis calamitatibus oneret. Hic igitur sciendum est, afflictiones esse signa benevolentiae Dei erga nos. Et ut Paulus inquit, *Bonis omnia cooperari ad bonum.*

Tertio in afflictionibus debemus petere et expectare a Deo auxilium, sed non praefinire ei tempus, locum, aut rationem seu modum ferendi opem, sed eius voluntati salutem nostram committere, et patienter ferre, etiamsi nobis non statim occurrat. Debent enim cum invocatione et fide coniuncta esse spes et patientia. Id significatur, cum Christus dormit in hac tempestate, hoc est, differt Deus nonnunquam liberationem, nec statim nos eripit. Quod cum fit, videtur nobis abiecisse curam rerum humanarum. Verum ita hic dormit, ut rogatus ab Apostolis expergefiat, et surgat ad ferendum auxilium, et quidem ut exiguam ipsorum fidem prius arguat. Displicet enim Deo diffidentia, et impatientia nostra. Vult nos in mediis afflictionibus retinere hanc fidem, quod curam nostri agat, quod exaudiat preces nostras, etiamsi differat aliquamdiu liberationem et auxilium.

Haec non percipiuntur, nisi in vero certamine. Ut navis in tempestate hac atque illac vacillat, et in mediis fluctibus incerta vagatur, sic conscientiae mirabiliter afficiuntur in adversitatibus: Nec sistitur navis, id est, non cessat anxietas animi, nisi proiectis ancoris, hoc est, nisi confirmemus animos spe et expectatione auxilii divini et patientia.

Quarto. Catastrophe afflictionum intuenda est. Deus promittit nobis in verbo, se ita nobis affuturum esse, ut iuvare et liberare nos tandem velit, modo invocemus ipsum, et perseveremus in fide. Hanc promissionem confirmat hic Christus miraculo. Imperat ventis et mari, et removet tempestatem. Ita statuamus Deum et velle et posse nobis opem ferre in afflictionibus. Est autem solius Dei opus, sedare tempestates in mari, Item coercere saevitiam maris. Nam Deus solus gubernat hanc naturam, sicut etiam condidit.

Ideo hic dicitur, homines miratos esse, et dixisse de Christo: *Qualis est hic? quia et venti et mare ei obediunt?* Agnoscunt et fatentur eum vere esse Deum. Ipsi etiam Apostoli haud dubie confirmati fuerunt in fide, et maiori deinceps fidu-

cia Christi confisi sunt, postquam auxilium eius in tanto periculo tam potenter experti sunt.

Tribuamus ergo hanc laudem Deo etiam in ipsis afflictionibus, quod et potestatem habeat et voluntatem iuvandi nos. Erigamus et confirmemus nos hoc exemplo, ut statuamus quod nos quoque liberaturus sit suo tempore. Liberati etiam a Deo, discamus maiori fiducia sperare in eum. Accedat et praedicatio divini beneficii apud alios, ut propagetur gloria Dei.

Sic imago elegans est in hac historia doctrinae de afflictionibus.

Imagines pingentes ea, quaë accidunt in Ministerio.

Cum autem Apostoli significent in primis ministros Ecclesiae, considerent hanc imaginem praecipue illi, qui aliquando accessuri sunt ad ministerium. Hi praeparent se ad navigationes maris, quod significat mundum, in quo semper offerunt se plurima pericula, quia procellae et venti, id est, Diaboli et horum organa tyranni, haeretici, et alii impii, subinde turbant mundum, et excitant fluctus varios, quibus assidue oppugnatur ministerium.

Arbitror autem et Christophori imaginem ad hunc usum initio confictam esse, ut significaret doctorem Evangelii, seu ministrum Ecclesiae. Gerit hic Christum monstrandum aliis hominibus, sed oportet in tali viro magnum animi robur esse: ideoque pingitur magna corporis moles. Nam infinita pericula subeunda sunt docenti Evangelium. Quare et iste heros per mare, ac medios fluctus incedit: et undique circum eum natant variae belluae, minantes exitium.

Puer, quem gerit, exiguus est. Nam potentia Christi aliquando perexigua videtur, laborant et periclitantur Apostoli, nec videntur adiuvari a Deo. Et queritur Christophorus inusitatum pondus esse. Puer ipse opprimit baiulum. Saepe enim Deus ipse videtur adversari ac irasci, et terret pios, ac pene ad desperationem adigit. Interim tamen erigit se Polyphemus iste, ac sustentat se quadam arbore: hoc est, sancti in terroribus sustentant et erigunt se verbo Dei. Et illa arbor primum arida, postea florere incipit. Nam doctrina parit multos bonos fructus, servat et doctorem et Ecclesiam: quanquam impii iudicant doctrinam inanem et inutilem esse.

Praeit autem in littore senex cum lychno. Is significat Prophetas, qui ante Christum natum de eo vaticinati sunt, et testimonio suo nos confirmant. Neque vero deest victus piis, tametsi impii ubique cupiant eos perditos esse, Ideo secum in pera piscem ac panem gerit.

Hanc imaginem, quae olim in omnibus templis picta fuit, considerent adolescentes, ut admoneantur de periculis ministerii, et considerent, qualem esse, et quid sustinere Christianum, ac praecipue doctorem Evangelii oporteat. Nec inutile foret hanc materiam, styli exercendi causa tractari a discentibus, et conferri allegoriam huius imaginis cum historia noviculae Christi, periclitantis quidem in magna tempestate, sed tamen servatae.

Pictura motuum in Rebuspublicis.

In poematis et scriptis oratoriis etiam imperiorum et Rerumpublicarum pericula conferuntur cum navigatione in mari. Qua de re praebet nobis materiam cogitandi etiam dies hodiernus, qui est dies 28. Ianuarii.

Est enim insignis hic dies morte celebratissimorum duorum Regum, Caroli Magni, et Ottonis Tertii. Sunt autem anni 200. vel paulo minus inter mortem utriusque. Nam Caroli familia regnavit circiter annos 100. Ita et Henrici Aucupis familia, quae fuit Saxonica, fere annos 100. tenuit imperium. Ex hac familia Saxonica fuit Otto Tertius, cuius autoritate constitutus est Senatus Electorum in Germania, paulo ante eius mortem, videlicet anno Christi circiter 1000.

Fuerunt ex familia Saxonica tres laudati Imperatores: Henricus Auceps, Otto I. et Otto III. Nam Otto II, fere similis fuit Domitiano. Vixit Romae et didicit mores Romanorum, sicut homines mutant mores saepe in aliis locis. Ac credo Diabolum in malis sodalitiis, etiam mediocribus hominibus afflare suum virus. Nam homines non tantum corrumpuntur malis exemplis, et conversatione prava, sed etiam Diabolo afflante suum venenum. Quando boni Principes admittunt homines malos, qui sunt organa Diaboli, tunc corrumpuntur, quam vis antea fuerint boni.

Sic Otto Secundus fuit Romae apud illos malos homines, quos maluit imitari, quam optimum patrem. Habuit coniugem Graecam, Theophaniam.

De Ottone III.

Natus igitur fuit Otto Tertius ex sanguine Graeco et Germanico. Fuit tanti acuminis et celeritatis ingenii, ut diceretur, *Mirabilia mundi.* Merspurgi vidi librum cuiusdam Episcopi Merspurgensis, qui fuit in aula Ottonis Tertii, In eo libro ait:

Possem de eo mirabilia scribere, si vellem. Optarim eum scripsisse illa. Primus imposuit coronam Regi Polonico. Stetit igitur Electoratus iam ultra annos 500. Item Regnum Polonicum, Ungaricum paulo longius stetit.

In Gallia familia Caroli Magni tenuit Regnum ad annos 500. Postea successerunt aliae familiae. Plerumque Periodus mutationum in Regnis est annorum 500. aut 700. Hac periodo circumacta regna regulariter habent ingentes mutationes. Et certe videmus iam ruere multa regna, plera etiam minitari ruinam. Cogitemus de nostris maioribus, quorum virtus fuit excellens, et oremus, ut Deus nunc etiam det bonos magistratus.

Sed iam dicam tantum de morte Ottonis Tertii. Venit is Romam ad tumultum compescendum. Nam quidam fecerat se Principem Romae, qui iactabat se velle restituere regnum Italiae. Ediderat edicta per Italiam, ut concitaret urbes contra Germanos Imperatores. Hunc imposuit Otto in asinum, et iussit circumduci Romae praecerptis naribus, Deinde suspendit eum. Reliquit autem hic uxorem praestantem formae pulchritudine, qua captus Otto III. exarsit eius amore. Ea veneno postea necavit Ottonem, cum frustra expectasset eius coniugium. Infecerat enim veneno chirothecas, quas dono miserat Ottoni.

Hoc est exemplum, primum ingentis imbecillitatis humanae, quod etiam excellens virtus delinquat, sicut recte dixit Simonides: *οὐ ῥᾴδιον γίνεσθαι τετράγωνον. Non facile est nasci perfectum*, id est, stantem in omni fortuna firmiter. Secundo insolentiae vel negligentiae in rebus secundis, sicut etiam Davidis historia. Tertio mors eius est exemplum poenae libidinum. Scribitur combussisse unam ex coniugibus suis, fuit infortunatus in consuetudine muliebri.

Cum igitur legimus historiam mortis ipsius, cogitemus non frustra dictum esse a Salomone: *Beatus qui semper est pavidus*, id est, non securus carnali securitate, sed timens Deum, et agnoscens imbecillitatem propriam, et invocans Deum.

Herodotus scribit Apriem regem Aegypti dixisse, se habere tantam potentiam, ut nemo eum posset excutere ex regno. Sed postea ab Amasi praefecto suspensus est: Quia, quam primum incipiunt homines superbire, et fiunt securi, tum veniunt poenae.

Fortuna quem nimium fovet stultum facit.

Item:

Luxuriant animi rebus plerumque secundis.

Virtus est excellens quiddam et radius divinus, sed extinguitur negligentia et remissione. Syracides inquit: *Quo quisque est maior, eo gerat se submissius.* Hoc dictum Carolus Quintus saepe repetivit, et quamdiu in magnis viris est modestia. Mutatis moribus, mutatur etiam fortuna. Qualis est versus ille:

Fortuna quem nimium fovet stultum facit.

Quomodo scandis? Est Iambicus Senarius. Et est unus ex Mimis. Qui fuerunt Mimi? Romae fuerunt duo, Laberius, et Publius, quorum fuit magna excellentia in facetiis. Sed tamen plures alii etiam fuerunt Mimi, videlicet, homines faceti, qui in agendis Comoediis assignabant loca honestis hominibus, ubi sederent, et reliquam multitudinem cohibebant, ne impediretur actio, Et spargebant interdum salse aut facete dicta. Notaverunt homines potentes, Reprehenderunt tecte ipsorum vitia, Inculcarunt dicta moralia. Hodie fatui aliqui, larvis induti, solent se adiungere agentibus Comoedias, qui exemplo veterum Mimorum, continent plebem in officio, et recitant nonnunquam facetias suas. Sed olim maior fuit gravitas.

Extant adhuc sententiae Mimorum, Inter quas etiam est haec *Fortuna vitrea est, Cum splendet, frangitur.* Homines infatuantur successibus. Incipiunt superbire, et insolescere, confidunt sibi ipsis. In summa, Nemo fit melior perpetuis successibus. Postea veniunt poenae. Quanta fuit Davidis gloria, quantum decus? Tamen labitur, polluit se horribili scelere. Et quanquam emendat se, tamen experitur poenas.

De Carolo Magno.

Addam aliquid de Carolo Magno, quia fuit inter praestantissimos reges omnium aetatum. Ideo non est negligenda eius memoria, et rerum ab ipso gestarum consideratio. Quis fuit Carolus Magnus? Ex qua gente fuit? Ex gente Francica. De origine Francorum varia scribuntur. Sed Hieronymus inquit, fuisse Francos inter Salam et Moenum, gentem non tam magnam, quam bellicosam. Haec scribit Hieronymus de suis temporibus, quando Franci adhuc erant in Germania, et nondum in Galliam transierant. Credo Francorum nomen esse Germanicum. Francken, id est, die freyen arcken, Auch significat einen knecht, sicut nobis pueris milites, die landsknecht nominabantur die freyen knechte. Habuerunt hoc nomen Franci, quia fuerunt genus hominum militare Sed tamen non fuerunt solum viri bellicosi et fortes, sed etiam modesti, iusti, pii.

Non facile invenietis in una regia familia quatuor tales viros, quales fuerunt 1. Carolus Martellus, 2. Pipinus, 3. Carolus Magnus, 4 Ludovicus Pius. Successerunt sibi continuo ordine. Vix invenietis quatuor principes similes, continua serie

in una familia. David habuit Salomonem successorem, et Iulius Augustum, quem sibi adoptaverat. Qui secuti sunt, fuerunt monstra, Tyranni, bestiae. Sic post Vespasianum et Titum secuti sunt tyranni.

Carolus Martellus delevit trecenta millia Saracenorum, qui se infuderant in Galliam. Pipinus pacavit Italiam, et magnam partem Europae. Carolus Magnus ornavit istas regiones literis, et doctrinarum studiis. Renuntiatus est primus Imperatorum Germaniae, et gessit res magnas, sicut audietis in Chronicis. Ludovicus Pius etiam fuit Princeps bonus. Huius filius, qui Germaniam tenuit, fundavit monasterium in Gandersheim. Vidi literas fundationis auro scriptas: Et vidi tunc, quando Ioannes Fridericus Elector, et Landgravius occupaverunt Ducatum Brunsvicensem. Erat pulchrum monumentum.

Debetis scire historias veteres, ut cogitetis, quomodo Deus transmutet regna, et agatis ei gratias, quod servavit Ecclesiam. Nam historiae semper nos monent de collectione et defensione Ecclesiae, et generis humani: sicut in narratione Evangelica diximus picturam proponi, eorum, quae fieri videmus etiam in imperiis, et Ecclesiae. Magnus motus factus est in mari, Christo dormiente. Sic saepe mundus horribiliter tumultuatur, quasi Christo dormiente. Sed, ut dixi, in Chronicis audietis res gestas Caroli Magni, ubi in primis dicendum nobis erit de translatione imperii, Quia Pontifices disputant, Esse suae potestatis, transferre imperia, sicut in proximo conventu Augustano fuit magna contentio de ea re, cum stolidus Papa, Paulus IIII. non vellet confirmare Electionem Imperatoris Ferdinandi, et contenderet sui iuris esse, facere et deponere Imperatores. Quod saepe olim fecerunt Pontifices, et praebuerunt causas magnis motibus. Illas historias debetis tenere, qui accessuri aliquando estis ad gubernationem, ne patiamini vos implicari malis consiliis. Nostri principes debent firmo consensu tueri Imperatorem, quem elegerunt. Non debent eum deserere, cum sit iustus in gubernatione, etiamsi habet suos morbos. Non debent fieri seditiosi contra eum, ut olim saepe factum est, artibus Pontificum. Ita in unius Caroli Magni historia multiplex doctrina continetur.

DIE PURIFICATIONIS MARIAE.

Evangelium Lucae 2.

Et cum impleti essent dies purificationis, etc.

De nomine festi.

Celebratur hodie *festum Purificationis*, quia iam sunt completae sex septimanae a natali Domini. Maria hodie egressa est ex puerperio, secundum morem legis, qua mandatum erat, ut puerperae edito foetu masculo essent separatae quadraginta diebus: Si foemella fuisset edita, diebus octoginta. Quo toto tempore abstinebant puerperae a consuetudine virorum.

Haec purificatio erat mandata non tantum post primogenita, sed etiam post secundum, tertium, quartum partum.

Germani vocant hunc diem Liechtmess. Et Papistae addiderunt multas superstitiones. Puto occasionem appellationis natam esse ex Cantico Simeonis, in quo sunt haec verba: *Lumen ad revelationem gentium.*

Aliqui propter superstitiones papisticas prorsus reiiciunt hoc festum: sed nos retinemus in Ecclesiis nostris tanquam partem historiae Christi. Illi qui iudicare aliquid possunt, intelligunt necessariam esse paedagogiam aliquam pueris, et vulgo, ut commonefacti ordine dierum, avidius expetant doctrinam.

Qui distinctionem temporum in Ecclesia prorsus abiiciunt, non vident, quid dicant, nec consulunt utilitati aetatis rudioris. Et eadem ratione dies dominica esset abiicienda, si propter superstitiones papisticas, etiam illa, quae utiliter sunt ordinata, simpliciter abiicienda essent. Sed inde infinita barbaries et confusio secutura esset.

Nos iam dicemus de narratione istius textus, in quo est multiplex doctrina, ut fere in singulis. Subinde tam multae materiae se offerunt etiam in brevissimis textibus, ut non possimus eas evolvere satis. Sed praecipue, quando fit mentio legum, est occasio multarum disputationum, quia de causis legum impulsivis et finalibus semper multa quaeruntur a sapientibus.

Id fit etiam in legibus politicis, ubi quaerendum est, ex quibus fontibus semina legum oriantur, et quae fuerint occasiones condendarum legum, sicut vulgo dicitur: *Ex malis moribus bonae leges ortae sunt.* Plerumque calamitates et vitia hominum sunt ἀφορμαὶ legum. Et huc leges omnes destinatae sunt, ut, si non possint omnino tollere mala, saltem foris utcunque coerceant. Haec dico de politicis legibus.

Sed nobis in Ecclesia multo magis cogitandum est de causis illarum legum, quae in populo Iudaico fuerunt traditae: Quae sunt admodum pulchrae leges, sicut tota illa politia valde pulchra fuit. Ea adhuc florente, Iudaei non sic vixerunt, ut hoc tempore vivunt in magna illuvie et sordibus.

Hic fit mentio potissimum duarum legum, videlicet de purificatione puerperarum, et de primogenitis. Postea sunt addita in hoc textu testimonia de nato Messia, sicut videmus in tota narratione nativitatis Christi multiplicia testimonia recitari de

Messia nato, quia Deus voluit sciri Messiam venisse in carnem, et famam late de eo spargi. Et haec fuit veluti aurora secutae diei, qua praedicaturus, passurus et resurrecturus erat Messias.

De lege puerperii.

Primum igitur commemorare quaedam volumus de puerperiis. Adolescentes cogitent se etiam natos esse ex matribus, et ipsorum quoque matres fuisse puerperas, nec sint ita barbari, ut existiment ista tantum esse Iudaica et papistica. Cum essemus in prima visitatione seu inspectione Ecclesiarum, postquam facta erat mutatio religionis, reperimus passim multum turbarum, ut fit, quando contingunt mutationes politiae aut religionis. Multa accidunt inconvenientia, propter novitatem legum, et hominum dissimilitudinem. Quisque gaudet pro suo arbitrio instituere reformationes.

Tum ergo memini in oppido Thuringiae Kala fuisse pastorem iuvenem et ferocem, qui declamabat contra puerperas. Dicebat esse ritum papisticum, quem servarent puerperae, esse ignaviam et segnitiem mulierum. Debere puerperas post alterum aut tertium diem a partu surgere ex lecto, et redire ad operas solitas. Quaedam ante tempus surgentes, cum reverterentur ad labores, fuerunt extinctae.

Ibi disputatum fuit de hoc argumento:

Ceremonialia Mosaica nihil ad Christianos pertinent.
Illa tempora puerperii sunt ceremonialia Mosaica.
Ergo non sunt servanda.

Hoc argumentum discant adolescentes solvere et explicare, et cogitent de suis matribus, item fratribus et sororculis suis recens in lucem editis, in quanto dolore matris ipsos pepererint, et quam teneri sint foetus primum nati. Non simus ita beluini, etsi beluae quoque sibi et suis parcant: Imo non simus ita ferrei, ut obliviscamur, quid sit, quod in Genesi dicitur: *In dolore paries*, vel ut putemus hominem similem esse ferro et adamanti. Quid est imbecillius puerpera? Cogita de matre tua quantum dolorem tui causa senserit in partu. Non sis ita furenter ingratus, ut non cogites de parentibus tuis et de tua origine, cum vides natum infantulum, quanta est in eo fragilitas? Talia spectacula proponit nobis Deus, ut commonefaciant nos de infirmitate humanae naturae.

Quidam ad me nuper scripsit, dixisse quendam: Ducere sororem, talem esse prohibitionem, qualis illa sit humana traditio, ne liceat vesci carne die sexto. Pastor ille in Kala comparabat legem de puerperis cum circumcisione, et mactationibus Leviticis, quas scimus omnes fuisse abolendas. Ideo in argumento proposito, Maior propositio, quod ceremonialia Moisis nihil ad nos pertineant, prudenter consideranda est.

Ceremonialia Mosaica non necesse est a Christianis servari, scilicet, quatenus simpliciter sunt iuris positivi, seu quatenus non sunt naturalia: Nam multa ceremonialia suo genere sunt naturalia, etiamsi legislator addidit circumstantiam aliquam congruentem illi politiae. Pertinent autem naturalia ad omnes.

Iam cum in Minore dicitur tempus puerperii mandatum a Moise esse ceremoniale. Respondeo. Est Ceremoniale, quod ad speciem, id est, quo ad certum numerum dierum. Haec determinatio istius circumstantiae est aliquid ceremoniale, seu iuris positivi. Sed quod ad genus attinet, est quiddam naturale, quia naturae aegrotanti est necessaria quies aliqua. Haec est simplex et perspicua solutio, quam quilibet praeditus ratione et sensu intelligere potest. Et habet distinctio illa generis et speciei maximum usum in multis materiis.

Sumamus exemplum de Sabbato. Quaero, utrum obliget nos praeceptum de Sabbato? Respondeo. Pertinet hoc praeceptum ad Christianos, scilicet, quod ad genus, non quo ad speciem. Nos sumus obligati mandato divino, ut aliquem diem tribuamus publicis congressibus ad audiendum verbum Dei, et ad conservationem ministerii, sed non necesse est, nos retinere diem septimum, qui est ultimus in septimana.

Genus est iuris naturae, et est morale aliquid, sed servare septimum diem, est species determinata iure positivo, sicut nos iam servamus primum diem: Ita in multis aliis materiis utendum est hac distinctione, et debet nobis delectationi esse haec brevitas responsionis, in qua est concinna explicatio.

Naturalia semper manent similia et uniusmodi, quia natura est natura. Sed θετὸν positum, definitum aliqua circumstantia est mutabile. Manent omnibus temporibus naturalia, ut gradus cognationum sunt naturales, ne pater ducat filiam, ne mater nubat filio, ne frater ducat sororem, etc. Sic lex de puerperio est naturalis et immutabilis, quod ad genus, ut concedatur quies corpori puerperae languefacto, et imbecillo sua quadam peculiari imbecillitate, sicut norunt illi qui sunt patresfamilias.

Non simus ita stupidi, ut cogitemus nihil interesse inter puerperam, et aliam robustam mulierem. Abstinent etiam bestiae a puerperis, multo magis inter homines oportet aliquod tempus concedi puerperis. Non necesse est praecise servare sex aut duodecim septimanas, ut in iure positivo Mosaico, et alia puerpera aliis est robustior, sed

constitutum est tempus illud sex hebdomadum a sapientissimo legislatore, quod est mediocribus naturis commodum, et plerumque convenit, si non sint afflictissimae valetudinis. Fuit ergo magna barbaries, quod ille pastor clamabat hoc esse Iudaicum et papisticum.

Oportet nos distinguere inter opera Dei ordinata in natura, et ceremonias. Excellentissima et mirabilis res est generatio hominis et partus. Et longa oratione opus esset, si vellemus vel obiter explicare sapientiam illam divinam, quomodo coalescant membra, quomodo alatur infans per Cotylidones in utero matris.

Cotyla vel Cotylidon proprie significat acetabulum. Ita enim verterunt in Mose, ein klein Schüsselchen. Hebraice Caph est cavum quiddam, sicut pugillus et vola manus. In coxa et ubi praeterea iunctura est ossium, habent se correlative Condylus et Cotyla, sicut convexum et concavum, ut in manu exterior arcus dicitur convexum, interior dicitur concavum.

Sic nominantur in alvo matris Cotylae, seu Cotylidones, fastigia vel cacumina venarum, quibus affixus est foetus, quia his inseruntur venulae ab umbilico infantis, quibus retinetur infans. Ex Cotylidonibus, quae sunt in concavo utero, procedunt venae ad ubera matris, advehentes sanguinem, ex quo postea gignitur lac, cuius succo alitur infans in lucem editus.

Hoc certe est mirabile aliquid, ut nihil dicam de aliis mirandis Dei operibus, quod Deus, quando creat hominem, statim curat etiam ei alimentum. Foetus in utero matris alitur per Cotylidones, genitus in hanc lucem alitur ex uberibus matris. Testatur igitur, quod velit nos nutrire etiam postea. Ac matribus ubera sunt in thorace, caeteris bestiis ad ventrem. Huius rei causa physica est, ut coctio lactis sit melior propter vicinitatem cordis, item ut ubera adiuvent calorem cordis, et sint eius munimentum. Adeo Deus omnia fecit mirabili sapientia. Sed accedit ad utilitatem, quam monstrat haec causa physica, etiam significatio, sicut in operibus divinis utrumque considerandum est, videlicet utilitas et significatio. Est igitur significatio situs uberum, quod matres debeant liberis non tantum alimenta, ut iumenta, sed etiam *στοργὴν* et institutionem, qua pectus formandum est, quod est sedes cordis et animae, ut scriptura loquitur.

Ista duo, scilicet utilitatem et significationem quaeramus etiam in lege de puerperis. Est igitur prima causa huius legis a Deo latae, ut serviat utilitati. Vult Deus parcere infirmiori sexui, praesertim in hac imbecillitate naturae, quae est secuta lapsum. Sicut non frustra dictum est: *Multiplicabo aerumnas tuas, cum concepisti, et in dolore paries.* Fit magna quassatio in partu, et mater una cum infante est in maximo periculo, vel potius in ipso agone mortis. Postea sequuntur etiam aliae imbecillitates, de quibus non possum dicere coram iuventute. Grandiores natu intelligunt. Opus est igitur naturae quiete.

Valde perniciosum est, quando mulieres sunt hac in re negligentiores, et nolunt sibi parcere, sicut sunt aliquae agrestiores, quae ostentare volunt robur aliquod supra vires naturae: Interim temere sibi mala accersunt, sicut in hac urbe possem exempla commemorare quarundam mulierum, quae mortem sibi attraxerunt sua negligentia, cum non servarent debita tempora puerperii, nec vellent sibi parcere.

Ad eandem causam utilitatis pertinet etiam ordo, quem sancit lex de vitanda tali tempore consuetudine coniugali. Lex dicit: *Vir, qui accedit ad mulierem tali tempore, occidatur.* Haec est magna severitas, quod lex capitis reum pronuntiet virum, non parcentem uxori in illa infirmitate, sicut eadem lex alibi quoque capitale esse pronuntiat, attingere mulierem fluentibus menstruis, Levitici 20. *Occidetur qui attingit mulierem tempore purgationis seu fluxus menstrui.* Non est contemnendus ordo divinus. Ordinata sunt menstrua certo tempore, et quicquid sic nascitur, est pollutum in tota vita.

Philosophi dicunt, et verum est, opus generationis est opus divinum, homo non gignit, nisi Deo vivificante. Deus autem vivificat secundum ordinem, quem instituit in natura. Ideo vult sancte servari hunc ordinem, quem instituit in natura. Multi cumulant peccata, ideo cumulantur etiam poenae. Haec est prima causa physica scilicet utilitas, quae quidem referenda est etiam ad tenerum foetum, cui similiter opus est quiete matris.

Altera causa est significatio. Lex de puerperis est simul commonefactio de peccato, Quia infirmitas illa est effectus peccati, et quod lex puerperas vocat immundas, eo voluit Deus commonefieri homines, quod natura humana iam sit immunda, seu quod nativitas, quae nunc est post lapsum primorum parentum, coniuncta sit cum immunditie, et quod homines propterea sint rei. Huius reatus signum est, quod nascimur singuli ad calamitates et mortem corporalem, Item propter peccatum, quod nascentes nobiscum afferimus, facile est ruere in lapsus, unde plena est tota vita malis multiplicibus.

Hanc significationem diligenter consideremus, ut simus memores nostrarum miseriarum et studeamus modestiae. Ethnici ignorarunt fontem malorum in genere humano. Sed tamen iudicarunt nullam esse graviorem commonefactionem de modestia, quam si quem iuberent cogitare, quod homo esset: sicut Simonides ad Pausaniam dicebat, post victo-

riam, qua deleti sunt Persae in Graecia trucidato exercitu Mardonii.

Pausanias invitaverat Simonidem ad convivium, et cum videret sedere tacitum, iussit eum, ut virum sapientem proferre aliquid in medium. Ille captata occasione subiecit tandem: *O Pausania, cogita, quod homo sis. μέμνησο ἄνθρωπος ὤν*, quasi diceret: nescis, quid tibi evenire possit, cum omnia humana sint fragilia. Idque accidit non multo post, quia cum Byzantii rapuisset honesti civis filiam, et eam noctu in terrore interfecisset, et propter tyrannidem, et suspiciones de consiliis, proditionis revocatus esset ab Ephoris, damnatus fuit capitis, et in templum confugiens fame ibi periit. Tum expertus est se hominem esse.

Utinam nos singuli essemus huius commonefactionis perpetuo memores. Verum homines derident has conciones de modestia. Ideo attrahimus nobis poenas, quia certum est petulantiam et superbiam non habere felicem exitum, ut in versu oraculi dictum est ad Pausaniam.

στεῖχε δίκης ἄσσον, μαλά τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις,
I quo poena vocat, affert iniuria damnum. Item,
ὕβρις Μάγνητάς τ' ἀπώλεσε, καὶ Κολοφῶνα.

Et de insolentia erumpente extra metas vocationis dicitur apud Herodotum: *εἴ τις μεγάλα διώκει, τὰ παρόντα οὐ φέρων, μαινομένων οἱ δὲ τρόποι.* ***Si quis magna sectatur, et non manet in sua vocatione, isti sunt mores furientium.*** Trotz vnd vbermut hat kein gut ende. Videmus, quid fiat inter principes. Oro filium Dei, ut servet reliquias Ecclesiae. Veniet aliquando Turca et obruet nos, sicut factum est in Ungaria, et olim in Graecia et Asia.

Decem tribus Israëlis non fuerunt inferiori conditione, quam nostri homines sunt, et tamen dispersae sunt, cum essent abductae ab externo hoste, cuius calamitatis spectator cum esset Esaias, deplorat eam hac tristi voce: ***Iniquitates nostrae sicut venti dissipaverunt nos.*** Sed redeo ad significationem legis de puerperis.

Hae elapso tempore constituto veniebant in templum. Habebant certos ritus, quibus mundabantur, qui erant commonefactiones de promissione gratiae, et exercitia fidei. Puerpera agnoscebat generationem, secundum naturam hanc, esse immundam. Cogitabat opus esse regeneratione: petendam esse remissionem peccatorum promissam propter venturum Dominum.

Item monebatur in ipsis ritibus purificationis de sanctificatione, castitate, et aliis officiis honesti coniugii. Nam lex iubebat offerre agnum, qui significat Christum victimam. Item columbas vel turtures.

Societas columbarum est imago coniugii, ideo etiam poetae pingunt currum Veneris cum columbis. Trahunt currum Veneris columbae, non tantum propter foecunditatem, sed quia columbae servant iura coniugalia, et praesertim turtures, de quibus Aristoteles inquit: ***unus turtur habet unam coniugem turturem, nec copulatur pluribus.***

Ut igitur columbae sunt foecundae sine adulterio: Sic matrisfamilias decus est, esse foecundam. Sed sit casta, non adultera, sit *φιλότεκνος*, diligat liberos et foveat eos.

Columbus etiam adiuvat foemellam, ut ipse incubet ovis, cum columba est infirmior, quam ut possit assidue incubare ovis.

Item columbae inter se sunt concordes, ludunt mutuis osculis. Ita coniugium debet esse societas concors, coniuncta cum humanitate et benevolentia.

Item columbae sunt sine felle: Sic non debent esse inter coniuges odia et acerbitates. Quanquam enim exoriuntur interdum indignationes et commotiones subitae: tamen non debent degenerare in odia, et acerbitates.

Talia multa voluit significare Deus in oblatione columbarum. Et pertinet huc dictum Salomonis: ***Ludit sapientia Dei in orbe terrarum.*** Deus proposuit multarum mirabilium rerum imagines, in natura animantium.

Totum theatrum naturae visibilis voluit Deus esse commonefactionem de sua voluntate, de moribus, item de operibus suis quae facit in Ecclesia. Ipsum coniugium significat etiam coniunctionem Christi et Ecclesiae. Christus ipse *ἐπῳάζει*, id est, incubat ovis, regenerat nos in Ecclesia. Sed pergo ad secundam legem de primogenitis.

De lege primogenitorum.

Lex Dei postulabat omnia primogenita hominum et pecudum. Haec lex extat Exod. 13. et Numerorum 18. et passim alibi, ubi legitur, primogenita omnia fuisse consecrata seu dicata Deo. Sed primogenita hominum, equorum, et aliorum animalium, quorum non erat usus in sacrificiis, redimebantur certa pecunia. Boum primogenita et agnorum non licebat redimi pecunia: Sic et aliarum pecudum, quae poterant mactari in sacrificiis; asinis frangebatur cervix, nec pecunia redimebantur. Voluit fortassis significare Deus, se non velle asinos in ministerio suo, etsi multi omnibus temporibus etiam ex sacerdotum ordine sunt nimis magni et crassi asini.

Mares primogeniti ex hominum genere, aut remittebantur ad templum, ut Samuel, aut redimebantur quinque siclis argenti. Siclus est *τετράδραχμον*, id est, valet quatuor drachmas. Ist vngefehrlich ein halber Thaler. aequat fere thalerum dimidium. *δίδραχμον*, id est, quadrans thaleri, erat

dimidium sicli, quantum quisque quotannis numerabat templo. Quinque Sicli sunt duo Thaleri et dimidius. Fuit mediocris summa pecuniae, si viginti millia numeres primogenitorum singulis annis, quia habuerunt multas mulieres, et fuerunt foecundi Iudaei, tum uno anno 50000. thalerorum potuerunt colligi.

Iam quaeramus rationes huius legis, quae etiam sunt partim utilitas, partim significatio, quae est multiplex. Qui dant operam studio iuris, cogitent quod leges sint sapientia Dei, et quod causae legum quaerendae sint. Fuit igitur utilitas, ut inde alerentur sacerdotes, et conservaretur ministerium, quia Deus voluit sacerdotes ali de publicis contributionibus. Non enim habebant possessionem bonorum, neque licebat eis emere agros. Voluit igitur Deus victitare eos ex victimis et oblationibus, sicut universaliter omnes primitiae dandae erant sacerdotibus, ut inde haberent victum.

Haec causa monet nos quoque, quod singuli debeamus conferre aliquid ad conservationem ministerii publici. Homines barbari clamant hodie: Nimium est, quod penditur ministris Ecclesiae, et scholarum. Sed quod propter avaritiam, et odium ministerii, non volunt largiri pastoribus et aliis ministris, quibus debentur suae mercedes, coguntur postea dare aliis, ut militibus, aut aliis tyrannis, sicut dicitur: *Quod non capit Christus, rapit fiscus.*

Significationes legis huius plures fuerunt. Sed prima et principalis significatio fuit, ut per istum ritum homines commonefierent, quod ille populus immediate serviat Deo. Nam dare primogenita, est testimonium servitutis. Olim quicquid in servitute nascebatur, erat Domini. Postea ubi mitigata est servitus, primogenitum erat Domini. Servitus heist leibeigenschafft, et servi sunt Leibeigene. In Bohemia, Westphalia, Suevia, et aliis in locis, ubi sunt vestigia antiquae servitutis, adhuc illud onus reliquum est. Si quis subditorum velit se conferre alio, is cogitur se redimere, ut possit emancipari. Sed et primus partus quorumcunque animalium penditur Domino, ubi est moderata servitus.

Turca quotannis mittit conquisitores, qui eligunt ex omnibus familiis elegantissimos adolescentes et puellas, et abducunt eos ad libidines et impietatem, aut si sunt idonei ad militiam, assuefaciunt ad bella contra Christianos. Haec est valde misera et tristis servitus.

Hoc igitur significabat illa lex, quod politia illa esset serva, et quidem Dei solius, excerpta ex toto genere humano ad hanc servitutem. Nam Deus hunc populum prae caeteris gentibus in genere humano sibi elegerat.

Secunda significatio est correlativa prioris. Sicut haec servitus seu ritus iste, qui erat testimonium servitutis, monebat hunc populum esse proprium populum Dei, ita significabat primam curam debere esse omnium hominum in isto populo, ut Deum agnoscant, discant doctrinam de Deo, obediant ei, exerceant cultus a Deo mandatos.

Est autem consolatio magna scire nos esse peculium Dei, et expectare a Deo protectionem ac defensionem. Sed vicissim debemus etiam moneri de agnitione Dei et obedientia ei debita. Singuli scholastici sive versentur in studio Grammatices, sive in studio Iuris, sive in studio Physices: tamen aliquid curae et studii tribuere debent discendae doctrinae de Deo, et studia referre ad hunc finem, ut celebretur Deus.

Tertia significatio est, ut agnoscerent omnia provenire Deo foecundante naturam et conservante. Ideo enim, non solum primogenita hominum et animalium, sed etiam frugum et aliarum rerum nascentium primitiae offerebantur, ut cogitarent opera et beneficia esse Dei, quod homines et animantia sunt foecunda, quod terra est foecunda, quod homines aluntur et conservantur ex rebus nascentibus. Sic et nos agnoscamus Deum esse datorem omnium bonorum, cibi et potus, sicut dicitur: *Dante te illis, escam colligunt,* Item, *pullis corvorum invocantibus eum.* Corvi relinquunt pullos suos, quando sunt editi, et perirent pulli fame, nisi Deus curaret eis vermiculos, quibus vescuntur. Antiquitas fuit erudita et sumpsit valde multas imagines ex natura.

Haec dicta confirment in nobis cogitationem de Providentia, et sicut victus donatur nobis a Deo, ita statuamus etiam, eum tueri nos et protegere, et dare ac conservare vitam iuxta dictum: *In ipso vivimus, movemur, et sumus.* Ipse est, *vita et longitudo dierum nostorum. Ecce duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadit in terram sine voluntate patris vestri.*

Haec et similia dicta sunt testimonia contra Epicuraeos, quod non casu confluxerint res, aut casu maneant, et imprimis, quod homines non casu vivant. Quando assidemus ad mensam, cogitemus beneficia Dei esse illos cibos, illam vitam, illam auram, qua fruimur.

Athenaeus laudat Homerum, quod narrat, assedisse principes suos ad mensam et surrexisse cum libationibus, *μετὰ σπονδῶν*, id est, cum precatione, vel saltem cum ceremonia, monente aliquid de Deo, quia etsi intellectus verae doctrinae extinctus est apud Ethnicos, tamen vestigia honesta veterum rituum manserunt. Hoc igitur laudat Athenaeus, et nominat *κοσμιότητα*, id est, aliquid pulchrum et decorum.

Idem faciunt Plato et Xenophon in descriptione suorum conviviorum. Sed Epicuraeus nihil precationum vel libationum facit. Convivia piorum debent inchoari a precatione et desinere in precatione, ut ostendant se non esse Epicuraeos. Etiam Simonides reprehendit mulierem inordinatam *γυναῖκα ἄκοσμον*, quod devoret carnes ante sacrificium, vel priusquam partem aliquam sacrificaverit: *ἄθυτα ἱερὰ κατεσθίει*, inquit, et hoc habet pro magno scelere. Hoc dictum hominis Ethnici pudorem incutiat multis, qui nihil cogitant de Deo, nihil precantur, nec gratias agunt, cum fruuntur beneficiis Dei. Citat autem hoc ipsum dictum Simonidis Athenaeus in eo, quem antea citavi, loco de Homero.

Quarta significatio recitatur in ipso textu Moisis. Ritus offerendi primogenita, debuit esse commonefactio de interfectis primogenitis Aegypti. Haec est terribilis causa, etsi piis quidem fuit consolationi, tamen peccantibus debuit esse terrori, quia significatum est, Deum ire per genus humanum, et punire peccata hominum, sicut in Exodo dicitur: *Hac nocte pertransibit Dominus, et percutiet omne primogenitum Aegypti a Domo regis per omnes familias, et parcet illis, quorum limina sunt conspersa sanguine agni.* Ita filius Dei transit omnibus temporibus per genus humanum, interficit primogenita, id est, omnia generosissima, et colligit sibi tamen et servat Ecclesiam suam, et parcit iis, qui sunt conspersi sanguine filii Dei. Cogita tuam domum esse conspersam sanguine filii Dei, te peculiariter esse sanctificatum seu consecratum Deo, et ideo custodiri. Caetera delentur horribiliter. Alexander fuit primogenitus, Fuit in eo praestans et exellens natura, Et tamen perit adhuc in flore aetatis. Quam pulchri viri fuerunt Themistocles, Aristides, Pausanias? Tamen intereunt miserabiliter. Sic igitur erat ritus primogenitorum commonefactio de iudicio Dei, quod Deus transit per mundum, delet omnia primogenita impiorum, et parcit illis, ubi limina sunt conspersa sanguine filii Dei.

Postrema significatio, et omnium summa fuit: Quod in hoc populo nasciturus esset Christus, qui singulariter Deo offerendus seu consecrandus esset, id est, qui futurus esset victima pro toto genere humano, in quem derivanda sit ira Dei. Hunc primogenitum principaliter significabat lex, propter quem et caeteri recipiuntur, ut dicitur: *Servus meus iustus notitia sua iustificabit multos.* Ad hunc congruunt etiam praerogativae, quas habebant primogeniti. Habebant enim duas partes haereditatis: Et in familiis principum et sacerdotum, ius regni et sacerdotii erat primogenitorum. Quae erat utilis constitutio, et proderat, ne orirentur dissidia inter fratres, Item ut familiae servarentur.

Sic Christus habet ius sacerdotii et regni. Est unigenitus patris, secundum divinam naturam. Et primogenitus omnis creaturae, id est, Dominus omnium creaturarum. Et secundum humanam naturam est primogenitus matris. Ipse est rex noster et sacerdos: Liberat nos a potestate Diaboli, obtulit se pro nobis, interpellat pro nobis apud patrem.

Hanc significationem legis intellexit Maria. Ideoque principaliter venit in templum, ut testaretur hunc suum filium esse primogenitum illum praecipuum, propter quem recipimur et sanctificamur. Estque insigne verbum, quo utitur Evangelista: quod adduxerint eum, ut sisterent eum Domino, *ἀνήγαγον παραστῆσαι τῷ κυρίῳ.*

Sed de Maria oportet nos aliquid amplius dicere, propter disputationem, An Maria fuerit obligata lege Moisis de purificatione puerperarum.

Cur Maria servarit legem de purgatione puerperarum.

Diximus in genere de duabus legibus, quarum in hoc textu fit mentio: Et quid habuerint utilitatis, quid significationum, exposuimus. Iam quaero: An Maria tenebatur ista lege? Respondeo. Lex de purificatione expresse dicit: Mulier quae suscepto semine peperit masculum, vel, quae peperit concepto foetu ex semine, id est, Mulier, quae semen accepit aliunde, a viro scilicet, Graecus interpres recte vertit, *ἐὰν σπερματισθῇ.* Haec additio supervacanea fuisset, nisi tecte significaret lex, quandam parituram esse sine virili semine.

Excipit ergo lex ipsa Mariam, quae concepit et peperit sine semine virili. Cur igitur servavit dies purificationis, et postea infantem attulit in templum? Non est ipsa immunda ex illo conceptu, quo foecundata est per Spiritum sanctum. Non fuit igitur subiecta legi de purificatione. Et hic infans est Dominus legis.

Dico simplicissime. Servat Maria Ceremoniam legis, ut ostendat se esse sociam huius Ecclesiae. Item, vult adiuvare ministerium suo obsequio. Est igitur exemplum nobis propositum, quod, etiamsi videamur habere aliquam excusationem, tamen non debemus seiungere nos ab honestis ordinationibus in Ecclesia. Debemus nos associare, et coniungere cum Ecclesia. Item debemus iuvare communem conservationem ministerii, id est, conferre nostra officia, et operam ad ministerium ornandum et conservandum. Ita sancti servant multa paedagogica, quibus non est eis opus, Sed volunt tamen exemplo bono servire aliis.

Huic causae adiungatur iam illa altera, Quod intellexit Maria, legem de primogenitis, praecipue significasse Messiam, qui sponte se subiecit legi. Hic igitur sistendus erat, ut constaret eum esse ex semine Abrahae, et socium Ecclesiae Dei. Item, ut significaretur, eum subiturum poenam, quam lex minatur pro peccatis generis humani. Item ut testimonia de eo illustria darentur per ipsum ministerium, ut per Zachariam, Simeonem, Elisabetham, Hannam et alios, sicut hic insigni miraculo Deus movet Simeonem et Hannam, ut vaticinentur de hoc puero. Dicitur enim diserte, quod venerit Simeon motu Spiritus in templum.

Deditne Ioseph aut Maria quinque Siclos, sicut usitatum erat dari pro primogenitis?

Respondeo. Non debuit dare, Quia lex est alternativa. Dicit: Aut dentur quinque sicli, aut serviat ministerio. Christus autem missus erat ad ministerium, et Ioseph sciebat eum Nazarenum, vere perpetuum, fore. Sed puto, quod dederit quinque siclos, ad puerum redimendum, Quia Christus destinatus erat ad ministerium, sed non Leviticum, ut Samuel. Fuit Christi ministerium singulare, secundum ordinem Melchisedek, non secundum ordinem Levi. Illi qui non dabant quinque siclos, debebant isti templo, sacerdotio, politiae servire.

De Maria addo hoc quoque. Etsi non fuit immunda propter conceptum, tamen non fuit ἀναμάρτητος, agnovit immundiciem suae naturae. Et quanquam est sanctificata, et multis aliis sanctis antecelluit, tamen habuit reliquias peccati originis. Et has intellexit sibi remitti propter hunc ipsum filium, non ut peccatum in ipsa non esset, sed ut non imputaretur.

De cantico Simeonis.

Iam venio ad testimonia Simeonis et Hannae: Facta erat revelatio Simeoni, quod non visurus esset mortem, nisi vidisset prius Christum Domini. Ibi habetis pulchrum testimonium de conservatione Ecclesiae. Erat adhuc Ecclesia in isto populo, etsi horribiliter oppressa, quia Deus servabat reliquias aliquas, Simeonem, Hannam, et alios. Fuit autem Simeon proximus temporibus Maccabaeorum. Vidit confusiones publicas in regimine politico, et in negotiis religionis. Deleta stirpe Maccabaeorum, regnabat Herodes qui tyrannice multa fecerat in isto polo, et attraxerat in Iudaeam colluviem pessimarum gentium, ubi fieri aliter non potuit, quam ut multum Ethnicarum morum inter ipsos Iudaeos existeret. Deinde dominabantur tunc Pharisaei, superstitiosi, et Saducaei, qui erant porci Epicuraei. Qualis autem sacerdos, talis populus. Has confusiones deploravit Simeon, et quo maior fuit aetas ipsius et sapientia, eo magis intellexit, quantum mali esset in tantis confusionibus. Petiit igitur haud dubie, ut Deus, misso filio tandem liberaret Ecclesiam. Ita petenti ipsi facta est promissio de Messia affuturo.

Hunc ergo movet Spiritus sanctus, ut ingrediatur templum. Ipse sensit in corde suo motum Spiritus sancti. Venit igitur in templum, et singulari luce, accensa per Spiritum sanctum in ipsius mente, agnoscit hunc Dominum: Agit gratias Deo, quod Messiam miserit, et laetus praedicat eius officium et beneficia. Intelligit, quod sit Salvator, qui sit liberaturus a peccato et morte, et restituturus iustitiam et vitam aeternam. Ideo nominat eum *salutare Dei.* Habet etiam spem propagationis regni et doctrinae Messiae. Ideo dicit: *Parasti ante faciem omnium populorum.* Et tribuit ei haec Epitheta, quod futurus sit *Lumen ad revelationem gentium: Et gloria populi Israel.* Quid significat haec phrasis? *Lumen ad revelationem?* Tantum dicam nunc de Grammatica. Erit lumen, inquit, illuminans gentes, vel quod luceat gentibus: Doceat gentes non solum externa voce sonante per ministerium Apostolorum, sed etiam intus in corde accendat veram Dei agnitionem, et consolationem, Quia lex Hebraea consuetudine significat utrumque: notitiam et consolationem seu laetitiam, ut cum Psalmus inquit: *Dominus illuminatio mea,* id est, dans robur et consolationem. Et apud Michaeam: *Cum sedebo in tenebris, Dominus lux mea,* id est, consolator meus. Et Ioann. 1. *Illuminat omnem hominem,* id est, docet et consolatur. Notitia est causa affectuum, ut quando aliquis est maestus, praecidit notitia mali. Notitia et sensus boni est causa gaudii. Est igitur Christus *lumen*, id est, doctor generis humani, profert Evangelium, docet de vero Deo, accendit notitiam veram in mentibus: Postea est etiam consolator: Laetificat, vivificat, restituit iustitiam et vitam aeternam, et dat robur in omnibus aerumnis, Nam quia habemus placatum Deum, statuimus nos vere iuvari a Deo, etiam in media morte. Haec omnia comprehenduntur una illa appellatione Luminis. Et simul refutatur opinio de regno politico Messiae. Non erit rex, ut Alexander, qui per orbem terrarum armatus incedat, et faciat novam formam imperii. Sed annuntiabit Evangelium, et per hoc erit efficax. Colliget gentes ad se per Verbum, et cumulabit eas ingentibus bonis, ac tandem aeternis.

Quod additur, *Gloria Plebis Israel,* intelligo per Antithesin iudiciorum mundi de populo Dei, quasi dicat: Nos iam contemnimur, sed exhibito Messia, et propagato regno eius, agnoscetur, quod doctrina nostra sit vera, quod nos simus Ecclesia Dei.

Ita adversarii nostri vocant nunc nos haereticos. Sed eventus aliquando ostendet, quod fuerit veritas in his nostris coetibus. Confundet Deus Papistas, Mahometistas, et alios. Interea oremus filium Dei, ut nos regat, gubernet, foveat Ecclesiam, et tollat omnes errores.

DOMINICA PROXIME SEQUENTE FESTUM PURIFICATIONIS,

in quam incidit nonnunquam dies Basilii.

Semper mane post dictam precationem, et lectum unum caput ex Bibliis, debetis aspicere Calendarium, non modo ut cogitetis discrimina temporum, quod etiam homines politici faciunt, sed multo magis, ut commonefactionem habeatis de aliqua parte historiae Ecclesiae. Habuimus nuper diem Polycarpi, et hodie est dies Blasii seu Basilii. Oportet autem nos scire seriem Ecclesiae omnium temporum, et certamina doctorum veterum, per quos accepimus doctrinam, quam sonat Ecclesia.

De Polycarpo.

Quis fuit Polycarpus? Fuit auditor Ioannis Evangelistae Postea factus est Episcopus Smyrnae, et habuit certamina cum Marcione. Polycarpi auditor fuit Irenaeus, qui passim testatur se Polycarpi vestigia sequi, et multos sermones, et facta Ioannis se a Polycarpo audivisse affirmat. Recitat etiam quaedam, quae Ioannes solitus sit commemorare de conversatione familiari Christi cum discipulis. Itaque Polycarpi aut Irenaei testimonia audientes, cogitemus nos ipsum Ioannem audire, et confirmemur horum virorum dictis de gravissimis rebus, de quibus tunc fuerunt certamina.

Quamdiu vixit Polycarpus? Eusebius scribit eum interfectum esse Imperantibus Marco et Vero fratribus, circa annum Christi centesimum septuagesimum. Ioannes decessit sub Traiano. Habuit is praeter Polycarpum discipulos etiam, Ignatium et Papiam. Ignatius postea praefuit Ecclesiae Antiochenae, et affirmat se Christum vidisse post resurrectionem. Papias rexit Ecclesiam in Hierapoli, solitus est praefari suis scriptis, se mandare literis ea, quae ab Apostolis viva voce acceperit.

Quod fuit dogma Marcionis, contra quem pugnarit Polycarpus? Fuit magnum chaos fanaticarum opinionum, conflatum ex Stoicis deliriis, et Enthusiasticis superstitionibus. Fuit simile aliquid Anabaptisticis furoribus. Nam Marcionem secuti sunt Manichaei. Constituerunt duo principia pariter aeterna, inter se pugnantia, id est, finxerunt duos Deos, quorum alterum dixerunt esse causam peccati, quem nominarunt ὕλην: Et ab hoc principio ortos dixerunt non posse converti ad bonum.

Alterum dixerunt Bonum Deum, quem nominarunt φῶς, id est, lucem. Et dixerunt, ortos a luce, non posse damnari, quidquid faciant. Damnarunt coniugium, esum carnium. Simularunt afflatus, Finxerunt politicum ordinem, Magistratus, iudicia, esse opera mali principii.

Hi tetri furores facile intelligi possunt et iudicari, Quia etiam cum iudicio rationis pugnant. Et pepererunt isti furores multa tetra scelera libidinum, confusiones, et seditiones. Ipse Marcion coniugem Diaconi cuiusdam in Cypro abduxit, quae postea reversa ad maritum, narravit magnam turpitudinem istius sectae. Est enim universale hoc, quod ubi tetrae libidines sunt, ibi etiam sit idololatria, et alii errores de doctrina. Et vicissim, ubi est confusio dogmatum et idololatria, ibi sunt etiam libidines, Quia fanatici homines sunt in potestate Diaboli, qui ut animos ipsorum contaminavit, sic corpora quoque eorum contaminat.

Late autem grassati sunt furores Marcionis, non tantum in Asia, sed etiam in ipsa urbe Roma. Ac scribitur Polycarpus venisse Romam. Ibi et refutavit Marcionem, et multos ab eo seductos revocavit ab errore.

Cum Marcion ei obviam factus interrogasset: *Num agnoscis me Polycarpe?* Respondit: *Agnosco te primogenitum Diaboli.* Voluit fortassis Marcion se insinuare in eius amicitiam, sicut narrat historia, Marcionem, postquam sparsisset errorum suorum semina, simulasse postea poenitentiam, et professum esse, quod mutasset sententiam. Sed aliquanto post eadem deliria, seu furores eosdem renovavit. Ideo Polycarpus magno zelo a se repulit impostorem et simulatorem.

Irenaeus etiam inquit, Polycarpum solitum fuisse aures obstruere, si quando impias haereticorum voces audiebat, loca etiam vitare, quasi polluta, in quibus illae dictae erant. Tantum fuit studium in illis sanctis viris retinendae veritatis, ne gloria Dei laederetur.

Refutavit Marcionem etiam Irenaeus, Et multi scriptores sequentibus temporibus refutarunt Manichaeos. Necessarium est autem, omnium temporum certamina in Ecclesia considerare, et qui viri defenderint veritatem, et qui oppugnarint et obruerint eam. Plurimum omnino hoc refert scire, quales viri fuerint in qualibet parte, qui veritati testimonium perhibuerint, et qui restiterint.

Quo genere mortis obiit Polycarpus? Cum iam fere nonagesimum ageret annum aetatis, et Ecclesias diu magno labore rexisset, raptus est ad supplicium et rogo ardenti impositus. Stans autem inter medias flammas dixit precationem, quam describit Eusebius, in qua est illustris confessio de vero Deo, de tribus personis divinitatis, de filio mediatore. Nec absumserunt eum flammae sed tyrannus stupefactus re inusitata, cum videret senem illaesum vivere in rogo ardenti, iussit eum gladio carnificis transfodi.

Ostenderat Polycarpus et ante supplicium, constantiam animi parati ad mortem. Nam cum Proconsul iuberet eum abnegare Christum, iurare per fortunam Caesaris, maledicere Christo: respondit Polycarpus: *Octoginta sex annos illi servio, nec me ulla in re laesit unquam. Quomodo possum maledicere regi meo, qui mihi salutem dedit?* Sed hortor adolescentes, ut ipsi domi legant integram historiam de martyrio Polycarpi apud Eusebium libro 4. et cogitent, Deum velle hos summos viros etiam in spectaculis suppliciorum, fieri testes doctrinae, et futurae immortalitatis. Quia hae duae sunt praecipuae causae, cur Deus tam foede suos a tyrannis lacerari sinit: Una, quod vult conspici testimonia doctrinae. Sic enim apparet illos vere sensisse, Evangelium divinitus esse traditum, cum eius confessionem vitae suae praetulerunt.

Altera est, quod vult praecipuorum luminum Ecclesiae neces testari de immortalitate. Quia enim scelerati et polluti omni turpitudine saeviunt in sanctos, quibus Deus antea ostendit se adesse, et se doctrinam et vocationem ipsorum probare, necesse est iudicari, aliam vitam restare, in qua Deus iis, quos palam complexus est, praemia redditurus sit, et impiis poenas.

Nunc dicemus aliquid de Basilio, qui etsi saepe expertus est persecutiones: tamen placida morte est extinctus: Quia Deus dissimiliter regit Ecclesiam, et alium atque alium cursum dat doctoribus.

De Basilio.

Estne idem nomen Basilii et Blasii? Blasius est corruptum nomen. Nam barbaries multa corrumpit, ut non dicam omnia. Videmus id fieri etiam in magnis rebus, in quibus plerumque petulantia est comes barbariei. Quando invalescit barbaries, omnia corrumpuntur in artibus et legibus. Apud Aeschylum extat hoc dictum: *ἡ δὲ μωρία μάλιστα ἀδελφὴ τῆς πονηρίας ἐστίν. Stultitia est soror malitiae.* Plerumque ista duo sunt coniuncta. Multi amant perturbare omnia. Contemnunt leges et disciplinas recte traditas. Haec est non solum stultitia, sed etiam malitia insignis, das sind die bösen Narren. Sunt fatui malitiosi, quales multos expertus est Basilius.

Cuias fuit Basilius? Fuit Cappadox stirpe materna, sed paternum genus duxit ex Ponto. Praecipuam vero partem aetatis degit in Cappadocia in civitate Caesarea. Cappadocia nomine Heneto dicta fuit Mazeka. Id nomen significat novercam, lingua Polonica. Fuerunt ibi Heneti, sicut et nunc ibi sunt. Vicina Cappadociae est Cilicia, quae et ipsa fuit vetus sedes Henetorum. Heneti fuerunt, et adhuc sunt magna et potens gens.

Non est contumelia aut ignominia nominari Einen wenden. Adhuc hodie maiorem partem orbis tenet, quam aut Graeca, aut Italica, aut Germanica gens. Fuerunt in illa vicinia etiam Galatae, ad quos Paulus scribit.

Qui fuerunt illi Galatae, aut unde venerunt in illa loca? Idem nomen est Galatae et Celtae. Et constat uno hoc nomine vetustatem nuncupasse utramque gentem Galatas et Celtas, citra et ultra Rhenum, usque ad Danubium. Et vocabulum *γαλάτης* significat peregrinatorem. Congruit enim cum Germanico wallen. Unde est et Gallorum nomen. Ac credo olim fuisse unam gentem, et non valde dissimilem lingua, Gallos et Germanos.

Graeci fingunt Polyphemum in Sicilia habuisse duos filios ex Galatea, quorum alteri fuerit nomen *γαλάτης*, alteri *Ἴλλιρος*. A Galata ortos esse *γαλάτας* seu Celtas. Ab altero Illyrios. Sed haec sunt fabulosa. Rectius est, nomen Galatarum, unde postea Celtarum appellatio extitit, item Gallorum, deducere a wallen, quasi dicas, peregrinatores seu migrantes die wahlen. Et quidem origo ipsius vocabuli wallen Hebraea est ab Halach. Sic Vuestphaln est idem quod westwallen, id est, qui ad Occidentem peregrinati sunt. Alii deducunt a pullo equino vom faln. Sed hoc est coactum.

Illae gentes vicinae ad Rhenum paulatim progressae sunt, alias in Occidentem, alias in Orientem.

Nihil autem dubito eos, qui nominati sunt Galatae in Asia, ortos esse a nostris tum Germanist tum Gallis. Nam istae gentes mixtae emiserunt magnos exercitus, Ac prima Celtarum infusio fui, in Italiam, ubi et ceperunt Romam, et incenderunt. Postea in Macedoniam progressi sunt. Inde transierunt in Graeciam. Tandem attracti sunt in Asiam post tempora Alexandri Magni. Cappadocia igitur fuit contermina Ciliciae et Galatiae. Caesareae passim multae fuerunt, Quia Romani mutarunt nomina multis urbibus, quando deduxerunt eo colonias, ut urbs, quae fuit Ubiorum in Germania, dicta est Colonia Agrippina. Ratispona

dicta est Tiberia. Urbs, quae olim fuit Nemetum, appellata est Spira, id est, cohors, vel Curia Imperatoris. Romani magno consilio deducebant olim Colonias, ut minueretur multitudo hominum in partibus Italiae, et ut consuleretur tranquillitati istarum regionum, quas devicerant. Mittebant totas familias alio, distribuebant agros inter novos colonos. Ita consulebatur tenuioribus, et exornabantur urbes. Nec solum familiae Italicae, sed etiam milites ibi collocabantur, quibus donabantur agri. Illi milites erant tanquam praesidiarii, sicut adhuc Turci faciunt. Procedunt in dies, et collocant praesidia in locis opportunis. Nostri principes, quando semel ducunt exercitum in Ungariam, rursus abeunt. Ita nihil proficiunt, non procedunt. Regna non possunt conservari sine praesidiis.

Caesarea igitur Cappadociae fuit Colonia Romana. Pater Basilii scribitur fuisse vir nobilis, eodem nomine Basilii, cuius maiores fuerunt Christiani, aliqui etiam ex iis martyres. Mater Basilii nominatur Emmelia. Id nomen est a cura et diligentia. Nostri homines corrumpunt hanc vocem, cum dicunt Ammeley. Fratres habuit Basilius tres, ex quibus duo facti sunt etiam Episcopi, Petrus Sebastae, et Gregorius Nissae, unde et Nissenus dicitur. Basilius tandem factus est Episcopus Caesareae.

Nissenus scripsit utilem libellum, quanquam tenuiorem, cui titullus est *De anima*. Quod eo dibetes scire, ut cogitetis semper in Ecclesia existimatum fuisse, doctrinam aliquam de distinctione potentiarum animae necessariam esse. Quando Paulus dicit: *Detinentes veritatem in iniustitia*: Quid nominat veritatem? Sic vocat naturalem notitiam, quae est in mente, quae lex naturae alio nomine vocatur. Quid nominat iniustitiam? Affectus pravos, qui sunt in parte appetente, id est, in voluntate et corde. Gentes sciebant Deum esse iustum, castum, et volentem talia, qualia docet lex, quae est lumen divinum conditum in mente seu parte cognoscente: Sed contra hac notitiam naturalem pars appetens indulgebat pravis cupiditatibus, ut dicitur: Video meliora proboque, deteriora sequor. Haec distinctio partis cognoscentis et appententis necessaria est in Ecclesia. Et magis dulcescet vobis doctrina, quae in nostris libellis de anima traditur, si cogitabitis easdem res tradi etiam ab illis veteribus scriptoribus Ecclesiasticis, etsi nostrae explicationes sunt aliquanto uberiores.

Institutio puerilis Basilii et fratrum fuit in aedibus paternis, ubi non modo semina doctrinae Christianae didicerunt, sed etiam philosophiae. Estque insignis haec sententia Nazianzeni, qui descripsit vitam Basilii more oratorio, quam debetis meminisse ad refutanda hominum indoctorum iudicia, qui contemnunt bonas literas, et studia philosophica. *Non ideo contemnenda est eruditio*, inquit, *quod ita quibusdam videatur: sed potius insulsi ac praeposteri habendi sunt, qui hoc existimant, quique omnes sui similes esse optarint, ut privata eorum ignorantia communis ignorantiae tenebris obtegatur, nec quisquam ipsorum inscitiam prodat et coarguat.*

In adolescentia et virili aetate continuavit Basilius et philosophiae studia, et doctrinae Ecclesiae. Et his adiunxit studia eloquentiae, quorum causa Caesaream se contulit, ubi doctrinae arx, et omnium bonarum artium domicilium, et quasi Academia praecipua et florentissima eo tempore fuit. Postea Constantinopolim petiit, quae similiter tum celebris fuit literarum studiis. Tandem Athenas venit, ubi minora illo tempore studia erant, quam in multis Asiae urbibus, sed locus propter veterem celebritatem adhuc appetebatur. Ibi amicitia inter ipsum et Nazianzenum contracta est, quae duravit per omnem vitam eorum.

Narrat Nazianzenus fuisse Athenis morem similem ritui scholastico, qui nominatur Depositio in Academiis, ut ii, qui primum eo accederent, ab aliis, qui diutius ibi fuerant, exercerentur variis quaestionibus, et post terrores ac lusus varios deducerentur ad balneum: Postea demum haberentur in numero condiscipulorum. Causam huius moris addit, ut fastus et arrogantia deprimeretur in novitiis, et exploraretur, qualis quisque esset, ut dicitur: *Inter lusus et pocula cognoscuntur ingenia.* Legite illam descriptionem totam apud Nazianzenum, qui ait Basilium, propterea quod in honore iam habebatur propter eruditionem, et gravitatem in moribus, communi illa lege solutum fuisse.

Nec fuit Basilius Athenis tantum auditor oratorum et philosophorum, sed ipse quoque a studiosis ad docendum invitatus est. Inde rediit Caesaream. Et cum aliquamdiu ibi specimen eruditionis praebuisset, quia cum aetate cura in eo cognoscendae et tuendae doctrinae Christianae crescebat, peregrinatus est per Thraciam, Aegyptum et totam fere Asiam, ut Ecclesias praecipuas videret, et in his audiret, non solum quid dicerent, sed etiam a quibus doctrinam accepissent.

Tale studium inquirendae veritatis profecto laude dignum est: Et sic peregrinatus est Irenaeus, qui non modo Asiaticas et Graecas Ecclesias, verum etiam Gallicas et Germanicas citat.

Erant tum in Ecclesiis collegia docentium et discentium, similia prophetarum et Apostolorum scholis, in quibus conservabatur doctrina accepta a discipulis Apostolorum. Et fuit non multo ante natum Basilium Gregorius Neocaesariensis, qui et discipulos Apostolorum audierat, et optima fide eorum doctrinam retinuerat. Hic refutavit Samo-

satenum, et scriptam reliquit confessionem suae fidei de tribus personis divinitatis, quae adhuc extat. Ego eam recitavi in Locis et in Chronico. Fuit vir sanctus, et clarus miraculis, quibus Deus autoritatem dedit doctrinae ipsius.

Huius fide et doctrina, inquit Basilius ipse, imbutum se fuisse ab infantia, Quia nutricem habuerit mulierem studiosissimam doctrinae Neocaesariensis, quem docentem audiverat. Hanc ait sibi testem et confirmatricem fuisse doctrinae de filio Dei.

Sicut autem profuit ei testimonium suae nutricis, quae dixit hanc esse veram sententiam, et se eam audivisse ex Gregorio illo *θαυματούργῳ*: Sic voluit fidem suam confirmare sciscitando etiam de aliarum plurium Ecclesiarum doctrina et testimoniis, quae quidem et ipse allegat. In ea peregrinatione contraxit quoque notitiam et amicitiam cum plaerisque doctoribus Ecclesiarum, sicut et postea per literas fovit et coluit amicitiam cum multis.

Extat inter caeteras eius Epistolas, una ad Ambrosium valde dulcis, ex qua intelligi potest, qualis amicitia fuerit inter illos praestantes viros, quanquam vixerunt in locis procul dissitis: Ambrosius Mediolani in Italia: Basilius in Asia, in urbe Caesarea.

Non dubitavit Ambrosius, vertere conciones in primum caput Genesis scriptas, quae sunt plenae eruditionis et eloquentiae, quemadmodum et caetera scripta omnia Basilii, quae sunt ipsius propria et *γνήσια*. Nam Monachorum regulas magna ex parte falso ei attribui existimo.

In caeteris et puritas est doctrinae, et eloquentia tanta, ut nunc quidem nullius Ecclesiastici scriptoris extent monumenta, qui rectius et melius locutus sit. Utitur oratione nativa, et non affectata. Adhibet diligentiam in delectu verborum, et figurarum. Retinet nativam faciem linguae, non nimium ludit figuris. Est perspicuus, et quanquam est copiosus, tamen modum tenet ornamentorum. Multo propior est sermo Basilii, sermoni Demosthenis, quam Nazianzeni, aut aliorum, qui Graece scripserunt in Ecclesia.

Post peregrinationes rediit Basilius Caesaream, ubi vocatus est ab Episcopo Eusebio ad munus docendi in Ecclesia. Fuit igitur aliquamdiu lector, et interpres librorum scripturae sacrae, Quod munus simile erat scholastico, ut nunc sunt in scholis Lectores seu Professores. Sed incidit simultas inter Eusebium et Basilium, quae inde fuit orta, quod Episcopus urebatur gloria Basilii, qui habebat studia multorum, etsi postea ei reconciliatus fuit, et ipse eum nominavit sibi successorem.

Rarae sunt amicitiae perpetuae, iuxta versum: *Omnia vertuntur, certe vertuntur amores.* Et Thales dixit: *Dulcius est facere amicum, quam retinere.* Plato etiam inquit: *φίλος ζῶον φύσει εὐμετάβολον. Amicus est animal natura mutabile.* Videte nostra tempora, quam multae amicitiae dissiliant variis de causis. Quando incidunt mutationes in imperiis et religione, tum crebriores sunt mutationes amicitiarum. Sed saepe levissimis de causis mutantur amicitiae. Fuit nobis coniunctissimus Staphylus. Nunc quanta est eius acerbitas et immanitas contra nos, fere sine ulla causa? Cicero dicit in libello de amicitia: *Magis saepe mirari homines, quod factum sit, quam cur factum sit.* Qui sunt pii, hi memores sunt dicti: *Remittite et remittetur vobis.* Et quod filius Dei in ipsa precatione nos commonefacere voluit: *Remitte nobis debita nostra.*

Maluit igitur Basilius cedere Episcopo, ne initia factionum maius incendium excitarent. Secessit in Pontum, et bona patria contulit in eum usum, ut institueret scholam seu haberet secum coetum scholasticum. Versatus est ibi in studiis cum suis familiaribus. Inde dicitur Basilius, *pater Monachorum.* Sed non fuit tale aliquid, quale postea extitit genus vitae monasticum.

Illi secessus, quos nominarunt olim monasteria, fuerunt libera sodalitia, et scholae, in quibus una vivebant homines amantes doctrinam Ecclesiae, habebant exercitia precationum, colloquebantur de doctrina, tractabant studia philosophiae et eloquentiae. Commorabantur in istis scholis libere, quo ad volebant, sine obligationibus. Et tamen vincula quaedam disciplinae erant, Quia nulli coetus possunt esse sine disciplina.

Ac multo pulchrior tum fuit forma illarum scholarum, quam quae nunc est in nostris scholis. Imo plus est obedientiae apud milites, quam apud vos, qui nunc vultis dici scholastici. Minus inter milites Turcicos est petulantiae, quam inter vos, qui verius stratiotae estis, quam scholastici. Noctu in castris Turcarum tanta est tranquillitas, ut vigiles possint se mutuo audire, et scire, quid agatur. Etiam, cum hic erant milites, noctes erant tranquilliores, quam nunc sunt. Haec barbaries vestra prorsus aliena est a vita scholastica.

Proderat igitur in istis veteribus scholis, quae tunc dicebantur Monasteria, versari aliquamdiu adolescentes, ut adultiorum exemplis, et doctrina, ad pietatem instituerentur, assuefierent ad modestiam, praepararentur ad functiones Ecclesiasticas et ad certamina cum adversariis veritatis sive Ethnicis, sive haereticis.

Iulianus conquestus est, Christianos iam esse instructos eloquentia et eruditione: *Et agnosco,* inquit, *meas pennas in meis vulneribus.* Sicut aquila dixisse fertur in fabulis, conspecto telo. Est unum ex antiquis proverbiis. Voluit significare: a Christianis oppugnari Ethnicos iis armis, quae ab Ethnicis accepissent. Ideo prohibuit, ne discerent Chri-

stianorum liberi in suis scholis, quae ad disputandi artem et eloquentiam pertinerent. Scriptores Christiani in suis scriptis sunt copiosi in refutatione idololatriae Ethnicae. Monstrant turpitudinem idolorum, et disputant legaliter ex ratione, quod sit turpe, colere multitudinem Deorum.

Contra haereticos vero prorsus necessarium fuit, adolescentes erudiri in scholis, nec solum muniri contra furores Arianorum et alios, quales tempore Basilii grassabantur, sed etiam instrui armis ad eorum errores et argumenta refutanda.

Nec ita delituit Basilius in illo suo secessu, ut nunquam prodiret. Ita partitus est tempora, ut alias eruditionem suam domestica meditatione aleret, alias doceret inter suos familiares, alias vero prodiens alienae utilitati serviebat. Saepe adibat vicinas Ecclesias in Ponto, has docebat, emendabat, confirmabat contra Arianos. In Epistolis suis valde praedicat suam Monasticen, quia prodesse illam sibi sentiebat, ne impedirentur ipsius studia. Sed ita fit, suum cuique institutum blanditur. Et tamen cum munus docendi non deposuerit, modestius eum de ipsa Monastice sensisse existimo, quam postea senserunt recentia agmina Monachorum, qui hoc vitae genus transformarunt in cultum Dei, et opinionem meriti addiderunt, et nominarunt perfectionem.

Basilio occasionem, ut dixi, praebuit (ut in secessum illum se conferret, in fundos seu praedia paterna, et ibi institueret coetus scholasticos) contentio Episcopi Caesariensis, orta ex aemulatione contra Basilium. Id est exemplum, quod commonefacit nos, ne ubique et semper, et contra quosvis pugnemus. Oportet esse modum certaminum. Parcendum est civibus, et ferendae sunt imbecillitates collegarum, et amicorum, ut in Thucydide pulcherrime dicitur, *οὐκ αἰσχρὸν οἰκείων οἰκείους ἡσσᾶσθαι. Non est turpe domesticos domesticis cedere.*

Quidam habent hanc fatuam opinionem. Putant suam famam labefactari, si non acerrime pugnent contra quosvis. Contra hostes debemus esse viri. Inter amicos fieri debet, quod Euripides inquit: *Duobus inter se irascentibus, sapientior est ille, qui cedit alteri.* Et Christus praecipit, *ut simus prudentes, sicut serpentes, et simplices ut columbae.*

Quomodo hoc dictum Christi est intelligendum? Primum *de columbis* res manifesta est. Columbae sunt sine felle. Sic non debemus concipere iras, odia, cupiditatem vindictae, et similes affectus turbidos. Dicamus veritatem sine felle, sine odio, amaritudine, veneno, et asperitate. Vix alius est motus animi, qui magis perturbet genus humanum, et publicam tranquillitatem, quam cupiditas vindictae, ut Iuvenalis ait: *At vindicta malum vita iucundius ipsa est.*

Sed quare dicit Christus: Prudentes estote, *ut serpentes?* Vult nos agnoscere hostes nostros. Serpens novit hostem suum. Etiamsi plures homines simul sint in uno loco, tamen agnoscit serpens eum, a quo est laesus, eum petit, et parcit reliquis. Ita nos deberemus discernere cives ab hostibus. Sed maxima pars est Periclaea, vociferando et clamando et insectando cives, et abstinendo interim ab hostibus. Isti pacem habent cum hostibus, et sunt furentes adversus domesticos. Plus est in eis acerbitatis contra collegas, quam contra hostes. Gerunt se tales, ut si colluderent cum hostibus. Exempla sunt ob oculos passim. Non opus est, procul ea accersere.

Deinde est altera quoque proprietas haec serpentum, quod in certaminibus muniunt caput. Sic nos tueamur hoc, quod principale est. Accessoria quaedam tegere et sonare studeamus. Non possunt omnia in hac vita salva esse. Manet aliquid imbecillitatis in singulis. Nos iam contendimus de privata existimatione, relictis causis publicis. Debebamus occultare ista privata, non pugnare odiis et incendiis privatis, deserta causa publica. Sic Basilius cessit Episcopo, pepercit communi saluti Ecclesiae.

Sed tamen et Episcopus postea simultatem pristinam deposuit. Antea doluerat crescere autoritatem Basilii, et quadam pusillanimitate metuit, ne sibi praeferretur in Episcopatu. Postea cum videret se imparem esse contra Arianos, qui conabantur occupare Ecclesiam in urbe Caesarea, et ipse censeret antagonistam illis opponendum esse, qui valeret ingenio, eruditione, et eloquentia, assensus est consiliis eorum, qui iudicabant Basilium revocandum esse. Missus est ergo Nazianzenus, qui reduceret eum ex illo secessu, quasi in aciem et praelia cum hostibus.

Basilius quanquam dulcedine praesentis otii, et memoria iniuriarum movebatur, quas antea ab Episcopo acceperat, tamen utrique rei praetulit Ecclesiae necessitatem. Itaque reversus primum obsequio et suavitate ita senis Episcopi animum sibi devinxit, ut concordia vere et ex animo sarta, nunquam deinde dissilierit. Adversarios vero doctrinae incorruptae tanta gravitate refutavit, ut et Ecclesiae consensum retineret, et lupos illos brevi ab Ecclesia illa depelleret.

Est igitur hic exemplum reconciliationis mutuae, dignum laude. Homerus pulchre dicit, *ἀκεσταὶ δέ φρένες ἐσθλῶν*, id est, *sanabiles sunt animi bonorum*, Fromme leute lassen jhnen sagen. Sinunt se moneri. Etsi interdum labuntur aut peccant, tamen redeunt ad sanitatem commonefacti: aut etiam non monentibus aliis, postquam deflagravit incendium affectus, rectius iudicant, sicut dicitur: *Posteriores cogitationes sunt sapientiores: δεύτεραι φρον-*

τίδες σωφρονέστεραι. Utitur hoc dicto Nazianzenus, qui et ipse excussus est ex Episcopatu.

Fuit quidam Maximus, Stoicus, quem Nazianzenus flexit ad recipiendam doctrinam Ecclesiae. Postea eum evexit, ut fieret lector Theologicus. Sed cum ille crevisset, profectus est Alexandriam, et periit Episcopatum et impetravit. Lectis literis, voluit cedere Nazianzenus. Imperator Theodosius re cognita aegre tulit: voluit retinere Nazianzenum. Sed noluit Nazianzenus manere, et dixit: *Si vita mea accusatur, quae est omnibus nota, nihil respondebo. Sin accusor de doctrina, respondebo.* Haec exempla consideremus, et his commonefacti reprimamus nos, nec statim sequamur omnes impetus animorum. Scipio solitus est dicere: *Nunquam dimicandum esse, nisi cum sit necessarium.* Et fuit tamen praeliator multo melior et fortior, quam nos esse possumus.

Episcopo sene mortuo Basilius successit in Episcopatu. Sed fuit tempus illud triste, ac minime tranquillum. Erant tum Imperatores duo fratres, Valentinianus et Valens. Valentinianus non defecit a vera doctrina. Sed Valens deflexit ad Arianos. Is Episcopos recte sentientes passim sedibus suis pellebat, et Basilio infestus erat. Potest eius crudelitas aestimari vel ex hoc uno facto. Cepit octoginta orthodoxos presbyteros diversis ex locis ad eum missos, ut supplices libellos offerrent: Eos alligatos navibus, et in medium mare delatos iussit cremari iniecto igni per nautas, qui ex navibus descenderant, in quibus illi erant. Hanc rabiem Imperatoris Deus fame et bellis punivit: In Ecclesiis vero miserabiles dilacerationes fuerunt.

Has publicas miserias Basilius leniebat domestica concordia suae Ecclesiae, quam quibuscunque poterat officiis tuebatur. Annonae caritas ut laxaretur apud suos perfecit, partim quia autoritate sua locupletes permovit, ut frumentum mediocri pretio venderent, partim quia ex aerario Ecclesiae, et venditis propriis praediis, opem tulit egentibus.

Cum Valente autem Imperatore et eius ministris fuerunt Basilio multae et acres contentiones, in quibus conspectum fuit robur animi in Basilio, et constantia in edenda confessione.

Iubebat eum Valens, qui ipse Caesaream venerat, assentiri Arianis, et nisi obtemperaret, exilia et supplicia ei per praefectos minabatur. Sed respondit Basilius: *Pueris illa terriculamenta proponenda esse. Sibi vitam eripi posse, sed confessionem veritatis eripi non posse.*

Deus etiam multis miraculis eum defendit. Aliqui ex Imperatoris praefectis mirati illius constantiam, aequiores ipsi facti sunt. Imperator ipse, cum in templum venisset iratus, cum armato satellitio, ut Basilium inde abduceret, cum ad sacerdotum sedes accessisset, subita vertigine correptus est, ita ut nisi Diaconi proximi manibus exceptus et sustentatus fuisset, collapsus, solo corpus allisum fuerit. Tremens igitur et attonitus ex templo in sacrarium delatus est, sicut Heliodorus scribitur subita consternatione oppressus esse, cum templum Hierosolymitanum spoliaturus esset.

Mutato autem animi proposito, vocavit Imperator ad se Basilium, et cum eo collocutus, mitius se erga eum affectum esse ostendit. Sed non diu post incitatus iterum a furiis aulicis, in exilium eiicere Basilium decrevit. Verum hic quoque prodigiis quibusdam perterritus, sententiam mutavit, praesertim cum filius in letalem morbum incidisset, cuius valetudo recreata fuit, accersito Basilio.

Ad extremum alius quidam praefectus Imperatoris, non solum proscriptionem, sed etiam mortem Basilio intentavit. Sed ibi conspecta est benevolentia Ecclesiae erga Episcopum suum, Quia maxima pars civium concurrens flagitavit sibi eum reddi. Quare Tyrannus metu coactus, Basilium illaesum eis restituit.

Interim Valens, cum infeliciter dimicasset cum Gothis, et in fuga abdidisset se in casam rusticam, ibi combustus periit, casa a sequentibus militibus incensa. Hic exitus fuit Valentis, qui pios doctores ex Ecclesiis passim eiecerat, et late Arianum virus sparserat. Estque dignum consideratione, quod modus poenae cum modo delicti tandem congruit. Ipse iusserat comburi 80 presbyteros navibus alligatos. Rursus igitur in casa, in quam se occultaverat, comburitur.

Post eius interitum in tota Asia vagati sunt exercitus barbarici, quorum arma etiam Ecclesiarum tranquillitatem, disciplinam, et studia turbarunt. Quae res haud dubie ingentem dolorem Basilio attulit. Sed aliquanto post, accersito Theodosio, repressi sunt barbari, et Ecclesiae restitutae fuerunt. Bella tamen, mutationum quarundam in praefecturis occasionem praebuerant, sic, ut Cappadocia in duas provincias, et duas metropoles distribueretur, et multa ex priori, novae metropoli adiungerentur. Inde rixae Basilio ortae sunt cum vicinis Episcopis, qui alioqui ei invidebant. Sed usus est ea moderatione Basilius, ut reditus adimi sibi passus sit. Tantum pristinas regiones suae inspectionis retinuit, ne ibi impii doctores collocari possent.

Et haec quidem sunt praecipua, quae ad cursum vitae Basilii pertinent, qui eluctatus ex plurimis difficultatibus et periculis, iam senex, feliciter florente Ecclesia, sub imperio Theodosii, ex hac vita decessit. Moneat autem nos haec tota historia, Ecclesiam non regi humanis praesidiis, et pios doctores defendi mirabiliter a Deo

Ipsas etiam virtutes in Basilio intueamur, quae lucent in eius aerumnis. Fides, quae omnium alia-

rum virtutum mater est, conspicitur in genere doctrinae, et in constantia ipsius, quam in confessione praestitit. Mores eius fuerunt casti et inculpati. In gubernatione, et certaminibus fuit acer et severus custos disciplinae. Inter suos vero animorum conciliandorum et concordiae tuendae artifex fuit. De qua ipse hoc insigni dicto uti consuevit: *Non tam sinistrae, opus esse dextra, quam Ecclesiae opus sit concordia.*

De his virtutibus cogitantes, studeamus singuli nostro loco easdem virtutes exprimere, et adiungamus preces ad Deum et vota, ut faciat nos quoque filius Dei organa suae misericordiae, ne abiiciamur inter vasa irae, qualia fuerunt Valens, Arius, et alii innumerabiles, qui fuerunt pestes Ecclesiae et generis humani. Sed addamus etiam aliquid de ipsa doctrina Basilii, et de certaminibus, quae propter doctrinam sustinuit adversus haereticos. Recte sensit de omnibus articulis Evangelii: et defendit doctrinam symboli Nicaeni. Propugnavit acerrime sententiam veram de filio Dei et de Spiritu sancto. De iustitia fidei docuit homines non propter proprias virtutes, sed propter filium Dei mediatorem iustos esse, ut nunc quoque in nostris Ecclesiis docemus contra Pontificios. Extat in eius concione de humilitate hoc memorabile dictum, cuius consideratio piis grata esse debet. *Haec est vera et integra gloriatio in Deo,* inquit, *quando neque propter iustitiam suam quispiam effertur, sed statuit se carere vera iustitia: Fide autem sola in Christum iustificari.*

Dimicavit cum Samosateni reliquiis, cum Arianis, cum Novatianis, cum Manichaeis; Istae pestes tunc vagabantur in Ecclesia, sicut omnibus temporibus alia atque alia contagia grassantur.

Quod fuit discrimen inter Samosateni et Arii dogma? Samosatenus sensit idem, quod nostro tempore Servetus: λόγον non esse ὑφιστάμενον, et Christum tantum esse hominem, et tunc primum coepisse, quando natus est ex Maria virgine. Huius Samosateniani dogmatis defensionem suscepit Photinus, contra quem celebrata est Synodus in Syrmio, in Pannonia sub Constantio. Et manserunt reliquiae etiam temporibus Basilii.

Ariani fatebantur λόγον esse personam, sed dicebant esse creaturam primam, Negabant filium esse genitum ex substantia patris, negabant esse ὁμοούσιον patri. Ista haeresis admodum duriter concussit orbem terrarum, ita ut maxima pars Orientis defecerit ad hanc sectam, sicut adhuc Turcae et omnes Mahometistae hac labe infecti sunt. Imo Mahometismus natus est ex Arianismo. Constantinopolis hodie est cloaca Arii, ubi olim fuit Ecclesia, quam valde in suis scriptis laudat Basilius. Magna haec res fuit, quod pauci aliqui defenderunt puritatem huius articuli, quod λόγος sit persona, et sit ὁμοούσιος patri. Non potuisset haec vera sententia retineri, nisi pauci illi confirmati fuissent divinitus.

Qui fuerunt Novatiani? Qui negabant lapsos recipiendos esse in Ecclesiam; Negabant annuntiandam esse remissionem peccatorum enormiter lapsis. Iidem dicti sunt καθαροί. Basilius eos refutat in concione de filio prodigo, ubi et hoc dicit, μόνον θέλησον, καὶ θεὸς προαπαντᾷ. *Tantum velis et Deus praeoccurrit.* Sicut pater occurrens filio revertenti ad ipsum, involat in eius collum, et amplectitur eum.

De Manichaeis dixi antea, cum de Polycarpo dicerem. Horum errores revera insulsi fuerunt. Et tamen late fuerunt sparsi, praesertim per Africam et in Aegypto. Credo Basilium propter Manichaeos scripsisse Enarrationem Operum sex dierum, seu Operum creationis. Item concionem, *quod Deus non sit autor mali culpae,* id est, *peccati.*

Insigne est etiam illud dictum Basilii, contra necessitatem Manichaeam, seu coactionem voluntatis in conversione: πᾶσα κατόρθωσις παρὰ θεοῦ ἐστι δέχεται δὲ προθυμίᾳ ἀνθρώπων. *Omnis recta effectio est a Deo: Sed sic accipitur, cum promptitudo accedit voluntatis nostrae.* Item. οὐδὲ γὰρ ἡ περὶ τὰ καλὰ τῶν ἀνθρώπων ἐγχείρησις δίχα τῆς ἄνωθεν προκόπτει, οὐδὲ ἡ ἄνωθε χάρις ἐπὶ τὸν μὴ σπουδάζοντα παραγένοιτο ἄν. *Non proficit conatus hominum sine auxilio divino: Neque coelestis gratia adest illi, qui non obtemperat vel qui se non accommodat trahenti gratiae.* Est idem, quod alias dicitur *Praeeunte gratia, comitante voluntate.* Deus nos trahit. Sed nos non debemus repugnare, non indulgere peccatis contra conscientiam.

Hodie dicunt aliqui: *Homo habet se repugnative ante, in, et post conversionem.* Sed committunt fallaciam a dicto secundum quid. Alia est pars in homine nondum sanata, Alia pars incipit sanari. In hac sanatione fit aliqua renovatio, ut voluntas iam incipiat obtemperare: Excitate vos ad auditionem, et cogitationem verbi, agite poenitentiam, et addite precationem. Haec sunt utiliora conscientiis, quam illae horridae disputationes: cum dicunt aliqui: *Homo habet se pure passive.* In Apocalypsi dicitur: *Ecce ego sto ad ostium et pulso, et ingredior, etc.*

DOMINICA V. POST EPIPHANIA.

De Zizaniis.

Matth. 13.

In isto Capite Matthaei sunt multae parabolae de Ecclesia. Hanc enim vocat Christus *regnum coelorum*, Intelligit autem Ecclesiam in hac vita, et quidem Ecclesiam visibilem, de qua scitis nos tradere hanc definitionem: *Ecclesia visibilis in hac vita, est coetus visibilis amplectentium incorrumptam Evangelii doctrinam, et recte utentium Sacramentis: In quo coetu filius Dei efficax est, et voce Evangelii, et Spiritu sancto multos regenerat ad vitam aeternam: In quo tamen coetu sunt multi non Sancti, sed tamen de doctrina consentientes.*

Explicatio definitionis Ecclesiae.

Haec definitio congruit ad parabolas illas, quas Christus in isto capite Matthaei proponit: Imo inde sumpta est. Ille scurra Berlinensis declamitat contra me, quod dicam, *Ecclesiam esse coetum visibilem.* Ego vero ideo sic dico, Quia Ecclesia non est Idea Platonica: et quia magna fieret confusio, si nemo monstrare possit coetum, quem audire, cui adiungere se debeat. Item, quia expresse damnari volo errones, qui non volunt esse membra Ecclesiae externae.

Sic autem ille argumentatur:

Quod creditur, non videtur.
Ecclesiam esse creditur.
Ergo Ecclesia non videtur, non cernitur oculis.

Respondeo ad Maiorem: *Quod creditur, non videtur.* Verum est de propositione, se de complexo, ut cum dico: In isto coetu sunt electi Dei, hoc complexum, seu haec propositio creditur, sed subiectum, id est, ipse coetus cernitur. Si dicas: Sol est creatura Dei, hoc creditur. Ipse autem sol cernitur oculis. Ita multa subiecta propositionum cernuntur, etiamsi propositio tota non cernitur, sed creditur. Cernis tu te ipsum et alios: Sed non cernis hunc articulum: Te et alios post mortem resurrecturos esse.

Proba, quod Ecclesia sit visibilis. Christus inquit: *Dic Ecclesiae.* Item scriptura docet esse signa monstrantia Ecclesiam, quorum alia incurrunt in oculos, alia in aures. Baptismus, et sumptio Coenae incurrunt in oculos. Professio doctrinae sonat in auribus, sicut Paulus dicit: *Annon audierunt?* Praeterea vult nos Deus discernere docentes: Vult nos seiungi a non recte docentibus. *Si quis non afferet hanc doctrinam, eum non recipite,* inquit Ioannes. Item, *Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit,* ait Paulus. Quomodo vero Ecclesia affligi potest, si non cernitur? Certe Zacharias erat visibilis, quando lapidabatur. Sic Apostoli cernebantur, de quibus Paulus dicit: *Sumus theatrum toti mundo, angelis et hominibus.* Theatrum habet nomen a θεάω, id est, video, contemplor, specto. Hoc oculis cernitur, et auribus percipitur, quod Apostoli circumferunt dogmata, quae sunt distincta ab opinionibus mundi. Sed impii non credunt, illos homines Deo placere. Nero non credit, Paulum placere Deo. Interea tamen Paulus, dicens Neroni: Tu es idololatra, et contaminatus tetris libidinibus, haec inquam dicens, cernitur et auditur.

Sed obiicit ille: An tu agnoscis Christianum, qui est Constantinopoli? Ita, agnosco, si profiteatur doctrinam Christi. Quod si Ecclesia non est visibilis, cur se dicunt esse Ecclesiam, aut membra Ecclesiae?

Etsi autem Ecclesia est visibilis, tamen non est ut regnum Pontificium. Pontifex dicit, Ecclesiam veram esse illum coetum, qui observet ipsius traditionis, et qui sit alligatus ad ipsum, tanquam ad caput Ecclesiae visibile. Neminem iudicat esse membrum Ecclesiae verae, qui non servet ordinationes Pontificum, seu Ecclesiae Romanae, qui non agnoscat Papam, supremum seu oecumenicum Episcopum. Haec est falsa descriptio verae Ecclesiae, Quia hoc ipsum est pars Christianae libertatis, non esse alligatum humanis traditionibus, sic ut tribuatur eis meritum, aut cultus, et ut iudicentur esse quiddam necessarium. *State in libertate,* inquit Paulus. Et, *Ne quis diiudicet vos in cibo et potu.* Item Christus ait: *Regnum Dei non venit cum observatione.* Et, *Si quis dicit, Ecce Christus hic, ecce illic, nolite credere, nolite exire.*

Nec vero oportet unum aliquod esse caput visibile totius Ecclesiae: Nec alligata est Ecclesia ad personas ministrorum, si falsa doceant, Quia dicitur: *Cavete a Pseudoprophetis.* Ecclesia immediate alligata et ad verbum Dei, Et quocunque loco aliquis versetur, qui tenet ac profitetur nativam sententiam verbi, is scire debet, se esse membrum Ecclesiae.

Ecclesia est visibilis sicut ipsa schola, Et tamen plerumque est coetus dissipatus, et miser. Premitur servitute, et vagatur saepe incertis sedibus. Et cum quis sic errat, modo in hoc, modo in alio loco, debet tamen coniunctus esse, et manet coniunctus, si est vere pius, cum vera Ec-

clesia, fide, confessione, invocatione Dei, et voluntate non deserendi societatem Ecclesiae.

Signa Ecclesiae.

Iam si est Ecclesia coetus visibilis: Quas habet notas, quibus agnoscitur, et discernitur a reliquis coetibus, qui non sunt vera Ecclesia? Deus Prophetis et Apostolis, et multis sanctis olim dedit divina testimonia, unde agnosci poterat, quod essent membra, imo et insignia lumina Ecclesiae, ut Paulus habuit testimonium resuscitationis mortuorum. Sed communiter loquendo, Ecclesia habet haec signa universalia: veram doctrinam, cuius summa comprehensa est in Symbolis: Deinde legitimum usum Sacramentorum. Ego soleo addere tertium: Reverentiam ministerii, seu obedientiam debitam ministerio, videlicet, in his, quae sunt propria ministerii Evangelii. Qui non consentiunt in professione, de doctrina: non sunt membra Ecclesiae: ne quidem mortua.

Viva membra nominantur, qui sunt sancti. Mortua membra dicuntur, qui etiamsi non sunt sancti, tamen de doctrina consentiunt. Non sunt vere renati et sanctificati, sed tamen in externa societate sunt inserti huic coetui, qui profitetur doctrinam puram, et retinet usum Sacramentorum a Christo traditum. Ita pinguntur duplicia membra Ecclesiae in parabola de Sagena, in quae sunt boni et mali pisces. *Sagena* significat rete piscatorium, Ein fischernetz. Hostes et persecutores doctrinae verae, quatenus tales sunt et manent, non sunt membra Ecclesiae verae, neque viva, neque mortua.

Haec generalia primum debetis considerare, cum auditis vel legitis parabolas de regno coelorum, id est, de Ecclesia. Iam iste textus de zizaniis est admodum tristis pictura Ecclesiae: Et tamen inserta est consolatio. Dicit, multum zizaniorum spargi in Ecclesia, dormientibus hominibus, Et tamen superesse bonum triticum, et futuram esse messem, in qua sit discrimen futurum inter zizania et triticum.

Discrimen membrorum Ecclesiae.

Haec pictura docet, quod in Ecclesia visibili, semper sint multi mali seu hypocritae ita admixti sanctis, ut ante tempus messis seu iudicii extremi nequeant extirpari, sine eradicatione ipsius frumenti seu tritici, id est, ut de vera doctrina videantur consentire cum vere sanctis, nec humano iudicio facile ab his discerni possint.

Haec doctrina congruit ad illud membrum definitionis prius traditae: *Quod etsi filius Dei, sit efficax in Ecclesia, et multos regeneret per Spiritum sanctum tamen in coetu externo et visibili multi sint admixti non vere sancti: quorum alii plus, alii minus retinent de doctrina Ecclesiae.* Non iam dicam de infirmitatibus, et turbationibus Ecclesiae, ut hodie videtis, quanta sit in doctoribus et in vulgo securitas, quam stolidi multorum impetus, quam tristes divulsiones ac dilacerationes nostrorum coetuum, in quibus est Ecclesia: De quibus auditis quotidianos gemitus parentum vestrorum, et aliorum piorum ac honestorum hominum. Immoremur autem cogitatione in accommodatione parabolae ad descriptionem diversorum membrorum Ecclesiae.

Manebit coetus aliquis visibilis Ecclesiae, usque ad tempus messis, hoc est, usque ad resurrectionem mortuorum. In hoc coetu bonus homo seu paterfamilias, spargit bonum semen, id est, Ipse filius Dei per ministerium Evangelii est efficax, et voce Evangelii ac Spiritu sancto multos regenerat, et haeredes facit vitae aeternae. Hi sunt triticum enatum ex bono semine, et tamen apparent simul in eodem agro admixta tritico zizania, hoc est, sunt in eodem coetu visibili multi electi, et alii non sancti, sive hypocritae, sive Epicuraei, nec tamen prorsus abiicientes doctrinam Ecclesiae.

Inde fit, ut ante diem messis, vel ante consummationem saeculi, non possint zizania evelli, sine ipsius tritici extirpatione, Quia, donec retinent hypocritae similem confessionem doctrinae, et similem usum Sacramentorum, nec vivunt in manifestis sceleribus, non possunt excommunicatione puniri. Deinde ut maxime profani et Epicuraei, convicti de externis et atrocibus delictis, excommunicari, id est, legitimis iudiciis eiici ex Ecclesia possunt: tamen ministris Evangelii non licet eos occidere, aut cohercere vi corporali, Quia ministerium Ecclesiasticum tantum verbo et excommunicatione punit, ut lapsi retrahantur ad poenitentiam, et sanentur.

Consolatio contra scandala.

Quod si etiam in genere zizania accommodare volumus ad omnis generis scandala, sicut Christus utrumque coniungit in enarratione huius parabolae, cum dicit: *Angeli tollent ex regno filii hominis omnia scandala, et eos qui iniuste faciunt, et conicient in ignem, ubi erit ploratus, et stridor dentium:* Tamen haec quoque scandala (qualia

sunt, corruptelae doctrinae, dissidia docentium, traditiones humanae, contemptus Verbi et Sacramentorum in plurimis, prava exempla vitae et morum) significat Christus non omnia posse in hac vita corrigi.

Non vult autem propterea deseri Ecclesiam, non vult vel doctores vel auditores pios abiicere professionem veritatis et studium retinendae bonae conscientiae propter multitudinem impiorum, vel propter illa tristia spectacula, cum vident cumulari errores, delicta, confusiones magnas, et varias dilacerationes: quae non poterunt humana diligentia tolli omnia.

Fieri quidem aliter non potest, quam ut vehementer perturbentur et doleant pii intuentes, et tantam impiorum multitudinem, et tam tristes confusiones quae semper fuerunt, sunt, et erunt in genere humano, et quidem iis etiam in locis, ubi initia sunt collectionis Ecclesiae.

Ideo pingitur hic affectus multorum, qui cuperent consultum his malis, et zelo quodam intempestivo, quaerunt, utrum tollenda sint zizania? Aliqui etiam vel languefieri in se fidem patiuntur, ut abiiciant confessionem verae doctrinae: vel prorsus segregant se a coetu Ecclesiae, in quo vident tot et tam magna scandala, quemadmodum Anabaptistae conati sunt novas Ecclesias condere, et coetus quosdam suos peculiares colligere, in quibus nihil esset labis, nihil contagii: Monasterienses etiam arripuerunt gladium, ad excindendos malos, ut gloriabantur, et ad populum novum colligendum, et vi corporali propagandum regnum Christi.

His omnibus opponit Christus hoc dictum: *Sinite utraque crescere usque ad messem.* Non vult pios conspectu tantarum confusionum ita offendi, ut languefiat in eis fides, ut deserant Ecclesiam. Multo minus vult doctores, aliena a suo officio facere, arripere gladium, arrogare sibi ius puniendi vi corporali praetextu Evangelii, seu praetextu autoritatis ministerii Ecclesiastici. Denique non vult Apostolos, aut caeteros ministros Ecclesiae sumere sibi potestatem constituendi novi imperii seu regni politici. Interea, quia mentionem facit messis, et ad hanc duraturum esse ait etiam bonum triticum, Consolatur nos, quod conservaturus sibi Deus sit semen aliquod sanctum, et quod ipse facturus sit aliquando segregationem, et finem impositurus malis et scandalis omnibus.

De officio Magistratuum: et Ministrorum Ecclesiae.

Iam hic quaeritur: Utrum voluerit Christus hoc dicto prohibere officia divinitus instituta, tum ministerii Ecclesiastici, cui mandatum est docere, confiteri, arguere, et excommunicare Verbo: tum politicae potestatis seu Magistratuum, quibus praecipitur alibi, ut feriant gladio, et poenis corporalibus afficiant reos externorum delictorum?

Respondeo. Non prohibentur ea, quae ad officium potestatis Ecclesiasticae, et politicae pertinent, sed confusio discriminis horum officiorum prohibetur. Item hoc dicitur: Quod etiam tum, quando utraque potestas facit quod sui est officii, etsi plerumque negligenter facit, tamen in hac vita, nunquam futurus sit talis status in mundo, ut nihil mali restet.

De duplici potestate Ministrorum Ecclesiae.

Habentne ministri Ecclesiae aliquam potestatem? Duplex est potestas ministerii: alia *Ordinis,* alia *Iurisdictionis.* Potestas ordinis est mandatum Christi ad docendum Evangelium, et administranda Sacramenta. Potestas iurisdictionis est iudicium de externis et notoriis delictis, item de corruptelis doctrinae. Haec distinctio fere ad verbum extat apud antiquos scriptores, Et ea uti soleo, in refutando argumento, quo adversarii defendere volunt, enumerationem singulorum delictorum in confessione auriculari, et eam necessariam esse dicunt, ut fieri possit absolutio.

Sic enim argumentantur:

Iudex non potest absolvere, nisi causa cognita.
Sacerdos seu pastor est iudex.
Ergo necesse est fieri cognitionem, ad quam necessaria est Enumeratio, facienda sacerdoti, ut possit absolvere.

Respondeo. Differunt absolutio privata, quae est consolatio coram Deo: et absolutio publica in criminibus, quae sunt notoria. Absolutio privata pertinet ad potestatem ordinis. In hac pastor non est iudex, sed est minister Evangelii habens mandatum, ut Evangelium annuntiet, seu multis seu singulis, ut cum inquit Christus: *Confide fili, Remittuntur tibi peccata tua.* Item, *Remissa sunt ei peccata.* Et: *Fides tua salvum te fecit.* Hac absolutione, quam voce Christi et mandato ipsius annuntiat minister Ecclesiae, confirmatur conscientia et fides exuscitatur, ut homines statuant sibi remitti etiam arcana peccata sua, quae non est necesse scire ministrum, sicut Chrysostomus ait: *Si pudet te confiteri fratri tuo, Confitearis Deo, qui remittit, non exprobrat.* Absolutio vero publica

fit ratione iurisdictionis. Hac recipitur is, qui fuerat reus publicorum criminum, coram Ecclesia. Et in hac oportet causam cognosci, ut possit fieri iudicium de delictis admissis, et exploratio seriae poenitentiae coram Ecclesia.

Quomodo fit executio in potestate iurisdictionis ab Apostolis, Episcopis, et caeteris ministris Ecclesiae? Non vi corporali, sed verbo, id est, excommunicatione legitima, et absolutione serio poenitentium. Nam potestatis Ecclesiasticae est, non vi corporali, sed tantum verbo arguere homines, Quia regnum Christi est regnum spirituale, quod solo verbo sine gladio regitur.

Magistratus autem, seu potestas politica habet ius gladii, quia praeest regno mundano, quod longe aliud est, quam regnum Christi.

De discrimine potestatis Ecclesiasticae et politicae.

Recense discrimina inter potestatem Ecclesiasticam et politicam. Differunt hae potestates, quatuor modis. Primum obiectis. Ministerium Evangelii arguit et sanat corda. Magistratus circa externam disciplinam tantum versatur, quam tueri debet.

Deinde differunt beneficiis. Potestas politica habet autoritatem suas quasdam leges condendi, non pugnantes cum iure naturae, sed quae sint determinationes circumstantiarum, et sint quasi adminicula iuris naturalis, quod loquitur de genere: cum ius positivum addat circumstantiam aliquam, probabili ratione, non necessario definitam.

Ius naturae docet in genere, fures puniendos esse. Gubernator politicus addit speciem, videlicet, modum poenae, in quo constituendo sequitur probabilem rationem, secundum diversitatem ingeniorum, et gentium, quarum aliae aliis sunt ferociores. Item lex naturae dicit: Filii et filiae sint haeredes parentum. Sed lex magistratuum discernit, quae res tantum ad mares transmittantur, quae ad puellas, et habet probabilem rationem.

Minister Ecclesiae non habet similem potestatem condendi leges, quae necessario obligent Ecclesiam: Quia hanc libertatem Deus sanxit, ut ritus externi, humana autoritate instituti in Ecclesia, etiamsi sua natura sint indifferentes, tamen nec iustitia, nec cultus Dei sint, nec violatio illorum extra casum scandali peccatum sit.

Tertia differentia est. Non eadem beneficia praestat utraque potestas. Per ministerium Evangelii Deus dat aeterna bona, remissionem peccatorum, Spiritum sanctum et vitam aeternam. Magistratus conservat pacem et disciplinam honestam, iuxta utramque tabulam: nec progredi ulterius potest.

Quarto differunt modo executionis in poenis. Magistratus politicus cohercet vi corporali. Sed Ecclesiastica potestas tantum punit verbo, scilicet legitima excommunicatione.

Hae discrimina semper in conspectu esse debent, et potestas utraque metas sui muneris nosse et tenere debet.

Mandata Dei de officio Ministrorum Ecclesiae.

Proba: Quod hoc dictum: *Sinite sizania crescere,* non sit ita intelligendum, ut tollantur officia potestatis Ecclesiasticae vel politicae. Primum de ministerio Ecclesiae manifestum est, mandari in sacris literis, ut ministri Evangelii recte doceant, pie confiteantur, refutent errores doctrinae et cultuum, arguant delicta, et inobedientes seu peccantes atrociter ac pertinaciter legitimo modo eiiciant ex societate Ecclesiae. Hoc officium recte docendi, et conservandi disciplinam Ecclesiasticam, necesse est retineri in Ecclesia, etsi modus disciplinae non omnibus in locis una et eadem ratione institui aut servari potest. Ideo dicitur, Matthaei ult. *Ite, docete omnes gentes.* Et Ioan. 20. *Sicut misit me pater, ita ego mitto vos.* Item Galat. 1. *Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit.* 2. Timoth. 4. *Insta, tempestive et intempestive, opportune et importune, Argue, increpa, exhortare.* Item ad Titum 2. *Loquere et exhortare, et argue cum omni imperio.* Ubi Imperium significat comminationes divinas ex verbo Dei. Ac Paulus idem his verbis docet, ut si dicas, Potestatem Ecclesiasticam posse imperare in iis, quae sunt iuris divini, eique necessario obediendum esse. Id enim monet vox ἐπιταγή, qua Paulus utitur, Nec temere mirari aliquis possit, quod non in ipso Paulo quoque damnent hanc formam loquendi illi, qui non volunt dici a nobis: Novam obedientiam seu bona opera esse necessaria.

Praeterea expresse dicitur de excommunicatione 1. Corinth. 5. et Matth. 18. *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi velut Ethnicus et Publicanus.* Item ad Titum 1. ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως. *Argue seu refuta eos severe.*

In Graeco ἀποτόμως, est ita praecise et arcte refutare adversarios, ut nullum sit ipsis effugium. Nam ἀπότομον significat praeruptum, unde non est effugium: ut si quis urgeatur in fuga, et veniat ad praecipitium, ubi non potest fugere diutius, nisi velit praecipitem se dare.

Mandata Dei de Officio Magistratus Politici.

Deinde de officio politici Magistratus, ut puniat blasphemos, et curet populis doctrinam Ecclesiae sine blasphemiis tradi, similiter sunt manifesti textus sacrae scripturae. Levit. 24. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Rom. 13. *Magistratus sit timori malo operi, et honori bono.* Psalm. 2. *Et nunc reges intelligite, et erudimini qui iudicatis terram, Osculamini filium, ne irascatur.* Ps. 24. *Aperite portas principes vestras, et aperiamini portae,* id est, *imperia mundi, ut introeat rex gloriae.* Et de idolis scriptum est Deuter. 12. *Idola destruite, et aras eorum delete.*

Haec manifesta mandata divina, confirmant officia ministrorum Evangelii, et potestatis politicae: Et interpretationem his verbis addunt: *Sinite utraque crescere:* Videlicet, quod prohibeantur non ipsa officia, sed confusio officiorum. Unde sequitur, sanciri hanc distinctionem officiorum, scilicet, ut Ecclesia doceat et iudicet, sine vi corporali: Magistratus autem politicus gladio puniat blasphemos, periuros, Magos, Et in haeresium diiudicatione non sit Tyrannus, neque Midas, sed audiat Evangelium, intersit cognitioni, tanquam membrum Ecclesiae, sicut interfuerunt Synodis Christiani Imperatores Constantinus Magnus uterque Theodosius et Martianus.

Vera et nativa sententia dicti:

Sinite crescere Zizania.

Haec igitur summa sit doctrinae et consolationis in hoc dicto: *Sinite utraque crescere usque ad diem messis,* ne Ministri Ecclesiae, quales erant etiam Apostoli, aliena a suo officio faciant: Et ne deserant Ecclesiam, nec abiiciant munus recte docendi, etiamsi Diabolus perrexit errorum semina, et scandala morum spargere ac propagare, quae non poterunt humana diligentia omnia tolli, utcunque et doctores officium suum faciant, et Magistratus pius suo loco, eis opem ferat. Est enim furor, imaginari, quod ad potestatem politicam prorsus non pertineat cura, ut Deus recte agnoscatur et invocetur, cum dictum sit Psal. 82. *Ego dixi: vos Dii estis,* id est, gerentes officia divina, quorum primum est, Deum recte agnoscere et invocare.

Martialis scripsit: *Principis est virtus maxima, nosse suos.* Sed eleganter Stigelius hunc versum sic correxit: *Principis est virtus maxima, Nosse Deum.*

An recte tollantur e medio homicidae et alii sontes.

Hinc refutatio sumatur vulgarium illorum argumentorum: ut cum ratiocinantur aliqui:

Zizania non sunt tollenda.
Blasphemi, adulteri, sunt Zizania.
Ergo non sunt e medio tollendi.

Respondeo.

Concedo totum argumentum, quod attinet ad ministerium verbi. Sed non quod ad civilem potestatem. Magistratus enim est, *qui gestat gladium,* ut Paulus inquit, *in terrorem malis, ut puniat eos vi corporali.* Item, *Lex est iniustis posita.* Et causae poenarum civilium sunt: 1. Iustitia Dei, 2. Exemplum, 3. Pax publica et Ecclesiae tranquillitas.

Mahometus deridet doctrinam Christi, quod sit inermis. Id verum est de ministerio Evangelii, cui Christus non tribuit potestatem interficiendi homines gladio, aut constituendi novum imperium, sicut Mahomet dicit: *Si quis dixerit aliquid contra Alcoranum, morte moriatur.* Hoc non sanxit Christus, quod ad ministros Evangelii attinet: Quos non iussit gladio tollere contradicentes, sed excommunicare verbo.

An haeretici sint interficiendi.

Postea est alia quaestio, an liceat Magistratui tollere haereticos, Item punire gladio blasphemias. Hic obiicitur:

Potestas politica non potest iudicare corda.
Haereses et blasphemiae sunt peccata cordis.
Ergo Magistratus non debet ista punire gladio.

Item.

Eiusdem potestatis est punire non obedientem, et cogere ad obedientiam.

Potestas politica non potest quenquam cogere ad fidem.

Ergo nec punire potest non credentem.

Male igitur fecit Carolus Magnus, qui coegit Saxones ad doctrinam Christianam. Male fecit Theodosius, quod clausit templa idolorum, quod prohibuit idolorum sacrificia.

Respondeo ad Minorem.

Magistatus non potest cogere ad credendum: Sed tamen potest facere, quod sui est officii, videlicet, regere et cohercere Locomotivam: id est, tollere externam idololatriam et blasphemiam.

Potestas politica non potest te cogere, ut non ames alterius coniugem. Sed potest te fatuum collocare in carcerem, ne attingas eam. Potest te caedere virgis, aut decollare, postquam attigisti. Sic potestas politica mandato divino debet cohercere eos, qui currunt ad idola, debet prohibere externas blasphemias, ut si quis dicat, Quod omnia fiant necessario et coacte, bona et mala. Norimbergae erant quidam fanatici, qui passim in populo dicebant, se non esse Christianos, nec credere posse, quia nondum sentirent, se rapi et cogi ut credant. Eos Senatus expulit ex civitate, et iuste fecit: Quia omnes debemus nos coniungere Ecclesiae et profiteri, nos esse auditores Evangelii, et repugnare diffidentiae, et petere a Deo, ut adiuvemur. Qui dicit, se nolle esse membrum verae Ecclesiae, ostendit se esse blasphemum, hostem, et adducit alios in dubitationem.

Eadem solutio est et huius argumenti:

Cogitationis poenam nemo patitur.

Ergo magistratus non potest punire cogitationes mentis, praesertim cum nec dare assensionem possit.

Item.

Solus Deus flectit corda.

Religio est in corde.

Ergo non pertinet ad Magistratum, aliquid agere de religione.

Respondeo.

Magistratus non punit tacitas animi cogitationes. Sicut non punit interiorem cogitationem et affectum latronis, donec latet. Sed punit factum et conatum latronis. Cicero inquit: *Consilia factorum puniuntur.* Id sic intelligendum est, consilia, scilicet, cum conatu. Sic Magistratus non punit, quae ad religionem pertinent, scilicet, quatenus est in corde, sed non quatenus est in externa professione, sermone, et factis erxternis.

Sed obiicitur rursus.

Nemo debet punire, nisi re iudicata.

Magistratus autem non est iudex: Quia non intelligit controversias religionis.

Ergo Magistratus non debet punire huic vel alteri religioni addictos.

Respondeo ad Minorem.

Solus Magistratus non est iudex. Et cognitio est Ecclesiae. Sed cum sit Magistratus membrum Ecclesiae, debet esse in cognitione ordinaria, una cum caeteris membris Ecclesiae. Deinde re ordine iudicata, id est, cum ostensum est, aliquos impia docere et pertinaciter defendere, faciat Magistratus ea, quae sunt officia gubernationis politicae. Puniat blasphemos, et caveat, ne contagia alios inficiant. Semper autem, ut dixi, praecedat legitima cognitio, ut Deut. 17. dicitur: *Si inveneris verum et certum esse.* Item, *Numquid lex nostra condemnat, qui non auditus est?* Ioh. 7. Item 2. Paral. 19. *Videte quid faciatis, Non hominis exercetis iudicium, sed Dei. Sit timor Dei vobiscum. Considerate et facite.*

DOMINICA SEPTUAGESIMAE.

Evangelium Matth. 20.

Simile est regnum coelorum homini patrifamilias, etc.

Magnae sunt disputationes de isto textu. Sed non opus est argutiis illalarum disputationum, si volumus quaerere veritatem, et ea quae conducunt ad aedificationem, id est, ad timorem Dei, et ad fidem, et caeteras virtutes. Multi negligunt illa, quae sunt principalia: Interim curiose inquirunt, quae sunt minus principalia, sicut in universum, non modo in studiis, sed etiam in vita plura sunt πάρεργα, quam ἔργα. πάρεργα sunt, quae vocamus minus principalia: ἔργα sunt principalia. In picturis adduntur πάρεργα propter ornatum. Ac saepe fit, ut principalia minus sint grata in picturis, quam πάρεργα. Ita fit fere in omnibus vocationibus, et in tota vita. Homines plurimum laboris et operae ponunt in non necessariis. Aulae curant suas pompas magis, quam Ecclesiam. In familiis etiam privatis magis curant homines, quae ad pompam et splendorem faciunt, interim negligunt alia necessaria. In studiis fit similiter. Sed revocandi sunt animi ad principalia.

De primo et principali loco, sumendo ex hoc textu.

Summa huius Evangelii est. Minatur Deus superbis et ingratis eiectionem ex Ecclesia. Et congruit haec doctrina cum primo Psalmo.

Etsi enim potissimum loquitur Christus hic de deletione Politicae Iudaicae, et praedicit ministe-

rium ademptum iri his, qui sedebant in ordinaria gubernatione, tamen in genere est imago proposita in hoc textu, quae significat subinde hoc accidisse, ut illi, penes quos fuerit gubernatio Ecclesiae, sint puniti et deleti, et translata sit illa gloria et praerogativa ad alios.

Est igitur historia totius Ecclesiae hic depicta. Alibi dicitur: *Filii Regni eiicientur in tenebras exteriores, et dabitur regnum aliis facientibus fructum.* Eadem comminatio est etiam in hoc textu, Quia enim *scientiam repulisti*, inquit Propheta, *repellam et ego te.*

Episcopi et collegia sacerdotum et Monachorum fuerunt in ministerio, et valde crevit eorum potentia. Sed quia negligunt ministerium et studia, Deus incipit eos punire, et eiicit eos ministerio. Ipse muniunt se quidem praesidiis regum et principum, et quoquo modo conantur stabilire suum statum. Sed nihil efficiunt, quia Deus incipit eos iudicare. Et quanquam nos quoque punimur, quia multa, et magna, et tristia peccata habemus, tamen conservabit inter nos Deus Ecclesiae reliquias, quamdiu inter nos manebit aliquod studium veritatis.

Ideo sit nobis consolationi illa pulcherrima concio in Ezechiele cap. 9. Videt Ezechiel angelum Dei ingredientem in urbem, et signantem quosdam in fronte, quibus postea parcitur. Caeteri qui non sunt signati, interficiuntur. Estque pathetice admodum dictum, quod ibi Dominus inquit: *Parce illis qui gemunt ac dolent super cunctas abominationes,* quasi dicat:

Multi sunt in populo, non quidem valde pugnantes, quia aut non possunt multum pugnare, aut impediuntur multipliciter. Aliqui forte non integre didicerunt, et habent aliquos errores.

Alii etsi intelligunt doctrinam, et cupiunt aliquid facere pro gloria Dei, tamen habent suam quandam infirmitatem, et obiiciuntur eis terrores impedientes confessionem liberiorem, sicut semper multae sunt differentiae hominum etiam bonorum, nec debemus ita superbi esse, ut existimemus nos esse sine erroribus et sine omni peccato.

Sunt in nobis omnibus multa peccata ignorantiae et omissionis etiam non affectatae. Negligentiores saepe sunt ipsi sancti, quam esse debebant. Sed tamen non scientes et volentes stabiliunt errores et idola, retinent utcunque fundamentum, non est in eis odium verae doctrinae, non sunt blasphemi, et habent studium proficiendi in veritate, et gemitu ostendunt aliquam confessionem, optant fieri Ecclesiae emendationem.

Talibus inquit Dominus parcendum esse.

Haec est magno consolatio, quam intueamur nunc in tantis periculis: et sciamus etiam inter ipsos papistas esse tales aliquos pios, gementes propter idola. Alia ratio est illorum, qui scientes oppugnant veritatem, et stabiliunt idola. His denuntiat Dominus exitium. Id in primo Psal. dicitur his verbis: *Impii non stabunt in iudicio,* id est, non manebunt in gubernatione.

Haec est principalis materia huius parabolae. Postea ad multas alias materias potest fieri applicatio. Sed abhibeatur prudentia in accommodando, quia in parabolis et similitudinibus non necesse est omnia congruere: et alius alio concinnius et dexterius applicat. Ego in genere retineo hanc accommodationem, quod sit hic textus reprehensio superbiae et ingratitudinis praecipuorum gubernatorum in isto populo: Et quod simul comminatio hic proponatur adversus omnes ingratos omnium temporum, qui miscent humanos affectus ministerio Evangelii aut caeteris vocationibus, et privatis cupiditatibus praetexunt nomen Dei, nomen Evangelii, nomen Ecclesiae.

Semper hoc Deus fecit in Ecclesia, et facturus est perpetuo usque ad extremum iudicium, ut postquam potentes aliqui incipiunt confidere titulo et nomini Ecclesiae, quaerunt potentiam, autoritatem, opes, condunt dogmata, stabiliunt errores, tandem expellantur a Deo, quantumcunque putent se ita munitos esse, ut excuti non possint.

Id factum est in populo Iudaico multipliciter. Dissipatae sunt decem tribus. Postea tribus Iuda ducta est in exilium. Reges et principes multi miserrime perierunt, et in plebe magnae clades acciderunt, ut videretur Ecclesia fere funditus interiisse, etsi tamen Deus servavit aliquas reliquias, sicut in Esaia dicitur: *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, facti essemus, sicut Sodoma.* Post reditum ex Babylone utcunque restituta est politia; Tandem in extremo excidio Ierosolymae maxime conspicua est abiectio impiorum.

De his exemplis populi Iudaici cum cogitatis, debetis expavescere, et considerare, qualia nobis quoque impendeant, et commonefacti periculis nostrorum temporum debetis esse diligentiores in omnibus rebus, praesertim in studiis et in doctrina, item modestiores ac temperantiores, ut invocatio possit esse ardentior, quia, ut saepe dico, temulenti non sunt idonei ad invocationem.

Imo ex illa temulentia et securitate incidimus magis magisque in poenas, Ante bellum Germanicum gubernatores et subditi vixerunt in magna securitate. Indulsimus nobis plus quam debebamus. Certavimus inter nos ambitione et multis aliis vitiis. Fuit in aulis vita temulenta, sicut de ebriis consiliis Germanorum quidam scripsit in carmine, quod composuit in laudem Caroli Imperatoris:

Consiliis vestris sensit inesse merum.

Invocatio fuit negligens, non fuit ardens stu-

dium recte utendi beneficio Dei, quo concessit nobis lucem Evangelii. Fuit magna negligentia studiorum, ideo dedimus poenas, sed tamen parcit adhuc Deus reliquiis Ecclesiae.

Haec accommodatio parabolae pertinet ad exuscitandum timorem Dei. Iam volumus etiam addere doctrinam de vocatione, quae in hac parabola multis verbis pingitur.

De secundo loco.

Intelligatur Vocatio non tantum de vocatione gentium, sed etiam de diversis renovationibus doctrinae et Ecclesiae, quas Deus mirabiliter efficit, alias in aliis locis et gentibus.

Textus dicit, alios vocatos esse hora prima diei, alios hora tertia, alios sexta, item alios nona, et undecima. Veteres habuerunt horas inaequales, quia quoslibet dies aestivos et hibernos dividebant in duodecim horas. In bruma, singulae horae fuerunt multo breviores quam in aestate circa solstitium. Nos utimur horis aequalibus, quia respicimus non ad quantitatem diei artificialis, sed naturalis. Dividimus diem naturalem in horas 24. Et ordimur horarum numerationem a media nocte, etsi aliquibus in locis usitata est etiam numeratio horarum ab ortu solis, sicut Noribergae habent horologium tale pro operis. Sic veterum horae etiam fuerunt accommodatae ad operas. Prima hora est matutina. Sexta hora est meridiana. Nona illorum hora est nobis tertia pomeridiana. Christus expiravit hora nona, quae est nobis tertia post meridiem.

Magni viri ante meridiem tractarunt consilia et labores necessarios in gubernatione, inde sunt illi versus:

Sex horae tantum rebus tribuantur agendis.
Vivere post illas litera Zetha iubet.

Debebat potius dici: *Vivere post illas dictio ζῆθι monet,* Quia est allusic ad morem numerandi apud Graecos, qui per literas alphabeti exprimunt numeros suos, α. significat unum, β. duo, ε. quinque. Postea inseritur nota ς. quae significat numerum senarium. Inde sequuntur literae ζ. η. ϑ. ι. quae coniunctae in unam dictionem efficiunt illud ζῆθι, id est, vive. Vetustas tantum coenavit, et summo mane surrexit. Iuvenes tamen sumebant ientaculum. Senes coenabant circa horam tertiam, quae consuetudo senibus est valde conveniens.

Nostris gentibus usitatum est mutare noctem in diem potando. Helluantur noctu, mane protrahunt somnum, cum matutinum tempus rebus agendis maxime sit accommodatum.

Hora duodecima fuit veteribus postrema diei. Qui undecima hora accersiti sunt, laborarunt tantum una hora. Veteres historiae plerumque loquuntur de horis istis inaequalibus.

Significat igitur parabola ista saepe restitutum et instauratum esse ministerium in Ecclesia, et credo Christum intueri omnia tempora mundi, quibus subinde restitutum est ministerium Evangelii.

Si quis vult in specie discernere tempora, potest dicere, quod prima hora significet primam illam collectionem seu vocationem Ecclesiae patrum ab Adam, usque ad diluvium.

Secunda collectio Ecclesiae post diluvium, habuit maiores mutationes, sive velis ordiri a Noah, sive ab Abraham, cui est data Circumcisio, usque ad constitutionem Politiae Iudaicae.

Haut dubie prima patrum gubernatio ante diluvium fuit pulcherrima. Fuerunt ibi adhuc paterna Imperia, et illa magna lumina Ecclesiae Adam, Seth, Enos, etc. Vixerunt diutissime, annos octingentos vel nongentos. Hi fuerunt custodes doctrinae et testes operum oc miraculorum Dei. In summa, fuit ibi pulcherrimus status, et quasi adolescentia mundi.

Post diluvium natura hominum facta est languidior et minus longaeva. Abraham et eius posteri collegerunt Ecclesiam in terra Canaan, et in Aegypto, tempore Ioseph. Post cuius mortem Ecclesia fuit oppressa servitute.

Tertia collectio est in constitutione politiae Iudaicae. In qua mirabiles vices fuerunt tempore Iudicum et Regum, usque ad tempora Eliae, post quem abductae fuerunt 10. tribus, et secutum est exilium Babylonicum.

Quarta collectio est a reditu ex Babylone. Hic quoque magna fuit diversitas. Fuit politia utcunque restituta. Postea magnae calamitates fuerunt tempore Macchabaeorum.

Quinto temporibus Christi et Apostolorum coepit colligi Ecclesia etiam ex gentibus, et hoc est tempus novi Testamenti, quod Apostoli vocant horam novissimam. Ab eo tempore rursus mutatae sunt vices. Saepe uno in loco collapsa est Ecclesia. Et alibi instaurata, alias status Ecclesiae fuit squalidior, alias laetior.

Quam fuit tristis collectio Ecclesiae, a Nerone usque ad Constantinum? Quoties postea fuit deformata Ecclesia, et tamen iterum repurgata? Iam post diuturnas tenebras et idololatrias mundi rursus illuxit flamma Evangelii, et quam mirabiliter fit propagatio doctrinae in vicinis regnis?

Haec pertinent ad articulum Symboli: *Credo Ecclesiam sanctam Catholicam.* Semper manet Ecclesia, etiamsi est in variis locis dispersa, et in ista caligine mundi non facile agnoscitur ab ho-

minibus, quia, etsi habet sua signa, tamen ista contemnuntur a mundo.

Cogitemus igitur Deum mirabili bonitate servare Ecclesiam in mundo, et instaurare ministerium, et potenter conservare. Idque mirando modo, et admirabili consilio, sicut inquit: *Ego feci, ego portabo et salvabo, etiam senescentes vos gestabo.* Id manifeste experimur omnibus temporibus. Talis est enim malitia mundi, und non posset stare Ecclesia, nisi a Deo servaretur. Ac fiunt in Ecclesia semper similia, etiamsi in specie, aliqua diversitas est.

Servabatur Ecclesia stans inter aquas maris rubri. Hic status non est idem, caeteris temporibus, quod ad externas circumstantias attinet. Sed non minus miraculum est, quod inter alia pericula, tamen conservatur Ecclesia, etsi non semper eodem modo.

Thucydides inquit de historiis, quod historia sit scriptum, vel oratio non tantum composita ad praesentem agonem, sed thesaurus ad sequentia tempora. Semper enim similia fiunt, etiamsi personae et externa species sit diversa. Nos sumus in iisdem periculis, in quibus olim fuit Ecclesia, nec habemus defensionem humanam: et tamen Deus servat Ecclesiam, et propagat doctrinam sua bonitate et misericordia.

Hoc debet esse infixum animis, ut avertamus oculos a praesidiis humanis, a Regum vel Principum protectione, aut benevolentia. Imo etiam, cum sunt boni aliqui Principes, qui tegunt Ecclesiam, tamen non fidamus protectioni potestatum seu magistratuum, sed fidamus protectioni divinae: petamus, ut Deus gubernet Ecclesiam.

Non est felix fiducia praesidiorum mundanorum, quae facile abducit homines ad corruptelas doctrinae, quae attrahunt poenas, ut quando Pontifices Iudaici inflectebant se ad reges vicinos, ante et post captivitatem Babylonicam, ibi actum fuit de quiete istius populi et Ecclesiae. Quoties accedebant ad aulas Regum, intererant spectaculis, quae fiebant in honorem Iovis, Herculis, Veneris. Postea in gratiam potentum admiserunt similia in populo Dei. Haec mala secutae sunt ingentes poenae.

De tertio loco.

Tertio. Sequitur in parabola descriptio eorum, qui sustinent labores ministerii: *Nos sustinuimus*, inquiunt, *onus diei et aestum.* Haec est pulchra descriptio gubernationis, portare onus, et aestum diei ferre. In gubernatione sunt haec duo incommoda: unum est labor, alterum est anxietas animi. Aestus duplicat laborem seu molestiam oneris. Id verum est in quibuscunque laboribus etiam eorum, qui manu laborant. Sic in gubernatione est onus, id est, labor seu occupatio assidua, quam requirit gubernatio. Deinde aestus est illa anxietas animi, quae oritur ex consideratione periculorum, odiorum, calumniarum, quae mirabiliter excruciant animum.

Cogita de gubernatione Oeconomica. Mater in educatione sustinet magnos labores, alit, gestat, mundat infantulos. Sed accedit subinde angustia animi, et cura ex metu periculorum. Sed difficiliora sunt, quae accidunt in gubernatione politica, et Ecclesiastica, ubi plus est obtrectationum et insidiarum.

Cum contingunt casus adversi, praebetur occasio obtrectandi gubernatoribus. Et verum est: Saepe est aliqua culpa gubernatorum, sed interdum etiam propter peccata populi, puniuntur ipsi Domini.

Multi gubernatores miscent suas cupiditates et affectus, et attrahunt sibi et subditis poenas, etiamsi praetexant alia. Sed magna est saepe iniustitia et iniquitas iudiciorum, quae sunt ferenda, etiam bonis gubernatoribus.

Apud Virgilium libro primo, dicitur de Aenea:

At pius Aeneas per noctem plurima volvens.

Et lib. 8.

Duraque multa suo tristi cum corde dolebat.

Ego vidi manu Ducis Friederici scriptum Latine hunc versum Homeri, undecunque acceperat: *Princeps non dormiat totam noctem, cui exercitus tanti commendati sunt.* Est versus Homeri in 2. Iliad.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Imo ne quidem admittunt curae somnum. Ideo saepe miratus sum, quomodo Heroici illi viri possint nonnunquam dormire, praesertim in adversis casibus.

Non putemus satis hoc esse, ut gubernator vestitu, cibo, potu, dignitate, praeeat aliis, sed hoc est, esse gubernatorem, sustinere onus et aestum diei. Si qui vere sunt gubernatores, istorum est praecipuus labor. Sicut Alexander inquit: *Prodeat aliquis vestrum, qui audeat dicere se tantum oneris sustinuisse, quam ego. Vos fruimini victoriis, mea cura partis.*

Sed Christus in parabola respicit ad gubernatores ordinarios in isto populo. Hi fremunt, quod tulerint onus et aestum diei, id est, pontifices, et sacerdotes, et maiores ipsorum tulerunt maximos labores a temporibus Abrahae, usque ad vocationem gentium per Apostolos: vel certe inde usque a Moise ad Christum annis 1500 fere. Tanto tem-

pore tribus Levitica magnum onus sustinuit, Quia valde difficile fuit, inter tot dissipationes retinere formam aliquam ministerii. Et Deus voluit in ista politia semper esse scholam, in qua conservaretur doctrina.

Propter haec merita sua et maiorum suorum, putant sibi deberi regnum Messiae. Indignantur, quod audiunt, etiam gentes vocandas esse, ac multo magis irascuntur, cum audiunt se reiiciendos esse. Ideo duriter hic reprehenduntur: *An oculus tuus malus est, quia ego sum bonus?* Hic incidit disputatio de denario, Item de mercede danda pro operibus.

De quarto loco.

Denarius propemodum est, quod nos vocamus Ein Schreckenberger. In Cornelio Tacito et aliis scriptoribus saepe fit mentio denarii diurni, qui dabatur militi in stipendium, ita ut singulis mensibus circiter tres coronati penderentur, quia decem denarii constituunt unum coronatum, et coronati tres aequant fere quatuor florenos, quantum pro stipendio adhuc solvitur uni militi, in mensem unum. A militia puto translatam esse consuetudinem, ut etiam in operis quotidie daretur denarius.

Sed quid significat in hac parabola denarius? Respondeo. Labor, de quo hic loquitur, est ministerium, de quo non est dubium. Denarius est igitur id, quod promissum est: ut Iudaeis erat promissus praesens status, hoc est, politia et conservatio illius gubernationis ordinariae iuxta promissiones illi populo traditas. Aliis, qui in eorum locum assumuntur, Denarius est novus status congruens ministerio novi Testamenti, id est, gubernatio et defensio divina, et alia beneficia corporalia et spiritualia, quae Deus dat ad conservationem Ecclesiae et doctrinae propagationem.

Sic in genere intelligite denarium, de munere singulis suo loco et modo dato. Nos non habemus talem politiam, qualem Iudaei habuerunt, nec promissionem de certa sede. Non praecise significat denarius vitam aeternam, sicut multi interpretantur, quia, etsi vocatio ad vitam aeternam, et tota promissio aeternorum bonorum pertinet ad Ecclesiam omnium temporum, et hanc quoque habuit populus Iudaicus, tamen de istis, qui invident gentibus, quod aequentur ipsis, id est, assumantur in societatem Ecclesiae, inquit parabola. *Quod iussi sint exire ex vinea, et quod amiserint gratiam patrisfamilias.* Non igitur per omnes partes similitudinis exponendus est denarius de vita aeterna.

Eiici ex vinea, simpliciter significat amittere Ministerium. Non igitur valet argumentum:

Denarius significat vitam aeternam.
Denarius datur laborantibus.
Ergo minus laborantibus non datur vita aeterna.

Item:

Hic fit mentio mercedis dandae, pro opere.
Ergo bona opera merentur vitam aeternam.

Respondeo per inversionem. Imo ipsa parabola ostendit denarium gratis dari, quia Dominus hic facit aequales primos et novissimos. Quare, si denarius accipiatur de vita aeterna, sequitur, ipsam quoque vitam aeternam dari gratis, non ex merito laboris.

Quoties autem tollitur meritum nostrum, mox disputant homines, quae sint causae bene operandi, seu quid prosint bona opera, si non mereantur vitam aeternam? Hic consideretur primum, quare necesse sit tolli meritum?

Respondeo. Quia cum petimus remissionem peccatorum, et vitam aeternam, necesse est petere et expectare illam propter filium Dei mediatorem Gratis, non propter nos. Sicut Paulus passim inculcat particulas illas exclusivas, *gratis*, *sine operibus*, *sine lege*, *non nisi ex fide*. Et causae alibi saepe recitantur, scilicet, ut tribuatur debitus honos filio Dei, et consolatio sit firma, et conspiciatur discrimen legis et Evangelii, et possit fieri invocatio.

Hanc responsionem necesse est sciri, ut recte intelligatur, quae sit causa impulsiva, id est, quae res moveat voluntatem Dei, quod velit nobis dare remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Postea sunt aliae causae faciendi bona opera, scilicet, finales, ut praestemus obedientiam debitam Deo, et ut Deus celebretur. Haec est prorsus alia disputatio, quam cum quaeritur de causa impulsiva, propter quam accipitur remissio peccatorum, et vita aeterna.

Quid respondes ad argumentum?

Deus remitti peccata gratis.
Ergo non opus fuit compensatione pro nostris peccatis, quae facta est per Christum.

Respondeo. Particula *gratis* excludit nostra merita, non meritum Christi, quia Deus cum sit iustus, voluit habere compensationem pro peccatis nostris, quam cum nos praestare non possemus, Christus pro nobis illam praestitit. Lex, quae est regula iustitiae in Deo, ita est immota, ut oporteat ei satisfieri. Obligat autem lex vel ad obedientiam, vel ad poenam. Quare cum genus humanum violaverit obedientiam debitam legi Dei, lex requirit poenam, quam nemo sustinere potuit, nisi filius Dei.

Haec est admiranda sapientia, cuius causas in tota aeternitate discemus. Interea statuamus magna deliberatione, et sapienti consilio decretum

esse, ut filius Dei fiat victima, et poena in eum derivetur. Nec possumus nos satis intelligere magnitudinem illius poenae, Et quam magna res sit passio, seu mors filii Dei.

Sed quia in mentionem regulae illius incidi: *Lex obligat vel ad obedientiam vel ad poenam:* Quaero, an hoc de lege divina saltem locum habeat?

Respondeo. Est Regula universalis de omni lege. Sume exemplum de lege scholastica. Est lex in hac Academia, ne scholasticus publice gerat gladium. Sic igitur argumentor:

Omnes scholastici iurarunt obedientiam Rectori.
Iste gerens gladium facit contra obedientiam, de qua dedit iuramentum Rectori.
Ergo est periurus.

Respondeo. Lex obligat vel ad obedientiam vel ad poenam. Ita et iuramentum habet hanc vim, ut obliget ad praestandam obedientiam, aut poenam, sicut lege praecipitur, id est, ut aut obediat, aut sustineat poenam, qui iuravit in leges scholasticas. Si est paratus ad poenam sustinendam, non est periurus.

Haec declaratio est utilis, ut recte intelligantur pacta obedientiae. Saepe facit aliquis contra leges, sed estne propterea periurus? Respondeo. Non est, si habet voluntatem paratam ad poenam. Sed potest iudex remittere poenam, ut si furi remittatur suspendium, propter causam aliquam probabilem. At Deus sic est iudex iustus, ut non remittat poenam quadam futilitate. Ideo in filium Dei poena translata est, et propterea clamat tota vox Evangelii, quod remissio peccatorum, et vita aeterna detur gratis propter filium Dei.

Multi ex scriptoribus Ecclesiae vetustioribus crebro utuntur vocabulo meriti, etiam de operibus sanctorum. Voluerunt significare, quod cum sumus reconciliati Deo, inchoentur in nobis bona opera, et quod haec opera mereantur aliquid, iuxta illud: *Merces vestra est copiosa in coelis.* Potest concedi, esse sanctorum opera meritoria, sed non sunt eiusmodi merita, ut propter illa habeamus remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Bernhardus pulchre dixit: *Sufficit ad meritum, scire quod non sufficiat meritum.* Apparet, quod exercuerit eum vocabulum meriti, quod fuit tunc valde usitatum. Ipse dicit: *Sufficit ad meritum,* scire quod oporteat te confugere ad filium Dei, relicto tuo merito. Ac recte opponitur hoc dictum superstitioni Monachorum, qui iactitant merita sua. Ingrediuntur monasteria. Interrogati: Quare? respondent: quia monastica vita meretur vitam aeternam.

Hoc falso sic dicitur, Quia remissio peccatorum, et haereditas vitae aeternae dantur propter Filium Dei: Item quia scriptum est: *Frustra me colunt mandatis hominum.* Tu studes, Quare? an ut hac obedientia merearis vitam aeternam? Respondeo. Non, studium et opera nostra non sunt meritum vitae aeternae. Oportet te credere, quod propter Christum accipias vitam aeternam, non propter tua merita. Ferri autem hoc utcunque potest, si recte declaretur, quod bona opera mereantur praemia etiam in hac vita, quanquam principaliter, illa ipsa praemia dantur ex gratia, cum opera nostra nunquam sint perfecta: Et pulchre dixit Augustinus, Deum sua dona in nobis coronare, Quia et hoc ipsum est donum Dei, quod adiuti per Spiritum sanctum, incipimus bene operari, et quod hanc inchoatam in nobis obedientiam Deus afficit praemiis spiritualibus et corporalibus.

Postremo et hoc verum est: vitam aeternam, etsi datur propter Christum, tamen simul esse mercedem, quia compensat recte facta, sicut patrimonium est merces obedientiae filii, et tamen datur propter aliud, id est, quia filius est, non quia labores sustinuit in familia: cum servus multo plus laborum ferat, nec tamen propterea sit haeres bonorum sui Domini.

De quinto loco.

Iam sequitur, ut dicamus de dicto: *Multi vocati, pauci electi.* Hoc Epiphonema non necesse est, ita stricte interpretari de aeterna praedestinatione. Nam vocabulum Electi hoc loco, et saepe alias simpliciter significat sinceros, non fucatos, non hypocritas, die da rechtschaffen sein. Vulgo usitatum est, nominari electos, qui aeterno consilio praedestinati sunt ad vitam aeternam. Sed in effectu congruunt ista: Nominare electum, id est, non fucatum, et electum, id est, praedestinatum ad vitam aeternam, Quia, si qui sunt sinceri et perseverantes, ii sunt perventuri ad vitam aeternam.

Quid est Vocatio hoc loco seu in hoc dicto? Respondeo. Vocatio est inseri in coetum Ecclesiae, et cum ea consentientem esse, quo ad externam professionem. Vocati ergo sunt, de quibus hic dicitur, qui sunt membra coetus Ecclesiae: seu qui externa professione amplectuntur veram doctrinam. Tu quando audis Evangelium, et dicis te amplecti seu credere symbola, iam es vocatus, id est, es membrum coetus Ecclesiae in externa professione. Quando infans baptizatur, fit membrum Ecclesiae. Et est mandatum divinum, ut aggregemus nos ad coetum vocatorum, et ministerium propterea institutum est, ut fiat vocatio.

Neque tamen omnes vocati, id est, externa professione consentientes de doctrina sunt electi seu ordinati ad vitam aeternam.

Iam quaeritur, quid sit sentiendum de electione, seu quid sit hoc, quod sciam me esse electum? Respondeo. De applicatione Electionis sentiendum est, sicut etiam de iustificatione. Nam sicut statuis te Deo placere propter Filium, cum agis poenitentiam, et credis Evangelio, et non indulges peccatis contra conscientiam: sic etiam statuere debes, quod discedentes ex hac vita cum ista fide sint electi, et sint salvi futuri.

Hanc consolationem de electione oportet nos firmiter retinere, iuxta haec dicta: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Iustificati fide pacem habemus.* Item, *Sis fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae. Qui perseveraverit usque ad finem, salvus erit. Per fidem habemus accessum ad Deum, etc.*

Qui vera fide praeditus est, sine ulla dubitatione statuere debet, se esse iustum et acceptum Deo. Postea si discedens ex hac vita est in fide, seu commendat se Deo fiducia filii, talis sine omni dubitatione est electus.

Potest fieri, ut aliquis ruat in peccatum contra conscientiam, et amittat gratiam, id est, fiat reus irae Dei, et mortis aeternae. Sed si convertatur rursus, non debet dubitare se recipi a Deo, ut David, quando rapuit alterius coniugem, et factus est parricida optimi viri Uriae, horribiliter reus factus est, et meruit iram Dei et condemnationem aeternam. Sed postea revera est conversus, quando obiurgavit eum Nathan.

Idem potest fieri et saepe fit de multis aliis, qui sunt membra Ecclesiae, et habent initia verae fidei, ut labantur: hi tamen recipiuntur in gratiam conversi. Nec approbanda sunt illa Anabaptistica: *Electos non posse labi*, imo etiam electi labuntur, et quidem horribiliter. Erat Aaron vere electus, et tamen consensit populo de Idolo faciendo, et propter hanc idololatriam scriptum est: *Deus voluit conterere eum.* Certe Deus non conterit iustum, sed lapsum. Sed postquam egit Aaron poenitentiam, receptus est et salvatus, sine ulla dubitatione.

Quid respondes ergo ad argumentum?

Electi semper placent Deo.
Aaron est electus.
Ergo semper placet Deo.

Respondeo. Maior est intelligenda de finali salvatione electorum. Haec est simplicissima responsio. Nam electi quoque ruunt saepe in peccatum, propter quod vere displicent Deo. Sed redeunt ad poenitentiam, et ideo institutum est ministerium. Ideo praedicatur Evangelium, ut arguatur peccatum etiam in electis et accendatur fides, qua amplectenda est promissio gratiae in vera conversione ad Deum.

Nec fit conversio, otiosa quadam infusione, sine cogitatione verbi, et sine lucta voluntatis. Tota praedicatio Evangelii, id est, conciones poenitentiae, et promissiones, essent quiddam inane, si expectanda esset otiosa infusio, de qua aliqui disputant.

Sunt autem duo fere, quae obstrepunt cogitantibus de nostri electione et salute aeterna. Primum est cogitatio de merito. Tu ita cogitas. Ego crederem me placere Deo, et esse electum, si essem talis, qualis fuit Abraham, Ioseph, Moises. Haec cogitatio omnes nos turbat. Sed opponamus huic cogitationi, donationem filii Dei. Maius est, tibi donatum esse filium Dei, quam si esses talis, qualis fuit Moises aut Helias, aut quicunque alius quantumvis praestans virtutibus et donis.

Verum difficile est hoc persuadere cordi, quia natura est admiratrix, et amatrix propriae iustitiae et puritatis. Cogitamus, si talis essem vir, qualis fuit Helias, qui tanta miracula fecit, et qui tantas virtutes habuit, hoc esset valde pulchrum, et tunc crederem me esse electum. Sed oportet nos vincere hanc cogitationem, et scire nos gratis propter Filium recipi, et in infinitum maius esse, quod donatus est nobis filius Dei, quam si omnes virtutes haberemus.

Oportet autem filium Dei fide accipi. Et haec res facit differentiam inter illos, qui salvantur et non salvantut. David apprehendit misericordiam Dei, promissam in Filio fide. Saul non apprehendit. Nec tamen apprehensio Davidis est meritum. sed tantum est instrumeutam. Et hoc instrumentum oportet nos simul complecti, quando dicimus de effectu electionis, et salvatione, quia homo non habet se prorsus pure passive, ut aliqui loquuntur, nec est infusio otiosa, sine aliquo lucta nostrae voluntatis.

Alterum impedimentum turbans assensionem de electione nostra, est cogitatio de particularitate. Cogitamus, nos forte non esse in catalogo illorum, quos Deus velit salvos fieri. Huic tentationi opponenda est promissio universalis, quae offert gratiam omnibus, et singulis credentibus. Esset autem horribilis blasphemia, dicere promissionem eiusmodi esse simulatam, ut cum dicitur: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Item, *Deus dives in omnes, qui invocant nomen eius.* Item, *Deus vult omnes homines salvos fieri, et pervenire ad agnitionem veritatis.* Tales multae sunt sententiae in Evangelio traditae, quas considerare debemus, ut certo statuamus promissionem, non tantum gratuitam, sed etiam universalem esse. Sed hic obiicitur:

Voluntas Dei impediri non potest.
Deus vult omnes homines salvos fieri.
Ergo omnes fiunt salvi.

Respondeo ad Minoren. Promissio postulat

fidem, et Deus sic declaravit voluntatem suam, ut velit salvandos accipere promissionem: In quibuscunque autem accendit fidem, et conservat usque ad vitae exitum, hos non vult dubitare de sua salute. Vult ergo Deus *omnes homines salvos fieri*, scilicet, accipientes, non repugnantes. Et huc pertinet, quod Paulus addit: *Vult eos ad agnitionem veritatis pervenire.*

De Maiore etiam sciendum est, Quod de voluntate Dei iudicandum sit nobis, non a priori, id est, ex arcanis consiliis Dei, sed a posteriori, id est, ex verbo eius, in quo declaravit voluntatem suam, quantum nobis prodest ad nostram salutem. Dixerat Deus se deleturum esse Niniven, et tamen ei postea pepercit, quia omnes comminationes habent additam conditionem poenitentiae, iuxta vocem iuramenti divini: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.*

Pharao non agit poenitentiam, ideo deletur, cum quidem dixisset ei Moises. *Age poenitentiam, et bene erit tibi.*

Haec iudico prodesse conscientiis. Et intra has metas contineo me, in istis disputationibus. Addo autem et hoc: Quod, quanquam initia poenitentiae et fidei sunt valde languida in nobis, tamen non ex nostro sensu, et infirmitate, sed ex verbo Dei iubeo homines expetentes consolationem iudicium facere de sua salute.

De aliis sublimioribus disputationibus etiam scriptura parce loquitur, De quibus quod ad applicationem attinet, semper sit nobis haec regula in conspectu: *Nos de electione nostra debemus iudicare a posteriori.* Non est nobis permissum, prius disputare de electione, quam credamus. Sed mentes deducendae sunt ad verbum, quod dicit: *Agite poenitentiam, et credite Evangelio.* Debeo agnoscere peccata et perterrefieri, et petere, ut Deus me convertat, et simul in illo dolore debeo me sustentare promissione gratiae, et scire eam esse, universalem pertinentem ad omnes credentes, et filium Dei non esse vanum legatum, sed veracem, qui dicit: *Venite ad me omnes, etc.* Interim debeo amovere oculos ab ingenti multitudine, quae contemnit verbum, et horribiliter perit.

Semper cogitemus hoc dictum Syracidae: *Quae Deus tibi praecepit, sancte cogita.* Deus non dicit: Prius significabo tibi, an sis electus, postea credas sed vult nos audire verbum et agere poenitentiam, et credere in filium. Qui manet in hac fide, invocatione, et confessione, ille haud dubie est electus.

Quidam respondebat aliquando nobis, cum inculcarem ei, manendum ipsi esse in consolatione verbi patefacti: *Qualis hic Deus esset, qui non posset me damnare?* Haec est vox rationis discedentis a verbo Dei.

Sed non est indulgendum talibus cogitationibus, nec dicendum est: Ego expectabo, donec sentiam illustrem aliquem motum fidei, aut donec certus sim ex singulari revelatione Dei, quod sim electus: Sed quandocunque percutitur animus, agnitione peccati et sensu irae Dei, sciamus nos vocari ad poenitentiam. Et tunc sequamur dictum illud Esaiae: *Omnis qui sitit, veniat ad aquas.* Item. *Calamum quassatum et linum fumigans non extinguet*, id est, Deus recipit etiam imbecilles.

Sciamus esse mandatum Dei, ne maneamus in peccatis contra conscientiam, et in dubitatione, Sed erigamus nos verbo.

Sciamus, Deum velle in nobis esse dolores, et poenitentiam: Sed in illis doloribus debemus nos sustentare promissione, et quando perseveramus in hac consolatione, certo statuamus, nos receptos esse in gratiam, et esse electos. Talis consolatio est testimonium Spiritus sancti in corde, sicut dicitur: *Accepimus spiritum adoptionis testificantem spiritui nostro, quod simus filii Dei.* Et Paulus alibi nominat Spiritum sanctum *Arrhabonem.* Haec iudicanda sunt ex veris exercitiis poenitentiae.

Aliqui nunc vociferantur: *Homo habet se ante, in, et post conversionem repugnative.* Sed quid nisi prophanitatem ista efficiunt? Et si pars aliqua in nobis semper repugnat, tamen aliqua pars coepit sanari. Et Spiritus sanctus opitulatur infirmitati nostrae. Imo nulla est conversio facta, si homo semper et prorsus se habet repugnative. Debemus velle, discere, et audire, quando vocamur. Debemus credere, non indulgere diffidentiae. Debemus veris gemitibus petere: *Converte me Domine, et convertar.* Item, *Auge in nobis fidem. Credo Domine, sed tu opem fer incredulitati meae.*

Reprehendunt iam aliqui, etiam hoc dictum Augustini: *Eos, qui vocationis munus congrua pietate susceperint, et, quantum in se est, Dei dona in sese servant, adiuvat Deus.* Sed idem dicit Petrus: *Facite firmam vocationem vestram.* Verum est, quod Deus servet in nobis sua dona, sed ita servat, ut velit nos non petulanter ea reiicere, iuxta dictum: *Qui secundum carnem vivunt, morientur.*

Est horribile hoc malum in genere humano, quod pauci apprehendunt promissionem, quanquam audiunt: Pauci perseverant in promissione, qui quanquam videbantur satis feliciter incepisse, tamen turbantur, et, evertuntur rursus: vel insidiis Diaboli, vel sua petulantia, et negligentia. Ideo ruunt in aeternum exitium. Hoc non est tribuendum Deo, sed nobis ipsis, qui dicit: *Perditio tua ex te Israel, ex me tantum salus tua.*

Diabolus etiam miris et infinitis artibus implicat homines, ut ruant in aeternam mortem, ut dicitur de Iuda: *Satan intravit in eum.* Posteaquam eum impulerat ad committendum scelus, ut proderet Dominum, postea ita auxit in eo dolores, ut non posset respirare, et absumeretur doloribus illis

Idem accidit Sauli et Cain, qui clamat: *Maior est iniquitas mea, quam ut mihi remittatur.* Nam tales blasphemiae sequuntur, quando cor oppressum est doloribus. Facit Cain regnum Diaboli potentius, quam filii Dei, anteponit peccati sui potentiam divinae potentiae, abiicit totum Evangelium.

In talibus exemplis conspicitur, quantam oporteat esse luctam conscientiae in magnis doloribus, et tentationibus illis Diaboli, quas adolescentes nondum satis intelligunt. Senes aliquo modo sentiunt magnitudinem talium certaminum. Sed tamen iuniores etiam commonefaciendi sunt de his rebus, ut discant vivere in timore Dei, non accersant, neque praebeant occasionem Diabolo insidianti ipsis. Sint diligentes in quaerenda et retinenda veritate, consolentur se hac doctrina in omni vita.

Non est leve periculum in illa imaginatione, quam confirmant Enthusiastae, quasi nemo possit accipere promissionem, nisi Deus violenter eum trahat, Item quod homo prorsus se habeat pure passive, sicut statuae: *Trahit Deus, sed volentem trahit.* Item, *Praeeunte gratia, comitante voluntate.* Talia dicta, quantumvis brevia, sunt regulae utiles in maximis diiudicationibus.

Si homo haberet se pure passive, tum tractatio esset plane violenta, sine ullo nostro motu et lucta, aut certe fieret conversio, ut cum aqua infunditur in dolium. Hae imaginationes sunt deponendae, quas quidem ipsa experientia refutat, quia conversio non fit sine magna lucta, et haec lucta testatur, quod homo non habeat se pure passive. Interim tamen semper hoc manet verum, quod tollatur meritum, sed non, ut nos nihil agamus, verum ut honos tribuatur filio Dei, et promissio maneat certa.

DOMINICA SEXAGESIMAE.

Evangelium Lucae 8

Cum turba plurima conveniret, etc.

Quid significat Sementis? Significatne semen, vel actum serendi? In Genesi legitur: *Protulit terra herbam virentem, et facientem semen, iuxta genus suum, et lignum pomiferum, habens unumquodque sementem, secundum speciem suam.* Hic improprie ponitur sementis pro semine, vel potius pro vi seminali. Sed proprie significat actum serendi, id est, sationem ipsam. Germani nominant, die Saath, quando semen iam coepit pullulare, das ko..n ist auffgangen. Semper debetis quaerere proprietatem significationis vocum.

In Matthaeo dicitur: *Aliud tulit trigecuplum, aliud sexagecuplum, aliud centuplum.* Quomodo hoc intelligis? In hac nostra regione, quae est arenosa, pro uno modio mediocribus annis reddit terra septem aut octo modios. In Thuringia, plaerumque 12. aut aliquanto plures modios reddit pro uno modio. Sed maior est ista fertilitas, cuius mentionem hic textus facit, cum terra affert trigecuplum, aut sexagecuplum, aut etiam centuplum. In historia Isaac narratur: *Deum dedisse ei centuplum, tempore famis.* Ita benedixit ei Deus fruges satas, ut pro uno modio reciperet centum. Sic Plinius scribit, in Libyphoenicum regione cum centesima fruge agricolis foenus reddere terram. In Sicilia quondam agri reddiderunt trigecuplum.

Scopus Parabolae huius.

Ad quod caput doctrinae pertinet haec parabola de Semine? In omnibus concionibus debemus quaerere principalem locum, et eum accommodare ad certum caput doctrinae Ecclesiae. Videndum est enim, qua de re dicatur, et ad quam partem materia referenda sit, utrum ad legem, an ad capita symboli. Nemo utiliter discit, nisi hoc, quod discit, includat in corpus. Ut architectus aedificaturus domum, habet Ideam domus extruendae, inclusam in mente: Ita discentes oportet mente complecti Ideam doctrinarum, id est, principia, progressiones, finem et exitus earum rerum, quas discunt. Oportet te totum corpus doctrinae tenere, non unam laciniam excerpere, et eam lacerare, ut caniculae pannum lacerant.

Vagantur quidam nebulones, turbantes Ecclesiam, ut Schwenckfeld et alii, qui non dicunt de toto corpore doctrinae, non docent homines integre, sed vociferantur de aliquo absurdo et prodigioso dogmate. Excerpunt aliquid ex aliorum scriptis, ut exagitent eos, quos oderunt, et conturbent Ecclesias, ut Schwenckfeld vociferatur contra nos, quod doceamus literam: nimium affixi simus verbo vocali. Ipse deducit homines ad Enthusiasmos, et raptus nescio quos. Talia fiunt, cum non ordine discitur corpus universae doctrinae Ecclesiae. Hoc vero, qui animo inclusum circumferunt, facilius possunt distribuere materias, et referre ad certa capita vel legis, vel Evangelii.

Ista parabola est imago Ecclesiae, et pertinet ad caput in Symbolo: *Credo Ecclesiam Catholicam.* Non dicimus: Credo in Ecclesiam, sicut dicimus Credo in Spiritum sanctum. Particula *in* significat fiduciam, ut cum in primo articulo symboli dicimus: *Credo in Deum, patrem,* et postea: *Credo in filium.* Sic etiam dicimus: *Credo in Spiritum sanctum,* id est, non solum credo esse Deum, sed

confido illi Deo, qui est pater, filius, et Spiritus sanctus, et eum invoco fiducia promissionum suarum. Ich setze mein vertrawen auff jhn, das er mir werde helffen, vnd mich regieren. Ps. 2. dicitur: *Beati omnes qui confidunt in eo, μακάριοι πάντες πιστεύοντες εἰς αὐτόν.*

Quae est sententia horum verborum: *Credo Ecclesiam Catholicam?* An hoc dicitur: Credo omnia, quae Ecclesia dicit? Id vero non sine declaratione accipi potest. Manet veritas in Ecclesia. Sed multi tamen possunt errare. Sententia autem est: Credo esse et manere Ecclesiam, id est, sum certus, quod semper sit Ecclesia, et quod perpetuo mansura sit.

Multi putant, nihil interesse, sive sint Papistae, sive Evangelici, sive Turcae, aut aliis quibuscunque sectis addicti. Item cum vident, nunc hos, nunc alios opprimi, cogitant non posse fieri, quin tandem deleatur Ecclesia.

Contra has cogitationes Deus nos consolatur. Docet esse Ecclesiam sibi placentem, distinctam a colluvie aliarum sectarum; Affirmat etiam se semper servaturum esse Ecclesiam, omni tempore, ut cum in Esaia inquit: *Ego vos senescentes gestabo.* Et Christus ait Matth. ultimo: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Item, *Abbreviabuntur dies propter electos.* Semper igitur est Ecclesia, et erit omne tempore. Erunt adhuc electi in ipso fine mundi.

Haec consolatio proposita est nobis in articulo isto Symboli: *Credo Ecclesiam Catholicam.* Ideoque saepe cogitandus est hic articulus in invocatione, et aliis magnis tentationibus. Tu debes cogitare, quod tenearis credere, quod sit mansura Ecclesia. Debes etiam te includere in Ecclesiam, et te erigere in omnibus periculis hac spe et consolatione: Deus servabit nos et Ecclesiam, etiamsi videantur omnia ruitura et interitura esse.

Videtis, quanto simus in periculo, et quam horribilis sit distractio opinionum et dogmatum, quanta etiam sit distractio hominum, gubernatorum, et principum. Sunt passim tumultus bellorum: Homines incipiunt irasci Deo et verbo eius, abiiciunt doctrinam. Sed nos debemus manere in vera, recta, et salutari doctrina, et retinere hanc spem, mansuram esse et servari Ecclesiam, iuxta articulum Symboli: *Credo Ecclesiam*

De appellatione Symboli.

Quid significat vocabulum Symboli? Non significat idem, quod fides ipsa. Heisset nicht so viel als glaube. Significat ein Kennzeichen, signum ex quo agnoscitur aliquis, ut si quis professus est Symbolum Apostolicum, de eo, quasi ex certo signo iudicari potuit, quis esset, an coniunctus vero coetui Ecclesiae, aut contaminatus aliqua haeresi, vel implicitus sectis fanaticis.

In bellis symbola nominantur, Feldtzeichen. Item, Eine lose, da das Kriegsvolck sich bey kennet, vnd Freundt vnd Feinde voneinander vnterschieden werden. Si quis noctu vagatur in castris, et ignorat, was die Lose sey, quae sit tessera militaris, est in magno periculo, et interficitur, Quia iudicatur esse hostis. Sic igitur et Symbolum Apostolicum est signum professionis, et distinctionis non solum a gentibus, sed etiam ab aliis fanaticis sectis.

De recitatione Symboli.

Cur singuli pii quotidie debent recitare Symbolum? Multae sunt causae gravissimae, cur nos ad quotidianam recitationem Symboli assuefacere debeamus: quas proponam adolescentibus, ut eos, qui ne possunt quidem recitare Symbolum, quales multi sunt etiam inter scholasticos, pudeat negligentiae suae. Est proxima via ad Turcismum et Ethnicismum, negligere recitationem Symboli. Probrum maius est, quam ut satis irasci talibus possim, qui ignorant Symbolum. Quos non mirum est, etiam in aliis rebus bestiali more vivere. Boni et pii viri ad minimum ter recitant Symbolum quotidie.

Quid hoc utilitatis habet? Primum recitatio Symboli redigit in memoriam, ordinem et summam totius doctrinae Ecclesiae.

Deinde est commonefactio de praecipuis Dei operibus, de creatione, de redemptione, de sanctificatione, et de perpetua Ecclesiae collectione.

Praeterea si mens est pia, in hac ipsa recitatione, fit applicatio beneficiorum Dei. Cum dicis: Credo in Deum, cogitare debes, tibi quoque velle esse Deum. Cum dicis: Credo in Iesum Christum, Credo remissionem peccatorum, statuere debes, tibi quoque hunc salvatorem donatum esse, et tibi etiam tribui propter eum remissionem peccatorum.

Memini quendam, qui ante multos annos dicebat, se hac consolatione praecipue confirmatum esse in magnis doloribus.

Est et confessio nostra quotidie ostendenda contra Diabolos pronuntiatione Symboli.

Et cum experimur vel communes aerumnas, vel propria vulnera et pericula nostra, eadem recitatione animus exuscitandus est ad precationem.

Denique cum sentimus nostram imbecillitatem et dubitationes, crebra repetitione Symboli invitamur ad quaerenda et cogitanda doctrinae testimonia, patefactiones divinas, et miracula omnium temporum, ut fides confirmetur.

Propter has tantas utilitates, verba symboli quotidie repetenda sunt.

Addatur et haec causa, quod necesse est nos praeparari ad illum ultimum agonem in articulo mortis, ubi disputatur, non de linea veste, sed *περὶ ὅλης ναός*, de tota navi, id est, disputatur, utrum religio nostra sit vera: An sit aliqua vera Ecclesia distincta a reliquis gentibus et sectis: An nos in ea Ecclesia simus: An placeamus Deo: An habeamus reconciliationem, et haereditatem vitae aeternae.

De his magnis rebus agendum est in illo agone, ad quem ut singuli nos paremus, saepius debemus recitare Symbolum, et in fine addere: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae.

Doctor Hieronymus Schurff, vir sapiens et doctus, ante mortem, cum sentiret naturam morbo vinci, solebat fere singulis horis repetere Symbolum, tanta animi alacritate, ut praecipue illa confessione rigi et confirmari cerneretur.

Eramus ad alium quendam honestum virum nobilem vocati D. Martinus et ego. Is etiam, cum multa esset locutus de Symbolo, dixit: Quoties recito Symbolum, aspicio imbecillitatem meam, et in fine annecto: *Credo Domine: sed opem fer infirmitati meae.*

Multo magis vos pueri assuefacite vos ad recitationem crebram Symboli, Orationis Dominicae, et aliquorum Psalmorum, ut sitis instructi ad omnes tentationes, Quia ista recitatio plurimum confert ad confirmationem pietatis, et consolationem. Deus vult esse paedagogiam, ut inquit Paulus: *Instituite pueros in disciplina et doctrina Domini.* Multi retinent in familiis hanc consuetudinem, ut ego servo, et scio multos doctos hunc morem retinere, ut cogantur adolescentes recitare Symbolum ad mensam, loco gratiarum actionis. Opus est talibus exercitiis, ut homines retineantur in officio. Ubi non est paedagogia aliqua, crescit in hominibus barbaries.

Dixi de appellatione Symboli, et de causis, cur crebro repetenda sint verba Symboli. Apud Comicum est: *Dedit symbolam.* Quid significat symbola in genere foeminino? significat contributionem, seu collationem pecuniae in convivio. Aliqui legunt ibi: Dedit Symbolum, sed debet legi: Dedit Symbolam.

Explicatio articuli de Ecclesia.

Redeamus ad propositum, de articulo Ecclesiae. Unde est Germanicum nomen Kirche? A Graeco *κυριακή*, quasi dicas, dies Dominica *κύριος* significat Dominum, a *κῦρος*, id est, autoritas, praestantia, unde est etiam curia, *κύριον*, id est, autenticum, quod non est vanum, seu irritum, *κύριος* est Dominus, qui habet autenticam potestatem in alios. Der zu gebiethen hat, und anderem mechtig ist.

Autenticum unde dicitur? ab *αὐτὸς*, qui ipse habet in potestate, quod agit, et cui praecipit. Inde venit etiam autor. Non est ab augendo, sed ab *αὐτός*. Ideo non est scribendum per th. *αὐτὸς ὅρων* ipse movens, seu ipse agens, unde venit etiam *ὀρσέω*.

Graecum nomen *ἐκκλησία* significat eine ordentliche Versamlung. Synagoga generaliter significat congregationem qualemcunque sive ordinatam, sive non ordinatam. Sed Ecclesia est ordinata congregatio, ut quando Athenis cives convocabantur in Ecclesiam, (id est, concionem, ut Romani vocabant) erat alius locus Senatorum, alius equestrium, alius promiscuae multitudinis, alius sacerdotum.

Debet vobis notum esse dictum illud: *Ecclesia est sicut castrorum acies ordinata.* Quid significat acies castrorum? Eine Feldschlacht. Non est mei aut tui iudicii. Sed magnae sapientiae praestantium Ducum, recte ordinare aciem ad pugnandum. Non intelligas de castris seu tentoriis, von den Gezelten, sed de militibus collocandis in acie, instructa ad dimicandum.

Ecclesia est ordinata acies, id est, Deus magno consilio ordinavit Ecclesiam.

Cogitate, quam pulcher ordo sit in acie militari. Collocantur in primis ordinibus optimi et praestantissimi milites. Sic Deus in prima acie collocavit Patriarchas: Adam, Seth, Noë, Enoch, Sem, Abraham, Isaac, Iacob. Postea sequitur magnum robur, ut David, Elias, Elisaeus, Esaias, Ieremias. Hi sunt in medio. In postremo agmine est Dux ipse, Christus: sicut in acie Dux partem posteriorem occupat, ut possit omnia in conspectu habere. Sic Christus etiam venit in postrema parte mundi. Et ut in fine aciei rursus collocatur agmen virorum fortium: Sic excitati sunt Apostoli, per quos Evangelium est propagatum inter gentes. Et Christus sedens ad dextram patris, adhuc dat dona hominibus, alios aliis donis instructos, ut sit Ecclesia, non solum coetus ordinatus, propter distinctionem doctorum et auditorum, sed etiam propter dona diversa inter ipsos doctores.

Contra. *An non sumus omnes aequales, quia omnes sumus fratres? Ergo non debet esse distinctio.* Audivi magnas contentiones quorundam de hac re, qui clamabant:

Omnes Christiani sunt aequales. Nec est apud Deum personarum respectus.

Ergo non debet esse distinctio graduum inter Christianos.

Respondeo. Omnes Christiani sunt aequales,

quo ad reconciliationem, seu gratiam, id est, quo ad hoc, quod est necessarium omnibus. Non sunt aequales, quod ad dona attinet, quae dantur divinitus propter alienam seu communem utilitatem, Quia dona dantur propter Ecclesiam.

Sumus omnes unum in Christo: Nec est *προσωποληψία* in Deo, quo ad hoc, quod est necessarium omnibus et singulis. Filius Dei est aequalis erga latronem in cruce, et Iohannem Baptistam. Item erga suam matrem et miseram mulierem, quae ad eum venit in domum Simeonis.

Sed non est aequalitas quo ad dona. Aliis dat filius Dei maiora dona propter communem utilitatem Ecclesiae. Ioseph dat magna dona propter Aegyptum, et familiam Iacobi. Non erant tantis donis fratres eius. Hoc est in Dei potestate, non apud nos. Ipse scit causas. Non est necesse te scire, nec nos debemus inquirere, sicut Christus inquit: *Si volo eum manere, quid ad te? Tu me sequere.*

Singuli recte utantur suis donis, Non disputent, quid de aliis Deus faciat, aut cur aliorum dona sibi non sint data. Quisque maneat in suo officio, et hoc diligenter exequatur. Non rixetur cum aliis, neque invideat eis dona, quae ipsis data sunt.

Etsi me non fecit Deus talem, qualis fuit Alexander Magnus, sed miserum Calmuserum, vel Locatum Witembergensem, ut me vocat Alexius, vel Baccalaureum Kembergensem, ut Islebius me vocat: Tamen iste Baccalaureus Kembergensis pertinet ad regnum Dei, sicut Elias: *Unus et idem Dominus est, dives in omnes, qui invocant eum.* Non sumus aequales quo ad dona, sed quo ad gratiam: Quia omnes recipimur gratis, propter filium Dei.

Sic igitur dico: Ecclesia est congregatio ordinata, etiam propter hanc causam, quia sunt gradus distincti officiorum et donorum. Synagoga Iudaica fuit commixtio politiae et Ecclesiae. Sed voce Ecclesiae intelligitur populus spiritualis novi Testamenti, quidquid etiam sit de ceremoniis, quae sunt externum quiddam, ubi non necesse est esse similitudinem, in populo veteris et novi Testamenti.

De appellatione Ecclesiae Catholicae.

Quid significat Catholicum? Significat idem, quod Universalae. *καθ' ὅλον* est universaliter, allgemein. Regem Galliae nominarunt Christianissimum. Sed ne inferior esset rex Hispaniae, tribuerunt ei nomen Catholici.

Cur additur hoc Epitheton in articulo Symboli, ut Ecclesia nominetur Catholica? Quia est coetus ubique terrarum passim dispersus, Et quia membra eius, ubicunque sunt, quantumvis locorum intervallis disiuncta, in externa tamen professione amplectuntur unam et eandem omnibus aetatibus, ab initio usque ad finem, verae doctrinae vocem.

Opponitur hoc Epitheton nominatim illorum imaginationibus, qui Ecclesiam novi Testamenti includunt certis locis, ut Donatistae fingebant suos coetus tantum esse Ecclesiam, in illo angulo Aphricae, ceu unis et iisdem parietibus et moenibus inclusam.

Deinde opponitur haec vox sectis omnibus, alienis a vera Ecclesia, id est, Excludit omnes haereticorum factiones, qui discedunt a doctrina prophetarum et Apostolorum, et corrumpunt nativam sententiam huius doctrinae, quam Ecclesia vera omnium temporum professa est in Symbolis: ut exempli causa, Manichaei discerpebant scripta Biblica, quaedam retinebant, quaedam abiiciebant, faciebant novum Evangelium. Postea multo magis discedebant in multis articulis a doctrina Ecclesiae recte sentientis. Sic Ariani, Samosateniani, et alii quaesiverunt sententias pugnantes cum Symbolis, et cum verbo, quod amplexa est Ecclesia per totum orbem.

Nostro tempore Servetus astutissime excogitavit depravationes articuli de persona Christi, quas cum legisset Friedericus Myconius, memini eum multum cruciari. Sed eluctabatur tandem, et quaerebat testimonia scripturae, et consensum Ecclesiae veteris, recte sentientes, quod *λόγος* sit *ὑφιστάμενον*, et non verbnm evanescens.

Sectae fanaticorum, et factiones damnatae non sunt Ecclesia Catholica. Ille coetus est Catholicus, qui amplectitur communem consensum doctrinae Propheticae et Apostolicae, iuxta sententiam verae Ecclesiae. Sic in nostra confessione profitemur nos amplecti totam doctrinam verbi Dei, cui Ecclesia dat testimonium, et quidem in eo sensu, quem ostendunt Symbola.

Papistae falso se nominant Catholicos, quia non retinent doctrinam incorruptam Verbi, iuxta consensum purioris Ecclesiae veteris. Et ipsi tamen audent nostras Ecclesias damnare. Sed iniuste damnant: Debebant prius ostendere, quod nostra doctrina pugnet cum Dei verbo, et cum confessione Ecclesiae Orthodoxae, quae fuit ante Papatum.

Ego habui quendam affinem, qui erat paterfamilias valde sapiens, sed erat iniquus admodum doctrinae nostrarum Ecclesiarum. Is dicebat nostram doctrinam simpliciter pugnare cum his articulis Symboli: Primum contra Ecclesiam Catholicam, quia detraheremus aliquid de dignitate Ecclesiae Romanae. Secundo, Contra sanctorum communionem, quia prohiberemus sanctorum invocationem. Tertio, Contra articulum de remissione

peccatorum, quia tolleremus confessionem usitatam, in qua facienda sit enumeratio delictorum, et imponenda satisfactio. Haec ille sic obiiciebat pro sua sapientia. Sed non recte interpretabatur hos articulos.

Ita Papistae damnant ministros nostrarum Ecclesiarum, quia uxores ducant. Ipsi dicunt, hoc esse contra consuetudinem receptam. Quaero, utrum nostri propterea sint damnandi? Utrum eiici debeant ex Ecclesia? Imo ipsi Papistae docent contraria Evangelio. Et in his non sunt audiendi, quia *oportet Deo magis obedire, quam hominibus.*

Qui sciens et volens persequitur veritatem, et pertinaciter defendit idola, sicut faciunt multi ex Papistis, ille sine dubio non est membrum Ecclesiae. De talibus dictum est: *Vos ex patre Diabolo estis.* Quantumvis igitur nominent se Catholicos, tamen falso gloriantur de hoc nomine. Nam quia scientes pergunt adversari veritati monstratae divinitus, sunt blasphemi et parricidae, et pugnant non tantum cum hominibus, sed etiam cum Deo ipso.

Quid est ergo Catholicum esse, ut illi nominarunt olim reges quosdam Catholicos? Aliud est dici Catholicum, aliud revera esse Catholicum. Ille vere nominatur Catholicus, qui amplectitur doctrinam, quae est Ecclesiae vere Catholicae, id est, quae habet testimonium omni tempore, omnibus aetatibus, quod sic sentiat ut Prophetae et Apostoli docuerunt, Item qui non tolerat factiones, et haereses, vel haereticorum coetus. Omnes debemus esse Catholici, id est, amplecti hoc verbum, quod tenet Ecclesia recte sentiens, aliena a sectis, seu non implicita sectis pugnantibus cum illo Verbo.

De Epitheto Sanctae Ecclesiae.

Cur nominatur in Symbolo Ecclesia Sancta? Dicitur in hac vita Ecclesia Sancta κατὰ συνεκδοχὴν, quia vere filius Dei in ea regnat, et multa sunt membra sanctificata Spiritu sancto, et electa ad vitam aeternam. Etsi igitur multi alii sunt in externo coetu Ecclesiae, non sancti, tamen a principali fit nuncupatio. Et membra sanctificata usitate nominantur viva membra Ecclesiae. Caeteri vocantur mortua membra, si tamen de vera doctrina consentiant.

Qui palam idola defendunt, aut aliquem articulum fidei evertunt, nec volunt cedere veritati, cum eis demonstratur, imo qui scientes persequuntur veritatem, ut Papistae defendentes adorationem panis, et mercatum Missae, Item invocationem mortuorum, Item Delentes doctrinam de fide gratis accipiente remissionem peccatorum, Tales blasphemi etiamsi dominantur in Ecclesia, tamen non sunt membra Ecclesiae, nec viva, nec mortua, sed, ut antea dixi, prorsus existimandi sunt esse hostes Dei et Ecclesiae: Et anathemata, sicut Paulus inquit: *Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.*

In antiquo Symbolo non est addita illa clausula: *Credo sanctorum communionem:* Sed est haud dubie interpretatio superiorum verborum: *Credo Ecclesiam Sanctam Catholicam.* Aliqui sic intelligunt: Credo Ecclesiam coelestem, et hanc quae in terris est, consociatam ei esse eodem Spiritu. De hac expositione non volo serere contentiones, Quia angeli, et homines electi, qui sunt in coelo, sunt consociati nobiscum in Spiritu: Orant nobiscum, sunt soliciti pro nobis, laudant, confitentur Deum, agunt gratias Deo, sicut nos.

Sed simplicissimum est dicere, interpositam esse hanc particulam, tanquam interpretationem praecedentium verborum, de Ecclesia Sancta, Catholica, quae in hac vita et in his terris adhuc colligitur.

Definitio Ecclesiae, eiusque explicatio.

Iam venio ad ipsam definitionem Ecclesiae. Quid est Ecclesia? Est coetus visibilis amplectentium Evangelium, et recte utentium Sacramentis, in quo coetu filius Dei per ministerium Evangelii vere est efficax, et multos regenerat voce Evangelii et Spiritu sancto, et facit haeredes vitae aeternae, etsi aliqui mixti sunt non Sancti, sed tamen de vera doctrina consentientes.

Primum repetite solutionem vulgaris obiectionis:

Quod creditur, est invisibile.
Ecclesiam esse, creditur.
Ergo Ecclesia est invisibilis.

Item:

Nihil creditum videtur: seu, Nullus articulus fidei est visibilis.
Est autem hic articulus fidei: Credo Ecclesiam Sanctam Catholicam, non oculis, sed fide accipiendus.
Ergo Ecclesia non videtur, non conspicitur, sed est invisibilis.

Respondeo. Quod est credendum, est invisibile. Maior est vera de propositione, seu de complexo, non de subiecto propositionis. Sic articuli fidei, id est, propositiones quae sunt in Symbolo, non sunt visibiles, non conspiciuntur oculis credentium. Sed tamen subiecta harum propositionum

saepe sunt visibilia: *ut Sol est conditus a Deo.* Nonne est vera propositio, et est credita? Et tamen vides Solem.

Ita est articulus fidei, quod futura sit huius mundi conflagratio, Item quod secutura sit resurrectio mortuorum hominum. An igitur mundus ipse est invisibilis? An non multos homines cernis in hac visibili consuetudine, quos rursus in glorificatione Ecclesiae laeti cernemus et complectemur?

Sic igitur creditur haec propositio: Ecclesia est populus Deo placens. Item, Ecclesia est mansura. Videsne Ecclesiam esse mansuram? Non, Quia futurum cerni non potest. Credisne? Ita, Quia Deus promisit, se semper conservaturum esse aliquam Ecclesiam.

Estne articulus fidei, quod putas re cras victurum? Est bona opinio. Es adolescens, et es praeditus bona valetudine, Ideo cogitas, etiam cras habiturum te esse vitam. Haec est opinio, et est satis bona. Sed non est fides. Credisne illam propositionem: Tu places Deo, Tu exaudieris a Deo? Ita. Neque tamen tu propterea es invisibilis. Nonne Petrus videbat Christum? Ita. Videbat coram aestantem. Sed illam propositionem credebat, cum diceret de Christo: *Tu es Christus, filius Dei viventis.*

Sic multa subiecta articulorum fidei sunt visibilia, etiamsi propositiones ipsae non possunt cerni oculis, sed apprehenduntur fide. Complexum (id est, haec propositio: Quod semper in genere humano sit et servetur Ecclesia) est articulus fidei, nec potest comprehendi oculis, sed debet credi seu fide apprehendi. Subiectum vero huius propositionis (id est, Ecclesia, qua voce significantur homines amplectentes Evangelium) agnosci potest certis notis, incurrentibus in sensus, partim oculorum, partim aurium: sicut dicitur: *In omnem terram exivit sonus eorum. Si non audierit te, dic Ecclesiae. Sumus theatrum,* id est, *spectaculum mundo, angelis et hominibus.* Oportet Ecclesiam esse visibilem coetum, distinctum certis signis a reliqua multitudine, seu colluvie generis humani, quae est extra Ecclesiam. Non est Ecclesia aliquid phantasticum, simile Platonicis Ideis, quod nec audiri nec conspici possit.

De signis Ecclesiae.

Quae sunt Signa, seu Notae Ecclesiae? Signa, ex quibus agnoscitur Ecclesia, sunt: *Professio verae doctrinae: et Usus legitimus Sacramentorum: et Obedientia erga ministerium.* In his tribus consistit etiam unitas verae Ecclesiae, primum in consensu doctrinae, secundo in usu Sacramentorum congruente ad institutionem divinam, tertio in reverentia erga ministerium.

Quando vis iudicare de te et aliis: An sis membrum Ecclesiae, an sis Christianus, cogita de his signis. Esne Christianus? Sum. Quomodo hoc ostendis? Quaero iam de signis. Quia credo Symbolum, et utor Sacramentis, sum baptizatus, et obedio ministerio.

Si esses captus inter Turcas, et retineres doctrinam Evangelii comprehensam in Symbolo, maneres Christianus. Contra. Tamen inter Turcas non posses uti Sacramentis, si non versareris in coetu plurium Christianorum. Item, Quomodo potes ibi praestare obedientiam ministerio, ubi nullum est ministerium publicum?

Respondeo. Potes habere voluntatem praestandae obedientiae. Manes coniunctus cum vera Ecclesia, fide, confessione, invocatione Dei, habes studium servandae coniunctionis cum Ecclesia. De Sacramentis autem sciendum est, quod dispensationi locus sit, cum haberi non possunt. Papistae deducunt homines ad alia signa, videlicet ad politiam humana autoritate constitutam. Dicunt signa esse Ecclesiae, ordinem seu successionem ordinariam Episcoporum, Primatum Romani Pontificis, similitudinem rituum, qui sunt ab Episcopis instituti. Sed successio Episcoporum nihil est, nisi conservetur doctrina Apostolorum. Et iure divino est aequalitas ministerii. Nec oportet unum aliquod esse visibile caput Ecclesiae.

Et quia manifestum est, Romanum Pontificem, et agmen Episcoporum ipsi adiunctum defendere idola, et iniustam crudelitatem exercere ad delendam veram doctrinam, necesse est ab eis dissentire: sicut necesse fuit Christianos dissentire et discedere a Iudaico Pontifice, et sacerdotibus Leviticis, cum tamen constaret, sacerdotium illud divinitus institutum fuisse.

Non est etiam necessaria similitudo rituum humanorum in vera Ecclesia, Quia scriptum est: *Regnum Dei non est esca et potus.* Item, *Nemo vos arguat in cibo, potu, vicibus dierum festorum.*

Haec oportet considerari, ut sciamus Ecclesiam, quanquam est visibilis coetus, tamen dissimilem esse imperiorum politicorum, et regni Pontificii. Plerumque vera Ecclesia est destituta humanis praesidiis: saepe etiam obscuratur splendore idololatricorum regnorum, saepe tyrannide opprimitur.

Magis incurrit in oculos coetus ille Pontificius, qui habet potentiam, habet divitias, habet sibi adiunctos reges, imo dominatur regibus. Sed non propter illam potentiam, non propter opes illas competit ei nomen Ecclesiae. Credo et esse et fuisse aliquos sanctos Episcopos, qui recte sentiunt,

ac senserunt, praesertim antequam opes nimium creverunt, quae multas abduxerunt a doctrinarum studiis. Sive autem pauperes aliqui sint sive divites, id nihil facit ad hoc, ut sint membra Ecclesiae. Necesse est singulos amplecti et retinere doctrinam in fundamento, etiamsi habeant suas infirmitates: De quibus admoniti, debent se emendare ac corrigere.

Non sunt exclusi reges ac principes a societate Ecclesiae, si retineant veram confessionem, et non persequantur Ecclesiam. Imo expresse vocantur Psalm. 2. *Et nunc reges intelligite.* Item, *Aperite portas aeternales, et introibit rex gloriae.* Quid sunt portae aeternales? Sunt portae mundi, id est, sunt imperia. Vocabulum Graecum *αἰών* reddiderunt per aeternum, cum debuissent dicere mundum. Sententia Psalmi est: Vos principes praebete locum filio Dei.

Id debebant nunc etiam facere Imperator et caeteri Principes. Et si non faciunt, non dubium est, quin secuturae sint poenae: sicut semper mutationes regiminum secutae sunt contemptum et persecutionem Ecclesiae. Quando opprimitur Ecclesia, Deus mirabiliter dat liberationes. In his liberationibus vult Deus conspici suam Ecclesiam, et agnosci iudicia sua contra persecutores Ecclesiae.

Imperium Chaldaicum translatum est ad Persas propter persecutiones contra populum Dei. Postea Antiochus dedit poenas propter saevitiam contra Iudaeos. Sic Romani Imperatores puniti sunt propter persecutiones Christianorum. Quando Maximinus Diocletianus, et similes alii regnarunt, Deus excitavit Constantinum, qui fecit insignem mutationem in toto imperio. Postea cum rursus motae sunt persecutiones contra Orthodoxos, Gotti et Vandali fecerunt vastationes. Quis scit, quid paulo post futurum sit, si pergent Principes adversari Evangelio, et persequi Ecclesias?

Sic igitur dico: Vocantur etiam potentes et divites, reges et principes, ut se adiungant verae Ecclesiae: et cum non obtemperant, sentiunt poenas. Sed non propter potentiam, non propter divitias fiunt aut sunt membra verae Ecclesiae, Sicut nec Pontifices aut Episcopi hoc nomine Ecclesiae membra sunt, quod consecuti sunt magnas opes, et regiones multas possident, quas vocant patrimonium sancti Petri, et eas tuentur contra Imperatores, ut recens, cum Caesar peteret a Papa Placentiam, et promitteret se pro ea urbe aliam in regno Neapolitano daturum, respondit Papa se potius velle martyrium pati, quam cedere de possessione aliqua Ecclesiae.

Vulgus admiratur istam potentiam, istas opes, movetur titulo Ecclesiae. Sed respiciendum est ad illa signa, quae veram Ecclesiam discernunt ab aliis coetibus, quantumvis potentibus aut opulentis in hoc mundo. Praecipue vero respiciendum est ad vocem doctrinae. Haec ubi manet, non tollitur Ecclesia, etiamsi sit dissimilitudo ceremoniarum, quae sunt humana autoritate institutae.

Olim Papae quidam excommunicaverunt Graecos, quod uterentur fermentato pane, Item excommunicarunt Ecclesias Orientales, quia diverso tempore celebrabant Pascha. Imo extat decretum Pontificium, quod omnes excommunicat, qui non tenent Romanos ritus. Hoc est valde impium, quia manet Ecclesia universalis seu Catholica, cum retinetur verbum propheticum et Apostolicum, cui Ecclesia omnium temporum tribuit testimonium, etiamsi sint diversi ritus humani.

Hoc tantum spectetur, ut doctrina maneat salva, et non accedant errores et superstitiones in externis ritibus, ut in India servant diem Sabbati et Solis. Diem Sabbati habent antiqua consuetudine, propter commercia cum Iudaeis. Diem Solis acceperunt a Christianis. Retinent etiam Circumcisionem. Circumcidunt pueros, imo etiam puellas. Et fortassis retinent opinionem, quod istae res sint necessariae ad salutem. Sed est error et superstitio, ut contagia superstitionum pervagantur fere totum mundum. De his erroribus iam non loquor: Sed dico de iis ceremoniis, quae non pugnant cum verbo Dei nobis tradito, et quae non adiunctam habent superstitionem. Tales sive serventur, sive non serventur in diversis Ecclesiis, non divellunt nec lacerant unitatem Ecclesiae, modo salva sit doctrina.

Haec debetis discere, et ideo sunt scholae, ut recte discatis. Non sitis ita negligentes, ut ista non consideretis. Ritus et ceremoniae humanae non faciunt Ecclesiam, sicut nec caeterae res externae, quae ad splendorem in hoc mundo pertinent.

De efficacia filii Dei in Ecclesia.

Sequitur in definitione: *In quo coetu amplectentium Evangelium, et recte utentium Sacramentis, filius Dei est efficax.* Tota divinitas colligit Ecclesiam, sed immediate Filius est missus ad colligendam Ecclesiam. Ideo scriptum est: *Filius qui est in sinu patris, annuntiavit nobis: Et Christus sedet ad dextram patris, dans dona hominibus.* Hic dicitur: *Exiit seminans.* Quis est iste, qui seminat? Est ipse filius Dei, qui exiit ad seminandum, statim ab initio, cum primus ipse edidit, et sic immediate sonuit promissionem Evangelii in Paradiso post lapsum. Aut si volumus altius ordiri. Statim

cum Adam et Eva fuerunt conditi, filius Dei, qui est λόγος patris, prodiit, patefaciens eis voluntatem Dei: Non enim satis fuit, quod insita erat notitia Dei ipsorum mentibus, sed clara voce tradidit eis verbum. Edidit promissiones, quod Deum haberent propitium, qui amaret eos, et qui vellet ab eis coli. Promulgavit praecepta duo: unum de certa arbore: alterum de coniugio et vitandis libidinibus vagis. In his debebant exercere suam obedientiam. Et si servassent praeceptum de pomo vetito, tum natura mansisset integra, et totum genus humanum mansisset in illa aeterna benevolentia Dei.

Postquam autem defecerunt a Deo, amiserunt illam gratiam, et Deus vere et horribiliter eis irasci coepit: Sed ne perderetur genus humanum, rursus prodiit filius Dei, ostendit se salvatorem, dedit promissionem gratiae: Eam postea subinde renovavit, cum vocavit Noah, Abraham, Moisen, et quotiescunque ministerium instauravit.

Nunquam igitur desiit spargere semen verbi. Adfuit ministerio patrum, prophetarum, Apostolorum, Et adhuc spargit per operarios, quos extrudit in suam messem, idem semen verbi: Et est efficax in cordibus hominum, consolando, vivificando, et sanctificando ea per Spiritum sanctum.

De diversis membris Ecclesiae.

Cur additur in definitione Ecclesiae: *Regenerat multos ad vitam aeternam: Et tamen in coetu Ecclesiae multi sunt non vere renati, etiamsi de doctrina consentiant?* Haec clausula definitionis discernit membra coetus visibilis, quorum, ut antea dixi, alia sunt viva seu electa membra, alia mortua et non sanctificata membra Ecclesiae visibilis. Nam in sola Ecclesia vocatorum sunt electi ad vitam aeternam. Et hi significantur in hac parabola, cum nominatur bona terra quae fert fructum. Sed sunt alii, iique plures in visibilii corpore amplectente incorruptam Evangelii doctrinam, qui non sunt vere renati, sive hypocritae, sive deficientes, ut hic dicitur, aliud semen cecidisse secus viam, aliud super petram, aliud super spinas.

Iam igitur accedimus propius ad explicationem huius textus Evangelici.

Quid significant isti gradus seu discrimina quatuor, quae Christus in hac parabola nominatim ponit.

De dissimilitudine agrorum.

Primum docent hi gradus: Quod Evangelium nunquam sit sine fructu, sed semper sit in aliquibus efficax: sicut et Esaiae 55. dicitur: Non revertetur verbum ad me vacuum, id est, irritum, sed faciet quaecunque volui. Inde sequitur, Quia verbum Dei non est sine fructu, quod semper in eo coetu, ubi est vera doctrina, necesse sit, esse aliqua vera membra Ecclesiae, in quibus regnat ipse filius Dei, et ad quos pertinet promissio divina, qualis illa est Esa. 59. *Hoc est foedus meum cum eis: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae ponam in ore tuo, non recedent abs te.*

Dixi vobis antea de D. Hieronymo Schurphio. In huius aedibus aliquando eram, et recitabam hunc textum Esaiae. Ille statim protulit Biblia sua, dicens: Ostendite mihi hunc locum: Oportet me bene meminisse hunc textum. Et cum aperto libro monstrassem ei locum, ipse legebat cum singulari voluptate. Cumque altera vice repeteret, Ego inter legendum, subiiciebam ei, ex hoc ipso textu recte sumi definitionem Ecclesiae: Nam quod nos dicimus: Ecclesia est coetus amplectentium veram doctrinam, id in Esaia dicitur: Posui verba mea in ore tuo. Et quod nos addimus: In quo coetu filius Dei est efficax, id apud Esaiam haec verba dicunt: Spiritus meus qui est in te. Postea de consolatione (quod semper sit mansura Ecclesia, et quod in hac illi sunt vere electi, qui perseverant finaliter) promissio haec ostendit: Non recedent de ore tuo, neque de ore seminis tui, dicit Dominus a modo et usque in sempiternum.

Etiam vos debetis hunc textum meminisse, et retinere consolationem, quod semper sit aliqua sancta Ecclesia, in qua sunt electi, ad quos proprie ac principaliter pertinent promissiones divinae traditae de Ecclesia.

Est autem haec doctrina et consolatio nobis omnibus opus: Quia ingens scandalum est, quod videmus tam magnam confusionem esse generis humani. Quam pauci sunt homines, qui amplectuntur Evangelium? Postea ex his, qui accipiunt doctrinam, quam pauci vere credunt? Quam multi deficiunt ab Evangelio? In Aphrica hodie nulli sunt Christiani, vel si qui sunt, pauci sunt, et destituuntur publico ministerio docendi. In Asia maxima pars sunt Mahometistae, paucae tamen reliquiae sunt Christianorum, sed oppressae servitute Turcica, etsi alicubi habent Ecclesias et coetus suos. In Europa maior pars hominum sunt Christiani titulo et nomine ipso. Sed inter hos ipsos quam pauci sunt, qui vere credunt, qui constanter retinent doctrinam, qui fide et bona conscientia verbum tuentur, qui non deficiunt?

Semper maxima est multitudo, vel non credentium, vel abiicientium rursus fidem. Hoc est ingens scandalum, quo multi languefiunt. Imo multi sequuntur exemplum multitudinis impiae. Ita enim fit. Homines sequuntur multitudinem. Quo trahit

multitudo, trahuntur voluntates hominum. Wo der grosse hauffe sich hinzeucht, da ziehen die menschen hernach. Sicut fit in impetu fluminum. Da eine grosse flut alles nach sich zeucht. Cogitant homines: Egone prae caeteris singularis ero? Num aliter me geram, quam caeteros tam multos facere video? An tu vis sapientior esse illis? Es gehe dir, wie es einem andern gehet. Tales cogitationes trahunt homines, ut sequantur multitudinem. Exempla corrumpunt mores. Sic magna pars generis humani perit malis exemplis.

Adversus hoc scandalum, vult nos praemunire Christus, et consolari, quod, quanquam sit magna multitudo impiorum et damnatorum, tamen aliqua sit bona terra, id est, quod aliqui sint vere sancti et electi, qui per vocem Evangelii vere regenerantur, et perseverant in inchoata sanctificatione usque ad extremum.

Cum autem non de iis hic loquatur Christus, qui prorsus sunt extra Ecclesiam, aut qui sunt hostes verae doctrinae, quae est principua nota verae Ecclesiae: Considerentur picturae, quibus describit modos deficientium, et pinguntur causae seu occasiones defectionum, et impedimenta, quae nocent etiam iis, qui sunt in externo coetu Ecclesiae, et doctrinam Evangelii audiunt, neque aperte ei adversantur. Hic occurrit primum obscurior tentatio, quae proprie est sapientum, anteferentium suas imaginationes verbo Dei. Caeterae tentationes, de quibus postea dicet, sunt crassiores, et facilius intelliguntur, ut sunt metus persecutionum, immoderatae solicitudines opum, voluptates illicitae. Has et similes res sapientes sciunt non esse magnifaciendas: Sicut videtis, multos magnanimos viros contemnere vitam, opes, voluptates, tanquam res infra se positas. Socrates vixit in paupertate, contempsit mortem, non est fractus illis rebus, contempsit voluptatum illecebras.

Sed haec est subtilior tentatio, cum Christus inquit: *Diabolum rapere verbum ex corde.* Significat enim Diabolum excutere sapientibus verbum Dei mirificis praestigiis vel Epicuraearum, vel fanaticarum disputationum. Nam ut Diabolus admiratione sapientiae suae contempsit filium Dei, sic offundit animis plurimorum sapientum vel contemptum doctrinae Evangelii, vel venenatas speculationes, et mirabilium opinionum spectra obiicit.

Id accidit primis parentibus in Paradiso, quibus, ut excuteret verbum Dei, insidiosissime instillavit Satanas hanc falsam et perniciosam persuasionem, fore ipsos similes Deo, si gustassent pomum scientiae boni et mali.

Huc pertinent plaerique lapsus haereticorum, et defectiones eorum, qui vel absurditate, ut ipsi imaginantur, religionis Christianae, vel paucitate et infirmitate Ecclesiae offensi conspiciunt opiniones pugnantes cum verbo Dei, quibus sic capiuntur, ut propter speciem illarum opinionum abiiciant verbum Dei.

Vos ipsi auditis, multos dicere: Quid est Evangelium? Fabulae sunt, et inania terriculamenta hominum, quae de Christo, de condemnatione aeterna, de gratia, de ira Dei dicuntur. Ita plurimi sapientes fiunt Epicuraei, aut Academici. Multi sunt etiam, qui anteferunt sapientiam suam simplicitati verbi dextre intellecti, nec volunt captivare mentem in obsequium Christi. Ruunt igitur in haereses, Diabolo offundente falsam persuasionem, ac deinde implicatos et irretitos tenente et urgente, sicut paulatim Evam evertit. Has insidias saepe Paulus describit, et vocat tela ignita.

Nostra aetas habet plurima et varia exempla, partim quia crescit petulantia ingeniorum, partim, quia Diabolus postremo tempore sentiens brevi affuturum esse iudicem, rabiosius grassatur. Ideo iam plures sunt ἄθεοι, et monstrosiores sectae oriuntur, ut deliria Anabaptistarum et furores Serveti multiplices. Cogitemus igitur vigilandum esse, et repugnandum insidiis Diaboli, qui miras quaerit occasiones, quibus pertrahat animos in errores et ad defectionem. Excitemur dicto Petri, qui inquit: *Vigilate, quia adversarius vester tanquam leo rugiens circuuit.* Sciamus difficile certamen esse contra Diabolum, et ut Paulus monet, stemus armati scuto fidei, depellentes Diabolum, et extinguentes ignita eius iacula.

Post hanc obscuram tentationem, qua Diabolus excutit animis rectam sententiam, et instillat Epicuraeas, vel Academicas, vel haereticas opiniones sub specie sapientiae, addit Christus alias minus obscuras, quarum exempla cernuntur in vulgaribus peccatis humanae infirmitatis. Nam secundus gradus deficientium sunt, qui metu periculorum, persecutionum, suppliciorum franguntur: sicut Christus hic dicit de iis, qui principio sunt zelosi et ferventes, deinde in persecutione et periculis fiunt languidiores, non manent firmi, sed cedunt vel succumbunt in fide propter crucem et aerumnas, quae comitantur confessionem. Tales nominat alibi *προσκαίρους*, id est, temporarios, seu qui ad tempus credunt, et qui mutant cum temporibus fidem, abiiciunt confessionem verae doctrinae, quia indulgent infirmitati metuenti pericula, persecutiones, supplicia. Ex his aliqui redeunt, ac revertuntur, ut Petrus post abnegationem Christi. Alii prorsus pereunt, cum traduntur in reprobum sensum.

Tertius gradus est, quando Christus inquit: Semen suffocari inter spinas: Quas ipse interpretatur de solicitudine retinendarum et augendarum opum, Item propugnandae et amplificandae dignitatis ac potentiae, et de amore quaestus illiciti, et voluptatum huius mundi. Hic gradus non indiget

longa declaratione. Videtis, quam multi fiant negligentes otio, quam multi deficiant pravo studio avaritiae, ambitione, cupiditate acquirendae, retinendae, et augendae potentiae suae, aemulatione, appetitione honorum, voluptatum, quibus caro corrupta delectatur.

Meminerimus autem his extingui semen Dei, et eiici pietatis initia, quae antea in animis accensa erant, et metu tanti periculi, ambulemus non ut fatui, sed ut prudentes. In multis aulis suffocatur verbum Dei, studio augendi imperii. Sed multo magis propter curas mundanas in multis etiam aliis suffocatur verbum, ut experimur primam curam plurimorum esse de re familiari, et de dignitate: Postea quasi πάρεργον eis est religio. Unde est verbum suffocari? Item strangulari? Suffocor media longa, est a sub et faux, quasi dicas, fauces supprimi. Strangulari est vel a stringendo, vel a Graeco στράγγω, cum quo congruit et Germanicum nostrum streng. Utrumque verbum suffocari et strangulari significat ersticken, erwürgen.

Quartus demum gradus est eorum, qui in corde honesto (id est, probe emollito, et purgato) et bono, id est, timente Deum et fiduciam in eo uno collocante retinent verbum finaliter, et fructum afferunt cum patientia. Nominat Christus patientiam, Quia in aerumnis huius vitae, in persecutione, in periculis, retinenda est confessio, et invocatio, et caetera fidei exercitia, cum quadam firmitate et fortitudine animi et tolerantia. In Matthaeo discernuntur diversi fructus. Alii faciunt fructum centuplum, alii sexagecuplum, alii trigecuplum. Id generaliter intelligite de donis singulorum et de ministeriis. Alii excellunt aliis donis: Et in singulis vocationibus alii plus laborant aliis. Ioseph copiosiorem fructum tulit, quam reliqui fratres, hoc est, et donis excelluit, et plures convertit. Paulus pluribus praedicavit, quam aliquis alius.

Christus ipse Iohannis 15. praecipuum fructum esse ait, Confiteri et docere: Sic pater coelestis glorificabitur, inquit, si eritis mei discipuli, et copiosum fructum feretis, id est, propogabitis et conservabitis Evangelium. Hoc accommodemus ad nostram vocationem, id est, ad genus vitae scholasticum, quod non debemus abiicere propter contemptum, aut odia mundi, aut difficultates temporum. Su fortassis ita cogitas: Quid mihi prosunt mea studia? Cur discam in tantis tumultibus?

Es studirt sich zu mahl ubel, wenn es so seltzam zugehet in der Welt. Omnes discimus languidius cum experimur tantas turbas, tantas confusiones. Sed debemus repugnare huic imbecillitati animorum; Non debemus propterea abiicere studia. Debemus scire, ea necessaria esse propter gloriam Dei, et propter Ecclesiam, quae semper est mansura. Debemus statuere, quod noster labor sit profuturus nobis, et aliis multis: Primum nobis ad vitam aeternam, et in gubernatione vitae nostrae: deinde aliis, ut adducantur per nos ad agnitionem Dei, et iuventur a nobis in vita communi. Hanc consolationem proponit nobis Paulus: labor vester non erit inanis in Domino. Dicit in Domino, ut significet, Deum facere, ne labor noster sit irritus. Tu igitur discas, et speres studia tua profutura non solum tibi, sed etiam aliis. Differunt quidem successus laborum, unus altero servit felicius, utilius: Elias et Elisaeus plus faciunt, quam aliquis nostrum. Illa Deus dispensat pro suo arbitrio. Hoc tamen universaliter scire debemus, Deum gubernaturum esse nostros labores, ut sint fructiferi: sive ruant astra, et illa coeli summa fastigia, sive totus orbis terrarum solvatur, tamen non debemus abiicere studia. Cogitemus, Deum velle agnosci et invocari iuxta doctrinam a se traditam, Et ad hunc finem referenda esse nostra studia. Hanc Dei voluntatem intueamur, et discamus propter mandatum eius: Et studeamus gloriae Dei servire etiam inter alios. Ita erimus, ut primus Psalmus inquit, tanquam arbor plantata ad rivos aquarum, ferens fructum suum in tempore, et folium eius non decidet. Es sol nicht ein blätlin umbkommen. Est pulchra figura, sumpta ab arboribus, Quia vult nos de providentia Dei commonefacere, inspicientes creaturas, quas nobis proposuit in rerum natura. Et figuram Psalmus ipse explicat: Quidquid faciet, prosperabitur.

Hactenus de Ecclesia, quid sit, et quam dissimilia membra habeat. Item de consolatione, ne fracti scandalo multitudinis pereuntium, deficiamus a Deo.

Addam pauca de Anabaptistarum errore: Postea de dicto, ut audientes non audiant: Et habenti dabitur.

Monasterienses Anabaptistae volebant talem Ecclesiam esse, in qua omnes essent similiter pii: Etsi quam ipsi pietatem vocabant, plane furor erat Diabolicus. Optimus vir Hermannus Buschius Poeta acerrime se ibi opposuit fanaticis, in quorum castra transierat etiam Bernhardus Rotmannus, quem antea maxime dilexerat. Erat enim ingeniosus et facundus, et quidem eleganter facundus, bene, concionabatur, et initio recte docebat Evangelium in urbe Monasteriensi.

Sed dicam vobis, quomodo Rotmannus iste inciderit in contagio Anabaptistica. Fuit Monasterii quidam bonus et modestus homo, qui erat scriba Senatus. Is multum adiuvit propagationem Evangelii in ea urbe. Sed habebat coniugem mirabilem, cuius amore Rotmannus coepit insanire, et confessus amorem adiuvit consilia mulieris, ut marito datet venenum. Quo mortuo Rotman eam duxit. Venit propterea in odium apud Buschium

et alios, quorum collega antea fuerat. Adiunxit igitur se fanaticis, qui in urbem irrepserant, Anabaptistis Hollandicis, et tumultuosae multitudini. Cum his coepit una furere et tumultuari, abiecta pristina confessione puriore. Volebant esse Ecclesiam, in qua nihil esset vitiorum, et magna scelera et flagitia sua tegebant praetextu libertatis Christianae, et intus mundis, nihil dicebant foris immundum esse. Ita erat eis mundicies, rapere alienas coniuges, ducere plures uxores, indulgere libidinibus.

Buschius acerrime oppugnavit: Et cum non posset amplius resistere crescentibus indies furoribus, discessit ex urbe, et multo tempore post mortuus est. Nebulones illi dederunt poenas, postquam eruperat virus, et manifestatus erat furor eorum.

Hoc exemplum considerate. Et fugite contagia errorum, et orate, vos regi divinitus. Est magnum scandalum, quod multi sunt mali in Ecclesia. Sed feramus, nec deficiamus propterea a veritate. Sciamus pictum id esse in hac nar,ratione, ubi tres partes seminis cadunt in terram infrugiferam: Tantum una, eaque quarta pars cadit in terram bonam.

De dicto: *Ut videntes non videant.*

Sed quid est, quod dicitur: *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei: Caeteris autem in Parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant?* Est tristis comminatio de poena contemptorum verbi Dei. Nulla est autem poena horribilior, quam excaecatio et induratio impiorum. De hac poena hic loquitur: Quando homines non volunt admittere doctrinam, puniuntur caecitate. Id vero fit in petulanter contemnentibus verbum, addo etiam pertinaciter oppugnantibus veritatem. Si qui peccant infirmitate, ii patiuntur se erudiri, et corrigi, et emendantur. Sed qui petulanter contemnunt, magis magisque obdurantur, et excaecantur, ut insolentius ac superbius contemnant verbum, donec prorsus tradantur in sensum reprobum. Id significat Christus etiam his verbis: *A non habente auferetur id, quod videtur habere.*

De dicto: *Auferetur a non habente.*

Quomodo dicat aliquis: aufertur aliquid ei qui non habet? Respondeo. Loquitur Dominus de amissione donorum, item occasionum. Illi qui perseverant in contemptu doctrinae, vel qui agnitae veritatis oppressionem adiuvant, deserti a Deo, puniuntur tanta caecitate et amentia, ut etiam amittant dona naturalia, id est, *κριτήρια* seu communem sensum, et commune iudicium, et *στοργὰς φυσικὰς*: ut Cain, cum interficit fratrem, qui non habet, id est, quia extinguit dona spiritualia, quae debuisset exercere et retinere, desertus a Deo postea punitur caecitate, et amentia hac, ut etiam amittat *κριτήρια*, id est, naturale iudicium et communem sensum, una cum naturali erga fratrem benevolentia. Ita pergit ruere in acerbissimum et diabolicum odium eius, cui *στοργὴ φυσικὴ* ipsum prius devinxerat: At ne quidem cogitat, secuturas esse poenas. Sic Iudas excaecatur, intrante in eum Satana. Fugiamus ergo initia furorum, et utamur praesentibus occasionibus, quibus nos Deus docet in verbo suo, et lapsos ad poenitentiam revocat. Discernamus peccata infirmitatis, et furores Diabolicos, de quibus dicitur: Qui facit peccatam, ex Diabolo est. Cogitemus de hoc exemplo: Quare Diabolus non recipitur, et genus humanum lapsum, a Deo recipitur? Sic argumentor.

Deus est aequalis.
Homo et Diabolus aequaliter lapsi sunt: Quia uterque deficit a Deo.
Ergo Deus debuit utrosque recipere.

Maior transeat. Deus revera est aequalis, et quidem aequalitate Arithmetica. Sed respondeo ad Minorem. Nego Minorem. Homo et Diabolus non sunt aequaliter lapsi. Homines sunt lapsi ex infirmitate et sunt decepti. Diabolus fuit blasphemus, et peccavit peccato superbiae. Contempsit filium Dei ex arrogantia, et perseverat in peccato suo aus einem stoltz, trotz, vnd verachtung.

Sic igitur dico. Sunt et manent lapsus et infirmitates in Ecclesia. Sed quando pergit aliquis in peccato, cum manifesto contemptu vocis divinae, tum committitur Diabolicum peccatum: quale est Cardinalium et Pontificum, qui tantum de dignitate clamitant, et ex contemptu Epicuraeo repugnant religioni. Non volunt audire veritatem: Scientes et volentes opprimunt veritatem et perseverant in oppressione veritatis, et studio quaerunt sophismata, quibus pungunt errores suos. Est iam editus libellus de articulo decreti Tridentini, in quo anathema pronuntiatur, si quis dicat, se scire, quod sit in gratia Dei. Autor istius libelli dicit aliquos fuisse in Synodo, quibus placuerit, non inseri istum articulum: Etiam sibi visum esse, ne insereretur. Sed quia iam insertus sit articulus iste, posse excusari, quia in bono intellectu possit utrumque verum esse: et quod non sit dubitandum de gratia Dei, et quod tamen non sciamus nos esse in gratia. Ego ipse, cum primum legi articulum, cogitavi istam rimam aliquos captaturos esse. Nam

verba articuli sunt (Anathema sit, qui dicit se scire, quod sit in gratia) Isti sophistae urgent vocabulum *scire*. Non scio me habere remissionem peccatorum, sicut scio ignem calefacere: sed fide hoc statuo. Ita ludunt in re tanta et tam seria, faciunt fucum toti orbi terrarum, sunt praestigiatores. Deinde etsi utcunque concedunt, non esse dubitandum: tamen dicunt, non posse aliter fieri, quam ut dubitemus, Quia dubitatio ista est naturalis: et quia non sentimus in nobis fieri insignes motus, et novitas inchoata est languida. Atqui non debent animi nostri respicere in ea, quae fiunt in nobis, sed primum ac principaliter debemus intueri promissionem. Cur enim credis tibi datam esse remissionem peccatorum? Non debes cogitare: Quia sentio in me novas qualitates: Oportet te intueri filium Dei sedentem ad dextram patris et interpellantem pro te, et applicantem tibi meritum suum, Quando hoc credis, tunc sequitur consolatio: Et credens scit se credere, inquit Augustinus. Sed illi sophistae non sunt recte instituti. Nec volunt intelligere et retinere veritatem. Ideo accidit eis, quod Christus dicit ex Esaia, ut videntes non videant, et audientes non audiant.

De dicto: *Habenti dabitur.*

Contra vero dulcis consolatio est in dicto: Videte, quomodo audiatis, Habenti enim dabitur. Sunt autem habentes, qui accipiunt, qui non aspernantur doctrinam, qui assentiuntur, non repugnant Evangelio, qui habent initia poenitentiae, et cupiunt proficere, qui procedunt etiam et exercent se in cogitatione doctrinae, et initiis fidei ac obedientiae, qui denique serio retinere haec initia student. Tales, etiamsi sint infirmi, Deus recipit, vult eos provehere, non vult aspernari haec initia, sicut alibi dicitur: *Linum fumigans non extinguet:* Et Paulus inquit de infirmis: *Deus eos recepit.*

Adiungatur huc parabola de negotiantibus, quae interpretatur hunc locum, Matth. 25. ubi adimitur talentum ei, qui defoderat sub terra, caeteris praemia promittuntur. Discamus igitur exercenda esse dona spiritualia, quia in his exercitiis crescunt, ut Paulus dicit: Qui fideliter serviunt, confirmantur in fide: Et Augustinus: Dilectio meretur incrementum dilectionis. Agnoscamus nostram infirmitatem, et studeamus proficere, et petamus, ut adiuvemur divinitus et statuamus nos placere Deo, cum gratis recepti per filium, habemus initia, infirmae quidem et languidae, sed tamen verae et non fucatae fidei. Non simus otiosi, non securi, non contemnamus, sed audiamus verbum, velimus obedire, retineamus verbum, quod sine cura et sine dimicatione fieri non potest: Petamus autem auxilium: Quia tot mandata, tot promissiones extant, quae iubent petere, et promittunt, quod velit nobis Deus dare incrementa donorum, et cumulare in nobis dona sua.

POSTILLAE MELANTHONIANAE PARS II.

HISTORIA DE ZACHAEO.

Luc. 19.

Ingressus transibat per Hiericho, et ecce vir nomine Zachaeus, etc.

Ista historia coniuncta est cum narratione de caeco sanato ad Hiericho. Fuit autem hoc iter Christi postremum, quod Hierosolymam rediit ad passionem. In hoc itinere multa miracula facta sunt, sicut paulo post etiam resuscitavit Lazarum.

Hiericho distat a Hierosolymis circiter quinque miliaribus, aut certe paulo amplius quatuor miliaribus. A Iordane distabat Hiericho duobus miliaribus. De quo potestis inspicere tabulas Palaestinae. Consentaneum est autem, magnam multitudinem effusam esse ex oppido, quae voluit videre Christum: alii odio, alii curiositate, alii studio pie-

tatis. Ita Zachaeus etiam exivit, qui nominatur in textu *ἀρχιτελώνης*, **princeps publicanorum, id est, unus ex praecipuis publicanis.**

Qui fuerunt Publicani, seu *τελῶναι*? Et unde est hoc nomen?

Nos vocamus *Zolner*. **Quae vox Germanica est, a Graeco** *τελώνης*. **Id vero vocabulum factum est a** *τέλος*, vectigal, *Zoll*, et *ὠνοῦμαι*, emo. *τελώνης* **significat emptorem vectigalium.**

Publicani dicuntur, quia administraverunt bona publica.

Quae est differentia inter haec duo, *φόρος καὶ τέλος*?

In Paulo utrumque habetis Rom. 13. *τῷ τὸν φόρον, φόρον. τῷ τὸ τέλος, τέλος. Cui tributum debetur, ei date tributum, cui vectigal, ei date vectigal.* Reditus imperiorum sunt duplices, *φόρος* et *τέλος*. *Φόρος* est tributum certum, quod ex rebus immobilibus penditur, ex agris, praediis, domibus: *Τέλος* est vectigal, quod datur de rebus quae invehuntur, seu de rebus mobilibus, seu de mercibus. Talia oportet dari Magistratui, ut praestetur subditis defensio, et negotiantibus praestetur salvus conductus: *Dass man schutz vnd gleith halte, vnd die Leuth handlen vnd wandlen konnen.* Sed rapacitas vel *βουλιμία* augent ista cum onere subditorum et peregrinantium.

Βουλιμία est fames canina, *wolffshunger, dass einer viel frisset vnd hilfft ihn doch nichts*, quando multa vorantur, et absumuntur, ut nunc fit in imperiis. Nihil satis est; omnia pereunt, et rapiuntur subinde alia, et perduntur.

Fuit consuetudo veterum regum et principum et potentum civitatum, pro certa pecunia elocare praefecturas, quaesturas, reditus annuos. *Man hat den praefectis ein Ampt eyngethan, auff einen beschreidt, dass sie haben mussen darvon etwas geben jehrlich:* sicut Veneti adhuc faciunt in suo territorio. Commendantur civitates alicui ad certam pensionem, praestandam Senatui Veneto. Si quid superest, id sibi reservant isti praefecti.

Tales fuerunt *τελῶναι*, in imperio Romano. Habebant conducta vectigalia: item praedia imperii. *Sie hatten die Zoll und Zehenden, und Landguter, die Empter, die Vogteyen innen, vmb ein genandt geldt.*

Unde est Germanica ista vox *Vogtey*?

Feudum, et *Vogtey* **sunt eadem vocabula. Veniunt ab antiquo Germanico, quo adhuc utuntur Saxones,** *Fuden*, **seu,** *Voëden*, **id est, pascere. Et inde est nomen** *Voytt*, **id est, pastor, qui praeest rei pecuariae seu praedio. Feudum dixerunt, sicut nos dicimus** *praedium*.

Apud nos sunt, qui nominantur *Schösser*, quaestores. Sed hi curant simul iudicia. Publicani non habuerunt administrationem iuris, non fuerant iudices, sicut quaestores nostri: tantum administraverunt Oeconomica. Pendebant fisco Romano certam pensionem. Et hoc Reipublicae proderat. Quoties opus erat magna pecunia, ea petebatur a Publicanis: quia penes illos tunc fuit parata et prompta pecunia. Semper in mundo sunt aliqui, qui sunt in possessione et tractatione pecuniae ut hodie sunt Fuggari, Welseri, Bomgartneri, qui in promptu habent pecuniam: *haben das geldt in henden* per totam Europam. Hi possunt subito plurimum pecuniae conficere.

Cum Carolus V. Imperator fecisset pacem cum rege Gallico: et convenisset inter eos, ut solveret rex Imperatori duodecim tonnas auri, illae duae societates Fuggari, et Welseri promiserunt Imperatori, se daturos illas 12 tonnas auri, duobus terminis, seu duabus vicibus, singulis vicibus sex tonnas. Sic cum olim Imperio Romano opus fuit magna aliqua summa pecuniae, publicani illi potuerunt statim pendere. Habuerunt in potestate sua pecuniam: *Sie wusten, wo sie es nemmen und legen solten:* sciebant, unde expenderent, et quomodo cum lucro suo reciperent.

Saepe fuerunt valde acerbi publicani, et plurimum gravarunt populum. Quaerebant lucrum suum ex provinciis, et erant oneri toti orbi terrarum, Europae, Asiae, Aphricae. In legibus multa sunt constituta de publicanis. Procurator Bruti coegit Salaminios dare quater centesimas. Publicani plaerumque gravabantur magnis pensionibus. *Man hat sie offt hardt belegt.* Ideo ipsi quoque durius tractabant homines: *Sie haben die Leuth widerumb hart geschunden.* Saepe cum nimis fuerunt onerati, sunt questi, se nimium gravari, et petierunt laxationes: sicut Cicero laxavit illas pensiones publicanorum. Quod auxit Ciceroni favorem populi, et ipse sibi adiunxit hac ratione publicanos. Pro Plancio inquit Cicero: *Flos equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reipublicae, publica-*

norum ordine continetur. Et ad Q. Fratrem scribit: *Ita te in provinciis versari, ut et publicanis satisfacias, praesertim publicis* (id est, vectigalibus) *male redemptis, et socios perire non sinas, divinae cuiusdam virtutis esse videtur.*

Plaerumque equites Romani fuerunt publicani, et habuerunt suos ministros in provinciis. Illi ministri etiam quaerebant sua commoda. Deglutiebant subditos, exhauriebant sanguinem miserorum hominum.

Est antiquum dictum Aristophanis *ταμίαι λαμίαι*: rapax. Credo fuisse Ethnicum, quamquam etiam Iudaei fuerunt publicani, aut certe ministri publicanorum. Cum audiret Christum praeterire, qui solebat proficisci comitante magna turba, ipse, quia parvae staturae erat, ascendit in arborem, ut possit supra populum consistens, conspicere Christum venientem. Illam arborem nominat Evangelista *συκομορέαν*, quae est Sycomorus.

Sunt autem discernenda vocabula: Sycomorus, Ficus, Morus, Caprificus. Sycomorus non est caprificus, ut aliqui interpretantur. Nam caprificus penultima producta, est ex silvestrium ficuum genere, *ein wilder feigebaum.* Profert ficus prorsus non maturescentes, quae habent similitudinem cum grossis: sed non sunt esui, *daugen nicht zu essen.* Graeci caprificum vocant *ἐρινεὸν*, ut est apud Plutarchum in Camillo: *τὸν ἐρινεὸν καπρίφικον ὀνομάζουσι: silvestrem ficum caprificum appellant.* Fructus autem caprifici nominatur qui Graecis *ἐρινεόν*. Inde est verbum *ἐρινέω* et *ἐρινάζω*, quod scriptores rei rusticae nominant *caprificari.* Nam arbores fici, inquiunt, caprificandae sunt: id est, grossi ex fico suspendendi sunt circa solstitium. Id fit propterea, ne fructus propinquae ficus ante maturitatem decidant, quia, etsi ipsi fructus caprifici nunquam maturescunt, tamen, quod ipsa caprificus non habet, aliis tribuit, ut ait Plinius.

Morus non habet nomen a *μῶρος*, *stultus*, sicut aliqui dicunt per antiphrasin sic nominari, quasi dicas, minime stulta arbor; quia non nisi exacto frigore germinet: sed nomen est a *μορέα*. Sic enim Graeci vocant hanc arborem. Morum, est fructus mori arboris, *Maulbeer* est res utilis in medicatione.

Ficum Graeci vocant *σύκην* et *σῦκον* pro fructu et arbore. Proprie tamen *σῦκον* significat ficum maturam, seu dulcem. *ὄλυνθος* significat grossum, id est, primum fructum fici.

Sycomorus est quiddam medium inter ficum et morum: *ist nicht gar wie ein feigenbaum, auch nich gar wie ein maulbeerbaum.* Plinius nominat *ficum Aegyptiam.* Apud Dioscoridem est utraque appellatio, *Sycomorus* et *Sycaminus.* Celsus inverso ordine vocat *μορόσυκον.* Fuit arbor propria Iudaeae, gignens fructum medium inter ficum et morum. Aegyptus est vicina Iudaeae: et scriptores etiam Iudaeos nominant Aegyptios. Non maturescit autem fructus, nisi prius scalpatur ferro et oleo. *Es wird nicht reiff, man muss es zuvor auffkratzen, und öle darein giessen.* Arbor parit una aestate saepius, et fructus est utilis pecudibus et hominibus. Deus valde multas opes dedit isti exiguo angulo, ut maior multitudo ibi ali posset pecudum et hominum.

Ipsa etiam arbor habet hanc mirabilem proprietatem, ut lignum in aquam iniectum statim mergatur, cum caetera ligna supernatent aquis: postea paulatim siccessit, et enatat. Non putrefit in aqua ut alia ligna. Fructus non modo in cibis, sed etiam in medicationibus usurpatus fuit. Et scribit Athenaeus, fructum Sycomori cum oleo rosaceo inpositum anticardio, seu orificio ventriculi, mederi febribus.

Iam cogitate de pictura, seu imagine, profecto admirabili, quam existimo in Sycomorea propositam esse. Nam in multis partibus naturae rerum lucent signa sapientiae divinae. Apud Salomonem inquit Sapientia, quae est filius Dei: *Ludo in orbe terrarum.* Tales ludi sunt mirabiles imagines sapientiae divinae in multis rebus. Est igitur Sycomorea imago istius populi, qui tunc erat Ecclesia Dei, quia fuit arbor istius loci propria: etsi in genere quoque ad Ecclesiam ubicunque locorum imago accommodari potest. Arbor igitur ista admodum est foecunda: gignit fructus copiosos.

Sic populus iste fuit foecundus, potens, habuit regnum: sed fuit populus legis. Oportuit eum regi disciplina. Lex autem, et politia tum demum est utilis et salutaris, quando adiungitur Evangelium: id significatur per oleum, quod oportet infundi fructui Sycomori. Quod autem scalpi etiam et secari fructum oportebat, ut maturesceret: significat Deum subinde istum populum scalpsisse multis calamitatibus, ut revocaret eum ad poenitentiam. Et haec ipsa poenitentia tum fuit vera et salutaris, quando accessit oleum, id est, consolatio ex promissionibus Evangelii. Fuerunt in isto populo semper multi sancti, tamquam fructus copiosi. Sed ut fructus Sycamini non maturescunt sine sectione et oleo: ita Deus et lege, et crebris castigationibus scalpsit suos illos sanctos, et erexit divina consolatione. Scalpebantur seu secabantur Israëlitae, quoties terrebantur voce legis, quoties vexabantur ab hostibus, Palaestinis, Assyriis, Chaldaeis. Sed Deus infundebat oleum; restituebat et sanabat eos, missis bonis ducibus, ut Samuele, Davide, Iosaphat, Elia, Daniele: et intus sustentabat in terroribus conscientiae, aut in calamitate constitutos, promissione gratiae de Christo, et efficacia Spiritus Sancti.

Si vultis ad Ecclesiam in genere transferre: Sycomorus significat generaliter coetum illum, in

quo est ministerium vocis divinae. Hic coetus, id est, Ecclesia, est foecunda; saepe parit, sunt semper aliqua vera et pia membra Ecclesiae. Sed ita parit: oportet scalpi prius ferro, et infundi oleum: id est, oportet doceri legem et Evangelium. Sunt autem legis conciones reales calamitates. His exercet Deus Ecclesiam, quae universaliter magis est subiecta aerumnis, quam aliae gentes: quia, cum mundus contemnat peccatum, et iudicium Dei, et indulgeat sibi ipsi; vult Deus, Ecclesiam agnoscere iram suam; castigat eam, ne videatur sibi innocens, et cohercet in ea securitatem, et excitat atque acuit poenitentiam. Et tamen in hac ipsa castigatione affundit oleum, id est, consolatur eam.

Est et hoc considerandum in ista imagine: lignum Sycamini primum mergitur in aqua, postea enatat rursus: Sic Ecclesia mergitur in multas et magnas difficultates, ut videatur oppressa; sed iterum emergit. Non putrescit, non deletur, etiamsi multis modis vexatur et affligitur. Simus contenti hac simplici interpretatione, Quia aquae usitate significant tribulationem.

Praeterea etiam hoc est pulchrum cogitatu: Fructus Sycamini cum oleo rosaceo medetur febribus, id est, lex valet cum Evangelio: Lex est bona cum fide: opera legis, item disciplina sunt bona cum fide.

Etiam prophetae luserunt hac imagine. Amos inquit: *Non eram propheta, neque filius prophetae, sed armentarius, vellicans seu scalpens sycaminos*: quasi dicat: Hoc est meum officium: debeo vos scalpere, et castigare praedicatione legis, sicut duriter castigat Amos, adeo ut Amasias illi mandet, ut discedat ex regione. Graecus interpres eodem verbo usus est, quo Theophrastus et Dioscorides: *κνίζων συκάμινα.* Nam sic et Theophrastus inquit lib. 4. de plant. cap. 2. *καὶ πέπτειν οὐ δύναται, εἰ μὴ ἐπικνισθείη. ἀλλ᾽ ἔχοντες ὄνυχας σιδηρᾶς ἐπικνίζουσιν.* Et Dioscorides: *μηδὲ πεπαινόμενον δίχα τοῦ ἐπικνισθῆναι ὄνυχι, ἢ σιδήρῳ.*

Transferamus iam etiam ad imaginem scholarum. Schola debet gignere fructus, educare iuventutem, praeparare ingenia ad utilitatem Ecclesiae et Reipublicae. Id vero fit, scalpendo, seu castigando, et infundendo oleo, tradendo bonam et salutarem doctrinam. Scholae sunt coetus docentium et discentium. In his oportet esse disciplinam et doctrinam. Si praeceptor vellet tantum castigare, et non docere utilia, non esset idoneus praeceptor. Utrumque oportet coniungi et scholasticos oportet etiam utrumque admittere.

His diebus examinavi quendam, et comperi tantam inscitiam, ut non mirum sit, si propter hanc solam negligentiam veniant magnae poenae. Quam turpe est, si quaeratur ex adolescente 14 aut 15 annorum, qui versatus est in Scholis: *Esne Christianus*? et ille respondeat: *Sum.* Deinde vero ulterius rogatus: *Unde scis, quod sis Christianus?* et ille nihil sciat, quod respondere possit. Item si interrogetur: *Esne Turca?* Non sum. *Quare?* Tum nihil amplius scit, quod respondeat. Annon pueri etiam balbutientes, scire deberent sic respondendum esse: *Quia sum baptizatus, et credo omnes articulos fidei*?

Alium etiam nuper interrogavi, qui fuit quinquennium in Academia, de discrimine legis et Evangelii. Nihil scivit. Nihil respondere potuit. Talis negligentia affectata punienda erat, non tantum in istis adolescentibus, sed etiam in parentibus. Salomon inquit: *Filium, quem diligit pater, castigat.* Et Paulus praecipit, *Ut parentes educent liberos in doctrina et disciplina Domini.* Sed quia hoc non fit per homines, Deus tandem castigabit istam negligentiam parentum et liberorum.

Sed redeo ad historiam Zachaei. Is ascendit arborem: sicut in Sycomoro. Fuit antea vel Ethnicus, vel certe prophanus, conversatus est cum Romanis, secutus est eorum coniunctionem, coluit cum eis amicitiam. Nec mores et vita eius fuit alia quam Ethnicorum. Nunc vero, ut convertatur, adiungit se isto populo, ubi sonat doctrina legis, ubi ex Prophetis discuntur promissiones.

Ita et nos stamus in Sycomoro, cum accedimus ad illum coetum, ubi est ministerium. Sic convertuntur gentes, sic perveniunt ad agnitionem Christi, cum accedunt ad Sycomorum, audiunt vocem ministerii: sinunt se argui lege, et eriguntur consolatione Evangelii. Nam sine Evangelio non fit vocatio ad salutem. Oportet omnes salvandos audire doctrinam in templis, scholis: sicut dicitur: *Fides ex auditu est.* Ideo oportet nos consociari cum Ecclesia, quae est coetus vocatorum, et in hoc coetu oportet nos discere Evangelium et ut hoc nobis dulcescat: oportet nos per legem adduci ad agnitionem et sensum peccatorum nostrorum. Quod cum fit, ardentius expetitur consolatio. Et sic gignuntur fructus, id est, opera Deo grata, et nobis salutaria.

Talia debetis cogitare, ut agnoscatis Deum voluisse multa signa suae sapientiae ostendere in rebus significantibus aliquid in natura. Non sitis tam barbari, et agrestes, ut nihil curetis eruditionem.

Videamus igitur et caetera vocabula, in hoc textu, in quibus est aliquid eruditae Grammaticae.

Si quem defraudavi, inquit Zachaeus, *reddam quadruplum.* In Graeco est *ἐσυκοφάντησα*, id est, *si quem per calumniam oppressi.* Graeci habent aliud verbum, *νοσφίζειν*, quod etiam significat *defraudare.* Paulus eo verbo utitur. Est autem *νοσφίζειν* proprie, aliquid de alieno ad sese attrahere, quasi dicas seiungere sibi aliquid ab aliis, seiunctum illud ad se trahere aliquid amplius sibi attribuere,

non habita ratione aequalitatis, *Vortheil suchen.* Sed verbum συκοφαντεῖν, habet aliam originem, et plura alia complectitur, quam illa πλεονεκτήματα et furta.

Unde ergo est factum?

A nomine συκοφάντης. Sycophanta autem dicitur a σύκον, id est, *ficus,* et φαίνω, *ostendo,* q. d. monstrator ficuum. Erant Sycophantae custodes hortorum, custodes ficuum, et simul indices furum. Et quia isti saepe falso accusabant homines, deferebant eos de rebus parvis, abiit ista vox in abusum, ut usurparetur in genere pro eo, qui falso et per fraudem accusat alios, ut ei quoquomodo facessat negotium.

Est igitur συκοφαντεῖν, proprie accusare aliquem, quod sit furatus ficus; sed quia hoc saepe fiebat fraude, postea coeptum est usurpari pro διαβάλλειν, *calumniari,* et συκοφαντεία pro διαβολῇ.

Unde dicitur Calumniator?

A καλέω, id est, a *vocando in ius.* Calumniator est, qui vocat aliquem in iudicium petulanter, sine causa. Ut Ziba calumniatur suum herum: David deceptus, ut saepe etiam boni et sapientes decipiuntur calumnia, tribuit ei bona heri sui. Sic in Belgio sunt quadruplatores, qui accusant hunc aut illum. Dicunt esse Lutheranos, ut excutiant eos ex bonis, et ad se transferant illorum partem aliquam. Aliqui deducunt calumniae vocem ἀπὸ τοῦ καλὸν μειοῦν, id est, ab imminuendo, seu depravando hoc, quod bonum est per se. Inde calumniator est, *ein verkehrer, verleumbder.*

Diabolus habet nomen a calumniando, quia calumniatur Deum, et verbum Dei, affert corruptelas fucosas, et delectatur calumniis in toto genere humano. Accendit inter homines calumnias, et ex calumniis bella, homicidia, dissipationes. Statim in Paradiso calumniatur Deum. *Non moriemini,* inquit, *sed Deus invidet vobis istum cibum.*

Apud Salomonem dicitur de calumnia: *quod conturbet sapientem, et frangat robur cordis eius.* Multi magni viri per calumniam horribiliter opprimuntur: ac multo deterior est calumniator, quam qui manu occidit. Omnis calumnia est sophistica; et econtra, sophistica in magnis rebus est calumnia.

Dicam vobis exemplum, non ut quemquam contumelia afficiam, sed ut declarem, quid sit calumnia et sycophantia. Ceperat in oppido Sponda quidam pauper homo leporem, in horto suo casu depraehensum: ea res delata est ad aulam. Aula scripsit ad senatum oppidi, ut ille puniretur, quia prohibitum esset venari lepores. Senatus illum coniecit in carcerem per octo dies. Postea dimisit eum. Putarunt satis esse castigatum: sed non intellexit senatus, quid ageretur. Ille miser homo non erat instructus facultatibus: non poterat solvere aliquid pecuniae. Hoc igitur agebatur per ministros aulicos, ut senatus solveret mulctam. Quare cum senatus scripsisset, illum punitum esse carcere, arte quaesitus est praetextus, ut mulcta derivaretur in senatum. Is coactus est aulae ducentos florenos solvere, quia istum non satis punivissent. Tales fraudes artificiose excogitatae specie iuris sunt calumniae et sycophantiae.

Zachaeus tribuit sibi hoc verbum: *Si quem per calumniam oppressi:* vel, *si egi fraude, Sycophantarum more.* Qui non vult manifeste furari, illum oportet furari cum συκοφαντείᾳ, cum quodam praetextu. Tales, qui cum praetextu aliquid aliis eripiunt, recte nominantur *Sycophantae,* per Catechresin vocabuli, sicut videtis pulchrum et honestum illud nomen, *interesse,* transferri ad praetextum usurarum.

Publicani multos praetextus habebant ad homines emungendos pecunia. Quam saepe hodie fit, ut principes praetextu belli contra Turcas a subditis exigant pecuniam? Est honestissima causa conferre pecuniam ad defensionem, ut resistatur hosti: sed nonnunquam est praetextus saltem exactionum. Sic publicani norant insidiari pecuniae aliorum, et solebant fingere praetextus. Rapuerunt aliorum bona ad se cum praetextu.

Unde est, quod dicit Zachaeus: *Reddo quadruplum?* Fuit antiqua consuetudo multarum gentium, quod furta facta sine violentia, puniebantur quadruplo. Si quis sine vi commiserat furtum simplex, non puniebatur capitali poena, sed restitutione quadrupli.

Quomodo nominantur diversae species furum?

Apud Graecos κλέπτης est in genere *Fur,* praesertim qui sine violentia aufert rem alterius: sed alii dicuntur *Grassatores,* qui cum violentia rapiunt res alienas. Horum tres sunt appellationes in lingua Graeca: 1) λωποδῦται sunt, qui vesperi aut noctu vagantur in plateis, et detrahunt aliis vestes. 2) τοιχωρύχοι, sunt perfossores parietum. 3) λῃσταὶ, id est, qui latrocinium exercent, seu praedantur in viis publicis. Hi gradus furum puniebantur poenis capitalibus, quia iudicabatur, in talibus esse animum homicidialem. Recens lex

horum temporum omnes fures capitali supplicio afficit. Haec severitas habet rationem in his barbaris nationibus, ubi plaerique fures habent animum latronum similem.

Spartae laudi erat ingeniose furari aliquid sine vi, ut ille Hispanus Augustae in Comitiis furabatur equum. Quidam eques Germanicus, volens ingredi in domum tonsoris, alligaverat equum ad fores. Hispanus aliquis videt hoc: observat eum, et cum animadverteret neminem adesse, qui custodiret equum, solvit equum et abduxit, *ist darmit darvon geritten.* Eques regressus ex aedibus post dimidiam horam, circumspectat, nusquam videt equum. Tandem intelligit ex aliis, Hispanum quendam conscendisse equum, et discessisse. Talia furta nominantur artificiosa furta. Sed tamen et haec ipsa pugnant cum lege Dei. Poenam vero talibus lex mitiorem statuit. Zachaeus, quia usurarius erat, vere fuit fur coram Deo. Nam quae proprie usura dicitur, est quiddam furtivum.

Loci doctrinae in Historia Zachaei.

Haec de vocabulis sint dicta. Nunc venimus ad doctrinam historiae. Quae est exemplum gratuitae vocationis, et poenitentiae seu conversionis ad Deum. Huius partes omnes integre continentur in hoc exemplo, et simul ostenditur ordo, quomodo illa fiat.

Primum praecedit vocatio per verbum. Audivit Zachaeus antea aliquid de Christo; nunc Christus praeteriens ad eum suspicit, et alloquitur eum. Sic initium est a Deo miserente et vocante universaliter in omni conversione. Christus iubet eum descendere, et promittit se hodie mansurum esse in domo eius. Haec vox ferit aures Zachaei. Inde existunt in eo initia contritionis et fidei. Haec enim miscentur; Descendit festinans, et excipit Christum cum gaudio: agnoscit se peccatorem, et habet bonum propositum reddendi cum foenore, quod iniustis modis acquisiverat, sive circumventione, sive expilatione, sub specie aliqua iuris. Audit postea absolutionem a Christo: *Hodie salus huic domui facta est.* Et addit Christus hanc memorabilem sententiam, quae est generalis, ad omnes pertinens, qui agunt poenitentiam: *Venit filius hominis quaerere, et salvum facere, quod perierat.*

Haec est doctrina Evangelii propria, quod homo recipiatur in gratiam a Deo per misericordiam promissam propter Christum, gratis, non propter nostra merita; et quod hoc oporteat fide accipi, et quod in hac fide Deus sit invocandus.

Non affert hic ἀρχιτελώνης aliquid suorum meritorum. Ipse confitetur sua peccata. Et qui vident Christum ingredientem in domum Zachaei, propterea murmurant, quod apud peccatorum divertisset. Verum Christus docet hoc pertinere ad suum officium, ut offerat beneficia sua, remissionem peccatorum, gratiam, et vitam aeternam peccatoribus agentibus poenitentiam.

Hanc consolationem in Evangelio propositam discamus et amplectamur: et cogitemus diligenter causas, quare necesse sit in Ecclesia retineri hanc doctrinam de gratuita remissione et acceptatione: seu de exclusiva, *gratis*: item, *sine operibus*, et, *non nisi ex fide*, seu, *sola fide*.

Causae autem sunt quatuor: Prima est, ut tribuatur debitus honos filio Dei, quod per ipsum remittantur peccata, et quod propter eum simus accepti Deo, et pronuntiemur iusti, non propter nostra opera vel merita. Hic est summus honos filii Dei, quod est summus sacerdos, et quod per istum sacerdotem Deus recipit genus humanum.

Secunda causa est, ut conscientia teneat firmam, ratam, fixam et certam consolationem, videlicet ut sine dubitatione statuere possimus, quod Deus iam sit nobis propitius, donata remissione peccatorum: ac vere velit accipere nostras preces, et dare vitam aeternam credentibus. Monachi finxerunt, quod homo habeat remissionem peccatorum, et quod sit iustus, quando habeat sufficientia merita: sed quia hoc nunquam fit, ut habeamus satis meritorum, iubent dubitare. Haec sunt plane Ethnica.

Ut autem consolatio sit certa, ut beneficium filii Dei nobis sit firmum et immotum: oportet hanc veram sententiam teneri, quod habeamus gratis propter filium Dei remissionem peccatorum, non propter nostram dignitatem, aut propter ulla nostra merita: et hoc beneficium oportet accipi fide, quia fides est correlativum promissionis, seu beneficii, quod in promissione nobis offertur. Non quidem datur remissio propter dignitatem fidei, sed accipitur tamen fide, quia oportet esse aliquid, quo fiat applicatio beneficii: oportet aliquid esse, quod faciat discrimen inter Davidem et Saulem, inter Petrum et Iudam. David accipit beneficium, Saul non accipit. De hac causa loquitur Paulus Rom. 4. *Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.*

Tertia causa est, ut possimus Deum vere invocare, quia cor dubitans fugit Deum, irascitur Deo, non invocat. Necesse est igitur, tenere doctrinam, quod placeamus et exaudiamur propter filium Dei gratis, non propter nostram dignitatem. Si imaginandum esset, quod propter nostra merita recipiamur, et exaudiamur, esset perpetua in nobis dubitatio. Ideo sciendum est, quod per Christum solum nobis sit accedendum ad Deum in omni invocatione, et quod propter hunc solum

exaudiemur, sicut inquit: *Quidquid petieritis patrem in Meo nomine, dabit vobis.*

Quarta causa est, ut discrimen legis et Evangelii perspicue conspiciatur. Lex etiam dicit, Deum misericordem esse: sed ait, iustis et dignis esse misericordem. Evangelium vero clamat omnes iniustos et indignos esse, et promittit omnibus, agentibus poenitentiam, remissionem peccatorum gratis, propter filium Dei, et praecipit hanc fide accipi: ut Roman. 3 clare dicitur: *Exclusa est gloriatio per legem fidei. Arbitramur igitur hominem iustificari, sine operibus legis, per fidem.*

Haec est principalis consolatio, quae hic etiam proposita est: quia, ut dixi, vocatur et recipitur Zachaeus, qui non habet ullam praerogativam meritorum, sed affert magna et multa peccata: et Christus defendens suum factum, quo hominem hunc iniustum, exigentem vectigalia supra leges, habentem iniusta aucupia quaestus, in gratiam recipiat, addit hoc Epiphonema, quo declarat officium suum, quod revelatur in solo Evangelio: *Filius hominis venit quaerere et salvare quod perierat.* Quod intelligatur, sicut alibi dicitur: *Sanis non est opus medico: Ego veni peccatores vocare ad poenitentiam.* Item: *Fidelis sermo est, quod Iesus Christus venit in mundum, salvos facere peccatores.* Sciamus igitur verissimum esse, nos recipi, quamquam sumus indigni, et recipi nos fide propter filium.

Consideremus autem in Zachaei exemplo signa et motus verae poenitentiae. Dixi antea de typo: quod vocatus sit Zachaeus stans in arbore Sycomoro. Quo significatur, vocatum eum esse stantem in populo legis, ubi sonat doctrina, ubi prophetae tradiderant promissiones de Christo. Hic audit Christum ipsum, audit vocem Evangelii. Nam sine Evangelio non fit vocatio ad salutem. Hac voce audita, inchoatur in eo contritio, et accenditur fides. Ipse iussus descendit, et sequitur Christum. Confitetur peccata sua, et amplectitur vocationem fide; promittit emendationem, et confirmatur in eo fides hac absolutione: *Hodie facta est salus huic domui: quia ipse est filius Abrahae*: id est, habiturus est benedictionem, et haereditatem vitae aeternae promissam Abrahae propter Messiam.

Illi motus contritionis, fidei, obedientiae, sunt motus excitati et accensi per Spiritum sanctum, et quidem per verbum. Sed concurrit voluntas ipsius assentiens verbo, obtemperans isti voci, mandans pedibus, ut sequantur Christum vocantem.

Ita oportet nos audire Evangelium, traditum per Prophetas et Apostolos. Oportet nos adiungere isti coetui, ubi sonat vere vox Evangelii. Oportet etiam nos assentiri verbo, cum Spiritus sanctus inchoat in nobis initia conversionis. Oportet in nobis esse contritionem, fidem, confessionem fidei, obedientiam. Denique oportet nos adhibere vires obtemperantes, sicut Paulus inquit: *Adhibete membra vestra, ut sint arma iustitiae.* Non solum voluntas debet imperare locomotivae, sed ipsa quoque debet obtemperare Spiritui sancto, cum homo vocatur per verbum, per quod Spiritus sanctus est efficax. Nominat Paulus membra, potentias seu facultates omnes animae, et organa corporis, quae illis serviunt. Haec membra non sunt otiosa, etiamsi motus conversionis oritur a Spiritu Sancto. Ideo dicitur in communi illo dicto: *Praeeunte gratia, comitante voluntate.*

Iam videamus, quales sint illi motus, qui lucent in Zachaeo, et repetamus communem doctrinam de partibus verae poenitentiae, quam necesse est saepe repeti in scholis.

De Partibus Conversionis, seu Poenitentiae.

Quot sunt partes Poenitentiae, vel Conversionis ad Deum?

Non litigamus de vocabulis. Toties prohibet Paulus λογομαχίας, ut doceat non esse odia accendenda propter vocabula, si de rebus constet. Plato etiam inquit: *Nunquam perveniet ad sapientiam, qui amat rixas verborum.* Id Galenus saepe repetit. Nec est quidquam odiosius Sophistica cavillatione vocabulorum. Nomen ipsum *poenitentia*, magis congruit ad pavores. Sed sermo Ecclesiae sic nominat conversionem ad Deum, ut cum dicitur: *Gaudium est angelis de uno peccatore, agente poenitentiam.*

Sicut autem in aliis rebus, in quibus fit mutatio, sunt duo termini: terminus a quo, et terminus ad quem: ut in calefactione, terminus a quo, est depulsio frigoris: terminus ad quem, est introductio caloris: Sic conversio continet et dolores, et consolationem; et huius effectus est nova obedientia. Paulus nominat *mortificationem et vivificationem.* Sic autem dicimus docendi causa, tres esse partes poenitentiae: *Contritionem, Fidem,* et *Novam obedientiam.* Hanc partitionem bono consilio tradidimus, adiungentes mentionem obedientiae, ne fingatur fides otiosa aut mortua. Et sic definimus poenitentiam seu conversionem, quod sit verus pavor et dolor cordis propter peccata nostra, et fide in Christum accipere remissionem peccatorum, reconciliationem, iustificationem, et vivificationem, et inchoare novam obedientiam.

Pavorem seu dolorem propter peccata nominant Hebraei *Contritionem*: ut cum Ezechias inquit: *Sicut leo contrivit omnia ossa mea.* Et Psalmus ait: *Sacrificium Deo, spiritus contritus. Cor contritum et humiliatum non despicies.* Item: *Ubi habitabit Dominus, nisi in corde contrito?* Et, *Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu, et trementem sermones meos?* inquit Dominus apud Esaiam. Ego libenter retineo hoc nomen: quia sic prophetae locuti sunt, et Ecclesia usitate sic loquitur. Non sit nobis turpe cum Ecclesia loqui, ubi recte loquitur. Quorsum attinet, quod quilibet phantasticus audet, abiectis vocibus usitatis, novo more loqui. *Es seind rechte fantasten, die immer etwas sonderliches machen wollen.* Non est sapientia, sed stultitia, velle esse singularum. Et plerumque mutatio verborum parit etiam sententias novas.

Definias ergo Contritionem: Quid vocatur contritio?

Est vere expavescere agnitione irae Dei adversus peccata nostra, et dolere, quod Deum offendimus. Est autem contritio in aliis acrior, in aliis hebetior. Pavores sunt in aliis maiores, in aliis minores.

In adolescentibus minus acris est dolor, quam in senibus, etsi fieri potest, ut etiam in iuvene aliquo sit acris et saevus dolor. Plerumque tamen sunt tristiores et profundiores dolores senum: et quidem senes saepe habent peccata maiora numero et qualitate quam iunioris. Oportet autem in omnibus, qui convertuntur ad Deum, esse aliquam contritritionem. Et Deus variis calamitatibus hanc miseram naturam ideo oneravit, ut iram eius agnoscamus adversus peccatum, et non simulato dolore deploremus totam molem corruptionis naturae nostrae, et delictorum, quae commisimus; sive ea sint arcana, sive manifesta, et nota aliis.

De hac contritione dicitur apud Ioëlem: *Scindite corda vestra, et non vestimenta.* Et Paulus inquit: *Contristati estis ad poenitentiam.* Et, *Tristitia secundum Deum, efficit poenitentiam ad salutem, non poenitendam.* Haec dicta testantur necessariam esse aliquam contritionem. Non debemus manere in securitate carnali, quia, ubi est perpetua securitas sine aliquo sensu doloris, ibi nondum est initium conversionis. Oportet in homine, qui ad Deum convertitur, esse aliquem sensum pavoris, et consternationem aliquam, quae sentiat aliquomodo iram Dei adversus peccata.

Initium sapientiae, timor Domini, inquit Psalmus. Quamquam timor Domlni significat totum cultum: tamen non est verus cultus, nisi sentiantur pavores, et metuatur ira Dei. Ideo Ecclesiam magis, quam caeteros homines, Deus subiicit aerumnis, ut cum mundus contemnat peccatum et iram Dei, saltem Ecclesia agnoscat peccatum, et sciat Deum vere irasci peccato. Id ostendit nobis ipsa morte corporali, cui etiam sancti sunt subiecti; monstrat item in omnibus calamitatibus et periculis. Ostendit idem in interfectione Abel, et multo magis in interfectione filii, qui propter aliena peccata patitur. Horribiliter displicet Deo securitas, et *ἀναλγησία*. Cum eo res devenit, ut erubescere aliquis nesciat, ut Esaias loquitur, id est, ut nullus sit metus irae Dei, nullus sensus peccati, talis haud dubie est in extremo periculo, ne pereat.

Estne in Zachaeo contritio?

Respondeo. Cum inquit: *Si quem defraudavi*, ibi palam fatetur peccata sua. Agnoscit se fuisse Lamiam, confitetur se fuisse oneri multis hominibus, in exigendis pensionibus acerbis, in statuendis usuris maioribus, in aucupando quaestu iniusto, ut plerumque fit in praefecturis. Haec confessio est signum contritionis. Nam ubi est vera contritio, ibi cor se subiicit Deo, fatetur se peccasse, et meritum esse iram Dei; sicut Daniel dicit: *Tibi Domine iustitia; nobis autem confusio faciei nostrae.* Fatetur etiam, ubi opus est, quod iniustis actionibus offenderit proximum, sicut postea dicemus de confessione, quae et quatenus sit necessaria. Prius enim absolvam partes poenitentiae, et addam postea, quomodo Papistae depravent illa, quae ad poenitentiam pertinent.

Quid est ergo fides, quae est altera poenitentiae? Recita usitatam definitionem fidei.

Fides est assentiri omni verbo Dei nobis tradito, et in hoc promissioni gratiae, et est fiducia promissae misericordiae, qua cor propter mediatorem, et per eum liberatur ex doloribus inferorum, et accedit ad Deum, et invocat eum, clamans: *Abba pater*, et laetatur acquiescens in Deo propter Filium.

Dixi autem, Contritionem nominari etiam a Paulo *mortificationem.* Non debet autem homo manere in morte. Oportet nos ex morte emergere: oportet iterum vivificari. Id fit per fidem in Chri-

stum: qui ideo missus est, non ut oppressi ira Dei ruamus in aeternum exitium, sed ut reconciliati propter ipsum, et liberati ab ira Dei et aeternis poenis, rursus donemur iustitia et vita aeterna.

Apud Monachos in doctrina de poenitentia prorsus est silentium de consolatione et fide. Imo expresse iubent dubitare, an recipiamur in gratiam, et volunt homines manere in hac dubitatione. Re ipsa igitur abolent articulum Symboli: *Credo remissionem peccatorum.* Delent haec dicta: *Omnes sumus peccatores: Iustificamur autem gratis, gratia ipsius per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem Deus proposuit nobis propitiatorem in sanguine suo per fidem.* Item: *Huic omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.* Allegat Petrus consensum Catholicae Ecclesiae, et tamquam perpetuam Synodum proponit prophetarum, quorum voci Deus illustria testimonia addidit: Vult agnosci hanc esse summam doctrinae propheticae, quod propter Christum fide accipiamus remissionem peccatorum. Hanc propriam Evangelii vocem vult discerni ab omnibus impiis ethnicis et phantasticis opinionibus; et significat vocem Evangelii non esse novam, sed omnibus temporibus in vera Ecclesia propagatam esse, subinde missis prophetis, quorum fuit una et consentiens doctrina de officio mediatoris, de consolatione conscientiae, et fide.

Quoties autem de vera fide dicitur, necesse est semper in conspectu esse hanc admonitionem, Singulos oportet credere, sibi remitti peccata propter Filium. Non enim est vera fides, credere aliis, non sibi afferri remissionem peccatorum. Saul et Iudas credunt aliis remitti peccata: et scit Diabolus, remitti aliquibus hominibus peccata. Tu, cum recitas articulum Symboli: *Credo remissionem peccatorum,* intelligas non tantum aliis, sed Tibi quoque eam dari. De hac fide dicitur: *Iustificati fide, pacem habemus.* Nec accenditur haec fides sine lucta, nec crescit in homine sine magna lucta. Disputat enim conscientia de sua indignitate, terretur peccatis suis: et nisi erigeretur consolatione, mergeretur in mortem. Sic autem accenditur consolatio, cum statuimus in corde, quod propter filium Dei recipiamur, et quod imputetur nobis iustitia mediatoris. Tum testificatur Spiritus sanctus in cordibus, quod simus in gratia: nec iam fugimus Deum, sed invocamus, et ad eum accidemus.

Unde cognoscitur, quod in Zachaeo fuerit fides?

Laetatur se habere hospitem Christum; agnoscit ergo eum esse Messiam, per quem recipiatur genus humanum: et per hunc sibi quoque credit remitti peccata. Intelligit doctrinam prophetarum, scit, quod Messias venturus esset, ut propter eum salventur et vivificentur homines: Statuit Messiam illum iam esse exhibitum: intelligit se ab hoc vocari ad spem salutis aeternae: amplectitur eum fide: credit se quoque propter hunc recipi in gratiam a Deo: sentit in corde suo consolationem vivificam: Non fugit Christum, sed laetus in eo acquiescit.

Ita oportet in omnibus salvandis esse scintillam fidei, qua vivificetur cor, et eripiatur ex terroribus mortis. Dixi vobis alias de Isenacensi illo, qui interfecerat hospitem suum. Cum ibi essemus in visitatione, rogabat nos, ut pro ipso deprecaremur, ut Princeps parceret ipsius vitae. Dicebamus, hoc non posse obtineri, ut vita ei donaretur, quia facinus fuisset nimis atrox. Misimus ad eum Fridericum Micenium, ut eum erudiret et consolaretur. Ille sedebat toto triduo, tamquam attonitus, mersus in moerorem, et luctans cum summis doloribus: quia erat ei dictum, oportere ipsum mori: Luctabatur igitur cum morte: vel potius sentiebat terrores mortis, qui multo acerbiores sunt, quam mors ipsa aut supplicium. Tandem dixit: O domine Friderice, ego gratias ago Deo meo, quod me sustentavit isto triduo. Fui in tantis doloribus, quantos non possum verbis explicare. Diabolus tentavit me horribiliter: sed Dei beneficio iam sum eluctatus, et incipiunt mihi dulcescere consolationes, quas audio a vobis. Exinde coepit esse tranquillo animo. Petebat veniam suorum delictorum. Orabat se magis magisque doceri ex verbo Dei, et laetus ibat ad mortem, superatis iam terroribus mortis.

Venio ad tertiam partem poenitentiae, quam nominamus *Novam obedientiam.*

Quid est nova obedientia?

Obedientia est nomen relativum, ergo habet se ad aliud correlative. Oportet enim esse metas certas illius obedientiae. Est igitur inchoare opera mandata a Deo, habere inchoatam novitatem, facere opera primi praecepti, confidere Deo, sperare vitam aeternam, diligere Deum, habere propositum obtemperandi Deo cum quadam laetitia: Haec sunt in corde: quia nova obedientia non solum est externa disciplina, qua locomotiva regitur, sed omnium maxime complectitur novos motus congruentes legi Dei. Cum his motibus debet esse studium vitandi peccata contra conscientiam.

Non est facta vera vivificatio, nisi simul cum fide sit novitas spiritualis, et sequantur fructus

fidei in bonis operibus, quae praecipit lex Dei, quia vivere est habere motus aliquos. Haec corporalis vita, quando est sine Deo, sine Spiritu sancto, est similis vitae pecudum, imo multo est deterior: Quia habet homo in natura corrupta **motus irregulares et vitiosos, et fertur contra Deum. Quando autem homo est conversus, et sanctificatus, habet motus congruentes motibus Spiritus sancti** moventis eum. Qualis est motor, talis **est motus. Et sic sumus** viva membra Ecclesiae.

In Zachaeo conspicitur nova obedientia, cum dicit: *Reddo quadruplum.* **Loquitur in praesenti. Non dicit:** *reddam.* **Habet bonum propositum: ideo dicit:** *Reddo*, **id est, habeo propositum reddendi. Verba Hebraica alias significant completive: alias significant inchoationem. Oportet in singulis con**versis ad Deum esse bonam conscientiam faciendi deinceps quae recta sunt. Hoc propositum **conscientiae est ipsa nova obedientia.**

Ita iam vere est Zachaeus, id est, purus. **Quomodo? Primum Fide purificante cor, quia, cum statuit se acceptum esse Deo propter mediatorem, per misericordiam gratuitam, imputatur ei iustitia Christi. Deinde haec fides accendit in eo vitam novam: etsi manent in eo reliquiae peccati: tamen abiicit propositum perseverandi in delictis contra conscientiam.**

Hoc totum exemplum saepe vobis proponite. Sciatis vos quoque impositos esse Sycomoro, doctrinae Propheticae et Apostolicae; Statuite filium **Dei etiam vos clementer accipere: vocat vos,** clamat: *Agite poenitentiam.* Obtemperate igitur ipsius voci, sequimini eum, assentiamini ipsi vocanti, **cienti et trahenti vos per verbum. Accen**datur fides per illud ipsum verbum. Illa perpetua **voce Evangelii commonefacti credite vobis remitti** peccata, **et hanc fidem exercete in invocatione. Accedite ad Deum: Fateamini vos meritos esse poenas.** Petite mitigationem vobis et Ecclesiae. Emendate etiam vitam et mores. Sic transferte exemplum istud ad vestrum usum. Non audite aut legite hanc historiam tanquam nihil ad vos pertinentem. **Sed hic oritur quaestio, quae cuilibet** nostrum venit in mentem: Ego non sum Zachaeus: **Deus** dat ista, cui vult. Sic argumentor:

Privilegia non ad omnes pertinent:

Ista sunt privilegia:

Ergo non ad omnes pertinent: vel, *certe ad me non pertinent.*

An si princeps alicui donet centum florenos, propterea tibi etiam obligatus est ad donationem eiusmodi summae?

Respondeo ad Minorem. Exemplum receptionis gratuitae in Zachaeo pertinet ad regulam universalem, videlicet ad promissionem gratiae, quae pertinet ad omnes vocatos, agentes poenitentiam. **Tenendum est utrumque firmissima fide; Primum** quod remissio peccatorum detur gratis propter filium Dei: Deinde quod promissio sit universalis: et quod sit mandatum Dei, ut omnes credamus. **Audita voce divina, simpliciter assentiendum est: quia, qui non credit Deo, mendacem eum facit.** Ista non fiunt sine lucta, quia facienda est applicatio promissionis ad nos ipsos: et quia est lucta, repugnandum est dubitationi. Non esset lucta, si gratia infunderetur, sicut aqua infunditur in ollam, vel in dolium. Ideo repetita est toties universalis, ut bene nobis illam inculcemus. *Venite ad me omnes, qui laboratis. Deus dives in omnes, et super omnes qui credunt.* Item, *Ut omnis qui credit, non pereat. Beati omnes qui confidunt in eo.*

Haec tam crebra testimonia de particula universali diligenter inculcate animis vestris, ut sitis armati contra illam tristem tentationem, qua disputamus: *An nos etiam simus in numero electorum*: et, *num ad nos quoque pertineant promissio et exempla gratuita receptionis coram Deo.*

Iam deberemus etiam collationem instituere huius doctrinae de vera poenitentia, cum divisione Papistarum, qui partiuntur poenitentiam in has tres partes: *Contritionem, Confessionem* **et** *Satisfactionem.* Primam nos etiam retinemus, scilicet *Contritionem.* **Sed illi affinxerunt duos errores. Dicunt oportere** esse sufficientem contritionem, cum nulla possit **esse sufficiens: quia peccati est infinita malitia. Et, ubicunque crescunt dolores, sine consolatione et** fide ruant homines in aeternum exitium. Dicunt item, quod Contritio mereatur remissionem peccatorum; quae est manifesta contumelia contra Christum.

Secundam partem vocant *Confessionem.* Hanc interpretantur ipsi de enumeratione singulorum peccatorum **facienda certo alicui sacerdoti. Sed haec** enumeratio neque est necessaria, quia nusquam exstat praeceptum divinum, de enumeratione tali: Et est haec ipsa enumeratio impossibilis, sicut scriptum est: *Delicta quis intelligit?*

Scriptura loquitur de alia confessione, quae est pars contritionis. Quando Psalmus inquit: *Dixi, Confitebor adversum me iniquitates meas Domino*: ista confessio est coram Deo, et est vera contritio, qua homo immediate coram Deo dolet, se habere peccata.

De hac confessione est pulcrum dictum Chrysostomi: *Nihil ita placet Deo, ut confessio peccati.* οὐδὲν οὕτως ἥδιον τῷ θεῷ, ὡς ἡ ἐξομολόγησις. Non autem misceantur huic dicto phantasiae de merito. Hoc enim vult dicere, non aliud, Deo placet confessio ista. Deus requirit et postulat, ut cor agnoscat peccatum, et fateatur nos iuste damnari quod peccaverimus, et quod meriti simus non tantum praesentes, sed etiam aeternas poenas.

Deinde Scriptura loquitur etiam de hac confessione, quae fit apud homines offensos cum petitione reconciliationis: ut cum Iacobus dicit: *Confitemini mutuo peccata vestra,* id est, sanate inter vos offensiones. Sicut Matthaei 5. dicitur: *Vade prius et reconcilieris fratri tuo.* Haec confessio etiam est pars contritionis, in talibus negotiis quae non sunt occulta. Et sic Zachaeus hic sonat confessionem sui peccati coram Ecclesia. Fatetur non modo coram Deo, sed etiam coram Ecclesia: se fuisse sycophantam, defraudatorem, violasse legem Dei, fecisse contra iura societatis humanae, fuisse iniurium multis.

Hinc autem non sequitur, probandam esse confessionem Pontificiam, qua ad certum sacerdotem fiat enumeratio delictorum omnium, etiam arcanorum. Nec abiicio tamen ritum petendae privatae absolutionis, qua vox Evangelii etiam singulis, qui ad Deum convertuntur, et consolationem petunt, annuntiatur, et applicatur sine illa enumeratione peccatorum, et sine aliis superstitionibus, quas miscent Pontificii.

Tertiam partem poenitentiae vocant Papistae *Satisfactionem,* de qua portentosas opiniones finxerunt Monachi. Nominant satisfactionem *opus indebitum,* id est, non mandatum a Deo, quo fingunt compensari poenas aeternas seu purgatorii. Divellunt enim ac separant remissionem culpae a remissione poenae aeternae: et poenas aeternas dicunt converti in poenas temporales agentibus poenitentiam: et has fingunt partim tolli potestate clavium, partim satisfactionibus Canonicis. In hoc deliramento magnum chaos est errorum: de quibus iam non dicam. Sed proponam tantum refutationem huius argumenti vulgaris:

In furto restitutio rei alienae necessaria est: sicut hic inquit Zachaeus: *Reddo quadruplum, et dimidium bonorum meorum do pauperibus.*

Illa autem restitutio est satisfactio:
Ergo satisfactiones sunt necessariae.

Respondeo. Nego Minorem. Restitutio non est satisfactio illa, quae *Canonica* appellatur, de qua loquuntur Monachi, quam dicunt esse opus indebitum. Nam restitutio rei alienae, quae potest restitui, aut compensatio damni dati, est opus debitum Deo, pertinens ad contritionem et novam obedientiam, quia, qui sciens retinet rem alienam, retinet animum furandi. Necesse est autem non perseverare in sceleribus contra conscientiam. Ideo recte dicitur: *Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur*; scilicet, de satisfactione civili, quemadmodum et Paulus praecipit: *Qui furatus est, iam non furetur amplius.* David debuisset reddere coniugem Uriae, si vixisset: non debuisset retinere alterius coniugem. Ita in caeteris negotiis restitutio est necessaria, quando est possibilis.

DOMINICA ESTO MIHI,

quae et quinquagesima nominatur

Evangel. Lucae 18.

De Ieiunio Quadragesimali.

Unde est nomen Germanicum Fasten?

Respondeo, a ieiunio. Est autem ieiunium idem, quod abstinentia cibi et potus. Differunt temperantia, et abstinentia. Temperantia est praecepta omni tempore, sicut praeceptum de castitate est perpetuum: Abstinentia est certi temporis: ut quando quis aegrotat, debet abstinere a certis cibis, vitae causa, ne sit parricida sui corporis.

Paulus cum iubet honorem habere corpori, significat membra corporis esse organa divinarum actionum. Cerebrum est organum cogitationum de Deo; Cor est organum affectuum, seu motuum Spiritus sancti. Complectitur autem honos utrumque; scilicet, ne oneremus nos immodico luxu, et ne corpora perdamus abstinentia nimia, quae naturae non congruit.

Usitatius est tamen, peccare in alteram partem, praesertim apud nos Germanos; Plures peccant temulentia, ebrietate, ingluvie, voracitate, quam abstinentia. Et sicut temperantia est nutrix multarum virtutum: ita multe et magna mala oriuntur ex intemperantia. Homines ebrii ruunt in pugnas, et amores illicitos, ut dicitur:

— — *Ebrietas in proelia trudit inermes.*

Item:

Vina parant animos faciuntque caloribus aptos:
Et Venus in vinis, ignis in igne furit.

Olim vocarunt hoc tempus, *Carnis privium*; quia illi veteres, elegantes homines facile et statim receperunt multa ceremonialia. Nos barbari, cupidi libertatis, non admisissemus tam multa ceremonialia; sicut occasione nobis data, ex mutatione religionis pontificiae, homines nostri cito abiecerunt ieiunium.

Memini Franciscum Stadianum Tubingensem, hominem ingeniosissimum (cum incidisset in disputationem, cum quodam de libro Dionysii, isque dixisset, eum librum non esse tam veterem, quia

multum esset in eo ceremoniarum) respondere, se non moveri hoc argumento; quia vetustas illa cito admisisset multum ceremoniarum, opinione quadam religionis.

Ego puto statim post tempora Apostolorum, receptam esse in Ecclesiam, consuetudinem ieiunii. Sed fuerunt ieiunia illa dissimilia iis, quae postea fuerunt in Papatu.

Epiphanius scribit nominasse eos ieiunia ista in Aegypto ξηροφαγίας, id est, *edere sicca*, non cocta, ut amygdalas, ficus, poma, et res similes. Talem ξηροφαγίαν servarunt circa tempus passionis Christi. *In der karwochen.* Ac nomen ipsum *karwochen*, est vel a carendo, vel ab *heer*, quod est ἱερὸς, vel certe a *küren*, id est, a deligendo.

Fuerunt igitur initio ieiunia aliquot dierum servata, et quidem valde rigide servata fuerunt. Sed paulatim crevit ille numerus dierum.

Narravit mihi Cardinalis Salzburgensis, se, cum legatus fuisset ad Iulium Pontificem, habuisse mandata ab Imperatore Maximiliano Primo, ut Papa ieiunium Quadragesimae distribueret in quatuor anni partes: quia hominum conscientiae onerarentur quadraginta dierum ieiunio, et quia etiam corpora multorum laederentur assiduo esu piscium, sive salsorum, sive recentium. Hoc cum nomine Imperatoris egisset cum Papa, dedit ille mandatum Cardinalibus iunioribus quatuor, ut re deliberata responderent legato Imperatoris. Illi post deliberationem responderunt, placere ipsis et pontifici consilium Imperatoris; sed Papam non posse facere mutationem, sine aliorum regum consensu. Debere eum agere cum aliis, ut idem velint. Tunc Papam esse ratificaturum.

Puto eos aut significare voluisse, quod concordia sit anteferenda mutationi, vel tergiversatos fuisse, ne quid decedere videretur de auctoritate Papae, si ad postulationem Imperatoris aliquid concessisset.

Estne ieiunium Quadragesimae necessarium?

Respondeo: Non, Quia dicitur: *Frustra me colunt mandatis hominum.* Item, *Nemo vos iudicet in cibo et potu.* Ut autem multa alia, quae nunc in superstitionem degenerarunt, habuerunt initio causas aliquas probabiles, ita ieiunium est institutum hoc ipso tempore, ut Christiani abstinerent a Bacchanalibus, et Lupercalibus: nam superstitio illa, quod ieiunium esset causa salutis, et necessarium ad remissionem peccatorum, et cultus Dei, diu post pervasit in Ecclesiam.

Habuit mos ieiunii in veteri Ecclesia, etiam cum auctus fuit numerus dierum ieiunii, hanc commonefactionem, scilicet, ut abhorrerent Christiani ab illa obscoenitate Bacchanalium et Lupercalium, quae his ipsis diebus celebrabantur ab Ethnicis. Nam bis celebrabant Ethnici Bacchanalia quotannis, scilicet hoc tempore, sub initium Veris; et post vindemiam, in Autumno. Homines libenter cumulant talia, quae augent et concedunt licentiam.

Bacchanalia orta sunt a Thebanis. Lupercalia, id est, cultum Panis, invexerunt in Italiam Arcades, qui fuerunt partim pastores, partim homines militares: sicut hodie Helvetii. Passim militarunt mercede. Unde idem dictum est de Arcadibus, quod proverbio de Caribus dicebatur: *Fac periculum in Care. Item in Arcade.* Colebatur autem Pan a pastoribus, et pingebatur effigie caprae.

Vagati sunt igitur in Lupercalibus homines nudi, sed tecti pellibus caprinis. Circumcursitarunt per pagos; compresserunt mulieres: Et ut libidines illae confirmarentur, fuit sparsa haec opinio, quod mulieres steriles fierent gravidae, si complecterentur eas Luperci.

Romae etiam homines nobiles discurrebant in Lupercalibus, amplectebantur mulieres, pulsabant manus mulierum, et faciebant alia, quae fuerunt occasiones multorum malorum. Cicero obiicit Marco Antonio, quod cucurrerit inter Lupercos, cum iam esset consul. Hoc quantum fuit dedecus? Vere in illis hominibus Ethnicis conspecta fuit potentia Diaboli.

Plus autem vitii et licentiae habuerunt Bacchanalia, quia celebrabantur noctu; et tenebrae plus occasionum praebent ad vitia, sicut dicitur:

Nox et amor vinumque nihil moderabile suadent.

In plateis vagabantur promiscue iuvenes, et viri, puellae et matronae. In domibus agitabantur convivia nocturna, et liberum erat irrumpere in talia convivia; qui volebant heluari, invadebant domos, ubi sciebant esse epulationes. Alii irruebant in domos, in quibus sciebant esse pulchras foeminas, eripiebant ex domibus filias et coniuges aliorum, et cum his excurrebant per urbem.

Denique tantum mali in Bacchanalibus istis fuit, ut Romae, et in Graecia Magistratus coacti fuerint adversari illis nefariis sceleribus, et rapuerint aliquos ita debacchantes ad supplicium. Sed tamen Diabolus, a quo invecta sunt ista tetra scelera, vicit, et ego magis incitavit homines. Pentheus cum in urbe Thebarum adversaretur Bacchanalibus, discerptus est.

Ut igitur Christiani abstraherent suos ab obscoenis ludis talium spectaculorum et conviviorum, proposuerunt in Ecclesia mandata de ieiunio. Sed postea accessit superstitio.

Dolendum est autem retineri adhuc inter nostros homines consuetudinem illam barbaricam ludorum hoc tempore, sicut maximo cum dolore nostre cogimur videre, quod homines interdiu et noctu vagantur larvati, heluantur, vociferantur, et sunt inepti multipliciter. Haec consuetudo simpliciter est ab Ethnicis, qui sua Lupercalia et Bacchanalia habebant hoc tempore anni. Et credo Diabolum turpes istos ludos hoc tempore invexisse in genus humanum, et adhuc fovere inter homines, ut illuderet Deo, qui hoc tempore misit Filium ad assumendam massam carnis humanae in corpore Virginis (nam initio veris conceptus est Christus in Virginis utero.) Item ut illuderet passioni et morti Christi, vel potius Christo ipsi in suo agone.

Cogitemus, quanta res sit conceptio et passio Christi. Deus apud Haggaeum inquit: *Adhuc semel et movebo caelum,* id est, filius Dei descendet, *et terram,* hoc est, virgo concipiet. Sententia est: Faciam rem omnium mirabilissimam, quam nos certe qui sumus in Ecclesia, diligenter cogitare debemus. Deinde hoc ipso tempore passus est Christus, cuius agonem nunc cogitare debebamus.

Consideremus igitur furorem Diaboli, qui tali tempore tam tetra vitia invexit, et tam turpes ludos instituit inter homines, quos qui iam exercent, quid aliud faciunt, quam ut gratificentur Diabolo, et illudant filio Dei? Cogita, quam atrox res esset, si parentes tui essent in magno dolore, et tu interea institueres ludos coniunctos cum turpitudine, et triumphares ac illuderes illis? Ita Diabolus ludos istos instituit, ut essent irrisiones, et sarcasmi contra Christum. Adhuc etiam irridet Ecclesiam concionantem de illis mysteriis, et abutitur stultitia et stoliditate malorum, ad res tam tetras perficiendas, quae plus mali habent, quam multi putant.

Ideo debemus ludos istos turpes detestari, et hoc tempus conferre ad meditationem operum Dei, quae salutis nostrae causa perfecit Filius Dei. Verum est, passionis Christi memoria debet esse omnium temporum: sed tamen et hoc tempore fieri debet: et propterea debemus esse modestiores, non irrisores: Debemus cogitare de magnitudine irae et iustitiae divinae adversus peccata generis humani, et de immensitate misericordiae et bonitatis divinae, mittentis Filium ad nos redimendos: Item meditari beneficia filii Dei, et eius agonem, et adiungere preces, ut Deus nos regat.

Est in Zacharia, quod familia Iuda et Beniamin lugebunt propter passionem Christi. Quam igitur indigni sunt Christianis ludi isti Diabolici? Quam tristis res fuit, et quam tetrum spectaculum, cum Antiochus celebravit Bacchanalia Ierosolymis in templo? Haec volui nunc dicere, ad monendos adolescentes, ut cogitent, quid ipsos deceat.

Cogitate, an malitis esse similes sanctis hominibus, qui cogitant, quantas res egerit Christus hoc tempore anni, an vero illis, qui Diabolico furore agitarunt Lupercalia et Bacchanalia. Autoritate publica etiam interdicentur illae divagationes, nec deerit suo officio Magistratus in compescendis petulantibus. Quod si etiam magistratus non potest punire, tamen Deus aliis modis puniet petulantiam. Sed addam etiam commonefactionem de temperantia.

Christiani non tantum debent abhorrere a ludis, sed etiam ab helluationibus Bacchanalium, quia divinum mandatum est: *Nolite inebriari vino, in quo est ἀσωτία:* id est, non solum redundantia, sed gestus et motus inordinati, *Ein wust, wildt wesen:*

Audivi nuper Lipsiae ex hospite Numburgensi, honesto viro, se habuisse quosdam nobiles hospites, qui cum vellent esse asoti, destruxerunt fornaces, fregerunt fenestras, lacerarunt pulvinaria, et plumas exemptas partim in conclavi, partim extra fenestram dissiparunt in aërem: denique quidquid facere quisque potuit monstrosum, per totum triduum, hoc fecit. Discessuri solverunt pro cibo et potu. Postea dixerunt, nos debemus etiam aliquid dare pro asotia. Dederunt ei aliquot Ioachimicos. Hospes respondit: Quamquam est aliqua compensatio damni, tamen ista ὕβρις, seu vita inordinata adeo mihi displicuit, ut non velim accipere centum Ioachimicos, et adhuc semel ista videre.

Talis asotia sequitur ebrietatem in his, qui multum licentiae sibi sumunt; et haec asotia semper est coniuncta cum ὕβρει et petulantia. Contra vero divinitus mandata est temperantia, et sine hac non potest fieri vera invocatio. Ideo Christus coniungit ieiunium, et precationem: *Hoc genus Daemoniorum* inquit, *non eiicitur nisi ieiunio et precatione.* Et Petrus praecipit, *ut simus sobrii ad precationem.* Sobrietas opponitur ebrietati, et sobrius est, quasi dicas non ebrius.

Differunt autem ebrius et ebriosus. Ebrius refertur ad actum praesentem, quando aliquis in praesentia est plenus potu. Ebriosus refertur ad habitum, id est, dicitur de eo, qui crebro et saepe fit ebrius.

Seneca inquit: *Consuetudo insaniae vina concepta, etiam sine vino valet:* vult significare, quando aliquis saepe fit ebrius, eum, etiam cum non est ebrius, tamen esse insanum. Hoc vere et physice dicitur a Seneca, qui cerebrum et cor corrumpuntur, et assumunt malum temperamentum. Haeret fuligo in cerebro, sicut in camino fumi indurantur. Ita fit cerebrum aestuosius. Laeduntur etiam et languefiunt nervi, membra fiunt tremula, et multi fiunt apoplectici. Cor etiam fit aestuosius et ardentius. Et sicut fuligo in camino facile incenditur, sic etiam in assiduis potatoribus facile incen-

duntur spiritus animales, et vitales, iam ante quoque corrupti ex fumis adhaerescentibus cerebro et cordi.

Oseas similiter dicit: *Ebrietas et scortatio auferunt cor*, id est, temulentia affert neglectionem Dei, et securitatem carnalem. Paulus nominat *ἀναλγησίαν*. Videmus multos perire in ipsa ebrietate. Nec frustra dictum est: *Multo plures occidit crapula, quam gladius.* Certe de aulis Germanicis hoc nimis verum est. Non diu est, cum venit huc ex convivio quodam, Dominus de Schonberg, qui cum mortuus esset, et corpus eius aperiretur, vidi epar eius laceratum in panniculos. Nec sine periculo aegrotabat alter Comes, cuius tamen vita servata est.

Inter nobiles plerosque etiam extra aulas sunt convivia Centaurorum et Lapitharum. Fuerunt autem Centauri et Lapithae illi equites Thessali. Hanc consuetudinem multi vestrum afferunt in Academias. Et, quod deplorandum est, saepe inter potationes istas ex uno verbulo, aut etiam ex gestu aliquo ingrato aliis, sequuntur caedes, et conciliatur luctus et dolor inenarrabilis parentibus. Et quamquam non semper convivia sunt cruenta, tamen miserabile est, quod corda et corpora Germanorum in iuventute adeo corrumpuntur helluationibus.

Fuerunt etiam olim Germani prae aliis gentibus indulgentiores in hac re. Sed tamen non ita certarunt, sicut nunc, nec coegerunt alios ad potandum. Haec cogitent adolescentes, praesertim qui abutuntur sumptibus suis. Caeteros cogit egestas, ut sint abstinentiores. Sed veniamus ad lectionem Evangelii.

Praedictio Christi de passione sua.

In hac est primum narratio, quomodo praedixerit Christus Apostolis passionem et mortem suam, et resurrectionem. Pertinet autem ad hanc praedictionem doctrina de humiliatione et glorificatione Messiae. Filius Dei est missus, principaliter, ut fieret victima.

Haec est singularis sapientia divinitus revelata, neque est nota ulli creaturae, sine patefactione. Iudaei pertinacissime retinent imaginationem, quod Messias sit futurus potens ac magnus princeps in mundo. Abominantur istum, quem nos invocamus, propterea quod profitemur eum esse crucifixum. Ideo Paulus inquit, *Hanc esse sapientiam, quae non sit sapientia Principum mundi.*

Christus allegat testimonia prophetarum, et haud dubie copiose declaravit. *Filius hominis occidetur*, inquit. Utitur verbo Danielis. Alludit et in caeteris membris ad vaticinia prophetica, quae cogitantes crescere, debemus in vera agnitione Christi. Nam haec prima cura esse debet omnium hominum, iuxta praeceptum Psalmi: *Osculamini*, id est, agnoscite filium et amplectimini eum.

Quomodo est autem agnoscendus?

Primum, consideranda est persona; postea officium. Filius assumpsit naturam humanam, ut esset victima. Sunt igitur duae naturae in persona Christi; ac propterea servatur genus humanum, quia est factum decretum, ut filius assumat naturam humanam: alioqui natura humana redacta esset in nihilum. Est autem magna humilitas in Filio, quod non exserit suam potentiam in depellenda passione, sed praestat hanc obedientiam patri, ut natura humana crucifigi et mori posset. Id Irenaeus significare voluit, cum inquit, *λόγον quierisse*, id est, non exseruisse suam potentiam. Et ut esset *λύτρον* sufficiens, oportuit *λόγον* velle istam humilitatem

Non est autem cogitandum, quod beneficio passionis tantum nos iuverit Christus, ut multi habent crassam imaginationem, quod Christus tantum sit passus pro nobis, ac postea nihil nobiscum agat, sed debemus etiam agnoscere Christum resuscitatum, glorificatum, regnantem, efficacem in nobis. Et hoc est officium Christi, quod non tantum est redemptor, propitiator, victima, sed etiam Salvator assidue nos servans, defendens Ecclesiam, vivificans credentes, sicut inquit: *Ego vitam aeternam do eis.*

Sed annon dat pater vitam aeternam?

Respondeo. Pater dat per filium. Et filius homo factus nunquam separatur a carne, quam semel assumpsit. Agit igitur iam *λόγος* in natura humana omnia, quae agit. Non dico, quod per naturam humanam omnia agat: etsi multa fiunt ministerio naturae humanae, quae ad officium capitis Ecclesiae pertinent. Sed dico in natura humana omnia fieri a *λόγῳ* incarnato, propter copulationem indissolubilem duarum naturarum in Christo. Et hoc pertinet ad gloriam istius naturae humanae. Hic est primus locus in hac narratione Evangelica.

De infirmitate discipulorum.

Secundus locus est de infirmitate sanctorum etiam in Ecclesia: quia hic videmus exemplum caliginis et infirmitatis fidei in Apostolis, de quibus inquit Evangelista: *Nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis: et non cognoscebant quae dicebantur.* Christus etiam antea saepe praedixerat eis passionem suam: Et debebant eam nosse ex prophetis. Quid enim clarius dici potest, quam illud Zachariae: *In sanguine testamenti tui educes vinctos tuos.* Esaiae 53. *Dedit animam suam hostiam pro peccatis.* Et tamen tanta est adhuc ignorantia in Apostolis.

Alibi quoque Petrus Christo praedicenti passionem dicit: *Absit hoc a te.* Cui Christus duriter respondet: *Abi Satana.* Nec quemquam suorum Christus durius allocutus est.

Unde autem fuit ista ignorantia?

Magna vis est in nobis omnibus consuetudinis, et opinionum, quas hausimus a tenera aetate, sicut dicitur:

adeo a teneris assuescere multum est.

Item: *Quid est difficile? consueta relinquere.*

Toties erant praemoniti Apostoli a Domino, quod regnum non futurum esset politicum. Interim fixam adhuc tenent in animo imaginationem illam, nihil posse accidere isti Messiae, qui tot miracula ederet. Sperabant illum venturum Romam, et dominaturum toti orbi terrarum. Etiam post passionem Domini adhuc quaerunt: *An nunc inchoabis regnum tuum?*

Sciamus igitur in sanctis quoque esse ignorantiam, et cogitemus singuli, etiam nos posse errare. Non putemus nos esse omniscios, clamemus: *Credo Domine, sed opem fer infirmitati meae.* Item: *Auge in nobis fidem.* Item: *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me.*

Erant in Apostolis initia fidei, sed tamen magna adhuc fuit caligo. Discamus igitur agnoscere infirmitatem nostram, quae est etiam apud illos, qui sibi videntur esse valde magni. Imo quando etiam doctrinam recte tenemus, tamen fides est imbecilla et languida. Has infirmitates nostras deploremus, nec simus securi: repugnemus nostris vitiis; discamus, proficiamus, petamus nos confirmari divinitus, quia scriptum est: *Habenti dabitur*, id est, habenti studium discendi ac proficiendi. Qui non proficit, is deficit magis magisque. Ideo dicitur: *Homo aut proficit, aut deficit.* Infirmitas carnalis facile rapitur in deterius, Ideo necessaria est invocatio. Et cum invocatione coniungenda est seria cogitatio verbi, et studium proficiendi: sicut Paulus praecipit: *Attende lectioni.*

Pertinet huc quaestio, *An possit Ecclesia errare.* Papistae sic argumentantur:

Ecclesia est domicilium et columna veritatis:

Postea attexunt: *Ergo non potest errare.*

Ecclesia tot seculis habuit invocationes sanctorum et sacrificium Missae:

Ergo non est error invocare sanctos, et celebrare Missas.

Respondeo. Ecclesia non errat, scilicet universaliter. Ecclesia est domicilium veritatis, id est, semper aliqua membra in Ecclesia conservant veritatem; etsi in his quoque potest esse, vel obscurior nonnunquam, vel illustrior notitia veritatis.

Ioannes Baptista non dubitavit de passione Christi, etiamsi discipuli somniarunt, Christi regnum fore politicum. Nec dubium est Mariam firma assensione expectasse resurrectionem filii: alioqui non potuisset sustinere magnitudinem dolorum. Credo etiam in sorore Mariae fuisse maiorem firmitatem, quam in Apostolis.

Ita manet in Ecclesia fundamentum, sed saepe cum magna imbecillitate, quae condonatur retinentibus fundamentum. Apostoli norant se placere Deo, propter hunc Dominum, quem credebant esse Messiam, sicut confessus erat Petrus. Sic etiam illi, qui habent fundamentum, tamen habent stipulas suas, in quibusdam circumstantiis doctrinae; sed quas commonefacti corrigunt. Apostoli non manserunt in errore de regno politico Messiae post resurrectionem Christi. Papistae autem loquuntur de eiusmodi erroribus, qui sunt contra fundamentum, et hos errores pertinaciter defendunt.

De exercitiis Fidei in historia caeci ad Hiericho.

Tertius locus est exemplum magnae et ardentis fidei in caeco, item de lucta fidei contra impedimenta, quae turbant nos in invocatione. Christus inquit ad istum caecum: *Fides tua te salvum fecit.* Praedicat igitur fidem huius caeci, qui tantam in ea constantiam praestat, ut non desinat clamare, etiam obiurgantibus eum aliis.

Hanc fidem nos quoque exercere discamus. Et sicut caecus ille nominat hunc Dominum, *filium David*, id est, Messiam promissum Davidi, et petit ei reddi visum, quod nemo praestare poterat, nisi

talis Dominus, cui haec natura rerum subiecta sit: ita nos etiam agnoscamus Christum esse liberatorem, cui mors et peccatum, et omnes creaturae subiectae sint. Nec deterreamur ab eo, conspectu indignitatis nostrae: confugiamus ad eum, et petamus ac expectemus ab eo necessaria beneficia.

Assuefaciamus etiam nos ad recitationem certae precationis in invocatione: quia, etsi fieri potest invocatio, etiam gemitu cordis, tamen, si sunt serii motus in corde, non possunt non aliquando erumpere, in commemoratione precationis. Sicut e contrario, quando nunquam, aut raro recitantur preces, signum est, quod cor etiam sit frigidum, et non admodum afficiatur. Ideo non est contemnenda externa commemoratio et recitatio, quae eo quoque prodest, ut nos ipsos exuscitemus. Ac recte dicebat D. Hieronymus Schurffius: *Christus (inquit): Precantes dicite pater noster, qui es in coelis;* ideo non satis est mente orare, sed ubi fieri potest, adiungenda est etiam recitatio, qua cor magis magisque accenditur.

Multa autem nobis obstrepunt in oratione, quae nos absterrent, quo minus oremus aut perseveremus in invocatione. Haec impedimenta significantur in hac historia, cum dicitur, *Quod aliqui increpaverint caecum, ut taceret; sed ille multo magis clamavit.* Haec congruunt cum praeceptis divinis de continuatione invocationis: *Instanter orate.* Item, *Semper orantes,* hoc est, non deficientes, non abiicientes invocationem. Est aulicum praeceptum: *Lenius instando taedia pelle tui.* Sed hoc non pertinet ad precationem. Opponamus ergo illud contrarium mandatum Scripturae: *Instanter orate.* Postulat Deus intentionem in precatione, et continuationem. Et Deus exercet fidem mora, quae alias est maior, alias est minor.

Haec sunt discenda in experientia propria, ut singuli possimus dicere cum Davide allegante suum exemplum: *Iste pauper clamavit ad Dominum, et Dominus exaudivit me.* Valde insuavis est mora in magnis doloribus, nec ulla res magis defatigat animos. Sed proponamus nobis exempla, et dicta Scripturae, quae docent nos ita orare, ut non defatigemur. Opponamus etiam versui aulico sententiam illam Graeci poetae:

Βράδισται μακάρων ὧραι φίλαι, ἀλλὰ ποθειναί.

Tardae sunt horae Deorum, sed valde dulces et gratae.

Quae sententia expressa est in his versibus:

Munera propitiis manibus venientia Divum,

Compensant grata commoditate moram.

Item, *Si moram fecerit Dominus, expecta eum.*

De effectu fidei.

Quartus locus est de effectibus fidei, sive de beneficiis, quae fide accipiuntur. Restituitur huic caeco visus magno miraculo. Repetatur igitur communis doctrina de miraculis, quae sunt scripta propter causas tres: primum, quia sunt testimonia doctrinae. Nam Deus patefecit se suo verbo, et ut Ecclesia sciat hoc verbum divinitus esse traditum inde usque ab initio, addidit miracula. Inprimis autem voluit se Deus patefacere misso filio, crucifixo et resuscitato pro nobis. Ideo ad hunc etiam deducere nos voluit per miracula, quae cogitantes, semper coniungamus verbum ipsum, et colligamus animo, ubi, et quo tempore, et quibus modis se Deus patefecerit in filio.

Secunda causa est, quod miracula sunt testimonia promissionum, quarum aliae sunt spirituales de remissione peccatorum, donatione Spiritus sancti et bonis aeternis. Aliae sunt corporales. Monent igitur miracula, quod Deus velit dare utriusque generis bona. Monent de beneficiis filii. Sicut saepe in sanatione morborum coniunguntur haec dicta: *Fides tua te salvavit,* et *tibi remittuntur peccata tua.* Ac semper fides petens remissionem peccatorum debet praelucere fidei petenti bona corporalia, quia non potes accedere ad Deum, nisi statuas te habere remissionem peccatorum.

Cum igitur invocas Deum, debes accedere fiducia filii, propter quem, et per quem dat remissionem peccatorum, et recipit te. Postea cum non possit regi vita nostra humanis consiliis et praesidiis, petas a Deo, ut te regat, ut facias necessaria, et ut det tibi bona corporalia, ut sint adminicula vocationis et vitae sustentandae.

Utrumque genus bonorum fides confirmata per miracula, expectare a Deo debet, idque suo ordine. Nam fides accipiens remissionem peccatorum, statuit nos esse acceptos sine conditione. Promissio autem corporalis habet promissionem additam: *Si tu voles, et quomodo voles.* Sicut alias saepe dicitur de discrimine promissionis gratiae, et promissionum corporalium.

Tertia causa est, Miracula sunt exempla applicationis promissionum ad singulos credentes, quia in miraculis videmus sine respectu personarum dari divina beneficia, ut dicitur: *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Sit igitur in singulis fides propria, et haec exerceatur in invocatione, quia, ubicunque est aliqua fidei scintillula, eam certissimum est crescere in invocatione.

Exerceatur autem fides in petitione bonorum aeternorum, et rerum corporalium: Sic tamen, ut sciamus principale obiectum fidei semper esse Christum, in quo, et propter quem datur gratia seu acceptatio coram Deo, seu remissio peccatorum, iuxta illud: *Fide per Christum habemus accessum ad Deum.*

Ante aliquot annos in hoc ipso loco sedens Vitus Amerbachius disputabat de dicto Genes. 15., quod citat Paulus Rom. 4. et Gal. 3. *Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iustitiam.* Item ex Abacuc: *Iustus sua fide vivet.* Dicebat Paulum non recte accommodâsse hos locos ad suam causam, ubi ageret de bonis corporalibus: Dictum quidem Geneseos de futura posteritate, tamquam bono corporali; et dictum Abacuc de liberatione populi Iudaici ex Babylone.

Ego simpliciter respondi, in omni promissione includi Christum, propter quem dantur bona sive spiritualia, sive corporalia a Deo. Atque ita promissio in Genesi principaliter loquitur de semine nascituro ex posteritate Abraham. Deinde universaliter petitioni et expectationi bonorum corporalium oportet praelucere fidem, certo statuentem de bonis Spiritualibus. Ideo dictum Abacuc praesupponit fidem accipientem a Deo remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti et vitam aeternam, quia sine hac fide accedere ad Deum nemo potest.

De gratiarum actione.

Postremus locus in hoc textu est de gratiarum actione. *Caecus sanatus sequitur Christum, glorificans Deum, et omnis plebs cernens miraculum dat laudem Deo.* Sic gratiarum actio debet sequi precationem. Homines plerumque accepto beneficio fiunt deteriores, et negligentiores. Omnes, nemine excepto, sumus ingrati, non tantum erga Deum, sed etiam erga homines.

Quis nostrum reddit benevolentiam dignam parentibus?

Interroga tuum cor, et deprehendes turpitudinem tuae ingratitudinis, saltem adversus tuos parentes, ut nihil iam dicam de aliis bene meritis.

Exuscitemus igitur corda nostra ad gratiarum actionem; et, ut antea dixi, de recitatione precationis, ita assuefaciamus nos singuli ad cogitationem de gratitudine, per recitationem alicuius certae formae, qua quotidie gratias agamus Deo pro creatione, nutricatione, conservatione, defensione. Postea multo magis pro redemptione per filium Dei, et pro sanctificatione, et gubernatione Spiritus sancti. Sicut hunc ordinem suppeditat nobis recitatio Symboli Apostolici, quod subinde debemus miscere precibus.

Adiungamus autem ad beneficia communia nobis cum tota Ecclesia, etiam privata beneficia, quibus peculiariter nos Deus quotidie afficit, ut sunt protectio in magno aliquo periculo; item liberationes ex privatis malis, et alia multa Dei dona. De quibus perpetuo sonemus vocem Patriarchae: *Minor sum, Domine, eunctis miserationibus tuis.*

DOMINICA INVOCAVIT.

Evangelium Matth. 4.

Ductus est Iesus in desertum a spiritu, etc.

Habet haec lectio admodum sublime argumentum, cuius explicatio est valde difficilis. Describit enim tentationem Christi, vel potius adumbrat, quas mediocriter saltem intelligere, non est cuiusvis, si modo est ullius hominis.

Alibi habuit Christus etiam alias tentationes, ut cum Ioan. 12. clamat: *Nunc anima mea turbata est, et quid dicam? Pater, conserva me ab hac hora.* Sed ibi causae et materia tentationum non est descripta. Hic argumenta tentationum sunt expressa, etsi consentaneum est, fuisse multas alias mirabiles tentationes Christi, illis quadraginta diebus, quibus Christus fuit in deserto. Idque aperte dicit Lucas, cum inquit, *quadraginta diebus eum tentatum esse.* Sciamus autem has quoque tentationes, quae nominatim hic describuntur, fuisse magna certamina, neque ita subito peracta esse, sicut subito legi possunt.

Collatio tentationis Adae et Evae, et Christi.

Conferamus hanc historiam cum prima tentatione generis humani in paradiso: quia hae sunt duae summae personae in genere humano: Primus est Adam: alter est Dominus noster Iesus Christus.

Adam in paradiso sustinuit personam totius generis humani, et propter lapsum eius tota posteritas mersa est in peccatum et mortem, quia acce-

perat dona, iustitiam, et vitam, ut conservaret ea toti posteritati. Sed superatus est Adam tentatione Satanae, cum sollicitaret eum Diabolus, in natura adhuc integra, admiratione sapientiae et excellentiae, et curiositate appetente prohibita.

Erat illud argumentum valde speciosum, cum dixit Diabolus: *Eritis sicut Dii.* Singuli intueantur suos lapsus, et discant ex perpetua historia mundi, quam facile ruant homines specie magnae sapientiae.

Fuit autem in prima illa tentatione Diabolus victor, et Adam factus est totius posteritatis homicida.

Sed in hac altera persona, id est, in Christo, Diabolus iterum vincitur, huius filii obedientia et victoria est nostra, id est, propter hunc Filium vincentem, recipimur et iuvamur nos, et ipse in nobis vincit: sicut inquit Iohannes [1. epist. 3.]: *Filius Dei apparuit, ut destruat opera Diaboli.*

Hoc dulcissimum dictum sit nobis in conspectu; quod quidem est enarratio primae illius promissionis: *Semen mulieris conteret caput serpentis.*

Idem dicitur et hoc dicto [Ioh. 10.]: *Nemo rapiet oves ex manibus meis.* Utitur verbis emphaticis: *Nemo*, inquit, *rapiet.* Significat igitur magnum esse certamen. Postea addit: *ex manibus meis*, ut pingat gestationem Ecclesiae, quam filius Dei ceu manu sua retinet in tam horribilibus furoribus Diaboli, et in tantis insidiis, quibus astutissime conatur Diabolus evertere Ecclesiam.

Adiungamus et illas sententias [Luc. 22.]: *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Item, *Orate, ne intretis in tentationem*, id est, ne vincamini, ne succumbatis tentationi. Confugiamus ad filium Dei, et nominatim petamus ab eo: Domine Iesu Christe, qui tentatus es propterea, ut ostenderes victoriam contra Diabolum, et qui dixisti: nemo rapiet oves meas ex manibus meis, depelle a nobis Diabolos hostes tuos, rege nos, et muni contra insidias Diaboli.

Antagonistae Certantes inter se in hac historia.

Post hanc collationem Adami et Christi, iam intueamur etiam personam Diaboli, sicut in historiis certaminum considerantur personae oppositae, ut cum congrediuntur Hector et Achilles, Hannibal et Scipio.

Est autem Diabolus Substantia spiritualis, quae cum bona creata esset, defecit a Deo, et nunc horribili odio Dei ardet, et ut aegre Deo faciat, furenter insectatur Ecclesiam, et in toto genere humano cumulat omnia, quae displicent Deo, calumniatur verbum Dei, unde et nomen habet; serit opiniones contrarias Verbo Dei; impellit homines ad Idololatriam, et horribilia scelera.

Ego memini quendam, qui negabat Diabolos esse aliquid subsistens. Nominabat bonas cogitationes angelos bonos; malas cogitationes vocabat malos angelos. Sed esse Diabolos, probatur primum ex visibilibus exemplis obsessorum.

Multos homines obsidet Diabolus visibiliter: vexat et affligit horribiliter illorum corpora; abutitur membris illorum, et loquitur per eos. Talia spectacula, quae sunt valde terribilia, saepe cernuntur. Prope Luneburgum erat mulier obsessa loquens Graece et Latine.

Deinde praebent se Diaboli nonnunquam conspiciendos. Quidam dicebat se videre tectum plenum Diabolorum. Hic mortem sibi postea conscivit.

Cernuntur et facta Diabolorum, ut mulier hic, ante bellum, obsessa, in puerperio interficiebat duos pueros, postea interrogata, dixit se nescire, quomodo haec facta fuissent.

Alii etiam multi homines non videntur obsessi, ut Iudas, qui tamen revera erat obsessus, ut textus dicit: *Intravit in eum Satanas.* Currunt iam fanatici homines, quales sunt Anabaptistae et alii, qui revera sunt obsesssi. Id apparet tunc potissimum, quando incanduerunt; tum enim prorsus fiunt insani, et effundunt blasphemas voces.

Fanatici habent nomen vel a *Fano*, vel a *Fari*, quia iactitant suas quasdam prophetias.

Haec sunt visibilia testimonia, quod sint Diaboli.

Postea plurima sunt dicta Scripturae, quae loquuntur de lapsu et rabie Diabolorum. Christus dicit: *Quando Diabolus mendacium loquitur, ex propriis loquitur.* Discernit substantiam Diaboli, et vitia secuta post lapsum. Postea addit, quod sit Spiritus mendax et homicida.

Ad mendacium referatur idololatria, qualis fuit apud Ethnicos, et adhuc est in Papatu. Quam est horribilis res invocatio sanctorum? Et quamquam non volunt videri Papistae, quod statuant ipsas statuas esse Deum, tamen magna idololatria est, quod putant Deum ad hanc, vel illam statuam magis esse praesentem et propitium, quam in alio loco.

Ad homicidium referatur ἐπιχαιρεκακία. Diabolus est causa calamitatum: lacerat quoquo modo Ecclesiam; et gaudet in calamitatibus bonorum, et insultat eis. Distrahit coniuges, filios, parentes: incitat homines ad caedes mutuas, et haec omnia facit tantum odio Dei, cum ei nihil prosit, imo ipse cumulat iram Dei et poenas suas.

Alibi Scriptura passim nominat *spiritum impurum,* quia delectatur obscoenitate, incitat homines ad incestas et turpes libidines; non ut ipsi melius sit, sed ut multa fiant contraria Deo. Scit enim horribiliter Deo displicere libidines. Nec solum Ethnici olim, sed etiam Papistae fascinati a Diabolo, miscuerunt multa obscoena religioni.

Fuit sacellum non procul a Torga, cuius aram, si gravidae nudae circumirent, gestantes agnum ex cera factum, et consecratum, promittebatur eis partus felicior. In sacello stabant spectatores illius turpitudinis.

Talis est ergo Diabolus, ut horribili odio feratur adversus Deum, et adversus nos, saltem ut Deo aegre faciat. Huic opponit se filius Dei, in quo est potentia divina, quae in isto homine se ostendit et exhibuit: quia haec persona, Deus et homo vincit istum serpentem, et quidem non tantum in sua persona vincit, sed etiam in suis membris. Nos pendemus quasi de collo filii Dei in ista natura, quam assumpsit: Ipse nos sibi adiungit tamquam membra, et gestat nos. Vult nos servare et defendere, et servat mirabiliter.

Cogitemus Ecclesiam omnium temporum. Quam nulla sunt firma praesidia humana? imo cogitemus singulas familias, quomodo sine defensione humana, tamen serventur a filio Dei inter horribiles insidias, quas eis struit Diabolus.

Unusquisque consideret, quae sibi accidant. Agit hoc Diabolus, ut infligat unicuilibet vulnus aliquod, et conatur nos avellere a Deo. Sed sanat nos filius Dei, ad quem sit directa assidue precatio; et in hac, cum consideramus malitiam, et astutiam Diaboli, teneamus hanc consolationem, quia Diabolus odio Dei, et Filii eius, nos odit; confidamus, quod eo magis Filius Dei velit nos sustentare, quia scit nos sustinere pericula propter ipsum.

Nec dubium est, propterea misertum esse filium Dei primorum hominum, et recepisse genus humanum, quia Diabolus odio Dei hoc egerat, ut perderet istam miseram massam naturae humanae, quam videbat tantopere diligi a Deo.

Plurimum differunt peccatum Adae et peccatum Diaboli. Adae peccatum, quamquam est horribile, tamen est dissimile peccato Diaboli. Est quidem contra conscientiam, et est tantum, ut homo ruat propterea in mortem, et avellatur a Deo, sed tamen est peccatum infirmitatis. Diabolus vero peccat peccato blasphemiae, quod est irremissibile. Ipse impellit Adam et Evam, quia odit Deum.

Ideo recipit Deus infirmam massam hominum. Idem nunc facit Filius Dei, vult esse victor etiam in nobis miserrimis hominibus.

Non cogitemus nihil esse periculi: Diabolum esse otiosum, ut cum pingitur in pariete; imo, *circumit tanquam leo rugiens, quaerens quem devoret.*

David quamquam vir sanctus, quam diros morsus Diaboli sensit, qui non hoc tantum egit, ut David raperet alterius coniugem, sed etiam impulit, ut interficeret Uriam. Postea implicavit eum labyrinthis poenarum et peccatorum, quae secuta sunt in familia ipsius, et toto regno, quia peccata sequuntur poenae, et poenis implicata sunt multa peccata.

Quam multa fuerunt peccata in seditione, quam movit Absolon! Multa millia sanctorum sunt dissipata, aut interfecta, matronae sanctae sunt constupratae. Horum peccatorum culpa aliqua fuit lapsus Davidis.

In tanto concursu malorum conatus est Diabolus Davidem impellere in viam Saulis, id est, in desperationem. Sed revocavit filius Dei Davidem ad poenitentiam, et erexit eum consolatione, et vicit Diabolum.

Cogitemus ergo utrumque in descriptione personarum dimicantium inter se, videlicet Filii Dei, et Diaboli; et quod astutissime Diabolus insidietur generi humano, et plaerumque longam telam texat; et quod tamen filius Dei proelietur pro nobis, et adhuc vincat Diabolum, quantumvis magna sit nostra infirmitas.

Quales sint tentationes Diaboli.

Haec est prima consideratio de personis. Postea etiam res sunt considerandae.

Ratio et de personis et de rebus errat. Cogitat naturam hominum esse talem, qualis nunc est, esse sic natam, ut sit prona ad voluptates. Putat malas motiones esse a natura, seu esse motus naturales.

Sed vox divina docet nos, hominem esse conditum cum rectitudine mentis, voluntatis et cordis. In mente debebat lucere fulgor sapientiae et notitiae Dei: In voluntate et corde debebat esse incendium veri amoris erga Deum.

Talis est homo initio conditus. Sed Diabolus impulit Adam et Evam in peccatum, et propterea misera natura hominum nunc subiecta est tyrannidi Diaboli. Sed missus est filius Dei, cui adiungere nos debemus, et agnoscere, nos non satis habere virium contra valentissimum hostem Diabolum, et tamen filium Dei valentiorem esse Diabolo.

Philosophi putant tentationes tantum esse naturales motus, sed nos certo statuamus eas oriri a Diabolo. Non est naturalis motus, quando incenditur Catilina ad seditionem faciendam, sed Diabolus incitavit eum mirabiliter, qui miscet se spiritibus cerebri et cordis, et turbat homines. Non igi-

tur putemus tentationes esse quiddam fortuitum aut naturale.

Nolo hic definire, utrum Diabolus Christo visibili aliqua forma apparuerit, et visibiliter cum eo collocutus sit, an vero offuderit ei cogitationes eiusmodi, quibus vehementer affectus fuit, et cum quibus diu luctatus est.

Potest fieri, quod etiam visibili specie, praesertim in deserto occurrerit Diabolus Christo, sicut saepe vexat hoc modo etiam summos viros; et boni quoque angeli nonnunquam se conspiciendos sanctis praebent.

Saepius tamen immittit Diabolus sanctis cogitationes, quibus turbat animos. Quomodo hoc fiat, non potest exponi a Physico, sed plaerumque sumit occasionem ab aliquo obiecto foris oblato; cum aliquis incidit in sodalitium, ubi sunt sermones impuri, Diabolus mox offundit imaginationes obscoenas, quibus incenditur animus. Saepe in convivio erumpit alicui inprobo homini ex suggestione Diaboli verbum aliquod, quo alius ita percellitur, ut incidat in acerbissimas cogitationes. Denique varias species aliis atque aliis obiicit, quae occasionem praebent venenatis cogitationibus.

Omnes homines aliquid istarum rerum experiuntur, et quidem magis exercent nos cogitationes eiusmodi, quas Diabolus offundit, quam externus conspectus. Ita fieri potest, ut Diabolus Christum vexaverit simul eiusmodi cogitationibus, quae fuerunt acres stimuli, et magni motus, et vehementes imaginationes. Sed omittamus hanc disputationem, quomodo tentationes Christi factae sint, et dicamus de significatione harum tentationum: Prius tamen de ipso vocabulo in genere aliquid monendum est.

Verbum *Tentare*, est formae frequentativae. Germanice significat *Einen haschen*, conari, ut teneas aliquem. Graecum *πειράζω*, significat, *experior*. Cum hoc congruit vox Germanica *versuchen*, id est, aggredi aliquid experiundo, an possis perficere. Est autem Germanicum hoc *versuchen* a quaerendo, seu vestigando, *von dem suchen*. *Ver* in compositione usurpatur in malam partem, et congruit cum Graeco, *παρά*. Exempla multa sunt in Germanica lingua. *verderben*, venit a *ver*, et *derben*, quod significat *brauchen*, *ἀποχρᾶσθαι*, paulatim consumere usu, vel etiam omnino perdere. Sic *verbeissen*, *verklagen*, *versagen*, et multa similia. Ita igitur *versuchen*, est tam diu quaerere, aliquem, donec implicetur laqueo: *Einem so lange nachgehen, biss man jhn in den strick bringet*. Ut quando Diabolus implicat primo Davidem incendio amoris, postea magis magisque eum involvit in scelera et poenas.

Genera tentationum in hac historia.

Iam quod ad historiam istarum tentationum Christi attinet, puto eas ideo expresse scriptas esse, quia in ipsius persona ostendunt praecipuas tentationes totius corporis Ecclesiae ab initio usque ad finem. Recitantur igitur tres gradus tentationum Christi, quae sunt imagines, seu exempla praecipuarum tentationum Ecclesiae. Imo in his ipsis tentationibus cernitur series et ordo calamitatum Ecclesiae ab initio usque ad finem. Primus gradus est Paupertas: alter, Curiositas: tertius, Cupiditas regni.

De primo gradu tentationis.

Primum Ecclesia vexatur paupertate, et propter hanc multi deserunt Ecclesiam aut ministerium. Loquor autem non tantum de inopia victus, sed etiam de aliis quibuscunque miseriis, periculis, et persecutionibus. Ecclesia saepe nullum habet receptum, nulla hospitia firma, nulla praesidia, nullam defensionem humanam. Qui experiuntur talia, sentiunt, quam saeva haec sit tentatio. Adeo enim languefacit quosdam sollicitudo de victu, ut consciscant sibi mortem. Denique late patet haec tentatio.

Plaerique pastores sunt pauperes, coguntur sustinere odia hominum, excutiuntur ex suis nidulis. Sic igitur et Christum exagitavit Diabolus, cum inchoaturus esset ministerium: voluit eum absterrere a ministerio. Proposuit ei pericula. Vide, si coeperis docere, venies in odium: patieris persecutiones: non habebis hospitium certum: non protectionem: sicut Christus ipse postea dicit: *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.*

Haec tentatio significatur in verbis illis Ironicis: *Si es filius Dei, dic, ut lapides fiant panes.* Scilicet tu vives ex lapidibus, scilicet tu habebis defensionem. Romani non defendent te, multo minus Pharisaei: eris invisus omnibus, eris ubique in odio.

Diabolici sermones sunt Sarcastici, ut quando ex obsessis loquitur, perpetuo ludit sarcasmis et salsis ironiis, *Redet spöttisch*. Talis Sarcasmus est in historia passionis: *Si Filius Dei es, descende de cruce*.

Sarcasmus habet nomen a rictu, *ἀπὸ τοῦ σαρκάζειν*, quando is, qui victus est, deridetur.

Talibus sarcasmis deridentur etiam nostrae Ecclesiae ab adversariis: Vos estis Ecclesia, sed qualem habetis protectionem? Estis miserrimi, estis conculcatissimi, et abiectissimi omnium. Multi

pii nunc exsulant cum familiis suis. Multi sancti iam sunt pulsi ex Anglia. Multi pii doctores vagantur incertis sedibus. Hi sentiunt hunc sarcasmum Diaboli, Scilicet tu es filius Dei, es membrum Ecclesiae Christi. Neque victum, neque hospitium, neque defensionem habes.

Eodem sarcasmo excruciantur multi deliberantes secum de vitae genere eligendo: Si fies minister Ecclesiae, si recte docebis, eris in miseriis, esuries cum tua familia. Forma huius orationis est conditionalis, et congruit cum Enthymemate: *Tu vis recte docere*: *Ergo patieris aerumnas*: Ponitur ratio in prima parte propositionis ironicae: Deinde additur consequens.

Hac tentatione de victu et defensione corporali vexavit Diabolus Christum per aliquot dies. Sed Dominus opponit ipsi verbum Dei. *Scriptum est*, inquit, *Non in pane solo vivit homo.* Ita nos debemus in omnibus tentationibus respicere ad verbum Dei, et quidem ad verbum vocale scriptum, quod tamquam clypeus opponendum est telis, et iaculis Diaboli. Diabolus pellitur et cruciatur per verbum; quia Deus est efficax per verbum contra Satanam. Pii verbo vincunt et sentiunt se vincere, quando experiuntur consolationem; idque observandum est contra Schwenckfeldium.

Est autem pulcherrima consolatio, quam citato dicto Moisis Christus recitat, eaque a nobis omnibus saepe multumque cogitanda est. Christus habet mandatum et vocationem, ut doceat: Debet igitur servire suae vocationi, et hoc faciens, erit Deo curae. Est enim Enthymema: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.* Ergo ego obediens vocationi vivam, sive habeam victum, defensionem, praesidia, sive non: sive fames, vel aliae calamitates me prement. Magis perspicua erit sententia, si integri syllogismi formentur, hoc modo:

Solus panis non vivificat: Vel, quod idem est,
Res vivificans, non est solus panis:
Ego relicto verbo, haberem panem solum:
Ergo non viverem: id est, non feliciter res succederet, etiamsi sequerer humana consilia contraria verbo.

Item: *Qui retinet verbum, vivificatur:*
Ego retineo verbum:
Ergo vivificabor, etiamsi tota natura rerum adversetur.

Accommodemus autem consolationem istam etiam ad nos, quia sententia istius dicti est generalis, et hoc significat: Vita est principaliter a Deo, et non tantum ex causis secundis; et Deus est agens liberrimum, nec est alligatus causis secundis, *wann Gott einen menschen erhalten will, so erhelt er jhn, wans allen Teuffeln leydt were.* Ita alibi dicit Moises: *Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum*: id est, homo vivit Deo sustentante et vivificante. Sic Ecclesia mirabiliter semper sustentatur in mundo, quamquam in magna infirmitate, quassationibus, tumultibus. Sic singuli, non ex solo pane, id est, non tantum praesidiis naturalibus servantur, sed homo vivit in omni verbo, id est, si adhaereat verbo, sustentabitur.

Sumamus ergo hinc regulam, quae est in Psalmo: *Subditus esto Deo, et ipsa faciet.*

Fac ea quae sunt vocationis tuae, et expecta auxilium a Deo; *Iacta in Deum curam tuam, et ipse te enutriet.* Dabit tibi victum, servabit te, sicut foetum in utero. Foetus non scit, quomodo vivat; Sic nos non scimus, quomodo vivamus.

Imperia quaerunt sua praesidia: Sed ea quoque sine auxilio divino non sunt firma. Dionysius dicebat, *Se relinquere filio adamantina vincula regni*, id est, ita firma, ut existimaret eum non posse excuti ex regno: et tamen est excussus, et periit in exilio. Hodie principes muniunt se opibus, exercitibus, habent domicilia instructa munitionibus.

Interea Ecclesia non habet certam sedem: Nostrae familiae non habent certos nidulos: sedemus non multo tutius, quam volitant in aere volucres. Sed sciamus tamen Deo curae esse Ecclesiam, et servari inter mundi tumultus, etiamsi fractus illabatur orbis. Singuli faciant officia suae vocationis, et Deo commendent exitum: singuli dicant, ego obediam verbo divino, et commendabo Deo paupertatem meam, miserias, pericula, famem: sicut Psalmus dicit: *Commenda Deo vitam tuam, et ipse faciet.*

Moises habebat mandatum Dei, ut educeret populum. Postea includitur ab una parte mari, ab altera montibus, a tergo habet hostes. Hic quid faciat? Respicit mandatum Dei, nec deserit stationem. Ideo inquit: *State et videbitis mirabilia Dei.*

In deserto dedit Deus Israelitis manna, singulis unum Gomor, id est, duos Choenices. Tam largiter pavit eos in deserto, sicut Paulus dicit: *Abunde dat ad frumentum omnia.*

Sic Deus dat nobis mirabiliter victum praeter cogitationes nostras, et quidem in tempore opportuno: Sic scriptum est: *Non vidi iustum derelictum.* Item: *Leones esurierunt, timentibus autem Dominum non deerit ullum bonum.* Antonius est leo, tamen sibi consciscit mortem. Saul est leo, tamen venit in desperationem.

Si quis delectatur allegoria, is potest conferre dictum (quod citat Christus) ad primos homines: *Non in solo pane vivit homo*, id est, non in epulis istius pomi, *sed in omni verbo Dei*, id est, Adam et Eva habuerunt verbum: *Ne comedas.* Si adhaesissent isti verbo, vixissent.

Sed retineamus generalem sententiam: Faciamus singuli laborem, quem Deus iniunxit, et vide-

bimus laborem nostrum non fore inanem in Domino.

Contra, Deus prohibuit, *Ne facias furtum*, ne moveas seditionem, ne deseras vocationem propter paupertatem, aut metum periculorum. Haec mandata si violaveris, attrahes tibi poenam: *Quia non in solo pane, sed in omni verbo Dei vivitur:* id est, Deus vivificat per suum verbum: et contra punit agentes contra verbum et vocationem.

De secundo gradu tentationum.

Iam venio ad secundam tentationem.

Christus deducitur super pinnaculum templi. Turres veterum aedificiorum non fuerunt cum talibus trigonis et pyramidibus sicut nostra tecta, sed fuit planities in summis turribus, potuerunt ibi fieri deambulationes. Fortassis Diabolus impulit Christum imaginatione, ut ascenderet tectum templi, nisi forte ipse eo traxit eum quovis modo, et ibi stanti iniecit tales cogitationes: Deiicias te, ut facias pulchrum miraculum; Quia Diabolus quaerit miracula inutilia, sicut est in historia Petri, et Simonis Magi, quando certarunt coram Nerone.

Ibi Simon Magus voluit subvolare in coelum: sed Petrus precatus est, ut decideret. Credo Apostolos habuisse magna certamina, etiamsi non omnia sunt scripta. Faustus Venetiis etiam hoc tentavit. Sed male est allisus solo.

Citat hic Diabolus dictum Sripturae: *Angelis suis mandavit de te.* Tu es Messias, nihil potest tibi mali accidere. Sed omittit: *in viis tuis;* quia vult Christum ducere extra viam? vult eum facere miracula ambitiosa, quae applausum et admirationem vulgi moveant.

Verum Christus habet alia miracula, et testimonia illustriora, ut resuscitationem mortuorum, quae est maior, quam demissio de turri.

Nihil dubium est, quin hoc significetur: Quod, quando eluctata est Ecclesia ex prima tentatione de paupertate, et persecutione, tunc sequuntur tentationes eorum, qui sunt in pinnaculo templi, id est, Doctorum et gubernatorum Ecclesiae, ut quaerant nova dogmata, vel cultus.

In prima Ecclesia, cum cessassent persecutiones, statim motae sunt multae horribiles haereses.

Idem accidit singulis hominibus. Postquam desierunt esse solliciti de victu, mox cogitant de movendis non necessariis, id est, sequitur curiositas, quod est ingens et perniciosum malum. Dicamus primum de disputationibus dogmatum.

Samosatenus stat in pinnaculo templi, est in loco celso, est Episcopus Antiochiae, ubi fuit sedes Petri, admiratur suam eruditionem, eloquentiam, et caetera dona ingenii: Deiicit se de templo, id est, discedit a simplici doctrina tradita divinitus, et fingit novas Phantasias; negat *λόγον* esse *ὑφιστάμενον*, cogitat absurdum esse, dicere Deum habere filium, vult removere hanc absurditatem. Quaerit novos colores, quibus corrumpat textum Ioannis: *In principio erat verbum.*

Sic Arrius stat in pinnaculo templi, est in loco celso, sedet in fastigio Ecclesiae, est eloquens: Deiicit se, id est, spargit novum dogma; fingit Filium esse excellentissimam creaturam, ex nihilo conditam.

Idem fecerunt caeteri haeretici, Nestorius, Eutyches, Pelagius, et alii, qui fiducia ingenii et sapientiae suae deiiciunt se de templo, movent nova dogmata. Alii excogitarunt novas traditiones, quaesiverunt cultum Dei in Monachatu, invenerunt caelibatum. Talia cito irrepserunt in Ecclesiam. Nunc etiam, quam multum est disputationum!

Pauci retinent sinceritatem doctrinae; Multi sunt sapientes reformatores, arrogant sibi sapientiam, volunt omnia reformare; indulgent suis speculationibus, distrahunt Ecclesiam, turbant doctrinam recte constitutam, ut concilient sibi novitate dogmatum applausum vulgi: quia vulgus tale est, ut admiretur et amet nova, sicut Thucydides de suis civibus ait, *quod fastidiant usitata, et admirentur absurda.* Talis vere est haec nostra aetas.

Osiander dicit nos praedicasse dimidiatum Christum, se vidisse integrum Christum, invenit novum vocabulum Iustitiae essentialis; Dicit hominem non iustificari sanguine Christi, sed iustitia essentiali. Nos vero non tollimus effectionem Christi in nobis, sed docemus hominem placere propter obedientiam filii: Quia, quamvis Filius Dei est efficax in homine, tamen homo est iustus non propter illam efficaciam, seu iustitiam essentialem, sed propter obedientiam filii.

Sic Servetus habuit applausores suos, sparsit dogma contra Divinitatem filii Dei.

Schwenckfeldius extenuat verbum vocale.

Est et in iuventute valde usitata haec tentatio. Delectantur multi prodigiosis disputationibus, turbant et movent, quae non erant vocanda in dubitationem, et quae temere mota obscurant lucem ac veritatem doctrinae. Hoc etiam est diicere se ex pinnaculo templi.

Postea in vita communi, quantum est bellorum et tumultuum non necessariorum inter principes! quantum licentiae in homines privatos! et tamen praetexuntur figmentis novorum dogmatum et cultuum, item actionibus curiosis autoritates et dicta Scripturae: sicut hic Diabolus allegat mutilatam sententiam Psalmi.

Est vetus hoc apud Demosthenem, quod ii qui volunt fallere, citant mutilatas leges: Ideo in-

risconsulti dicunt: *Oportet integram legem aspicere, non mutilatam.* Haeretici citant Scripturas, sed faciunt fallaciam compositionis et divisionis.

Adolescentes indulgent suis cupiditatibus, vagantur noctu, accersunt sibi pericula non necessaria, hi etiam falso praetexunt promissiones de custodia angelorum. Viae, in quibus custodiunt nos angeli, sunt opera vocationis legitima. Ergo in viis nostris custodiunt nos angeli, id est, in vocatione, in operibus, quae Deus ipse praecipit.

Adulter non debet habere hanc imaginationem, volo accedere ad adulteram, Deus me defendet: imo vero ora Deum, ut te defendat in illis operibus, ubi servis tuae vocationi.

Deiicere se in aquas quadam petulantia non est opus vocationis, non prodest proximo, non est aliquid necessarium, est ludus ad ostentationem: Ad talia impellit Diabolus, et hoc est se deiicere, quia hoc etiam valde late patet: etsi maxime concinnum est, potissimum referre ad audaciam in fingendis novis dogmatibus.

Opponit autem Christus huic tentationi rursus dictum Scripturae: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Est autem tentare Deum fiducia propriae sapientiae, vel virium, id est, iustitiae aut potentiae, discedere ab ordinatione Dei, vel vocatione, et suscipere rem non necessariam; quasi velis aut possis aliquid melius facere, quam est praescriptum in verbo, aut sancitum in ordine divinitus instituto.

Diabolus ostenderat Christo, ut faceret, quod coram populo esset gloriosum, sed non necessarium. Id nominat Christus tentare Deum. Sic universaliter, qui currumpunt doctrinam, aut cultum a Deo traditum, tentant Deum, quia discedunt a verbo.

Haeretici habent fiduciam sui ingenii, calliditatis, volubilitatis linguae, magnifaciunt applausum populi, ideo conantur aliquid melius facere, quam est in doctrina a Deo tradita.

Monachi instituentes suos cultus, iudicarunt se perfectiora praestare posse, quam praecipitur in verbo. Ideo excogitarunt res novas sine verbo, et mandato Dei, imo contra mandatum Dei.

Scimus coniugium esse ordinationem divinam, Deum condidisse naturam, ut sit foecunda, velle legitime coniungi marem et foeminam, et severissime prohibere vagas libidines: Et tamen Pontifices confidentes suae sapientiae condiderunt legem, qua prohibuerunt coniugium: putarunt ad retinendam suam potentiam expedire coelibatum. Suscipiunt igitur rem non necessariam, quamquam speciosam. Et cum manifestum sit, non omnes idoneos esse ad coelibatum, tamen spreta ordinatione divina, tentant Deum.

Hoc est crassissimum exemplum, quod agnosci ab omnibus potest: Imo Pius secundus Pontifex ultro fassus est, fuisse aliquas causas adimendi sacerdotibus coniugium, sed multo maiores esse restituendi: Et tamen potentes tuentur coelibatum, tantum ne fiant dilacerationes bonorum Ecclesiasticorum, sicut Rex Polonicus dixit: *Oportet me alterutrum facere, permittere peccata contra sextum, vel contra septimum praeceptum.* Si permitto sacerdotibus coniugium, imminuentur bona Ecclesiastica.

Tales sunt cogitationes sapientiae humanae, *Sie wollens besser machen.* Ita tentant Deum, Anabaptistae, *Die wollens auch besser machen.* Conferamus, inquiunt, bona nostra, ita erimus boni Christiani. Item debemus habere maiorem dilectionem, ideo communicabimus uxores.

In Numeris prohibebat Deus, ne procederent Israelitae, et tamen quidam procedebant, volebant esse animosiores, et magis zelosi: sed acceperunt magnam cladem. Id etiam erat tentare Deum.

Sic Petrus inquit [Actor. 15.]: *Quid tentatis Deum imponentes iugum gentibus, quod neque vos, neque patres vestri ferre potuerunt?* Erant tunc ex discipulis Apostolorum aliqui, qui non volebant mutari politiam patriam. Cogitarunt pulcrum esse, si politia ista maneret. Sed Petrus hoc nominat tentare Deum; quia cogitatione propriae sapientiae peccabant: et hoc agebant, ut illaquearent conscientias.

Mahomet multo magis tentavit Deum, mutavit totum genus doctrinae, innovavit legem, removit Evangelium, excogitavit novam doctrinam. Putavit, si omnes homines et angeli convenirent, non posse eos facere meliorem legem. Accomodavit doctrinam suam ad formam Imperii, quod constituit.

In summa, tentare Deum non est peccatum infirmitatis, sed est scientem et volentem fiducia suae sapientiae discedere a verbo vel ordinatione Dei, vel a vocatione, et certare sapientia cum Deo, et hoc quod scis esse iniustum, velle tueri ac defendere.

Pleraque negotia in Ecclesia, Republica et vita privata corrumpuntur persuasione propriae sapientiae, *dass mans wil fein machen, viel klügeln und besser machen.* Habemus ordinationem divinam, habemus singuli vocationem certam; debemus igitur immorari verbo, debemus sequi ordinationem Dei, et manere intra metas vocationis. Id cum non facimus, accersimus nobis et aliis pericula, quae videntur leviora, quando ad unum aliquem illa pertinent. Sed publica sunt graviora.

De tertio gradu tentationum.

Tertia tentatio est omnium maxime horribilis: quia in hac, tanta est impudentia Diaboli, ut postulet se adorari, et quidem a tam praestanti persona, quia sive suspicatus sit ex multis circumstantiis, quod Messias esset, sive ignoraverit esse Messiam (ut credibile est, quod Deus voluerit eum aliqua celare) tamen vidit esse hominem praestantissimum, et hunc vult inducere, ut adoret ipsum, et offert ei imperium totius orbis terrarum, cum tetro mendacio: quasi in sua potestate habeat regna mundi. Daniel expresse dicit: *Deus est qui stabilit, et transfert regna.* Imperia, politiae, et quicquid est ordinis politici, sunt Dei opus. Servantur a Deo, non a Diabolo, qui tantum facit destructiones, non aliter, quam lupus irruens in gregem ovium, turbat gregem illud. Quod autem servatur in illo grege, servatur diligentia pastoris. Deus ut fidelis pastor servat politias, et dat aliquos fideles custodes. Diabolus et huius organa, latrones et tyranni sunt velut lupi, et turbant politias, tamquam gregem. Hac imagine saepe soleo uti, ut monstrem discrimen ordinis politici, et perturbationum, quae aliunde accedunt. Sed nunc mentionem huius imaginis facio, ut hinc etiam appareat, quam insigne sit hoc mendacium Diaboli, cum Christo seducto in montem sublimem, monstrat ei magnum terrae tractum, et dicit: *Haec omnia mea sunt:* Palam et impudenter mentitur spiritus mendax. Non sunt regna mundi in potestate Diaboli. Ipse non potest illa dare suo arbitrio, cui velit. Deus permittit ei, ut rebus a se conditis, et quas ipse servat, abutatur, et varie grassetur in genere humano, sicut permittit Caligulae aut Neroni, ut potentia imperii Romani abutantur. Nec tamen verum est, mundum esse Neronis aut Caligulae.

Et tamen hoc mendacio audet Diabolus impellere Christum, ut relicto ministerio invadat regnum, constituat se regem contra mandatum Dei, et ut potiatur regno, postulat ab eo adorationem: quae est manifesta idololatria. Sed significatur, omnibus temporibus hoc fieri, ut conentur aliqui Ecclesiam vertere in regnum per cultum idololatricum, etsi politici quoque gubernatores stabilire sua regna solent per idololatriam.

Sumamus ipsum Nabuchodonosor. Constituit cultum idololatricum: vult consociare imperium per novum cultum, quem instituit. Invehit novam religionem, ut confirmet suam potentiam, et auctoritatem.

Antiochus similiter facit. Vult in suo regno esse unam religionem, quamquam impiam. Convertit templum Domini in templum Iovis Olympii: Celebrat Ierosolymis Bacchanalia, quod est horrendum auditu in populo Dei.

Inprimis vero accommodatio fiat ad manifestam et horribilem idololatriam, quae constituta est in regno pontificio istis postremis temporibus. Est enim nervus ac basis illius regni, Idolum Transsubstantiationis, prophanatio coenae Domini in Missis venalibus et funebribus, doctrina impia de meritis humanorum operum, et de retinenda dubitatione, Invocatio sanctorum, similis Ethnico cultui, quo invocabantur homines mortui. Per hos nervos stat regnum pontificium, et hanc totam idololatriam defendunt Papistae ad retinendas opes et potentiam suam. Multi etiam ex nostris deficiunt ad Papistas, ut fruantur commoditatibus istius regni, etiamsi intelligant se implicari isti idololatriae.

Profecto est horribile idolum, quod *Missam* Pontificii vocant, cuius haec duo sunt fundamenta, manifeste falsa: Opinio de praesentia Corporali Christi sub specie hostiae: et opinio de oblatione: quem cultum ita necessarium esse putant; ut, nisi sacerdos faciat illam oblationem, existiment Deum iratum fere universo generi humano.

Sic etiam constituta fuit potentia regni Pharisaici in populo Iudaico. Dicebant esse instituta sacrificia, tamquam cultum praecipuum, quo oportet satisfieri pro peccatis populi: Dicebant sacrificia illa mereri remissionem peccatorum, delere peccata. Ista opinio, quae vere fuit idololatrica, retinebat populum. Adulteri sacrificabant, ut possent impune exercere adulteria, sicut in papatu adulteri, et alii flagitiosi fundarunt Missas, ut haberent remissionem peccatorum.

Labefactatis nervis idololatriae, bene videbant Pharisaei, labefieri suas opes, potentiam, autoritatem. Ita Pontificii dolent diminui hodie potentiam et quaestum suum, patefacta luce veritatis Evangelicae. Potuerunt ante haec tempora Monachi singulis annis habere ex conductione et locatione Missarum Norimbergae aureos sexcentos non minus, in singulis coenobiis.

Imperator, et summi reges, et multi alii viri sapientes adhuc detinentur in ista persuasione, Oportere esse tale sacrificium, et non posse fieri nisi a talibus personis, ordinatis a Romano Pontifice et Episcopis: sunt fascinati hac opinione: quod nisi fieret illud sacrificium, Deus deleret totum genus humanum. Haec persuasio facit, ut summi Monarchae velint conservari istum statum, et ut pugnent pro dignitate istius status, et omnibus viribus conentur exscindere et extirpare contradicentes.

Turci etiam constituerunt suum imperium praetextu novae religionis. Fingunt aliquid esse Deum, quod non est Deus. Dicunt Deum esse condito-

rem et conservatorem generis humani, et naturae universae: Gloriantur se colere illud nomen omnipotens: sed tribuunt illa quae sunt propria veri Dei, suae imaginationi. Deus vult sic agnosci, et coli, sicut se patefecit, non vult suas proprietates tribui ulli commentitio numini, quale revera est, quod Turci fingunt, se colere Deum conditorem coeli et terrae, omnipotentem et opitulatorem, cum execrentur Deum, patrem Domini nostri Iesu Christi: negent Christum esse filium Dei: negent Spiritum sanctum esse Deum cum patre et filio.

Ita videtis significatum esse in ista tentatione, quod regna, potentia, opes, stabiliantur per idololatrias.

Dolendum est autem, similia fieri in negotiis privatis. Diabolus quos non potest evertere per egestatem, aut per admirationem donorum suorum, eos evertit saepe monstratis honoribus, divitiis, splendore huius mundi; persuadens eis, ut ad bona illa externa acquirenda, augenda, retinenda, adiungant se coetibus idololatricis, ineant societatem cum Magis, agant iniuste cum defraudatione aliorum, adiuvent saevitiam tyrannorum, dissimulent aut abiiciant confessionem veritatis. Haec omnia quid sunt aliud, quam intueri magnificentiam huius mundi et adorare Diabolum?

Cum Dux Saxoniae Georgius hac conditione fratrem Henricum et eius filios, Mauritium et Augustum testamento fecisset haeredes, ne quid in forma religionis mutarent: alioqui ditionem omnem Caesari et Ferdinando Regi legasset, si conditio illo non impleretur: missi fuerunt legati ad Ducem Henricum, qui cum variis argumentis uterentur persuadendi eius causa, praecipue autem hoc dicerent, Multum esse paratae pecuniae, multum exquisitae supellectilis, et argenti plurimum; quae sit consecuturus omnia, modo voluntati fratris morem gerat. Tum Duc Henricus: Legatio, inquit, ista plane mihi repraesentat illud, de quo scriptum est in sacris literis, cum Satanas polliceretur Christo totius mundi regna, modo procumbens ad pedes ipsum adoraret. Sed non sunt apud me tanti ullae opes, ut earum causa velim a veritate agnita, et pura religione discedere.

Hoc accepto responso cum legati discederent, antequam domum rediissent, cognoverunt ducem Georgium interea e vita decessisse.

Christus hic iratus, etiam non vult disputare amplius cum Satana, sed abigit eum. Significat cum defensoribus manifestorum idolorum frustra disputari, et esse tales fugiendos, et cum zelo Spiritus, ac indignatione quadam reiiciendos.

Dedicto:

Dominum Deum tuum adorabis, etc.

Citat vero primum praeceptum Decalogi: *Dominum Deum tuum adorabis, et soli ipsi servies.* Id praeceptum continet etiam doctrinam superiorum tentationum. Non est enim discedendum a Deo metu miseriarum, sed obtemperandum ei est, etiamsi accedat paupertas, persecutio, aut aliae calamitates. Si non est discedendum a mandatis Dei, aliqua curiositate. Sed Christus praecipue accommodat ad imaginationes et spes potentiae, opum, regnorum huius mundi, quorum causa stabiliantur idololatriae, quae interdum ita sunt speciosae, ut existimentur esse iuveni cultus Dei.

Sicut Imperator Carolus dixerat ad Comitem Wilhelmum Nassoviae: *Missa est meum cor: hanc non patiar mihi eripi.* Et Granvellanus dicebat Ratisbonae ad me: *Potius omnia regna sua in discrimen adduci patietur meus Dominus, quam ut patiatur Missam nominari idololatriam.*

Rex Gallicus, Anglicus, Polonicus, et alii dicunt: Oportet nos tolerare vitia quaecunque sunt in religione; quia Respublica bene est constituta: Regna nostra sunt in tranquillo. Si volumus corrigere illa vitia, tum erunt maiores confusiones omnium rerum: Si mutabimus potentiam Episcoporum, aulae nostrae vastabantur, quia Episcopi gubernant illas aulas. Est penes illas summa potestas. Si igitur ista mutabimus, tum decus regni nostri, et illa florentissima species interitura est, et tamen venient alia maiora mala.

Hoc est speciosum argumentum apud viros politicos. Sed omnia ista debent cedere primo praecepto. Quando agnita est idololatria, debet fieri mutatio, sive ruat mundus, sive coelum ruat.

Continentur et aliae multae ac magnae res in hoc dicto: *Dominum Deum tuum adorabis.*

Quare dicit: *Dominum Deum tuum? Cur coniungit appellationem Dei et Domini?*

Respondeo: *Dominus* additur appellationi Dei, ut discernat verum Deum patefactum in populo Israel, ab omnibus commentitiis numinibus. Sacrae literae tribuunt Deo singulare nomen *Iehova*, ut discernant eum a Diis gentium. Ideo additur et pronomen *Tuum*, ut intelligas illum Deum, qui se patefecit verbo manifesto et testimoniis divinis in hoc populo, et qui dixit, se velle esse Deum istius populi.

Turci, Iudaei et omnes reliquae gentes discedunt a verbo Dei, et non vere invocant, quia non ita invocant Deum, sicut se patefacit. Nos quando oramus, debemus cogitare, quem Deum invocemus, nempe illum Deum, qui se patefecit in Ecclesia certis testimoniis, misso Filio, et data voce Evan-

gelii. Non compellatur verus Deus, nisi compelletur ille Deus, qui se patefecit in Ecclesia certis testimoniis.

Patres habuerunt sua testimonia, donec facta est eductio Israelitarum ex Egypto, quae allegatur in Decalogo: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Aegypto. Tuus*, id est, qui se tibi patefecit, et vult tibi esse in Deum, vult te invocantem exaudire, vult tibi opitulari.

Ad hunc Deum petefactum in verbo suo deducimur etiam in formula Baptismi: *Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, id est, invocato hoc vero Deo, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, qui misit Filium, ut fieret pro te victima, et dat Spiritum sanctum, et sanctificat te.

Haec ergo norma invocationis semper retinenda est: *Dominum Deum tuum adorabis.* Loquitur autem hoc dictum de vera adoratione, seu invocatione Dei, non de gestibus, quos homines solent adhibere, ut flectant genua, ut aperiant caput. Illa adoratio propriissime sic dicta, est tribuere alicui ea quae sunt propria Dei, esse omnipotentem, ubique adesse, esse omniscium, inspicere corda, exaudire, iuvare, esse conditorem, esse conservatorem rerum omnium, dare vitam, iustitiam, et salutem aeternam. Haec non possunt tribui ulli rei creatae sine manifesta idololatria.

Postea sequitur exclusiva: *Illi soli servies; Illum solum timebis.* Seiungit rursus omnia commentitia numina. Et monet non debere misceri religiones, sicut multi sunt omnibus temporibus, qui student conciliationibus dogmatum. Etiam in veteribus libris, cum volunt aliqui probare Christianam religionem, citant testimonia ex Platone, et aliis Ethnicis sanioribus, et dicunt Ethnicos habuisse eandem religionem, quam habent Christiani. Tertullianus male loquitur, cum inquit ad Ethnicos: *Vos colitis Deum per Orphea, Iudaei per Mosen, nos per Christum.* Et addit: *Sicut vos dicitis, Fatum esse sapientiam Dei: Sic nos dicimus, λόγον esse consilium Dei.* Ita Samosatenus Platonicorum Ideam voluit conciliare cum λόγῳ. Has confusiones religionum intelligere, et fugere, et execrari debetis.

Vocabulo *serviendi* complectitur omnes cultus Dei. Sic autem servire debemus Deo, sicut ordinavit. Debet ille finis esse principalis et ultimus adorationis et aliorum officiorum, ut colas illum solum verum Deum iuxta verba traditum: non facias cultus extra ordinem in verbo praescriptum.

Ita hoc praeceptum alligat nos ad Deum patefactum, et ad modum colendi Deum, qui est traditus in verbo. Repetatur igitur hic definitio cultus Dei.

Quid est verus Dei cultus?

Est opus mandatum a Deo, factum in fide, vel praelucente fide, id est, fiducia mediatoris: cuius operis finis mediatus vel immediatus est, ut Deus honore afficiatur.

Tua studia sunt cultus Dei suo ordine: non quod immediate Deum honore afficias, cum discis Grammaticam, sed mediate. Ideo enim discis, ut intelligas sermonem sacrum, et alios postea erudias et doceas, propages doctrinam, et conserves gloriam Dei.

Monachi dixerunt suas observationes esse talia opera, quibus immediate Deus honore afficiatur: sed errant in utroque. Non serviunt Deo iuxta mandatum ipsius. Deinde non servant ordinem etiam in rebus mediis. Illa conturbatio ordinis facit opus vitiosum.

Finis primi praecepti immediatus est, ut Deus honore afficiatur: cum eum times, cum ei confidis. In aliis praeceptis, *Non occides: Non moechaboris*, etc. sunt fines multi subordinati: Opera istorum praeceptorum sunt cultus Dei, sed mediate: quia obiecta proxima sunt homines, cum quibus tibi agendum est. Et tamen cum praestas illa opera, ut Deo obedias, et servias ei secundum ordinem, quem ipse instituit, colis Deum.

Debet autem in his omnibus accedere fides, ut statuas te vere recipi a Deo, tibi vere remitti peccata, te ipsum placere Deo, et haec tua opera mandata a Deo probari ei: idque propter mediatorem, extra quem non potest coli, neque vult se honore affici Deus, iuxta dicta illa: *Qui non honorat filium, non honorat patrem.* Item: *Nemo accedit ad patrem, nisi per filium.*

De exitu tentationum Christi.

Postremo dicitur in textu: *Angeli accesserunt et ministrarunt ei.* Significatur illud acre certamen secutam esse consolationem divinam: cuius testificatio fuit ministerium angelorum. Sic perseverantes in verbo Dei, experiuntur tandem gloriosam liberationem, et manifesta testimonia praesentiae et opis divinae.

Cogitur item Diabolus hic discedere. Id est testimonium, quod sit victus, et quod Christus vere extiterit victor. Ideo fiducia huius victoris filii Dei debemus accedere ad Deum, et invocare eum, et resistere tentationibus Diaboli: quod fit, quando coniungimus cum invocatione diligentiam vitandi occasiones. Ioseph tentatur non tantum a muliere, sed etiam a Diabolo. In illa tentatione

haud dubie armavit se contra Diabolum invocatione et fide iuxta promissionem, et ita vicit. Sed tamen vitavit etiam occasiones: non assedit, non lusit cum muliere. Multi pereunt, quia non invocant Filium Dei, et ipsi accersunt occasiones lapsuum. Paulus iubet nos *accurate ambulare, non ut fatuos*: id est, non vult nos accersere occasiones peccandi. Sed haec diligentia non satis praesidii nobis affert. Ideo accedere debet invocatio, qua petamus nos servari a filio Dei, victore Diaboli.

DOMINICA REMINISCERE.

Evangelium Matthaei 15.

Et egressus inde Iesus, secessit in partes Tyri et Sidonis.

Explicatio circumstantiarum Temporis, et Locorum.

Continet haec narratio exemplum valde illustre verae et ardentis fidei, quod semper in conspectu esse debet in omni invocatione. Sed primum considerandae sunt circumstantiae temporis, loci, item πάθη pulcherrima, quae in hac historia exprimuntur.

Textus Evangelistae paula ante facit mentionem secessionis Christi ex Galilaea in desertum, ultra ripam Iordanis Septentrionalem. Haec secessio accidit non diu post Baptistam interfectum ab Herode Antipa, qui erat Tetrarcha Galilaeae. Nunc igitur regreditur Christus, et traiecto lacu Genezareth, transiens per Galilaeam, confert se ad extremos limites Palaestinae, id est, ut hic dicitur, in partes, seu confinia Tyri et Sidonis, quae fuerunt maritimae urbes Phoeniciae.

Nam quia Herodes ei insidiabatur: voluit Christus ad ea loco accedere, quae immediate erant sub Imperio Romanorum, ubi nihil iuris habebat Herodes.

Loca inspicienda sunt in talibus, et certe debebant adolescentes saepe inspicere tabulas terrae sanctae. Est enim iucundum, considerare vestigia Christi, et itinera eius.

Helias quando fugit extra terram Israelitarum, etiam fugit in loca maritima versus Tyrum et Sidonem, ut minus esset ei periculi a regibus Samariae. Nam Sidoni vicina fuit Sarepta, ubi habitavit vidua Sareptana, quae praebuit Heliae hospitium tempore famis. Ac fieri potest, ut propter memoriam Heliae Christus libentius accesserit ad illa loca, in quibus multae magnae res gestae sunt, et ubi consentaneum est mansisse reliquias scholae propheticae.

Nomen *Sarepta* significat officinam coquendi metalla: *Eine schmelzhutte, oder seigerhutte*, a *Zaraph*, id est, exussit, excoxit, conflavit. *Zarpath* vel Sarepta, est conflatorium; quia ibi fuerunt conflata metalla, quae colligebantur in vicinis locis. Argentum nascitur in suo quodam genere lapidum; ideo oportet fieri separationem materiae purae ab impura, quae vocatur Scoria, *Schlacken*; et puto scoriam esse a σκῶρ, id est, *stercus*. Separatio ergo scoriae ab argento nominatur excoctio seu purgatio argenti, etsi idem fit etiam in caeteris metallis; et haec est vera Alchimia, non Sophistica.

Scriptura saepe huc alludit, ut in illo insigni dicto Salomonis [Prov. 30.]: *Omnis sermo Dei purgatus est clypeus confidentibus.* Oportet verbum Dei quasi purgatum esse in mentibus studio, et experientia spirituali in terroribus et consolationibus, et hoc verbum instar clypei apprehendendum est, ut opponatur tentationibus, et insidiis Diaboli.

In illa vicinia etiam fuit materia copiosa, ex qua conflari potuit vitrum, cuius fundendi ars primum in istis locis inventa fuit, quia, cum ad pellendum frigus aliquando ignis in arena accensus esset, animadversum fuit, arenam liquari in massam pellucidam. Postea paulatim industria artificum exculta fuit ars illa, faciendi vitrum, ex qua magnum quaestum habuerunt Sidonii. Et certe ars illa est egregia. Si non esset res tam vulgaris et communis, superaret vitrum omnes gemmas, quia est maxime perspicuum, et praebet multiplicem usum.

Sidon est antiquior Tyro. Habet nomen a filio primogenito Canaan. Canaan autem, a quo Cananaei sunt dicti, fuit filius Cham, et Cham fuit filius Noe natu minimus, cui pater maledixit, quod contumeliose exagitasset nuditatem dormientis patris. Haec maledictio oppressit tandem posteritatem eius, iuxta versum illum, qui est apud Theocritum, haud dubie sumptus a sanctis patribus; quia gentes multas bonas sententias quasi per manus traditas acceperunt a patribus; et quia cum lege congruunt, retinuerunt eas. Versus hic est:

Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώïα, δυσσεβέων δ' οὔ.

Id est, *Piorum liberis contingunt meliora, Impiorum non item.* Est idem, quod Psalmus inquit: *Generationi rectorum benedicetur*: id est, Deus benedicit posteritati eorum, qui ipsum timent, colunt, et recte invocant. Contra vero vagantur poenae in tota posteritate propter impietatem parentum.

Est etiam alius versus memorabilis, qui tribuitur Orpheo: *Δειναὶ γὰρ κατὰ γαῖαν ἐρίννυες εἰσι τοκήων. Furiae*, seu, *dirae parentum sunt admodum saevae et atroces per universam terram.* In oppido Freyberg in Misnia, pater quidam iussit filium exsequi negotium quoddam. Filius sive contumacia,

sive alia de causa diu moratus est, nec progredi voluit. Pater iratus in haec verba prorupit: *Ey stehe, das du dein lebenlang da stehen mussest!* utinam istic per omnem vitam tuam stes. Ille mox ita fixus et immobilis ibi stare coepit, ut non potuerit inde abduci; Aut si per vim ex eo loco abstraheretur, tantos cruciatus sentiret, ut statim in eum locum reducendus esset. Ita stetit similis consternato multis annis, parum comedens et bibens, et lenta tabe contabescens. Factum est ante eum pulpitum, ad quod se inclinavit nonnunquam dormiens. Haec est verissima historia.

Plurimi viderunt illud triste spectaculum, cuius consideratio parentes et liberos monere debet de suo officio, et de ira Dei. Parentes non sint praecipites in male precando filiis, praesertim ob leves causas; Liberi vero non irritent contumacia sua indignationem parentum.

Saepe autem differtur effectus maledictionis divinae. Cham maledictus est, ut esset servus fratrum suorum, et tamen posteritas eius aliquamdiu floruit, occupata amoenissima et fertilissima parte orbis terrarum, Aegypto, Cyrenaica, Libya, Palaestina, Phoenicia.

Nomen Canaan significat mercatorem, *ein Kauffman*, qui negotiando acquirit pecunias. Sidon significat venatorem. Hi ergo occuparunt terram istam, quae nominata est regio Canaan, cuius pars littoralis postea dicta est *Phoenicia*, sicut ipsa terra Canaan dicta est *Palaestina*.

Phoeniciae nomen est a φοίνιξ, quod significat *palmam*, cuius arboris fructus sunt palmulae, seu dactyli. Palaestina habet nomen a Philistin, qui fuit unus ex filiis Canaan.

Galilaea fuit limes Palaestinae ad Phoenicen, et inde nomen accepit; quia vox *Galilaea* significat regionem limitaneam, quod nos Germani dicimus *eine marckt*. Fuit Galilaea inter Palaestinam et Phoeniciam.

Non est dubium, quin in littore Phoeniciae prima fuerit mercatura, aut certe celeberrima propter vicinitatem maris mediterranei. Nam ex littore illo navigabant in Aegyptum, et advehebant merces, quas in Syriam, Assyriam, et Chaldaeam vehebant, et per mare mediterraneum potuerunt navigare in Africam, in minorem Asiam, in Europam. Ex illa opportunitate situs factum est, ut propter mercaturam locupletissimae fierent illae civitates, quae erant in Phoenicia, inter quas primae fuerunt Sidon et Tyrus.

Fuit autem Tyrus colonia Sidonis. Nomen Tyri est a *zor*, id est, a rebellione. Etiam Saxones literam *Z* mutant in *t*, pro *Zorn* dicunt *torn*. Sic litera *z*, lingua Syriaca mutata est in *t*. Credo aliquos cives opulentos per seditionem discessisse ex Sidone, et quaesivisse sedem in eo loco, ubi Tyrus ab eis est condita.

In historiis valde celebris est eversio utriusque urbis, quae non longo temporis intervallo accidit. Nam Sidon ab Ocho rege Persico est eversa. Non diu post, circiter annos 20. eversa est Tyrus ab Alexandro Magno. Ac scribit Diodorus Siculus, cum urbs Sidon esset inflammata, periisse circiter quadraginta millia hominum. Tyro expugnata, Alexander duo millia suspendit, et multa millia vendidit. In ipsa vero expugnatione trucidata sunt circiter septem millia. Cogitemus, quanta haec fuerit calamitas.

Item cogitemus, quam saepe magnarum urbium et gentium vastationes fiant, cum Deus excitat potentes Monarchas, ut sub initium Monarchiae Cyri, Minor Asia ita vastata est, ut emissae sint ex multis urbibus Ioniae magnae hominum multitudines, ex quibus multae sunt demersae in mare. Aliquae venerunt in littus Gallicum, ubi condiderunt Massiliam. Cum Alexander coepit regnare, cepit Thebas, ubi triginta millia hominum trucidata sunt. Inter alias autem urbes etiam Tyrum cepit.

Haec exempla intueamur, ut sciamus horribiles poenas vagari per mundum. Cogitemus saltem, quales nostris temporibus vastationes factae sint a Turca!

Qualis fuerit ista mulier.

Haec mulier, cuius in hodierna narratione fit mentio, nominatur ab aliis Evangelistis *Cananaea*, ab aliis *Graeca* et *Syrophoenissa*. Hae appellationes ostendunt fuisse mulierem Ethnicam, idque Christus significat, cum quasi repellens eam inquit, *Se non esse missum, nisi ad oves de domo Israel*.

Cum populus Israel introductus esset in terram Canaan, delevit magna ex parte posteritatem Cham, atque ibi effectus maledictionis Cham apparuit, cumulatis sceleribus propter quae terra eos evomuit. Sed tamen reliquiae aliquae manserunt de posteritate Cham.

Et nominant Evangelistae Graecos, quicunque non sunt Iudaei, id est, qui non sunt ex posteritate Abrahae, sed Ethnici. Syrophoenissa autem dicitur haec mulier, quia nata fuit seu habitavit in illa parte Syriae, quae dicta est Phoenicia; vel, quia habitavit in ea parte Phoeniciae, quae Syriae proxima seu vicina fuit. Herodotus saepe nominat Syriam, totum illum tractum ab Arabia, et comprehendit ea appellatione ipsam quoque Phoenicen et Palaestinam. Sed ut vulgo loquimur, Phoenicia fuit ora illa maritima, quae proxime attigit Syriam.

Nec mihi displicet opinio, quod mulier ista

dicta sit Cananaea, quia patriam habuerit Canam maiorem. Fuerunt enim duo oppida, quae nomen Canae habuerunt, scilicet Cana minor, quae fuit in Galilaea, et Cana maior, quae non procul abfuit a Sarepta, inter Tyrum et Sidonem. Sarepta stetit adhuc Plinii temporibus.

Qualis tum fuerit Ecclesia.

Haec consideratio locorum, et descriptio istius mulieris, quod fuerit Ethnica, praebet nobis occasionem cogitandi de mirabili consilio Dei, quo colligit sibi coetum verbo suo, ex admodum dissimilibus et indignis quoque. Circumit Christus, et non solum ex gente Iudaica miseros et infirmos, et contemptos a Pharisaeis, sed etiam ex Ethnicis confugientes ad se recipit, iam Centurionem, nunc Publicanos, alias Samaritanum leprosum, hic mulierem istam Ethnicam, nec solum corpora sanat, sed animas quoque liberat a peccato, et consolatur conscientias. Atque ita facit vera membra Ecclesiae.

Sciamus igitur Ecclesiam esse coetum miserum, hominum infirmorum, non alligatum aut inclusum uni alicui loco, sed sparsum in varia loca. Quo pertinent illae descriptiones Ecclesiae: *Non multi sapientes potentes, nobiles secundum carnem, sed infirma et stulta mundi Deus elegit.* Item: *Confiteor tibi pater, quod revelasti parvulis.* Item: *Reliquum faciam mihi pauperem et afflictum populum, sperantem in nomine Domini.*

Pharisaei et Saducaei et maxima multitudo prophana populi Iudaici habebant tunc nomen et titulum Ecclesiae, sed revera non erant Ecclesia: quia non solum corruperant doctrinam de persona et officio Christi, sed etiam adversabantur palam doctrinae repurgatae a Christo, eaque re ostendebant se non esse membra verae Ecclesiae. Interim sunt in illo populo pauperculi et miseri, qui confugiunt ad Christum: et praeter hos ex Ethnicis, Cananaeis, Samaritanis, publicanis Romanis, et aliis, colliguntur aliqui, ut sint viva et vera membra Ecclesiae.

Sicut ista Ethnica mulier accedit ad Christum, et habet aliquam notitiam doctrinae de vero Deo, et de promissionibus, quae sunt traditae de Messia. Scit, quod sit unus Deus, et quod hic Iesus sit Filius missus a Patre, quia nominat eum Filium Davidis, id est, Messiam promissum, et quia tribuit ei opera soli Deo congruentia.

Haec semina doctrinae consentaneum est illam accepisse ex fama, passim tunc sparsa de Christo, sicut in Marco dicitur, *quod audiverit de eius factis*; quia fides est ex auditu, auditus per verbum Dei. Potest etiam fieri, quod apud gentes vicinas Iudaeis, generalis aliqua cognitio de Messia fuerit, quemadmodum mulier Samaritana Ioannis 4. inquit: *Scio Messiam venturum, et cum venerit ille, docebit nos omnia.* Imo propterea populum Iudaicum subinde sparsit Deus in omnes partes mundi, ut hac occasione multi ex Ethnicis erudirentur de doctrina prophetica. Et Heliae memoria, qui apud Sareptanam viduam vixit, fortassis apud posteros quoque conservata fuit.

Sed non modo lux doctrinae et agnitionis Messiae, sed etiam ingens incendium fidei fulget in ista muliere. Ideo exclamat postea Dominus: *O mulier, magna est fides tua.* Haec fides non potuisset in ea esse, nisi intellexisset aliquam partem doctrinae populi Dei, etiam priusquam accurreret ad Christum, quem non Ethnico, prophano, aut idololatrico more, sed vera fide, et ardentibus motibus Spiritus sancti invocat.

Semper autem oportet anteire cognitionem seu doctrinam motui fidei in corde. Hunc enim ordinem instituit Deus, ut colligat Ecclesiam voce doctrinae. Ex quo sequitur, oportere esse ministerium Ecclesiae, item studia doctrinae magnifacienda esse. Idque considerandum est, ut agamus Deo gratias, quod semper servat in mundo doctrinae cognitionem, alibi plus, alibi minus, et ut sciamus, non negligenda esse studia doctrinae: Non simus ita insani, ut Enthusiastae, item Anabaptistae, qui contemnunt doctrinam, et iactitant novos et singulares illuminationes, unde postea incidunt in horribiles furores.

Cogitemus non esse rem parvam, cognitionem doctrinae, et requiri voluntatem discendi, et laborem conservandi puritatem doctrinae.

Obiicitur autem hoc argumentum:

Nemo tunc erat Ecclesia, nisi insertus populo Israel:

Ista mulier Cananaea non fuit inserta populo Israelitico, seu, *non erat membrum huius populi:*

Ergo haec mulier non fuit membrum Ecclesiae.

Respondeo Primum ad maiorem per distinctionem. Societas cum Ecclesia in isto populo, non fuit tantum intelligenda de ritibus Mosaicis, sed omnium maxime de agnitione, et professione principalis promissionis, de semine nascituro ex posteritate Abrahae. Hanc promissionem de semine, per quod benedicendae essent omnes gentes, quicunque amplectebantur, erant vera membra Ecclesiae, etiamsi non recipiebant eosdem ritus cum populo Israel, sicut saepe dicitur: fuisse tunc tres gradus hominum, qui pertinebant ad Ecclesiam, scilicet Iudaei, Proselyti, et viri religiosi.

Iudaei seu Israelitae erant nati ex posteris Abrahae. His incumbebat necessitas servandi cir-

cumcisionem, et caeteras ceremonias, a Mose institutas.

Proselyti, id est, advenae, seu accessorii, erant conversi ex gentibus, qui ad doctrinam Iudaeorum sic accedebant, ut simul reciperent sponte ceremonias Mosaicas.

Religiosi erant Ethnici, adiungentes se isti populo sine observatione ceremoniarum Iudaicarum, conversi ad agnitionem veri Dei, amplectentes et profitentes promissionem de Messia, cuius beneficia credebant pertinere ad omnes gentes.

Tales vere erant socii et membra Ecclesiae, fide et invocatione vera. Et horum multi fuerunt etiam prophetarum tempore, ut Cyrus, Nabugdonosor, Naeman Syrus, et alii innumeri, qui non servarunt ceremonias Iudaicas, et tamen doctrinam de Deo, et promissionem de Messia didicerant.

Nemo igitur tunc fuit membrum Ecclesiae, nisi insertus esset isti populo, scilicet, vel ut Israelita, vel ut proselytus, vel ut religiosus, seu timens Deum.

Iam ad Minorem argumenti: Ista mulier fuit inserta populo Israel, quoad notitiam promissionum, etiamsi non fuit inserta per ritus Mosaicos, quos non necesse fuit omnes recipere, qui convertebantur, modo doctrinam amplecterentur, quam haec mulier rectius intellexit, quam Pharisaei, qui sua somnia habebant de regno mundano Messiae, et de merito sacrificiorum suorum.

Impellitur autem mulier ista ad invocationem Messiae, quia excruciatur ingenti dolore, quem his verbis exponit: *Filia mea male affligitur a Daemonio.*

De Storgis.

Hic cogitemus de affectu materno, cuius manitudo non subit animos iuveniles et rudes. Ipsa ut mater, sensit magnitudinem huius doloris.

Memini, cum una sederemus Doctor Martinus, D. Pastor Pomeranus, Amsdorfius, Doctor Ionas et ego, et multa ibi commemoraremus de affectibus parentum, Amstorfius dicebat: Ego scio, ego scio, quid sit. Sed interpellabat eum Doct. Martinus, inquiens: Vos nihil scitis de his rebus: Non vixerat ille in coniugio: Non fuerat pater, ideo non poterat nosse affectus paternos: multo minus iuvenes capiunt magnitudinem doloris materni.

Tu debebas post Deum maxime diligere parentes tuos, sed multo ardentior est amor tuorum parentum erga te. Inprimis vero in matre est amor flagrantissimus erga sobolem. Ideo Germanico proverbio non frustra dicitur: *Wer hat dich am liebsten? Die Mutter.*

Iste affectus maternus nominatur στοργή, id est, naturalis benevolentia condita in natura hominis a Deo, ut sit testimonium de amore Dei erga filium et erga nos: Sicut pater aeternus clamat de coelo: *Hic est filius meus dilectus, quo delector.* Non satis exprimitur vis Graecae vocis Germanica versione: *An dem ich ein wolgefallen habe.* Sed sunt alia duo vocabula, quae Germani coniungant, quae proprie respondent Graecae voci: *An dem ich wonne und freude habe*: vel, *zu dem ich hertzliche liebe und freude habe:* quem singulari et ingenti affectu complector et diligo. Homines duri et horridi non intelligunt ista. Ad hos pertinet iste versus:

Nescio, quid sit amor, nec amo, nec amor,
nec amabo.

Tales disputant Stoico more:

In Deo non est stultitia:
In omni amore est stultitia:
Ergo in Deo non est amor.

Respondeo ad Minorem. Amor ordinatus non est stultitia: etiamsi in hac natura hominum corrupta miscetur aliquid stultitiae, ut dicitur:

Crede mihi stulto, nemo in amore sapit:

Et videmus multa inepte facere omnes amantes, imo etiam parentes erga liberos videmus exercere multas ineptias: tamen amor ipse est quiddam conditum a Deo et ordinatum, et est res bona. In Deo et in beatis amor est sine stultitia.

Nec est verum illud Stoicum deliramentum, quod omnes affectus sint res malae et vitiosae suo genere, seu natura sua.

Deus etiam in lege sua praecipit dilectionem Dei, et proximi, item in ipsa natura condidit storgas.

Sic falsum est, quod Stoici imaginati sunt amorem esse opinionem, qua moveatur aliquis, ut magnos labores suscipiat alterius causa. Sed amor non est opinio, quia, quae differunt subiectis, differunt realiter: Opinio est in cerebro, Amor in corde: Ergo differunt realiter. In parentibus est ingens et inenarrabilis amor erga natos, et quidem multo maior, quam in liberis erga perentes.

Cum autem tanta sit στοργὴ in parentibus erga filios et filias, saepe cogitemus, multo maiorem στοργὴν esse in Deo erga nos, ut Dominus inquit [Ioh. 17, 26.]: *Sit dilectio tua in eis, qua me diligis.* Nihil maius dici poterat de amore Dei erga nos, quam quod filius Dei petit, ut aeternus pater nos eo amore complectatur, quo ipsum filium complectitur. In quam sententiam Paulus inquit: *Fecit nos sibi acceptos in dilecto.* Et Baptista: *Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.*

Quo unaquaeque natura est excellentior et generosior, eo etiam maiores sunt storgae

Deinde in rebus adversis magis cernitur vis dilectionis et storgarum, quam in rebus secundis. Ideo saepe soleo dicere: *Post sensum irae Dei sum*

mum dolorem esse eum, quem habent parentes ex calamitate sobolis. Quando Iudas sentit iram Dei, libenter fugeret extra totam rerum naturam, si posset, ideoque mortem sibi consciscit. Hic igitur summus est dolor, videlicet sensus irae Dei. Sed post hunc sensum, omnium dolorum summus est in parentibus, qui oritur ex calamitate liberorum. Hic dolor multo est maior, quam ex calamitate propria.

Fuit lex Aegyptiorum, ut si pater occidisset filium, non occideretur vicissim, sed triduum sederet aput cadaver. Habuerunt Aegyptii multa mirabilia. Sed puto eos ideo hanc constitutionem fecisse, quia noluerunt illo summo dolori addere aliam calamitatem. Cogitarunt horribilem carnificinam esse, sedere parentes prope cadaver filii a se interfecti, et esse spectatores tristissimi illius spectaculi. Qui fuit dolor prorsus inenarrabilis.

Ista physica et naturalia iuventus debet considerare. Cogitemus nos homines esse natos, et natos esse ex parentibus honestis. Cogita, quo animo affecti sint erga te parentes, et quo animo vicissim te deceat affectum esse erga eos. Non debet esse beluis aut pecudibus similis natura hominum, etsi pecudes quoque, donec adolescant, sentiunt amorem naturalem.

Vaccae habent ubera in ventre, sed materna ubera sunt admota pectori. Pecudes si quem habent affectum principio, postea obliviscuntur, nisi quod in equis et camelis dicitur esse talis memoria sobolis, ut non patiatur se admitti ad sobolem. Matri sunt ubera admota pectori, quia mater transfundit amorem, seu spiritus vitales cordis in natos, ut sit mutuus amor, et ut mater moneatur, quod non solum debeat transferre amorem in sobolem, sed etiam communicare ei doctrinam, quod non faciunt pecudes, quae tantum communicant alimentum.

Haec debent cogitare adolescentes, et detestari Stoicas phantasias, ut aliqui putant esse sapientiam, quando defendunt absurdas et horridas opiniones. Debemus discere vera et recta, et considerare opera Dei in natura.

Sic ergo consideremus in hac narratione illud ingens πάθος, seu illum ingentem motum materni pectoris, qui exprimit huic mulieri hanc vocem: *Miserere mei, quia filia mea cruciatur a Daemonio.* Videt ista mater ingentes miserias filiae suae: et sentit dolorem inenarrabilem, nec minus cruciatur animo, quam filia corpore.

Habet Diabolus in obsessis sua quaedam intervalla, nec potest occidere, nisi Deo permittente. Interim horribiliter cruciat, invadit et exasperat affectus cordis, abutitur organis motuum in toto corpore: Inflat membra, quasi vellet ea dirumpere; allidit caput et pedes solo: coniicit saepe in ignem et aquam, sicut saepe conspiciuntur talia exempla, et in Marco cap. 9. tristis est descriptio illius potentiae Diaboli. Non ita diu est, quando in Marchia Diabolus coegit quendam obsessum se abiicere in flumen. Hic saepius est retractus, sed aliqui prorsus submerguntur.

Multo tristius est videre tales cruciatus, quam ullum alium morbum. Etiamsi foeda est aspectu lepra, et morbi similes, tamen non est tanta calamitas, quam cum homines obsessi cruciantur a Diabolo.

Non possumus igitur maternum illum dolorem verbis exponere, sed tamen aliquo modo de eo cogitemus, quantum possumus. Qui sunt parentes, aliquid de istis rebus sciunt, quia παθήματα μαθήματα, *quae nocent, docent.* Passiones sunt doctrinae. Et tamen plura et maiora mala accidunt aliis atque aliis; aliqui etiam natura sunt duriores. Ac mirum est, posse hominem vivere, qui experitur magnas miserias suorum.

Haec aliquo modo pinguntur in Tragoediis, ut cum Iocasta mater iacet inter duos filios interfectos, et sibi consciscit mortem. Affert igitur haec mulier magnum dolorem ad Christum, et cum inenarrabili gemitu petit ab eo auxilium.

Sequitur ergo locus communis de invocatione Item, de tentationibus fidei. Debet nobis mulier ista esse exemplum precationis, seu petitionis auxilii divini. Deinde quia Christus laudat fidem eius, debet nobis exemplum esse, quomodo exercenda sit fides.

Locus de Invocatione.

Repetatur igitur communis doctrina de precatione. Eam his capitibus complecti soleo.

Primum oportet scire, quem invoces. Secundo, considerandum est mandatum, quod iubet nos orare. Tertio, cogitandum est de promissione. Quarto, necesse est afferre fidem, quae simul complectitur veram conversionem ad Deum. Quinto, exprimenda est res petenda.

Singuli homines debent discere, quomodo facienda sit invocatio, quia precatio est summus cultus Dei, et proprius Ecclesiae. Ethnici possunt praestare civilia officia, Non moechaberis, non furtum facies, sed precationem non possunt praestare. Hic est principalis cultus Ecclesiae, de quo dicitur: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Est autem recte intelligenda haec sententia. Ideo sic argumentor: *Omnis invocans conditorem coeli et terrae, invocat verum Deum.*

Turcae invocant conditorem coeli et terrae:
Ergo Turcae invocant verum Deum.

Talibus argumentis res magis fit perspicua. Non enim tantum sunt exercitia dialectica, sed etiam doctrinam alunt de maximis rebus argumenta eiusmodi.

Respondeo ad Minorem: Turcae aberrant a vero Deo dupliciter. Primum, quoad essentiam; quia non invocant illum Deum, qui se patefecit dato Filio et misso Spiritu sancto, et comminiscuntur aliquid esse Deum conditorem coeli et terrae, quod non est pater Domini nostri Iesu Christi. Deinde aberrant quoad voluntatem: quia ignorant, an exaudiantur, et cur exaudiantur; Accedunt enim ad Deum sine cogitatione mandati et promissionis divinae, et sine fiducia Filii mediatoris.

Nos, quandocunque invocamus, debemus nobis proponere Deum patefactum per Filium, et expresse recitare verbum a Deo traditum in praeceptis de invocatione, et in promissione gratiae, et aliorum bonorum corporalium, atque ita exuscitare fidem, et hac ipsa fide nominare necessitatem, quae nos urget, seu rem petendam, sive sit corporalis, sive spiritualis. Ideo saepe repeto pro praedagogia formulas illas certas precationum, quae commonefaciunt nos de vero Deo, quem compellamus, et revocant nobis in memoriam mandatum Dei, quo praecipitur invocatio, item promissionem, sine qua nulla potest esse fides. Nam qui spernunt promissionem, illi manent simpliciter in dubitatione, et oratio sine fide peccatum est, inquit Augustinus. Talis forma precandi haec est:

Ego invoco te aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, creator coeli et terrae, una cum filio tuo et Spiritu sancto, qui dixisti: *Invoca me in die tribulationis, et eripiam te.* Item: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.*

Hac promissione tua fretus oro te, ut remittas mihi peccata mea propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, et sanctifices ac regas me Spiritu tuo sancto, et liberes me ex hoc periculo, etc.

Iam cogitemus, quam segniter et quam timide singuli dicamus precationem: Multi otiosi sedent, donec per violentum raptum trahantur. Sed ideo propositum est mandatum de invocatione, ut exerceamus precationem, sicut dicitur: *Petite et accipietis.* Non propterea dico antecedere voluntatem, sed retineo hoc, quod semper Ecclesia docuit, *Praecedente gratia, comitante voluntate.* Audiamus igitur verbum, obtemperemus mandatis divinis, et confirmemus fidem promissionibus: *Accedite ad eum, et illuminamini: Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, orate indesinenter,* etc.

Semper multum haeret dubitationis etiam in sanctis, adversus quam debemus nos erigere propositis promissionibus, inter quas primum omnium oportet apprehendi promissionem gratiae.

Hanc oportet accipi fide, quae debet esse talis, scilicet, ut complectatur omnes articulos fidei, et praecipue istum, ad quem caeteri referuntur: *Credo remissionem peccatorum,* Quia fides est una copulativa.

Hic vero semper venit nobis in mentem hoc argumentum:

Peccatores Deus non exaudit:
Tu es peccator:
Ergo Deus te non exaudit.

Hoc argumentum facit nos pusillanimes, et turbat preces nostras. Sed respondendum est ad Maiorem. Dictum illud: *Deus non exaudit peccatores,* loquitur de perseverantibus in peccatis contra conscientiam. Non autem loquitur de his, qui agunt poenitentiam, qui dolent de commissis peccatis, qui quaerunt remissionem, et statuunt, sibi certo remitti peccata propter mediatorem, et habent studium abiiciendi peccata. Nemo enim orare potest habens propositum manendi in sceleribus. Neque simul esse possunt fides et propositum peccandi. Qui cogitat: volo istum interficere, rapere istius coniugem, etc., is non precatur, sed deridet Deum.

Ideo oportet in qualibet precatione esse cogitationem de poenitentia, et consolationem fidei. Atque ita locum habebit dictum illud Siracidae: *Non sis pusillanimis in precatione tua:* id est, cum fiducia petas, et multa ac magna petas, scilicet necessaria ad salutem tuam, ad gloriam Dei, ad conservationem Ecclesiae et publici status. Semper enim petendae sunt res necessariae ad gloriam Dei, et ad salutem animae. Postea etiam res necessariae huic vitae, privatim et publice.

Saepe autem differuntur eventus; ibi quoque fides confirmanda est mandato et promissionibus Dei: *Si moram fecerit Dominus, expecta eum.* Item, *Deus adiutor est in opportunitate.* Item, *Aut tollit malum, aut mitigat.*

Haec est communis doctrina de precatione, ad quam non difficile est accommodare exemplum mulieris Cananaeae. Accedit haec ad Christum, quem agnoscit esse Messiam. Calamitas, quae illam urget, est ei loco mandati. Cogitat de promissione divina, cum nominat Christum *Filium David.* Fidei argumentum est, quod clamat: *Miserere mei.* Denique exprimit rem petendam: *Filia mea male cruciatur a Daemonio.* Crescit autem fides mulieris in certamine, quod est singulare, et valde insigne in hac historia.

Locus de tentationibus Fidei in invocatione.

Pinguntur enim praecipue tentationes fidei, quae nobis obstrepunt inter precandum. Primum, *Dominus nihil respondet.* Significatur autem mora liberationis, quae habet coniunctam tentationem de neglectione nostri, quasi non curet, aut non afficiatur nostra miseria. Alibi Dominus videtur magis obvius petentibus. Sed hic silentium habet speciem repulsae, quae est valde dura.

Verum non desistit a precando mulier, non sinit sibi excuti hac mora scintillam fidei, quae erat in ipsius corde accensa, ut in multis aliis extinguitur.

Quando non respondent eventus nostris imaginationibus, et non veniunt statim liberationes: tunc cogitamus: Ecce, tu tot annos petiisti, ut leniret hoc malum. Deus tamen non succurrit. Talis est imbecillitas in nobis singulis. Sed aliqui vincunt et perseverant, et quamquam non sine ingenti cruciatu sentiunt, quam difficilis sit tentatio in mora, tamen expectant tempus liberationis a Deo constitutum, et pergunt invocare Deum, sicut Christus in parabola Luc. 18. praecipit: *Semper orate, et ne deficiatis*, quia, etsi non statim sequitur eventus, sequetur tamen.

Salomon. Prov. 13. inquit: *Spes, quae differtur, cruciat animum.* Et vulgo dicitur: *Bis dat, qui cito dat.* Item, *Gratiaque officio, quod mora tardet, abest*, id est, Gratia est ingrata, quae tarda est. Sed opponantur in contrarium etiam haec vulgaria dicta:

Differ, habent parvae commoda magna morae.

Item: *Βοάδισται μακάρων ὧραι φίλαι, ἀλλὰ ποθιναί.*
id est,

Munera propitiis manibus venientia dirum,
Compensant grata commoditate moram.

Cur in Propheta dicitur: *Veniens veniet*? Geminatio significat certitudinem, et festinationem, veniet certo, et citius opinione nostra, et cumulabit dona sua.

Sic ista mulier primam tentationem vicit, quod non est absterita silentio Christi, quod non modo argumentum erat neglectionis, sed etiam molestum erat propter moram seu dilationem liberationis. Ipsa tamen nihilominus visit precationem suam, quia discipuli dicunt: *Clamat post nos.* Institit ergo precando: Clamavit magis magisque, etiamsi Dominus nihil responderet.

Intercedunt autem pro ea discipuli. Ibi respondet quidem Dominus, sed cum obiurgatione discipulorum: quam si audivit mulier, fuit ei responsio ista multo durior silentio *Non sum missus*, inquit, *nisi ad oves perditas, domus Israel.* Hic pingitur tentatio de particularitate electionis. Obiicitur enim huic mulieri, *quod non sit ex Israel.* Ita nos cogitamus: Deus habet certum catalogum electorum, si non sum in illo catalogo, frustra oro. Item, Deo liberum est eligere, quos ipse vult. Tu vero nescis, an sis electus. Haec est difficilis et saeva tentatio, cui haec tria sunt opponenda:

Primum, tu scire debes, quod de electione tua non a priori debeas iudicare, sed a posteriori: id est, non debes scrutari in arcano consilio divinitatis, utrum sis electus, sed ex revelato verbo, videlicet, ex Evangelio, quod praecipit poenitentiam et fidem: Iubet te agnoscere peccata tua, et credere in Christum. Si ergo initia verae poenitentiae et fidei in tuo animo accensa sunt, quatumvis exigua, debes statuere, te secundum promissionem Evangelii recipi propter Christum, placere Deo, esse haeredem vitae aeternae, et te pertinere ad numerum electorum. Idque alii etiam de te iudicare possunt, si perseveres in hac fide usque ad extremum vitae halitum, iuxta haec dicta: *Beati mortui, qui moriuntur in Domino.* Et, *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.*

Memini quendam, qui huc venit, ut consolationem audiret, ac fatebatur se saepe relapsum esse in adulteria: hic cum doceremus eum, ut, si doleret se peccasse, crederet Evangelio, ac statueret se vere recipi a Deo gratis propter filium. Ibi ille contra disputabat, se fortassis non esse electum. Nos iubebamus eum fide amplecti promissionem gratiae, omissa illa disputatione intempestiva de electione, de qua nobis iudicandum sit, cum prius assentimur Evangelio, et credimus in Christum. Sed ille spreta voce promissionis dicebat: *Qualis hic Deus esset, qui me non posset damnare?* Haec tantum est imaginatio rationis, discedentis a verbo Dei.

Non est autem voluntas Dei de nostra salute quaerenda extra verbum Dei: sed ex verbo revelato discendum est, quae sit Dei voluntas erga nos, et quam consolationem de salute nostra retinere debeamus. Certo statuamus, cum in veris doloribus erigimur voce Evangelii, tunc nos et habere reconciliationem cum Deo, et arrhabonem Spiritum sanctum; nec antequam velimus agere poenitentiam, et credere in Filium, inquiramus de nostra electione, aliis rebus, quas Deus non iussit nos inquirere, sicut Siracides inquit: *Quae praecipit tibi Deus, haec sancte cogita.*

Alterum, quod considerandum est in hac disputatione, est, ut sciamus, quo ordine Deus accendat in nobis conversionem et fidem. Dissimilis est enim ordo in philosophia et Evangelio. In philosophia primum experimur, postea sequitur assensio. Quando puer est expertus, quod ignis urat,

credit ignem urere. Quando Medicus expertus est zinzibere calefieri ventriculum, postea affirmat. Quando sum expertus temperantiam prodesse valetudini, tum assentior, et magis amo temperantiam. Sic igitur assensio sequitur experientiam in rebus naturalibus et moralibus. Sed in divina consolatione prius assentiendum est verbo, seu promissioni divinae. Deinde sequitur sensus consolationis: ut dicitur: *Iustificati fide, pacem habemus cum Deo.* Non prius sentimus laetitiam seu consolationem, quam sint initia fidei in corde.

David luctatur cum morte, cum audit concionem poenitentiae. *Tu es ille vir mortis.* Sed postquam audit vocem absolutionis, et ei assentitur: *Dominus abstulit peccatum tuum,* ibi acquiescit et sentit laetitiam.

Hunc ordinem evertunt Enthusiastae multipliciter. Abducunt mentes a verbo, et iubent expectare afflatus. Deinde relinquunt animos in dubitatione, donec sentiant in se illustres motus fidei. Tum demum iubent te credere, quando sentis te rapi et cogi repugnantem, ut credas.

Nos contra sciamus, non esse expectandos afflatus illos: neque consolationem inchoandam esse a sensu raptuum, aut ingentium motuum, qui fiunt in nobis.

Sciamus inchoandum esse a verbo; audiendum et cogitandum esse Evangelium, et per hoc Deum esse efficacem, et trahere corda.

Sciamus etiam postea in magnis tentationibus, ubi vix sentitur scintilla fidei, nitendum esse verbo, iuxta dictum: *Speravit anima mea in verbo eius: speravit anima mea in Domino.* Non intueamur virtutes aut novitatem in nobis, cum sumus in doloribus, sed mediatorem in verbo ostensum, et cogitatione scriptae promissionis nos sustentemus et clamemus, sicut ille dicit in Marco: *Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae.*

Tertio, colligendae et apprehendendae sunt promissiones universales contra tentationem de particularitate. Etsi enim non omnes accipiunt vocem Evangelii: tamen promissio est universalis, et certum est, pertinere eam ad omnes, qui eam accipiunt.

Proponamus igitur nobis universalia dicta: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Ioh. 3. *Ut omnis qui credit in filium, non pereat.* Rom. 10 *Idem omnium Dominus, dives in omnes qui invocant eum.* Psalm. 2. *Beati omnes qui confidunt in eo.* His promissionibus universalibus includamus nos singuli: et sic argumentemur singuli: Promissio offert omnibus credentibus gratiam et haereditatem vitae aeternae: Ergo credo, et cupio proficere in fide, et hanc quamvis languidam fidem, tamen statuo esse fidem, et placere Deo. Ergo mihi etiam debetur gratia et haereditas vitae aeternae.

Adiungamus et mandatum illud summum ac immutabile, et quod longe positum est supra omnes leges, videlicet, quod praecipit, ut *omnes credant filio Dei.* Huic mandato necesse est omnes obtemperare. Est enim mandatum universale, et magis obligat quam ullum aliud mandatum. Est mandatum Decalogi: *Non occides, Non moechaberis, Non furtum facies,* etc. sed multo maius est mandatum et longe superius: *Hic est filius meus dilectus, Hunc audite.* Item: *Osculamini filium.* Ideo dicitur: *Spiritus sanctus arguet mundum de peccato: quia non credunt in me.* Et, *Qui non credit in Filium, iam iudicatus est: et ira Dei manet super eum.*

Non quaeramus, aut scrutemur aliam voluntatem Dei, seposito hoc mandato, et reiectis promissionibus: Sciamus voluntatem Dei necessario quaerendam esse in Filio nobis donato, et Evangelio, quod Filius ex sinu patris protulit. Nec fingamus aliam voluntatem in Deo: quia impossibile est, esse contradictorias voluntates in Deo. Deus est verax. Sermo ipsius est talis: ut sit, *Est est, Non non.* *Qui non credit Deo, mendacem eum facit.*

Non tribuamus ei *προςωποληψίαν* in rebus ad salutem aeternam pertinentibus. Alia res est, quod non tribuit Deus omnibus credentibus paria dona, paria munera, quae serviunt vocationibus certis in hac vita.

Nos non sumus pares Abrahae, Eliae, Elisaeo, Danieli, et similibus, quoad vocationes dissimiles, et quoad dona dissimilia. Sed quod ad illa attinet, quae ad aeternam salutem sunt necessaria, promissionem habemus universalem, *quotquot credimus in Christum,* sine exceptione. Deus est aequalis erga omnes credentes in donanda remissione peccatorum, et haereditate vitae aeternae.

Cum haec aequalitate pugnat *προςωποληψία*, quae est, dare inaequalia aequalibus: vel econtra. Qui est *προςωπολήπτης* non servat aequalitatem. Est usitata res inter homines; sed in aulis magis conspicitur. Alexander pluris facit Hephestionem, quam Craterum, vel Clitum optime meritum, vel Parmenionem, praecipuum et praestantissimum ducem, qui fuit caput consilii post ipsum. Est igitur Alexander inaequalis et iniustus. Talis inaequalitas non est in Deo, quod attinet ad promissionem gratiae. Recipit omnes invocantes, iuxta illud: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

Sic igitur respondeo ad argumentum, quod obiicit ratio:

Tantum electi audiuntur, recipiuntur, salvantur:
Tu nescis, an sis electus:
Ergo non potes statuere, quod exaudiaris: et quod promissio gratiae et salutis ad te pertineat.

Minor neganda est. Si agis poenitentiam, et credis in Filium, et perseveras in hac fide usque ad mortem, vere es electus, quia de electione statuendum est ex promissione Evangelii, quae iubet agere poenitentiam et credere in Filium: Et fidem docet hoc modo seu ordine accendi in nobis, cum assentimur verbo, quo Spiritus sanctus est efficax et trahit corda, ut velimus credere et obtemperare Deo: Et quamquam res ad hanc vitam pertinentes dantur dissimiliter, tamen promissio gratiae et salutis aeternae est universalis et aequaliter pertinet ad omnes credentes.

Haec sunt vera et salutaria piis mentibus. Scio multa cavillatoribus posse opponi: nec sum adeo rudis illarum disputationum. Bene scio, horridiores quasdam disputationes ab aliquibus moveri. Sed oportet illarum disputationum modum esse aliquem. Tandem huc decurrendum est, ut si qui sunt in coetu vocatorum, et sunt in doloribus, ii consolationem quaerant ex verbo, nec indulgeant dubitationi aut diffidentiae, sed applicent ad se universalem promissionem, quae pariter pertinet ad omnes et singulos credentes.

Quomodo autem congruit hoc dictum Christi ad universalem promissionem: *Tantum veni propter oves perditas in Israel*? An non est hic expressa reiectio gentium? Respondeo: Hoc dictum intelligendum est respectu externi ministerii. *Non veni nisi ad oves perditas in Israel*, scilicet, quod ad externum meum ministerium attinet: de quo et Paulus inquit: *Christum debuisse ministrum esse circumcisionis*, id est, gentis Iudaicae circumcisae. Beneficia autem Christi et Evangelii, pertinent etiam ad gentes, quia scriptum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Item: *Gentes ad eum confugient.* Sic caeterae promissiones de Messia semper comprehendunt etiam gentes.

Itaque David non erat Messias, neque aliis reges, qui tantum benefecerunt isti populo. At filius iste Davidis, sicut eum antea nominavit haec mulier, quo nomine intelligebatur Messias, est redemptor, propter quem benedicitur non solum isti populo, sed etiam omnibus gentibus.

Sic igitur utrumque verum est: Messiae beneficium pertinet ad omnes: et tamen Christus non est missus nisi ad oves perditas domus Israel, videlicet, quia in isto populo debuit concionari, pati, resurgere.

Hanc conciliationem dictorum, quae pugnare inter se videntur, recte intellexit ista mulier, quae concessa hac propositione, quod propter domum Israel venerit Christus, scilicet, quoad ministerium externum, tamen urget petitionem, quae habet vim correctionis, cum clamitat: *Domine opitulare*, seu *succurre mihi.*

Hic vero novo tentatio occurrit. Dominus obiicit ei: *Non est bonum sumere panem filiorum ac proiicere catellis.* Videtur eam cum convicio et condemnatione a se repellere, cum vocat, *canem*, quia canis est immundum animal consuetudine Iudaica. Significat igitur, eam a Deo reiectum esse, quia sit indigna. Haec est pictura tertiae tentationis, quae nobis obstrepit in invocatione.

Semper clamitat lex in nostris conscientiis, Deum respicere, exaudire, salvare dignos, et iustos. Nos vero iniustos, indignos, pollutos esse, sicut canes. Haec tentatio de indignitate excruciat omnium hominum animas. Unusquisque consideret suum cor.

Quando accedimus ad Deum, expavescunt mentes nostrae agnitione peccati, iuxta illud: *Quoniam non est pax ossibus meis.* Item, *Peccatum meum coram me est semper.* Conspectus peccati nos deterret, quo minus audeamus accedere: aut si utcunque accedimus, tamen sentientes peccatum, deterremur, quo minus audeamus sperare, petere, expectare auxilium, quacunque etiam de re agatur, sive de corporalibus, sive de spiritualibus, quia in omni invocatione, etiam de rebus corporalibus necesse est praecedere cogitationem de remissione peccatorum, de receptione in gratiam, de reconciliatione, de iustificatione.

Iacemus igitur coram Deo prostrati. Afferrimus ad eum nostras miserias, aerumnas, dolores, sicut Psalmus inquit: *De profundis clamavi.* Item: *Ne in furore tuo arguas me.* Sed laboramus et luctamur vehementissime, cum ista tentatione: *Tu es indignus: ergo non exaudieris. Meruisti poenam: ergo sustineas.* Ita omnes, tamquam polluti multipliciter, trepidamus coram Deo. Gemimus; petimus liberationem, aut mitigationem nostrarum aerumnarum. Sed arguit et condemnat nos conscientia. Et oportet fateri singulos, quod simus indigni, sicut Psalmus dicit: *Confitebor adversus me iniquitates meas*, id est, fateor me esse reum. Item: *Tibi Domine iustitia, nobis confusio faciei.* Est autem huic tentationi opponenda vox Evangelii de gratuita iustificatione, et de exclusiva *Gratis*, et colligenda sunt testimonia, quae ostendunt indignos, iniustos recipi. Rom. 3. *Gratis iustificamur fide*, etc. id est, propter mediatorem remittuntur nobis peccata nostra, sine ullo nostro merito. Nam particula, *gratis*, excludit nostra merita. Non excludit meritum mediatoris.

Deus voluit satisfieri iustitiae suae. Copulata est mirabili temperamento iustitia Dei cum misericordia in liberatione hominis, et vicissim misericordia cum iustitia. Deus miseretur generis humani post lapsum, et tamen, quia iustus est, requirit persolutionem λύτρου, requirit autem in Filio. Illius mirandi consilii causas discemus in omni aeternitate. Nunc in hac caligine, quamquam compre-

hendere non possumus, tamen utcunque flectenda est mens ad cogitationem illarum rerum. Non debemus esse tam feri et barbari, ut nihil cogitemus, quare Deus miserit Filium.

Debemus statuere et erigere nos hac fide, quod recipiamur propter hunc mediatorem, non propter nostram dignitatem: seponamus dignitatem nostram, quia mens accensa vera luce, videt multo plus peccatorum et sordium, quam dignitatis.

Si non essemus tam agrestes, stulti, caeci, non opus esset disputatione, quam Papistae subinde nobis movent, de dignitate propria. Oportet unumquemlibet, in quo aliquantulum lucis est, fateri, quod multum habeat indignitatis. Peccata nostra sunt magna et multiplicia. *Tibi Domine sum peccator*, inquit Psalmus: vel, *tibi tantum sum peccatum*, id est, tibi tantum sum reus.

Sed quamquam sumus indigni, tamen statuendum est, nos recipi propter Filium fide. Idque cogitandum est etiam in solutione illius argumenti, de quo supra dixi.

Peccatores Deus non exaudit:
Ego sum peccator:
Ergo Deus me non exaudit.

Hic vera est Solutio: *Deus peccatores non exaudit*: scilicet, non agentes poenitentiam; sed simul addendum hoc est: Deus non exaudit te propter tuam resipiscentiam, sed propter Filium, sicut in Epistola ad Hebraeos dicitur: *Habentes pontificem talem, accedamus ad thronum gratiae.* Item ad Ephesios: *Per hunc habemus accessum confidenter in fide.*

Coniungit Paulus multa, quae idem significant, *παῤῥησία, πιστις, πεποιθήσις.* Quando nos declaramus vocem fidei per vocabulum fiduciae, clamant multi: Nos confundere habitus. Sed isti non cogitant habitus illos coniunctos, et copulatos esse. Paulus propterea usus est tam multis verbis in illo metu describendo, ut doceat se requirere fiduciam, quae est verus et vivax motus cordis, petens a Deo beneficia, propter Filium, quamquam sciamus nos indignos et reos esse.

Sed redeo ad explicationem argumenti. Conscientia nostra adhuc urgetur, etiam cum coeperunt in nobis initia poenitentiae. Sum adhuc peccator, etiamsi ago poenitentiam. Haerent multa in me mala: et poenitentia est languida. Multa desunt de eius perfectione. Et quamquam nunc sum conversus, tamen antea merui poenas peccatis etiam actualibus multis.

Sciendum est igitur: Exaudiri peccatores, scilicet conversos: sed hi ipsi conversi exaudiuntur propter Filium mediatorem, non propter dignitatem propriam, ut dicitur: *Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Fiducia Domini nostri Iesu Christi exaudiuntur conversi.

Sic igitur tollitur tentatio indignitatis per particulam *Gratis*, et per fiduciam mediatoris. Et hic conferri debent peccatum et gratia: sicut Paulus confert Roman. 6. *Gratia exuberat supra peccatum.* Etiamsi tua et mea peccata sunt valde magna, sicut revera sunt, tamen non debeo filium Dei hac contumelia afficere, quasi peccatum meum sit maius, quam ipsius meritum. Pluris fiat filius Dei, et sacrificium eius, quam nostrum peccatum.

Obedientia filii Dei praeponderat totius mundi peccatis. Illud pretium, quod filius Dei offert, est longe maius, et opulentius, quam ut possit a totius mundi peccatis superari ac vinci. Hanc consolationem oportet nos retinere. Et hoc est quod dicimus, *Nos sola fide iustificari*, id est, remitti nobis peccata, imputari iustitiam a Deo propter filium mediatorem, quem fide, id est, vera fiducia apprehendimus. Idque verum est, etiam cum reconciliati sumus Deo.

Daniel, Ioseph, habent excellentes virtutes, quae sunt effectiones Dei habitantis in ipsis. Et tamen fiducia illius novitatis seu inhabitationis Dei, non accedunt ad Deum, sed fiducia misericordiae propter Christum.

Semper oportet fidem praelucere in iudicio Dei, quod simus accepti propter Filium, et quod persona placeat propter mediatorem, non propter novitatem in nobis, non propter dignitatem ullam nostram. Iustificatio nostri est gratuita, non tantum in initio, sed perpetuo, et omni tempore, iuxta dictum Psalmi: *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui Dominus non imputavit peccatum.*

Haec dixi prolixius de tentatione particularitatis et indignitatis; quia hae sunt tentationes praecipuae, quibus singulorum animi oppugnantur in invocatione. Ex utraque oportet fidem eluctari nitentem promissione Evangelii, quae est et universalis, id est, eodem modo se habens ad omnes credentes; et gratuita, id est, offerens nobis remissionem peccatorum, et reconciliationem, sine respectu dignitatis nostrae, propter Christum, quem oportet sibi fide applicare singulos.

Papistae dicunt dubitandum esse de remissione peccatorum. Quem articulum Symboli labefactant hoc dogmate? *Credo remissionem peccatorum.*

Contra. *Credunt, quod aliquibus Deus remittat peccata*: *Ergo illum articulum non labefactant*:

Respondeo. Ille articulus postulat, ut credas tibi remitti. Loquitur de fide applicante mihi ipse remissionem. Credo remissionem, scilicet mihi quoque dari. Respicit ad promissionem tum gratuitam, tum universalem. Sed in dicto Christi non tantum pingitur tentatio de indignitate: *Non est bonum, sumere panem filiorum, ac proiicere catellis:* sed etiam praerogativa gentis Iudaicae. Nominantur

Iudaei *filii familias*: quia ipsis sunt traditae promissiones: Ex ipsorum stirpe natus est Messias: ipsis oportuit prius praedicari Christum. Imo Christus ipse voluit inter eos conspici, audiri. Haec est magna praerogativa: sicut Paulus inquit: *Tradita sunt eis oracula Dei.* Item: *Quorum sunt patres, ex quibus est Christus.* Item: *Christus fuit minister circumcisionis.* Tota illa politia fuit constituta et conservata, ut esset locus certus, ubi filius nasceretur, conspiceretur, doceret, pateretur, resurgeret, et ubi subinde ederentur testimonia de Messia. Magnum fuit hoc beneficium, alligari Ecclesiam ad certum locum. Fuit in isto populo Ecclesia fere duobus milibus annorum ab Abraham usque ad Christum.

Sed tamen posita seu concessa hac praerogativa, non fuerunt exclusae prorsus gentes, etiam stante illa politia. Subinde aliqui ex gentibus vocati sunt: et quod ad meritum attinet, exaequat Paulus gentes Iudaeis: *Omnes*, inquit, *sunt peccatores*: nullum hic discrimen, nulla praerogativa est. Non solum gentes, sed etiam Iudaeos oportet fateri, quod non habeant merita, quod non sint digni coram Deo. In vita externa plus aliquanto fuit honestatis apud Iudaeos, quam apud gentes. Ideo peculiariter Christus comparat gentes canibus, propter tetriores confusiones morum, et impuritatem vitae externae.

Sed quod ad Dei iudicium attinet, omnes tam Iudaei quam gentes carent gloria Dei [Rom. 3.]: *Ut omne os obturetur, ut totus mundus fit reus coram Deo.* Et Rom. 11. *Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur.*

Cum autem et indignitas obiiciatur isti muliérculae Ethnicae, et simul comprehendatur tentatio particularitatis: vide, quam ingeniose mulier respondeat. Concedit verum esse, quod panis filiorum non sit obiiciendus catellis, id est, fatetur se indignam esse, et immundam: et Iudaeos habere magnam praerogativam. Sed mox addit Inversionem, qua data instantia ab eodem exemplo, corrigit concessionem, et refutat seu solvit argumentum Domini, quod tamquam fulmen, non leve contra eam vibratum erat. *Sed tamen*, inquit, *et catelli fruuntur micis, quae decidunt de mensa dominorum suorum.* Quid potuit dici argutius? quid venustius?

Erat asperrimum dictum: *Non decet filiorum panem canibus dari.* Sed mulier ista addit exceptionem regulae: *Assentior: sed tamen et catelli edunt de micis cadentibus sub mensam filiorum.* Sumit celerrime instantiam ab imagine canum, quam obiecerat ei Dominus. Concedit se esse catellam, Iudaeos esse filios in domo. Sed profitetur, se credere, quod recipiatur propter hunc Dominum, non propter legem, et scit Deum coli velle, non fuga, non fremitu adversus ipsum, sed confessione nostrae miseriae, et fiducia misericordiae. Profitetur etiam se credere, micas Evangelii divini pertinere ad gentes quoque.

Est insigne exemplum urbanitatis seu leporis, et constat Inversione. Graeci vocant *βίαιον*, id est, violentum, *das da zwinget*; quando aliquid in contrarium vertitur. Habet magnam vim. Ut quando accusatur Ulysses, quod interfecerit Aiacem: *Tu sepeliisti: Ergo occidisti.* Ille invertit: *Imo si occidissem, non sepeliissem, sed fugissem.* Paulus saepe utitur hac forma: *Data est lex: Ergo iustificat: Imo si iustificaret, non esset opus promissione.*

Sunt autem et aliae multae formae leporis, de quibus iam non dicam. Sed hortor adolescentes, ut in scriptis auctorum, et colloquiis familiaribus ingeniosorum hominum ipsi observent exempla urbanitatis, quae re ipsa est ingenii celeritas, quae mox cogitat collationem rerum similium, aut facit translationem causarum, aut aliam quandam figuram sermonis subito profert, in admonendis aliis, aut placandis, aut consolandis, aut excitandis, aut refutandis, ut postulat occasio.

Fuit coniunx cuiusdam principis gravida, et peperit molam. Venerunt mulieres ad Dominum, postquam est edita mola. Significarunt, quid accidisset. Domine, nos in magna spe vobiscum eramus, dominam esse gravidam, et precabamur Deum, ut esset felix partus. Sed proh dolor! aliter se res habet: Edidit molam. Quid edidit? inquit ille. Mulieres vereundi dicunt: *Ein Monkalb.* O, respondit ille: *Es ist besser ein kalb, denn ein kind. Ein kalb kan man essen.* Haec est insulsitas, non est lepos.

Lepos est *lieblichkeit.* Non est omnium, sed excellentium ingeniorum, quando quis potest aliquid apte dicere, aut respondere cum quadam concinnitate, aut figura.

Demades laudatur, quod fuerit lepidus. Alexandro mortuo dicebat exercitum eius similem esse Cyclopi effosso oculo.

Ciceroni obiectum est, quod plures perdidisset, quam servasset suo testimonio. *Recte*, inquit, *quia plus est mihi fidei, quam facundiae.*

Cum Alexander Lampsacum deleturus, videret ad se accedere Anaximenem, ut pro patria deprecaretur, iurat se non facturum, quod petiturus esset Anaximenes. Hic pergit, et petit deleri Lampsacum. Ita cum religione iuramenti impediretur Alexander, non fuit urbs delata.

Imperator. Carolus salse respondebat, cum in comitiis Ratisbonensibus convenissent omnes principes, qui tum ibi erant, et peterent pro Duce Iuliacensi. Aegre hoc ferebat Imperator egressus, torve eos aspiciebat. Tandem dicebat: Tot res in hoc conventu proposui, utiles ac salutares toti Im-

perio: sed non potui impetrare, ut mei principes adessent in illis deliberationibus. Nunc, quia causam contra me habent, omnes convenerunt. Sic abiens reliquit eos. Possem multa alia recitare: sed vos ipsi observate exempla similia.

Effectus precationis et fidei.

Ista ingeniosissima mulier postquam lepore suo Christum quasi irretitum tenet suis ipsiusmet verbis, impetrat tandem hoc elogium a Christo: *O mulier, magna est fides tua.* Et hanc fidem non esse irritam, sed impetrare bona, testatur haec altera vox Christi: *Fiat tibi, sicut vis.* Plus dicit, quam si dixisset solum: *Sit sana, servetur incolumis filia tua.*

Respondit etiam eventus: *Sanata est in hora illa.* Sic etiamsi exercetur fides variis tentationibus, tamen non desinendum est ab invocatione, et eluctandum est fide ex omnibus, quae obiiciuntur in contrarium.

Proponamus autem nobis hanc historiam, tamquam speculum invocationis et fidei eluctantis ex gravissimis tentationibus. Non est in nobis tanta lux et ardor, sed tamen semper in omni invocatione clamemus: *Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae,*

Observemus etiam imaginem Ecclesiae collectae ex gentibus, quae fruitur micis, id est, reliquiis patrum et prophetarum, seu doctrina relicta a prophetis et patribus in populo Israel.

Pingitur autem haec etiam imago in Syrophoenissa ista. Eiulat miserabiliter, quod filia eius exagitetur a Diabolo. Sancti omnibus temporibus horribiliter excruciantur, propterea, quod maxima pars generis humani oppressa est erroribus et superstitionibus idololatricis, et aliis horribilibus malis. Interrogate nunc etiam sanos, non furiosos, homines, in quantis doloribus sint, propter dissensiones Ecclesiarum, propter errores et idola, quae grassantur in genere humano.

Ego de me vere dico: Non habere me maiorem dolorem, quam hunc ipsum, et libenter vellem mori, si possem sanare haec tristia vulnera. Novi tales non paucos, qui deplorant, furias illas Diaboli tam late grassari.

Vos etiam debebatis cogitare de istis morbis et vulneribus Ecclesiae: Ubi enim non est cogitatio, non sensus ullus mali, quae potest esse precatio? Sancti nihil possunt aliud, quam ut clament ad Dominum. Sicut ista mulier: *Domine fer opem:* Ita vos etiam orate, ut Deus leniat ista mala, et sanet nostra vulnera. Speremus etiam Deum exauditurum esse gemitus invocantium, postulaturum nobis. Afficiamur ergo communibus malis, commendemus Deo primum nostram salutem; agnoscamus nostra privata mala, et petamus ea tolli mitigari. Deinde precemur etiam pro aliis, et semper complectamur in nostra invocatione Ecclesiam universam: Cogitemus nos stare coram Christo, ut haec Cananaea. Singuli oremus, ut sanet nostra ipsorum vulnera et Ecclesiae. Ad talem aliquam precationem volui me et alios excitare his versiculis, quos proponam vobis, ut, qui valent facultate scribendi carminis, meliores faciant.

Quantus erat dolor in Cananaea matre puellae,
Cuius mens furiis exagitata fuit:
In tanto nunc est Ecclesia moesta labore,
Doctorum furias cum videt atque ducum.
Sed tu, Gnate Dei, gemitus audito precantum:
Nulla venit nobis, te nisi dante, salus.
Tu procul a nobis saevos depelle furores,
Et sanes verbo pectora nostra tuo.
Quamvis ira tui nos urget, iusta parentis
Et sumus, ut turpes, nos rea turba, canes:
Attamen ut timide sub mensa captat herili
Esuriens, modicas parva catella dapes:
Sic cum dira fames nostros absumpserit artus,
De mensa petimus pabula Christe tua:
Gnate Dei, generis nostri massam induis, ut nos
Vivifica infirmos haec tua massa gerat.
Tu λόγος aeterno natus patre, semper adesse
Et custos nobis, et caput esse velis.

DOMINICA OCULI.

Evangelium Luc. 11.

Et erat eiiciens Daemonium, et illud erat mutum. etc.

Explicatio vocabulorum, quorum mentio fit in hac narratione.

Quid significat Beelzebub?

In Graeco textu est hoc loco *βεελζεβούλ*, sed in Hebraeo textu 4. Regum 1. ponitur *Baal Zebub*: quod Graecus textus ibi reddidit *βάαλ μυῖαν*, id est: *Dominum muscarum.* Credo autem non temere factam esse mutationem postremae literae β in λ.

Graeci alioqui non habent nomina, quae desinant in λ, pro Hannibal dicunt Ἀννίβας. Sed Prophetis usitatum est facere paranomasias, id est, allusiones in nominibus. Nam Paranomasia vocatur, cum ex mutatione unius vel plurium literarum sumitur convicium vel reprehensio prioris, ut cum

dixerunt *Biberius*, pro Tiberius, *Mero* pro Nero. Erasmus Eccium nominabat *Geccium*.

In dialogo, quem inscripsit Echo, multa habet exempla talia, ut cum quaerit: Quales fiunt qui dici volunt Ciceroniani, respondet Echo, *ὄνοι*, id est, *asini*. Reprehendit illorum incogitantiam, qui nihil aliud discunt, quam delicias verborum, nec adiungunt doctrinas rerum. Item, Quid quaerit is, qui venatur Sacerdotium? *otium* respondet Echo. Taxat captantes ampla sacerdotia, non ut doceant, aut sint custodes doctrinae, sed ut otium sibi et voluptates tantum comparent. In Terentio est: *Haec inceptio est amentium, non amantium.* Denique multum est talium iocorum in quotidiano sermone.

Prophetae libenter usi sunt hac figura, in reprehensione impiorum cultuum, ut pro *Bethel*, id est, domus Dei, dicunt *Bethaven*, id est, domus iniquitatis, vel sceleris. Sic puto, per Paranomasian factam esse mutationem horum nominum *Beelzebul*, et *Beelzebub*.

Sunt autem eadem nomina, *Baal*, *Beel*, *Belus*, significant idem quod *Dominus*. Quod sacrae historiae nominant *Baal*, id Ethnicae vocant *Bel* et *Belus*. Omnes scriptores dicunt, Phoenices ortos esse a Belo, sicut etiam in Virgilio est de rege Belo. Filii Beli fuerunt Danaus et Aegyptus. Danai filiae haurientes aquam perforatis vasis, nominantur a Virgilio *Puellae Belides*, in hoc versu:

Assidue repetunt quas perdunt Belides undas.

Fortassis est imago profusionum: sicut videmus, quantae nunc fiant exactiones pecuniarum, quae postea tamen subito profunduntur in aulis. Poetae fingunt ab eis interfectos fuisse sponsos, filios Aegypti.

Adolescentes, quando legunt Virgilium, cogitent poenas inferorum non inconcinne posse distribui in tres gradus, quae respondent tribus viribus, seu potentiis animae, quas Plato constituit.

Ἡγεμονικὸν, id est, *pars intelligens*, peccat superbia, contemptu Dei, curiositate, *πολυπραγμοσύνῃ*. Huc pertinet poena Salmonei, qui voluit imitari fulmina Iovis, id est, punitus est propter superbiam. Item Sisyphus, qui frustra saxum volvit et revolvit; Est exemplum vel sophistarum, qui excruciant se et alios inanibus sophismatis; vel aliorum, qui negotia inutilia instituunt quadam curiositate.

Θυμικὸν, peccat ira et crudelitate: ut, Ixion, qui interfecit socerum, clamat in rota: *Discit e iustitiam moniti.*

Ἐπιθυμητικὸν, peccat libidine, intemperantia, avaritia. Iecur Titii laceratur a volucribus propter libidines. Tantalus captat fugientes undas, quae est poena avaritiae. Dolia Danaidum puto significare *βουλιμίας* principum coniunctas cum profusionibus.

A Belo scribunt descendisse etiam Cadmum et Agenorem. Voluerunt significare Graecam nobilitatem ortam esse ex Phoenicia, sicut etiam literae inde in Graeciam allatae sunt.

Baal prima origine, quod ad Grammaticam attinet, non fuit malum nomen, sed postea propter mores gentium prophetae execrati sunt hoc nomen, quia Ethnici id transferebant ad cultum idololatricum. Proprie *Baal* significat idem, quod Dominus, *κύριος*, vel *δεσπότης*.

Dominus est generale nomen, significans antecellentiam. Usurpatur in genere, pro omnibus, quibus tribuitur reverentia. Sed apud Graecos differunt *δεσπότης* et *κύριος*. *Δεσπότης* dicitur respectu servi, a *δέος*, id est, *metus;* quia significat eum, qui habet ius cogendi alium metu. *κύριος* est a *κύρος*, id est, *autoritas*; quasi dicas, Dominus habens auctoritatem. Imperator est Principum *κύριος*, non *δεσπότμς*: quia habet potentiam certis legibus ordinatam. Sic Pastor Ecclesiae debet habere autoritatem, et tamen cogitare illud quod Petrus inquit: *Non dominantes gregi.*

A Baal est etiam nomen *Hannibal*, quasi dicas, *Dominus gratiae*, seu, *gratiosus*: Item: *Hasdrubal*, Dominus auxilii, quod Graeci dicunt Alexander, id est, vir iuvans, *Ein Leudthelffer*, *aetser*, id est, auxilium, unde est etiam *Esdras* et *Eleazar*. Sunt multa nomina in omnibus linguis, quae idem significant quod Asdrubal, ut Amyntas, Ludolphus, et similia Imo vocabulum *Ritter* est idem, quod *Retter*, id est, qui liberat alios. Istae compositiones plurimorum nominum ostendunt vocem *Baal* fuisse honorificam apud veteres: Et Syriaci, Phoenices, Sidonii nominarunt Deum hoc nomine.

Ac puto appellationem *Beelzebul* ab iisdem primum usurpatam esse. Nam *Zebul* significat habitaculum, seu thalamum, id est, cubiculum interius. Inde *Beelzebul* est Dominus habitaculi, vel thalami interioris, vel Deus istius domus et familiae: sicut Latini nominarunt Deum tutelarem, item *Larem familiarem.*

Germani vocant *Einen Patron:* sicut inter Papistas quodlibet templum habet suum Patronum. Quod sumptum est ex imitatione gentilium: Quia talis idololatria fuit communis omnium gentium, ut quaelibet regio, civitas, familia, domus haberet suum quoddam numen tutelare. Hoc imitati sunt Papistae, et ubi reliquias alicuius sancti nacti sunt, seu vere seu falso, eum sanctum praefecerunt, tamquam Patronum, ut Mersburgenses habent S. Laurentium. Bamberga non habet murum, dicunt ideo non muniri, quia sancta Kunigundis circumdederit urbem filo, quo sit adhuc tuta.

In summa Beelzebul est idem quod numen tu-

telare, *Der herr, oder Gott der die stat oder hauss bewahret.*

Alii Beelzebul interpretantur, Dominum turbationum vel confusionum, a *Baal* Dominus, et *tsaeh*, iste, et *balal, confudit, permiscuit, turbavit.* Diabolus vere est turbator; vel, ut Paulus loquitur, autor vel Dominus ἀκαταστασίας, depravator et destructor ordinis, et operum divinorum; turbans religionem, gubernationem politicam, imo totam vitam nostram.

Exemplum sit Tragoedia Anabaptistarum Monasteriensium*, ubi Rex nominabat se regem in templo Dei, ducebat plures uxores, ex quibus unam interfecit, fingebat visiones, quibus fascinavit vulgus, ne urbem dederent hostibus; ac tantam famem potius paterentur, ut ex corio arroso vitam multi sustentarent. Haec sunt Diabolica, quibus ostendit Diabolus se esse turbatorem.

Sed quod ad nomen *Beelzebub* attinet, omnes consentiunt, quod idem significet, quasi dicas, *Dominus muscarum,* vel, *magna musca,* seu *crabro.* Rex Israel Ochozias mittit in Ecron ad consulendum Baalzebub, Deum Ecronitarum, an convaliturus sit ex morbo. Quam triste est hoc, quod rex istius populi, in quo erant promissiones a Deo editae, mittit sciscitatum ad idolum illud, seu numen Ethnicum.

Undecunque autem sit data occasio fingendi istius nominis, cogitemus hac appellatione pingi Diabolos volitantes in aere, instar muscarum, seu culicum, seu crabronum. *zebub* significat muscam magnam, *ein gross scheuslich ungezifer, das umbher fleugt, und beschmeist es alles.* Volitant Diaboli in aere, quasi magna agmina muscarum. Paulus nominat eos *Spiritus aeris.*

Mihi narravit quidam, quem diu vexaverat Diabolus, quod, quando veniret ad ipsum excruciandum, suspenderet se specie muscae ad alteram suam genam sub oculo, et quod tunc tantum pondus sentiret, ut pene exanimaretur, nec stare amplius posset. Istum miserum hominem diu sic vexavit, ut saepe voluerit ille consciscere sibi mortem.

Petrus atrociori nomine depingit Diabolum. Dicit *eum circumire, ut leonem rugientem, quaerentem quem devoret.* Etsi Diaboli non possunt aliquid facere sine promissione; nec Deus illis concedit facere quicquid libet, tamen credamus scripturae et experientiae, et sciamus Diabolos horribiliter turbare totum genus humanum, et impellere homines assidue ad multa mala.

Paulus inquit *Diabolum esse efficacem in incredulis.* Et Christus dicit de Iuda: *Satanas intravit in eum.* Ista sunt valde horribilia; et ipsum nomen *Satanae* significat adversarium. Diabolus est adversarius filii Dei et generis humani.

Deinde exempla ostendunt in quotidiana experientia, in quantis periculis sint omnes homines. Videmus, quam multi ruant in tetros errores, et turpissima scelera. Quam multi sunt hostes veritatis, qui defendunt et stabiliunt idola! quam multi furenter ruunt in caedes et libidines!

Haec non fiunt sine impulsionibus Diaboli, etsi, quomodo hae fiant, penitus intelligere non possumus. Lipsiae quidam supplicio affectus est, qui in suburbio interfecerat noctu patremfamilias quendam, una cum uxore et liberis, et spoliaverat domum. Is cum captivus esset, dicebat se toto triduo latitasse sub gradibus, et multum secum deliberasse, an deberet caedem illam facere. Ibi se audivisse vocem quandam susurrantem: Abi, interfice hospitem: *fahr fort, schlage todt.* Fuit ipsissima vox Diaboli etiam corporali voce incitantis ac impellentis miserum hominem ad faciendam caedem.

Cum Tubingae essem, vidi quendam supplicio affici, qui interfecerat advenam, cui monstrare debuerat iter per silvam. Venerat advena ille in tabernam meritoriam, et biberat dimidium sextarium vini. Discedens rogavit, ut aliquis istorum, qui sedebant in eadem taberna, monstraret sibi viam per silvam vicinam Tubingae. Surrexit homicida, promittens se ostensurum ei esse viam. Interim dum vadunt, cogitat ductor viae: Procul dubio hic pecuniosus est, quia non ausus est solus iter facere per silvam: Quid si adorireris ipsum, et occideres, et spoliares eum pecunia? Hac cogitatione fascinatus, et acres stimulos in animo sentiens, iubet advenam aliquantisper praecedere; Qui nihil suspicans mali, cum praeiret, ab illo suo comite interfectus est, et spoliatus. Sed paucos saltem nummos invenit homicida. Redit in diversorium subtristis. Postridie repertus est, qui erat occisus. Statim curritur ad viae ductorem. Hic mox confessus est, se reum esse. Cum educeretur postea ad supplicium, narrabat se in suo malo proposito ita fuisse impulsum a Diabolo, ut videretur sibi sentire stimulos quosdam, qui non sinerent eum conquiescere, donec caedem perpetrasset.

Videmus quotidie, quam tristes caedes committantur in ipsis symposiis, ubi Diabolus ita fascinat homines, ut prorsus sui obliti ruant in scelera. De istis tantis malis moneant nos appellationes Diaboli Beelzebul, et Beelzebub, item nomen Satanae. Homines non vident, quanta sit magnitudo mali, habere mentem fascinatam a Diabolo, vel ut Paulus loquitur, *captivam sub Diabolo*: Item homines fieri habitacula, seu domicilia Diaboli, et impelli a Diabolo ad varia scelera. Hanc tantam miseriam non volunt homines agnoscere in hac vita, sed in secuturis poenis aeternis sentient, quantum sit esse hostem Dei, et sentire iram eius in tota aeternitate. Ideo clamemus ad Filium Dei,

ut ab insidiis Diaboli nos liberet, protegat et gubernet.

Unde est nomen Diaboli?

A διαβάλλειν, quod significat disiicio, *ich zerreisse*, et calumnior. διαβολή, est calumnia, et διάβολος, calumniator. Recte tribuitur hoc nomen Spiritui mendaci, quia eius proprium est, arte perturbare recte dicta, et contradicere veritati.

Est apud Aristophanem, vocabulum ἀντιλογικὸς, de eo qui semper profert aliquid, ut contradicat veritati. Et apud eundem dicit quidam: ἐπεθύμουν ἅπαντα ταῖς ἐναντίαις γνώμαις συνταράξαι. *Ago hoc semper, ut contrariis sententiis labefactem, quae ab aliis dicuntur.* Tales sunt multi, qui putant summam sapientiam esse, semper contradicere, et conturbare recte dicta. Sed hoc est proprium vitium Diaboli. Nos inventa veritate debemus acquiescere, non repugnare veritati.

Diaboli est contradicere, ut quando Deus in paradiso dixit ad primos homines: *Quacunque die comederitis de arbore hac, moriemini: mox venit Diabolus et contradicit, Nequaquam moriemini, sed eritis sicut Dii.* Ioannes inquit: *Verbum erat Deus.* Sed Samosatenus corrumpit hoc dictum: Negat verbum esse personam. Christus inquit: *Venite ad me omnes*, etc. Diabolus contra: Tu non pertines ad hanc promissionem, quia non es electus, aut non es dignus, cui remittantur peccata. Denique nihil non calumniatur Diabolus: Et qui eum sequuntur, similiter pervertunt veritatem divinam.

Nomen calumniatoris est a καλεῖν, id est, vocare in iudicium, ut sit calumniator, qui de rebus nihili aliquem in iudicium vocat. Sed magis mihi placet altera Etymologia, qua derivatur vocabulum a καλὸν, id est, *bonum*, et μειοῦν, *minuere*, id est, quae recte dicta et facta sunt, probro aliquo afficere. Salomon inquit: *Calumnia conturbat sapientem et frangit robur cordis eius.* Non dubitemus, quin Deus vehementer oderit calumnias, quia est amans veritatis, et osor mendacii; et calumniae sunt peiores mendaciis, quia fiunt quadam fucata specie.

In isto textu est etiam vocabulum *blasphemiae.* Differunt autem λοιδορία et βλασφημία. Λοιδορία est vocabulum generale, significans convicium quodcunque, ut cum homines inter se conviciantur: sed βλασφημία est convicium, proprie contra res sacras, seu contumelia adversus Deum, *eine Gotteslesterung.* Latinum nomen nullum est, nisi velis dicere, *impietas*, vel *sacrilegium.* Sed hae quoque voces aliquanto generaliores sunt.

Cynesias Athenis celebrabat festa contraria publicis. Cum alii laeta festa celebrarent, ipse festa mortuorum agitabat, et e contra. Voluit hoc modo deridere sacra. Dionysius detraxit pallam auream statuae Iovis, inquiens, *Eam oneri esse in aestu et frigefacere in hieme.* Hae sunt blasphemiae, id est, convicia, quae fiunt immediate contra Deum vel contra sacra.

Tales sunt etiam omnes Epicureae et Cyclopicae voces. Item execrationes, quibus invocatur Deus ad contumeliam. Vocabulum ipsum deducitur a βλὰξ, βλακὸς, id est, stupidus, et φημὶ, dico, quia in tali contumelia Deus probro afficitur, quasi sit stupidus, aut fatuus, aut quasi prorsus nihil sit Deus.

Oppositum vocabulum est εὐφημία, id est, benedictio, *etwas guts reden und wüntschen.* Apud Platonem est in vita Socratis de ipsius morte: *Oportet mori cum bona precatione:* Δεῖ ἐν εὐφημίᾳ τελευτᾶν. Sinister latro moritur cum fremitu adversus Deum tamquam blasphemus. Contra, latro conversus moritur cum εὐφημίᾳ; quia, ubi fides est, ibi cor invocat Deum, et eum laudat. Apud Ethnicos, quando fiebat initium sacrificii, fiebat hoc praeconium:

ἱερὰ λέγειν καὶ ἱερὰ πράττειν: hoc est,
Mando dicere sancta, et facere sancta.

Loci doctrinae.

Haec sufficiant de vocabulis, quorum explicatio multis historiis lucem adfert. Caeterum res maximae et amplissimae continentur in hac narratione. Nos volumus eas partiri in quatuor locos insigniores. I. est de differentia miraculorum. II. De unitate Ecclesiae. III. de discrimine et gradibus peccatorum. IV. de lapsibus conversorum.

Hae sunt materiae principales in isto textu: quamquam aliae etiam plurimae simul comprehenduntur, sicut saepe soleo dicere, tantam esse amplitudinem in singulis lectionibus Evangelicis, ut nemo possit amplitudinem illam exhaurire. Materiae etiam ipsae tam sunt magnae et graves, ut non possit satis dici de iis prae magnitudine.

De discrimine miraculorum.

Primum igitur, quod ad differentiam miraculorum attinet, sciamus, quod Deus inde usque ab initio patefecerit se certo verbo, et addiderit huic patefactioni illustria testimonia, qualia multa habuerunt patres, etiam ante diluvium. In ipso autem diluvio conservatio Noe fuit illustre testimo-

nium doctrinae, quam Noe sonuit, et praesentiae Dei in Ecclesia. Sed cogitemus nunc saltem de exitu Israelitarum ex Aegypto. Iste exitus plenus fuit miraculis, quae vidit tota Aegyptus, et pene innumerabilis multitudo populi Israel, in quo post eductionem numerati sunt sexcentena millia armatorum.

Ut autem Diabolus est simia Dei, ita tunc etiam certavit Diabolus miraculis adversus Deum. Magi Pharaonis etiam fecerunt sua quaedam miracula: Sed serpens Moisis devoravit serpentes Diaboli.

Sunt igitur miracula duplicia: alia sunt divina, alia diabolica. Differentia autem est triplex. Prima differentia est, quod in Ecclesia sunt miracula inimitabilia Diabolo. Moises non tantum vicit miracula Magorum, sed etiam habuit quaedam, quae non potuerunt Magi imitari. Ecclesia habet resuscitationem mortuorum, sicut Helias, Helisaeus, Christus et Apostoli resuscitarunt mortuos. Item, Deus repressit cursum solis, reddidit anus steriles foecundas. Haec Diabolus non potest facere.

Non potuit Diabolus unquam efficere, ut mortuus reviviscat. Audivi ex viris fide dignis, Sigismundo Gelenio, et Christophoro Gross, et ex aliis hanc historiam: Fuit Bononiae virgo, quae revera erat mortua, et tamen circumivit biennium tamquam vivens, assedit mensae, visa est etiam attingere aliquid, tamquam comederet, venit ad choraeas, cecinit fidibus. Sed pallidior semper fuit. In hanc incidit forte magus quispiam, qui animadvertit imposturam, dixit eam cadaver esse. Quod cum mirarentur qui astabant, ipse fascinum sustulit, quod erat illi alligatum sub altero humero. Mox sublato fascino, illa ad terram collapsa iacuit exanimis. Id multo magis mirantibus, qui praesentes erant, dixit ab alio Mago fascinum illud fuisse alligatum, atque ita cadaver hactenus sustentatum fuisse a Diabolo.

Talia ludibria potest facere Diabolus; sed non potest vere resuscitare mortuos, nec potest sistere cursum Solis; nec anum effoetam et sterilem, reddere foecundam.

Potest praestigias offundere oculis: ut cum per Magos Aegyptios, serpentes produxit, quos baculus Moisis in verum serpentem conversus, tandem devoravit: Aut cum apud Homerum Draco in Aulide conspectus, (ubi Graeca classis tempestatibus detinebatur) devoravit decem passeres, et postea conversus est in saxum, quod Calchas interpretatus est, decennalem forem obsidionem Troiae. Talia ludibria potest multa facere, quae videntur esse aliquid hominibus, et tamen revera nihil sunt.

Potest etiam facere aliqua mirabilia, ut est potens Spiritus. Narrat Livius regnante Servio Tullio rege Romanorum, ab augure cotem dissectam esse novacula. Narrat etiam Plato Stesichorum poetam propter vituperationem Helenae punitum esse caecitate: et eundem, cum caneret palinodiam, id est, cum retractaret prius illud carmen, recepisse visum.

Sic potest Diabolus facere in aliquo morbum, et iterum tollere. Potest occidere hominem, qui est in eius potestate, Deo permittente. Habet magnam cognitionem rerum naturalium, et callide potest abuti natura rerum a Deo condita, quantum ipsi a Deo permittitur. Non est hoc ei grave, aut difficile, frangere cotem, perinde ut homo robustus potest frangere lignum aut baculum. Ego novi praestantem virum, ex praecipua nobilitate, *Herr Hans von Schwarzburg*, cuius filii et nepotes adhuc vivunt, qui sine magno conatu dilacerabat calceum ferreum equi, seu ferramentum ungulae equinae, *ein huffeisen*.

Verum alia sunt miracula, Ecclesiae propria, quae simpliciter sunt opera naturae omnipotentis. Nulla creatura, etiamsi se rumpat, efficere propriis viribus potest resuscitationem mortuorum, regressionem solis et stationem: partum virginis, foecundationem matronarum, quae et natura steriles, et propter aetatem effoetae fuerunt. Adhuc etiam Deus subinde facit magna miracula, quae sunt praeter et extra, imo etiam contra causas secundas: etiamsi homines ἄθεοι et Epicuraei non attendunt; ut cum conservat perpetuo Ecclesiam, et ministerium Evangelii, quod Diabolus partim vi, partim sophistica delere conatur. Item, cum mirabiliter singulos pios defendit ac liberat. Quod Diabolus non potest semper facere de suis.

Secunda differentia est: Miracula in Ecclesia fiunt in confessione doctrinae a Deo traditae, et in invocatione filii Dei. Miracula Ethnica fiunt cum idololatrica invocatione, aut hominum mortuorum, aut commentitiorum numinum, quae innumerabili multitudine finxerunt homines Ethnici extra Ecclesiam.

Prophetae invocarunt hunc verum Deum, qui se patefecerat verbo, et aliis testimoniis divinis in eo populo: Et hac invocatione impetrarunt a Deo multa miracula. Sic Apostoli in nomine Christi fecerunt miranda opera.

In Papatu multa sunt facta miracula, quando vota fecerunt ad sanctos mortuos. Ista fuit idololatrica invocatio sanctorum, quae miracula illa merito debet suspecta nobis reddere, ne existimemus fuisse opera Dei, sed praestigias Daemonum.

Apud Aelianum et alios scriptores Graecos narratur de Aspasia. Ea fuit pulcherrima et elegantissima puella in Mileto, tempore Cyri Iunioris. Coepit autem laborare in facie, tetra scabie, sive gangraena, sive mentagra fuerit. Non potuit sanari curationibus medicorum. Ad extremum, Ve-

neri votum fecit. Somniavit igitur, quasi iuberetur a Venere, coronas ex rosis factas, impositas statuae Veneris, sumere, et coquere, et inde lavare faciem. Ita fuit curata. Lavit se coronis illis ex rosis, et rediit pristina elegantia formae, propter quam expetita est a Cyro, et post huius mortem a fratre Artaxerxe Mnemone. Postea contaminata est, etiam per alias incestas consuetudines. Darius filius ausus est petere a patre Artaxerxe, die coronationis suae (quando consuetudo erat, ut nihil petenti denegaretur) mulierem illam. Pater non ferens eius desiderium, rursus eam filio ademit.

Sed illa curatio scabiei per rosas coctas, habet etiam physicum aliquid, quia rosa habet vim abstergendi. Quando pueri habent manus scabiosas, videtis eos sumere aliquid atramenti, et allinere pustulis, quia atramentum arrodit et abstergit. Quod sunt morbi proprii scholasticorum? Scabies, Catarrhus, Paupertas crumenae.

Tertia differentia est vicina priori. Vera miracula congruunt cum praeceptis Dei recte intellectis, et cum expresso verbo, et fiunt ad huius confirmationem. Quando igitur miraculum fit, ad stabiliendam manifestam impietatem pugnantem cum praeceptis Dei, aut ad confirmandos errores contrarios verbo Dei; tunc non est divinum miraculum, sed diabolica illusio.

Hanc normam diiudicandi miracula tradit lex ipsa Deuter. 13., quod, quando miracula pugnant cum doctrina prius tradita a Deo, et fiunt ad confirmationem alicuius sceleris, sint repudianda. Et quia notitia Decalogi omnibus hominibus aliquomodo est insita, facile potest etiam a sanis hominibus iudicari, non esse assentiendum miraculis, quibus postulatur aliquid contra praecepta Dei, ut cum libidines tetrae, aut mactationes humanarum hostiarum stabilitae sunt per miracula Ethnica.

Aspasiae miraculum habuit tetram confirmationem, non solum idololatriae, sed etiam turpitudinis illius, quae exercebatur praetextu cultus Veneris. Calchas etiamsi verum dixit, tamen postulavit immolari Iphigeniam. Id ratio intelligit pugnare cum praecepto: *Non occides.*

Eadem regula tenenda est de apparitionibus spectrorum: ut cum Diabolus apparuit Latino, homini plebeio, ut iussit eum referre ad senatum Romanem de instaurandis ludis Circensibus: Qui cum initio nollet facere imperata, interfecit Diabolus filium eius.

Non ante multos annos venit spectrum ad mulierem in foro Brandeburgi, specie viri mortui; et dixit ad eum: Tu curabis, ut tot Missae pro me legantur, quia sum in purgatorio, et valde crucior. Mulier, quia saepe audiverat, non redire animas mortuorum, sed spectra eiusmodi esse imagines Diaboli, respondit: *Tu non es meus maritus, es Diabolus.* Mox evanuit spectrum.

Dixi etiam vobis alias hanc historiam, quae est vera narratio: Habui amitam, honestam matronam, quae cum partui vicina, marito mortuo, sederet moesta ad focum vesperi, ascenderunt duo per gradus (sicut focus in Rhenanis aedificiis solet esse in media contignatione). Alter habebat speciem mariti mortui: alter longus et robustus habebat Franciscani Monachi speciem. Erat circa tempus coenae in hieme. Accedit igitur ad focum is, qui induerat mariti speciem, salutat uxorem moestam: *Et ne expavescas*, inquit, *sum maritus tuus.* Mulier sedet attonita, et tamen utcunque se colligit. Ille Franciscanum iubet tantisper ingredi in hypocaustum. Deinde dicit ad mulierem, se venisse, ut mandata quaedam ei det. Queritur se cruciari in purgatorio; petit sacrificulos conduci, qui Missas celebrent ad ipsum liberandum. Discessurus postulat, ut sibi dextram porrigat. Illa cunctatur, dubitans, utrum ei manum det. Tum ille: *Da mihi*, inquit, *dextram, non laedam te.* Ita porrexit ei manum mulier, quae etsi non est laesa, tamen atra facta est instar carbonis, et mansit manus atra per totam vitam. Non amisit motum manus, sed tantum colorem pristinum. Postea ille revocat suum Franciscanum, et discedentes mox evanescunt.

Apud Gregorium leguntur narrationes similes multae, quibus ille deceptus instituit privatas Missas pro defunctis. Ait fuisse conspectam Monialem quandam post mortem, quae liberius vixerat; sed cum lectae fuissent Missae pro ea, non amplius visum esse spectrum. Idem affirmat de quodam balneatore, qui cum saepe post mortem apparuisset in balneo, desierit apparere, posteaquam lectae essent pro eo Missae. Talibus spectris cumulatae sunt superstitiones in Papatu. Sed quia scriptum est: *Non exquiras veritatem a mortuis:* et Missa manifestam impietatem habet, non debebat Gregorius, aut alii moveri istis spectris; sicut econtrario non debet abiici professio veritatis, aut quidquid cum verbo Dei congruit, etiamsi contingat aliquid praeter opinionem nostram, quoquo modo.

Fuit Bremae quidam sub initium repurgationis Evangelii (quod Henricus Sudphaniensis primus ibi docuit) qui clam eximebat ex templo statuas, ad quas viderat accurrere homines magno numero, ut moris fuit in Papatu. Ex illis statuis aliquas domi suae comburebat. Quidam eius vicinus, homo festivus, metuens ei, ne a Papisticis sacrificulis in discrimen adduceretur, si deprachenderent eum surripientem statuas, iniecit in unam aliquam statuam (quam ille gloriatus fuerat se vesperi, invitis omnibus, in domum suam portaturum, et hypocaustum inde calefacturum esse) in eam ergo iniecit aliquid

pulveris tormentarii. Cuius rei ignarus ille, cum statuam surreptam imposuisset fornaci, et subiecisset ignem, accenso pulvere, fornax et fenestrae hypocausti destructae fuerunt. Venit igitur ad amicum illum, vicinum suum; Conquestus est se esse in magno moerore. Putabat enim se poenas dedisse violatarum statuarum. Vicinus, dissimulans se scire, quod acciderat: Quae causa est, inquit, istius tantae tuae perturbationis? Ah, respondet ille, Ego hactenus putavi me bonum esse Evangelicum, si contemnerem statuas, et clam sublatas cremarem. Iam vero una destruxit mihi fornacem et fenestras, et magnum tumultum excitavit in mea familia. Ergo, inquit vicinus, si Papistae te non deprehenderunt, saltem statuae ipsae ultae sunt iniuriam eis illatam. Ille hoc sermone magis territus, vehementer se poenitere facti sui, et polliceri sancte, numquam se tale aliquid deinceps ausurum esse. Tum vicinus videns valde eum excruciari dolore: Tu fatue, inquit, estne talis, et tam inconstans fides tua? An putas sanctos, aut Deum ipsum violatos esse abiectis statuis? Si tam parva re, quae tibi praeter expectationem evenit, moveris, quid facturus esses, si coram iudice deberes fidem tuam testari, et expectare ignem, ut illi, qui comburuntur propter confessionem? Ego imposui pulverem bombardicum, et volui probare, quam haberes fidei tuae πληροφορίαν, et te monere, ut cogites, ad Magistratus officium pertinere, ut tollant statuas: neque privatos necessitate quadam teneri ad illas removendas. Agas ergo deinceps modestius: aut, si opus liberi et ardentis spiritus in te fuit concrematio illa statuarum pristina, cur tam facile turbaris eventu insperato?

Haec dixi de discrimine miraculorum, et de regula: Quod semper debeat esse maior auctoritas verbi Dei, quam quorumcunque sive miraculorum, sive spectrorum, sive eventuum, quibus turbari potest fides nitens certo et perspicuo verbo Dei. Christus ex discrimine miraculorum recte argumentatur in hoc Evangelio. Diabolus facit miracula ad confirmationem impietatis et horribilium furorum, id est, ad stabiliendum suum regnum. Ego vero facio miracula ad destructionem regni Diaboli, et ad confirmandum regnum Dei. Ergo non facio miracula ex Beelzebub, sicut vos blasphematis.

Refutat item adversarios suos a potentia sua maiore, quam sit potestas Diaboli. Ego Diabolos invitos et repugnantes eiicio. Alii faciunt ludos cum adiuratione Diaboli, et Diabolus nonnunquam cedit in speciem, quadam simulatione. Saepe etiam per ludibrium respondet interrogantibus, quasi vi adiurationis ipsorum cogatur respondere ad interrogata, cum, sive vere, sive falso respondeat, simulate omnia agat. Fuit in Italia puella obsessa a Diabolo, quae nunquam didicerat, et loquebatur tamen Latine et Graece. Ea interrogata, quis esset optimus versus in Virgilio: respondit: *Discite iustitiam moniti, et non temnere Divos.* Istam vocem Diabolus ex illa edidit. Graeci nominarunt *Pythones,* qui respondebant interrogati. In Actis fit mentio mulieris Pythonissae: πυνθάνομαι est interrogor. Verum Christus hoc modo se ait agere contra Diabolos, ut inviti, et frementes cedere cogantur. Ideoque vult agnosci potentiam suam longe maiorem esse Diaboli potentia; se tandem Tyrannidem eius penitus vi divina destructurum esse.

Addit etiam, non a se tantum, sed etiam ab aliis profitentibus suam doctrinam, videlicet ab Apostolis, eiici Diabolos, potentia divina, in confessione doctrinae de Christo, non per simulationem aut collusionem. Id ostendit certissimum argumentum esse regni Dei praesentis, quo destruantur opera Diaboli.

De unitate Ecclesiae.

Coniungemus in hoc loco has duas sententias: *Qui non est mecum, contra me est*: Et, *Qui non colligit mecum, dispergit.* Item: *Omne regnum contra se ipsum divisum, desolabitur: et domus supra domum cadet.*

Prior sententia damnat neutrales in religione. In omnibus dissensionibus hoc fit, ut multi, cum vident, utrimque esse aliqua errata, offensi, reprimant se; et neutri parti se velint adiungere. Simulant se habere causas suspendendae assensionis suae; volunt videri sapientiores et moderatiores caeteris. Habent in ore illud Catonis Uticensis: *Quem fugiam, habeo: quem sequar, non habeo.*

Sumite exemplum ex controversiis illis, quae nunc agitantur in mundo: Est aliquid vitiorum, etiam in nostra parte, quae profitetur doctrinam repurgatam Evangelii. Ideo sapientes dicunt: *Video multum confusionum inter Evangelicos: ipsi inter se dissentiunt de multis: et sunt inter eos multa alia vitia: Igitur non adiungam me eis.* Contra, nec Papistae esse volunt, quia vident manifestam idololatriam, et errores quosdam crassissimos.

Non sunt autem eiusmodi Neutrales excusati, quia hoc ipso, quod neutri parti se volunt adiungere, ostendunt se venisse in dubitationem, nec remedia adversus eam quaerunt, sed fovent tantisper, donec abiiciant fidem. Nam qui est et manet neutralis, non habet fidem, sicut hic dicitur: *Qui non colligit mecum, dispergit.*

Est mandatum universale, et ad omnes homines pertinens, ut veritati adhaereant, et adiungant se verae Ecclesiae, et veritatem palam confiteantur.

Sicut mandatum est singulis hominibus, ut discant Evangelium, iuxta dictum: *Hic est filius meus dilectus, Hunc audite:* Ita mandatum est etiam singulis hominibus, ut aggregent se ad unam veram Ecclesiam: ut in Psalmo dicitur: *Unum petii a Domino, et hoc requiram ab ipso, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.* Item: *Beati qui habitant in domo tua Domine.* Et in articulo Symboli profitemur singuli: *Credo Ecclesiam sanctam Catholicam:* id est, credo quod sit una vera Ecclesia, et ad illam me adiungere debeo.

De Confessione etiam veritatis scriptum est: *Qui negaverit me coram hominibus, hunc et ego negabo coram patre meo coelesti.* Haec mandata Dei omnes necesse est sequi: et his se exuscitare debent, si qui sunt infirmi, sed tamen dociles, qui gementes pro Ecclesia, et pro veritate, interdum metu impediuntur, ne ausint libere profiteri, quod sentiunt.

Tales discant ex hac sententia Christi: *Qui non est mecum, dispergit;* paulatim corrigere et emendare imbecillitatem, et pusillanimitatem suam, et studeant proficere, et in dies magis magisque confirmari ad perspicuum testimonium veritati perhibendum, cum casus confessionis necessariae ingruit.

Sunt autem alii non infirmi, nec dociles, sed vel Epicuraei, et superbi derisores, vel errones, qui vagantur per mundum, et insectantur omnes Ecclesias. Tales vitandi et execrandi sunt.

Scriptum est recens contra Calvinum, quod Genevenses non recte fecerint, quod sumpserint supplicium de Serveto, oppugnante omnes Ecclesias Christianas, et palam negante invocationem filii Dei. Nam et cum ad supplicium duceretur, noluit dicere: *Iesu Christe aeterne fili Dei, miserere mei.* Sed recte fecit potestas Genevensis, quia non est concedendum illis erronibus, ut sic vagentur, et exagitent homines, defendant blasphemias, arripiant unam aut alteram particulam Scripturae, et detorqueant ad suos furores, et sic tantum perturbent Ecclesias.

Vos etiam, qui versamini in studiis, discite totum Corpus doctrinae complecti animo; non imitamini illos, quibus nulla Ecclesia placet. Est versus Martialis, Miserum esse puto, cui nemo placet. *Si cui nemo placet, hunc miserum esse puto.*

Verum quidem est, quod multi mali sint apud nos. Multi volunt esse in nostris Ecclesiis, et miscent se nostris coetibus, et tamen multis modis contumelia afficiunt Ecclesiam. Sed hac re non offendamur: quaeramus doctrinam veritatis, et Deum invocemus cum omnibus sanctis, qui sunt in Ecclesia universi orbis, et confiteamur doctrinam coram omnibus, ut dicitur: *Qui me confessus fuerit, confitebor et ego eum.* Et confiteatur unusquisque ea de re, quam intelligit, et quae est pars necessaria doctrinae.

Si quis vult sibi fingere phantasias, et dicere, hanc esse confessionem Christianam, id nihil est. De doctrina fundamenti debemus confiteri. Confessio fieri debet de iis rebus, quae sunt partes doctrinae Christianae. Non debes tibi sumere licentiam fingendi opiniones singulares, alienas a consensu verae Ecclesiae. Debes fovere ac retinere unitatem et concordiam cum Ecclesia.

In quibus rebus consistit veritas Ecclesiae?

Primum in consensu de doctrina fundamenti, id est, in doctrina legis, et in articulis fidei. Deinde in usu Sacramentorum legitimo. Postremo, in obedientia debita Ministerio in iis, de quibus praecipit Evangelium. Non debemus facere distractiones, neque deserere ministerium. Item, non debemus contemnere fratres in rebus adiaphoris, quatenus sunt adiaphorae, seu indifferentes; id est, quatenus non assuitur opinio necessitatis, cultus, vel meriti.

Condemnationes intempestivae turbant societatem. Ideo Paulus inquit: *Qui non manducat, non condemnet manducantem.* Item: *Nemo vos iudicet in cibo et potu.* Non dilaceretur unitas Ecclesiae, propter talia, quae non habent mandatum divinum.

Sed neque praetextu auctoritatis vel coniunctionis cum Ecclesia recipiantur quae palam sunt impia. Non tribuamus Episcopis tyrannicam aut regiam potestatem. Retineamus veram et simplicem sententiam de omnibus partibus doctrinae Christianae, et de toto cultu Dei, traditam divinus, quia non est in ullius hominis potestate mutare doctrinam a Deo praescriptam, quae prolata est ex arcano sinu et deliberatione miranda, facta per aeternum Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Hanc doctrinam nec angeli, nec homines debent, aut possunt mutare. Quicunque mutant, horribiliter peccant.

Iam quod ad alterum dictum attinet: *Omne regnum in se divisum, desolabitur*: id quoque commendet nobis studium coniunctionis, quae non potest retineri sine aliqua patientia: sicut in omnibus amicitiis patientia opus est. *Man muss mit einander gedult haben.* Est dictum Thaletis: *Dulcius est amicum facere, quam retinere.* Thales fuit vir sapiens: vixit in Mileto, sed fuit oriundus ex Phoenicia. Fuit excellens artifex, ut etiam Croesus eum duxerit in exercitu secum, et multa fecerit eius

consilio. Imo et Solon constituit, et ordinavit annum Atheniensibus suis de eius consilio.

Quod autem de privatis amicitiis dixit Thales, idem etiam dici potest de publica coniunctione tuenda: *Facilius est, se adiungere florenti parti, sed postea tueri statum, et manere in illa coniunctione, est difficillimum.* Oportet enim ad tuendam coniunctionem adhibere patientiam; oportet singulos multa lenire moderatione sua, sicut apud Thucydidem dicit sapiens princeps Syracusanus, *οὐδὲν γὰρ αἰσχρὸν οἰκείους οἰκείων ἡσσᾶσθαι, Non est turpe, videri victum esse a domesticis.* Non est civis, sed hostis Ecclesiae, qui non adiuvat coniunctionem.

Multi studio habent, ut recte constituta doctrina quaerant cavillationes, tantum ad turbandam Ecclesiam. Id videmus hodie in tantis distractionibus. Quid est sanctius et dulcius, quam quod dico: *Lex est sapientia aeterna et immota in Deo?* Et tamen cavillantur hoc aliqui. Non est immota sapientia, inquiunt, quia Deus potest mutare. Imo Deus non mutat hanc propositionem: *Non habebis Deos alienos; Non moechaberis*, etc. in tota aeternitate. Semper manet haec lex vera. Filius Dei venit, non ut solvat, sed ut impleat legem. Si venit, ut impleat: Ergo est eadem mens divina, volens iustitiam. Certe non renascimur, ut simus petulantiores. Non sudavit filius Dei sanguinem, ut tu sine causa haurias sanguinem innocentem.

Quid est insulsius, quam dicere: *Fides ex auditu est, sed sine cogitatione in natura rationali?* Insania profecto est, talia imaginari.

Si non volunt aliqui ferre, quod dico: *Retinenda est gratia:* Item, *bona conscientia.* Volunt dici, Deus retinet gratiam; sed est inanis Sophistica. Deus retinet gratiam in illis, qui non vulnerant petulanter conscientiam.

Sic aliqui vociferantur, Non recte a me dictum esse, quod *Ecclesia in hac vita sit coetus visibilis.* Denique nullus est finis cavillationum et calumniarum.

Nos Dei beneficio diligenter tradidimus praecipua capita doctrinae, et sic quidem, ut homo sanus et sapiens, non furiosus, non petulans Sycophanta, possit intelligere, et accommodare ad usum.

Ego Deo iuvante, vitabo sophismata illa, et dimicabo cum illis, donec Deus concedet mihi vocem. Sum per Dei gratiam, paratus ad mortem. Si volunt me occidere, occidant. Non sum melior patribus meis, ut Ieremias et Maccabaeus dicunt. Sustento me illo dicto Tertulliani: *Si deposueris apud Deum tristitiam, ipse consolator est: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est.*

Non dubitate, non sine ingenti motu Christus illa dixit: *Qui non colligit mecum:* Item, *Omne regnum in se divisum.* Intuitus est Ecclesiam omnium temporum: Vidit, qualis futura esset laniena docentium, furores principum. Hoc ita fuit omnibus temporibus; etsi, ut in morbis sunt quaedam intervalla, sic Ecclesia nonnunquam halcyonia aliqua habuit.

Quantum autem mali sequatur ex distractionibus in Ecclesia et politiis, etiam vulgare illud dictum ostendit, comprobatum experientia omnium temporum: *Concordia parvae res crescunt; discordia magnae dilabuntur.*

Haud scio, an quidquam possit dici melius de concordia, quam dictum Iohannis: *Deus est dilectio: Qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus in eo.* Quam pulchra et dulcis est haec oratio! Applicate eam ad doctrinae coniunctionem, et morum seu vitae consociationem in honestis officiis. Nobis pueris semper hoc dictum repetebatur in gratiarum actione. Non potest recitari maius praeconium, vel laudatio magnificentior, etsi non invenio verba satis grandia pro magnitudine rei. *Deus est dilectio*, inquit Apostolus. Est Antonomasia, ut si dicam: Cicero est ipsa eloquentia, id est, valde eloquens. Sic Deus est dilectio, id est, Deus ardentissime diligit nos. Videte, quanta bonitate nos miseros toleret? quomodo nobis extremam damnationem meritis, tamen parcat?

Sequitur: *Qui manet in dilectione*, scilicet ordinata; id est, in consensu doctrinae, et in concordia civili. Sed haec, ut antea dixi, retineri non possunt sine patientia. Ut igitur maneamus in dilectione, est etiam patientia nobis opus. Nemo retinet amicum, nisi multa ferat. *Mores amici noveris, non oderis. τρόπον φίλου γίγνωσκε, μισήσεις δὲ οὔ.* Et inter aurea Carmina Pythagorae legitur hic versus:

Μὴ φίλον ἐχθαίρειν ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς.

Paulus inquit: *Infirmum in fide assumite:* videlicet, non ut opprimatur dubitatione, sed ut sanetur, non exulceretur. Studium exulcerandi, calumniandi, distrahendi animos non est ex Deo: Diabolus quaerit dissidia, bella, vastationes. Contra, *Qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus in eo.* Quia, ubi est studium verae concordiae, ibi sine ulla dubitatione Deus adest.

Hunc addite Psalmum 133. *Ecce quam bonum et iucundum habitare fratres in unum!* Discite Psalmum istum hodie intelligere, cuius compositio et brevis est, et valde dulcis. *Propositio* est: Quam dulcis est res pia concordia! Quam salutaris est coniunctio tum gubernatorum Ecclesiae, tum aliorum piorum, qui verae doctrinae consensu coniuncti sunt! Id Christus nominat *unum esse in Deo;* Psalmus vocat: *fratres habitare in unum:* sive eodem in loco versentur, sive diversis in locis vivant: ut aliqui boni homines in Germania et

Gallia pium inter se consensum fovent in doctrina fundamenti, etiamsi magna rabies est Diabolorum et hypocritarum persequentium veritatem.

Postea sequitur *Amplificatio propositionis* per collationem rerum valde dulcium et utilium: *Sicut Balsamum, quod destillat ex capite Aaronis in barbam eius, quod destillat in oram vestimenti eius. Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*: quasi dicat: Tam suavis res est concordia, quam suavis est odor fragrantis Balsami, quod ex Aaronis vertice in totam vestem pontificiam largiter defluit. Item, Tam utilis et salutaris res est concordia, quam ros seu pluvia opportune irrigans agros et prata in confinio montium, seu in vallibus, quae sunt subiectae montibus.

Balsamum est liquor fragrantissimus. Sacerdotes ungebantur peculiari oleo sacro, quod singulari modo apparabatur. Fuit significata unctio filii Dei, de quo dicitur: *Unxit te oleo laetitiae propter consortes tuos*. Noster textus habet: *prae consortibus*. Quod non male dicitur: *Ist nicht unrecht*, Christus est unctus divinitate: quia divinitas personaliter est in eo. Et respectu missionis, est unctus Spiritu sancto, non secundum mensuram: id est, Ipse est plenus donis Spiritus sancti, pertinentibus ad exequendum officium, ad quod missus est, et propter quod assumpsit humanam naturam.

Nos primitias Spiritus accipimus, et ita uncti sumus, ut ex ipsius plenitudine sumamus, Quia propter nos ipse, in quantum est mediator, redemptor, et salvator noster, unctus est *oleo laetitiae*, id est, oleo laetificante.

Est autem pictura pulcherrima, si quasi positum in conspectu Pontificem mente intuearis, ornatum sua veste, et generosissimis unguentis perfusum. Facit enim mentionem Pontificis, quia concordiae initium et vinculum esse significat consensum de vera doctrina. *Oleum destillat a capite*, id est, a Christo summo Pontifice, *in barbam*, seu *os*, id est, in docentes. A docentibus *in oram vestimenti*, id est, in totam Ecclesiam.

In altera similitudine fit mentio *Roris*, qui gratissimus est pullulanti segeti, et pullulantibus fructibus arborum. Indigent enim rigatione, ne siccitate et aestu pereant. Quid esset hoc tempore optimum satis? Dulcis pluvia vel ros, qui recrearet. Sed videtis duo iam esse incommoda: siccitatem aeris, et ventos horridos, qui desiccant et frigefaciunt, et afferunt sterilitatem. Sic manifestum est, discordiis dissipari omnes coetus, et animos hominum vere torrefieri, et sequi vastitates.

Potest autem peculiariter haec similitudo accommodari ad concordiam politicam: Quia ideo videtur nominare loca, quae propemodum limites fuerunt Iudaeae, ut significet se de hac politia loqui inclusa inter hos limites.

Libanus fuit limes versus septentrionem. Fortassis nomen est ab albedine. Huius pars est Hermon, ab altitudine sic denominatus, Quia iisdem montibus saepe tribuuntur plures appellationes in diversis partibus: ut, quam multae sunt appellationes Alpium! Sic mons Taurus, Caucasus habent diversas appellationes, pro diversitate brachiorum. Montes Caspii sunt brachia Caucasi. Dicuntur montes Caspii a venis argenti.

Nominat autem et Psalmus 42. haec loca, in quibus habitavit iste populus, terram Iordanis et Hermonim. Ierusalem fuit versus Meridiem. Hanc nominat, quia fuit regia sedes, etiamsi non erat extremum oppidum. Hierosolyma complexa fuit duos montes arduos, quorum alteri nomen fuit *Moriah*. In hoc templum conditum est a Salomone: Alteri *Sion*, id est, specula, seu trophaeum, in quo fuit arx Davidis.

Optat ergo Psalmus huic populo concordiam, tam dulcem bonis mentibus, et tam utilem ac salutarem, quam est terra nascentibus, ros tempestivus.

Sed cur dicit: *Rorem descendere ab Hermon in Sion*, cum tamen magna sit altitudo montis Sion? Respondeo: Congruit hoc ad totius regionis situm. Libanus, ut dixi, est limes versus Septentrionem et Ortum, et per sese altus est, praesertim circa Damascum, ubi proprie tribuunt ei nomen Hermon. Recte igitur inde ex montibus arduis, et ex regione Septentrionali, in loca inferiora, tum in plana, tum colles consitos oleis, spargi rorem inquit, Quia Physicum hoc est, quod plus est vaporum in Septemtrione, et locis montanis, quae sunt distincta vallibus, quam in parvis collibus. Videte picturas montium in tabulis: Quia Chorographica illustrant verba Psalmi.

In fine additur *Ratio propositionis*, quam hactenus duabus similitudinibus, tanquam ornamentis quibusdam illustravit: ideo inquit, Concordia bona est: *Quia ibi mandavit Deus benedictionem et vitam in perpetuum*. Sumpta est autem haec ratio a promissione divina.

Adolescentes discant phrasin: *Deus dicendo efficit*, iuxta illud: *Dixit, et facta sunt*. Ideo *benedictio* significat aliquando ubertatem divinitus donatam. Hic significat etiam felices successus, quos Deus ipse adiuvat. Sic et verbo *mandandi* utitur Psalmus. *Deus mandat*, id est, suo decreto efficit, ut ibi sint bonus successus et vita, hoc est, suavis vita et laetitia, in qua invocari Deus et celebrari potest, et labores conferuntur promptis animis. Deus et dixit seu promisit se velle opitulari tali coetui, ubi est pia concordia, et re ipsa hoc praestat. Habitat ibi, dat multa bona.

Hic observetur discrimen humanae doctrinae

de concordia, et divinae. Experientia ostendit omnibus hominibus, concordiam meliorem esse dissidiis. Sed vox divina addit promissionem de praesentia et auxilio Dei.

Quam tristis laniena est, quando ii, qui praesunt Reipublicae, ruunt in mutuam perniciem. Ante biduum fuerunt anni 1602, cum interfectus est Iulius Caesar, Quia iam est annus Christi 1560; est autem Christus natus anno Augusti 42., inchoando annos a nece Iulii Caesaris. Hos annos 42., si addas praesenti anno Christi, habebis annos 1602. Post necem Iulii qualis extitit confusio Romae! Antonius, Lepidus, et Octavius coniunxerunt se contra Senatum: alii contra, ut Brutus, Cassius, oppugnarunt illos. Lucanus inquit:

Alta sedent civilis vulnera dextrae.

Haec intelligit et videt ratio. Sed non respicit ad Deum, auctorem concordiae, et eorum bonorum, quae concordiam sequuntur. Item non cogitat discordias esse poenas divinas, et has cumulari furoribus hominum, qui immediate proficiscuntur a Diabolo.

De discrimine peccatorum.

Christus hic inquit: *Qui dixerit blasphemiam, non remittetur ei.* Hinc sequitur, distinguenda esse peccata. Repetatur autem primum puerilis doctrina de speciebus, seu gradibus peccati.

Quid est peccatum?

Est quidquid est contra legem Dei.

Distingue.

Aliud est originale, aliud actuale. Deinde Actualia alia sunt *Non contra conscientiam*, ut mala interiora, multum caliginis et dubitationum, peccata ignorantiae, et omissionis, pravae inclinationes, flammae multorum affectuum, quibus tamen repugnant sancti Spiritu, retinentes timorem Dei, fidem, et invocationem. Alia sunt *contra conscientiam*: quando aliquis sciens et volens violat legem Dei: ut David sciens et volens rapit coniugem alterius. Scit mandatum esse: *Non moechaberis*, et scit eam esse uxorem alterius, et tamen iubet ad se adduci, et cogitat de viro eius interficiendo.

Cur discernuntur isti gradus peccatorum?

Quia de peccatis non contra conscientiam scriptum est: *Si spiritu mortificabitis actiones carnis, vivetis.* Item: *Nulla nunc condemnatio est his, qui ambulant in Christo Iesu, qui non secundum spiritum vivunt.*

Contra de peccatis, quae fiunt contra conscientiam, dicitur: *Si secundum carnem vivetis, moriemini.* Et, *Manifesta sunt opera carnis: Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.* Item: *Nolite errare: Adulteri, homicidae, idololatrae, regnum Dei non possidebunt.*

Quaero, an universaliter damnentur homines propter peccata contra conscientiam?

Respondeo: aliqui rursus per poenitentiam redeunt ad Deum, ut Adam, Aaron, David, Manasse, et multi alii. Hi conversi ad Deum, recipiuntur in gratiam. Alii perseverant in peccatis eiusmodi, nec agunt poenitentiam, et pereunt.

Differuntne peccatum contra conscientiam, et blasphemia?

Differunt. Nam peccatum contra conscientiam est genus, id est, violatio cuiuscunque mandati divini, quae fit a sciente et volente. Sed singularis species est blasphemia, quae nominatur *Peccatum in Spiritum sanctum.* De hac varie disputatur ab aliquibus. Verum non est opus longis disputationibus.

Est enim peccatum blasphemiae eiusmodi lapsus contra conscientiam, qui est coniunctus cum persecutione doctrinae, seu veritatis agnitae: Etsi generaliter etiam accommodari hoc peccatum potest ad perseverantiam in Epicuraeo contemptu Dei, et ad desperationem, cum antefertur peccatum meritis filii Dei, sicut Cain inquit: *Maius est peccatum meum, quam ut remitti mihi possit.*

David magnum et horribile delictum admisit, cum rapuit alienam coniugem, et maritum interfecit. Huius peccati magnitudinem etiam poena ostendit, quamquam receptus est in gratiam: punitus est horribiliter ipse, et tota familia eius. Sed

non fuit David blasphemus: non fuit persecutor doctrinae, et quamquam lapsus est contra conscientiam, tamen iterum est conversus.

Sic Petri lapsus fuit magnum et triste peccatum: Negat Christum, nec tamen est persecutor doctrinae. Et illam abnegationem Christi, profectam ex infirmitate, agnovit postea, et seriis lachrymis deploravit, et credidit se vere recipi a Christo.

Paulus etiam dicit se blasphemum fuisse, 1. Timoth. 1. Sed addit se veniam consecutum esse, quia ignorans fecerit.

At peccatum blasphemiae, quod dicitur peccatum in Spiritum sanctum et irremissibile, est quando contra conscientiam, homines vel Diaboli, (quia est quiddam Diabolicum) persequuntur agnitam veritatem. In Paulo fuit peccatum ignorantiae, quanquam magnum et triste. Fuit homicida et persecutor contra filium Dei, sed quem nondum agnoverat.

Longe aliud est, persecutio, quae fit ab intelligentibus et agnoscentibus veritatem, ut pontifices manifestam veritatem oppugnant; quae etiam ratione iudicari potest in multis doctrinae partibus: ut quando interficiunt sacerdotes coniuges. Hic articulus doctrinae de coniugio etiam ratione iudicari potest, et tamen agnitam veritatem persequuntur in hoc articulo tam manifesto. Tale peccatum Christus vocat *Irremissibile*. Id bene considerate.

Non ex quolibet peccato facite blasphemiam: non sitis proni ad condemnandum. Deinde non sinatis vos impellere agnita veritate, ut sumatis arma contra veritatem, aut veritatem oppugnetis. Fieri potest, ut sit aliquis languidior in confessione, et per imbecillitatem taceat: sed ex professo negare vel oppugnare veritatem, longe omnium tristissimum est.

In definitione misericordiae scitis necessario considerandam esse differentiam peccatorum.

Quid est enim misericordia?

Est virtus, qua afficimur sensu alienae calamitatis, praesertim iniustae, et opitulamur iniuste oppressis pro vocatione: Item, Probabili ratione studemus mitigare etiam iustam calamitatem in male meritis. Iam Deus est misericors primis parentibus, non Diabolis.

Estne propterea inaequalis?

Respondeo: Inaequalitas seu *προςωποληψία* est, ubi non est diversa ratio; seu, ubi est similitudo delictorum. Non est autem peccatum primorum parentum simile peccato Diabolorum, Quia primorum hominum peccatum, quamquam est magnum et triste, et est peccatum contra conscientiam, tamen profectum est ex infirmitate, et est sine persecutione veritatis. Peccatum Diabolorum est contemptus et odium adversus Filium Dei agnitum immediate. Est igitur Deus misericors hominibus, erga Diabolum exercet rigorem iustitiae suae.

Deinde filius Dei est intercessor pro hominibus: in Diabolorum lapsu non est intercessor, nec ibi est causa intercessionis.

Tutissimum est autem definire peccatum blasphemiae, seu peccatum irremissibile a posteriori, Quia nos regulam tenere debemus: Omne peccatum remitti agenti poenitentiam, et fide amplectenti promissionem gratiae, iuxta iuramentum: *Vivo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Item, *Gratia exuberat supra peccatum.* Meritum filii Dei est maius, quam omnia peccata mundi. Vocat filius Dei ad se *omnes, qui sunt onerati.*

Saepe accidit, ut homines tententur, quasi habeant peccatum irremissibile. Tales sunt docendi, esse mandatum divinum immutabile, ut credant, *Omnia peccata remitti agentibus poenitentiam,* seu, *volentibus converti ad Deum.*

Est horribilis illa tentatio, quando mentes oppugnantur cogitatione peccati blasphemiae: Neque est leve certamen.

Credo maiorem dolorem fuisse Petri, quam Davidis. Item Aaronis, quam latronis in cruce, Quia Petrus et Aaron peccarunt immediate contra primam tabulam. Ipsorum peccata sunt vicina blasphemiae. Sed non fuit tamen in Petro voluntas persequendi veritatem. Et agnito peccato suo, vere doluit, et erexit se, quamquam non sine magna lucta, fiducia Christi, qui dixerat ei: *Oravi pro te, Petre, ne deficiat fides tua.*

Homines ista leviter curant, et multo levius adolescentuli, qui non possunt cogitare de rerum istarum magnitudine. Difficulter subeunt animos, quae sunt extra rationalem doctrinam. Facilius subiret animos vestros, si dicerem vobis de Cometa, qui nunc fulget in aere.

Estne Cometa iste stella?

Non. Proba. Stella est corpus perpetuum: Cometa deflagrat: Ergo non est stella.

Quid ergo est?

Est magna moles halituum, quae consistit in certa parte aeris, paulatim ibi incenditur et deflagrat. Est magnum corpus; et est quiddam terribile, praesertim cum sit signum futurorum malorum. Habet rapidos motus, progreditur ab una parte mundi ad aliam. Quamquam autem est quiddam mirabile, tamen facilius subeunt disputationes istae de Cometis animos, quam illa, quae dicimus de magnitudine doloris in lucta conscientiae, et de vincenda horribili tentatione de peccato blasphemiae.

In tali lucta non est definiendum a priori, quodnam sit peccatum irremissibile, sed a posteriori. Singuli debemus tenere, et sequi regulam, quod velit nos Deus redire ad poenitentiam, et audire filium Dei invitantem nos ad sese, et credere, quod remittantur nobis peccata. Non cogitemus filium Dei imbecilliorem esse, quam regnum Diaboli. Non existimemus falsam esse illam propositionem: *Gratia exuberat supra peccatum.* Non putemus falso Deum iurasse: *Vivo ego, etc.*; sed his sententiis nos sustentemus: Redeamus ad filium Dei: et qui redeunt, ii non habent peccatum blasphemiae.

Quando vero aliqui discedunt in suis peccatis, sine poenitentia, tum possumus iudicare, quod tales habuerint peccatum blasphemiae: ut Iudas habuit peccatum irremissibile; quia mansit in peccatis, et in iis sibi conscivit mortem, fremens contra Deum.

Latomus ante mortem aliquot dies iacuit mugiens, qui scripserat antea, quod non fuerit alia fides in Abrahamo, quam in Xenophonte et Cicerone. Illo mugitu confessus est, quod contra conscientiam fuerit hostis harum Ecclesiarum. An sit conversus, ignoro.

Franciscus Spira, qui in Italia mortuus est, non ostendit signa conversionis: sed mansit in doloribus.

Hoffmeister Monachus, cum ad Ratisbonensem Conventum iret, ut se ibi opponeret nostrae doctrinae, antequam eo venit, in proximo pago cum horribilibus clamoribus misere mortuus est. An senserit rursus consolationem, nolo affirmare. Sed ubi nulla sunt signa poenitentiae, ibi nos a posteriori dicere possumus, fuisse peccata irremissibilia, sicut fuit peccatum Iudae.

Augustinus volens praecidere disputationes de blasphemia, brevissime dixit: *Esse finalem impoenitentiam.* Et non male dixit, praesertim si generaliter intelligatur vocabulum blasphemiae, quod alioqui in specie accommodari solet ad oppugnationem veritatis agnitae. Sed ea quoque oppugnatio a posteriori iudicanda est. Paulus, ut dixi, non habuit peccatum blasphemiae, Quia pervenit ad poenitentiam. Manifestum est autem alios mordicus retinere perpetuum contemptum vel odium veritatis, etiam contra conscientiam. Similiter et alii aut securi superbissime derident Evangelium, aut furenter oderunt: nolunt oblatam remissionem accipere, non volunt credere. Tales habent peccatum contra Spiritum sanctum, quando in illo perpetuo contemptu vel odio Christi discedunt, et ruunt in aeternam iram.

Quod etiam sancti post inchoatam in eis regenerationem atrociter labi possint.

Cum Dominus inquit: *Satanam redire in domum suam, unde egressus sit, et assumptis septem spiritibus nequioribus se, habitare in illa domo, quam invenerit otiosam, et fieri novissima hominis illus peiora primis:* refutat eos, qui dicunt, semel renatos non posse labi, ut Cathari olim dixerunt, labentes non fuisse renatos. Id etiam nostra aetate dicunt Anabaptistae. Sed hoc dictum Christi, et alia similia, ut cum apud Ezechielem dicitur: *Cum recesserit iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in ea.* Et cum Petrus inquit: *Si qui effugerunt inquinamenta mundi, in agnitione Domini et Servatoris Iesu Christi, rursus iis implicantur, fiunt illis posteriora deteriora prioribus:* testantur etiam illos, qui habebant initia regenerationis, posse labi, et saepe labi horribiliter.

Idem ostendunt et exempla summorum virorum, quia facti securi, lapsi sunt, et poenas sibi ac posteris accersiverunt, ut Adam, Eva, Aaron, David, Salomon. Et de toto populo dicitur: *Sedit populus manducare et bibere, et surrexit ludere;* id est, cum essent saturi et securi, obliti sunt Dei, et facti sunt negligentiores et petulantiores.

Haec dicta et exempla consideremus, ut simus in tota vita magis circumspecti, cauti, intenti, in custodienda doctrina, et in regendis moribus, sciamus circumire Diabolum intentum in occasiones, ut incautos implicet lapsibus inextricabilibus. Non enim frustra dictum est: *Adversarius vester Diabolus circumambulat, ut leo rugiens, quaerens quem devoret.*

Multipliciter autem grassatur Satanas; non tantum privatim oppugnat hunc aut alium, sed etiam publice grassatur in imperiis: ut cum impellit sapientes, ut suis consiliis constituant, aut mutent dogmata et religiones, ut non solum Nabuchdonosor olim fecit, sed etiam hoc tempore multi idem faciunt, praesertim principes.

Vult igitur Christus nos retinere timorem Dei, nec fieri securos et otiosos, sicut nominatim in Matthaeo dicitur de otio: *Invenit domum vacantem.* Otium vero alit ac incendit pravas cupiditates, parit negligentiam doctrinae, auget confidentiam. Haec pericula sint nobis in conspectu, et addamus precationem, ad pellendam securitatem, iuxta dictum: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem.*

Adhortor autem vos adolescentes, ut hanc totam concionem praecipue vobis proponatis. Videtis de magnitudine peccatorum nostrorum monere coelum ipsum, quod est ferreum, et haud dubie denuntiat sterilitatem: Et tamen quidam inter vos, et quidem nobiles, non desinunt tumultuari: dimicant ebrii: accendunt odia nationum. Cum noctu quiescere deberent, commonefacti suis vulneribus, tamen vagantur, et vociferantur, et turbant omnia in plateis.

Si qui ergo sunt modestiores, eos adhortor, ut componant animos ad cogitationem doctrinae. Non fingant, Fidem ex auditu esse, sine cogitatione. Simul etiam cogitate de magnitudine miseriarum et calamitatum humanarum. Quod in textu inquit Christus, *Diabolus postquam expulsus est, assumere septem nequiores:* est haud dubie imago praesentium temporum. Deus dedit lucem doctrinae: sed videtis, quam horribiles furores excitet Diabolus, quibus confirmatur petulantia et licentia sine fine et modo.

Est immanis petulantia in opinionibus et dogmatis fingendis. Praeterea licentia effrenis est in vita et moribus.

Nos cogimur non sine dolore patienter multa ferre ac tolerare. Si haberemus praesidia, possemus compescere illos nebulones. Sed tamen et Rector operam dabit, Deo iuvante, ut Centauri isti pellantur, qui non fuerint sanabiles. Vos ipsi quoque videtis eos qui sunt auctores pugnarum, plerumque plecti.

Non sint vobis iocus et ludus verba Christi de ruentibus in scelera post conversionem, et post datam lucem. Non blandiamini vobis ipsis illa immanitate dogmatum: Ego sum Evangelicus: Ergo nihil mali mihi amplius metuendum est: quasi nihil sit Diabolus.

Musculus audet scribere: *Bona opera non sunt necessaria.* Alii clamant: *Homo se habet pure passive in bonis et malis actionibus.* Sunt Diabolicae voces. Et ubi sunt verba Diabolorum, ibi est etiam vita diabolica. Sicut Paulus dicit, *Deum punire amentia eos, qui delectantur erroribus.* Haec commonefactio est una ex praecipuis: ut accepta dona divina cum magna solicitudine grati retineamus. *Ubi habitabit Dominus? In spiritu contrito et humiliato, et tremente sermones meos.* Non habitat in istis furentibus parricidis. Quid est enim aliud, quam parricidium, quod vultis sodalium vestrorum, honestorum hominum sanguinem haurire? Hae non sunt humanae infirmitates, sed horribiles furores Diaboli.

DOMINICA LAETARE.

Evangel. Ioh. 6.

Post haec abiit Iesu trans mare Galilaeae, etc.

Quid nominat mare Galilaeum?

Lacum Genesareth.

Quid significat Genesareth?

Gnereth significat cytharam. Lacus est figura cytharae, inde credo esse Genesareth. *Ge* est idem, quod terra, seu vallis, ut et *γαῖα* Graecum. In nostra Germania etiam usus est huius vocabuli, *ein Awe,* oder *gai:* inde etiam dicitur vallis *Gehennon,* id est, vallis latronum, seu praedorum.

Quid differunt iste lacus Genesareth, et lacus Asphaltites, item lacus Gerasenus?

Genesareth fuit in Galilaea, lacus limpidus et piscosus: Sed tribus miliaribus a Galilaea, fuit mare mortuum, vel lacus Asphaltites. *ἄσφαλτος* significat bitumen: Et credo esse ab *Aesch,* et *Pale,* ut sit ignis occultus, seu subterraneus. Est foetidus lacus, qui est vestigium deflagrationis Sodomae et Gomorrae. Ibi enim demersae sunt urbes illae in terram, postquam igne coelesti incensae fuerant, et illud foetidum, et abominabile bitumen adhuc reliquum est ex incendio isto: quia Deus voluit exstare testimonium sui iudicii adversus horribilia peccata. Voluit conspectu et foetore istius lacus homines monere, ut considerarent iudicium Dei, cuius executor scribitur fuisse Filius Dei. Ita enim dicitur Gen. 19. *Dominus pluit a Domino sulphur et ignem super Sodomam et Gomorram:* id est, Filius Dei accepit ab aeterno patre auctoritatem huius rei faciendae. Sicut postea scriptum est: *Omne iudicium dedit Filio.* Fuit horribilis poena.

Quid fuit lacus Gerazenus, qui et Gaddarenus vocatur?

Fuit ultra Galilaeam, versus loca deserta, in Ituraea, vel Trachonitide.

Quid significat Trachonitis?

Loca scopulosa, aspera. τραχῶνες sunt scopuli. Idem significat *Ituraea*, quod Hebraicum est *Thier*, *thor*, turris, etc. sunt eiusdem originis *Ituraea*, id est, scopuli, ubi sunt fauces montium: Saepe inspicite tabulas Chorographicas, Quia loca sunt commonefactiones de operibus Dei, et patefactionibus divinis.

Hic dicitur Christum traiecisse lacum Genesareth. Voluit ergo in Ituraeam progredi. Quando Evangelistae dicunt *trans*, loquuntur tamquam cives in Galilaea, qui in Ituraeam volunt: sicut nostri cives, in nostra ripa dicunt, *uber der Elbe*, quando inter instituitur Kembergam versus. Ioannes loquitur, quasi scribat in sua patria Bethsaida, quae non procul fuit a lacu Genesareth, sed in ripa versus montem Thabor.

Quid significat nomen Thabor?

Thabor significat umbilicum, quia stetit, ut umbilicus in planitie eius campi. Haec dicta sint de distinctione locorum. Iam ad historiam veniemus.

Saepe apparet hoc miraculum factum esse, quod pavit turbam sequentem. Multi disputant de numero, quod non conveniat, cum alibi 4000, alibi 5000 numerentur. Sunt disputationes inanes malorum hominum, ne quid aliud dicam. Illud, quod in Marco [c. 8.] recitatur, credo factum esse secundo anno Christi. Sed Ioannes [c. 6.] videtur loqui de tertio Paschate, seu de tertio anno Christi. Fuit enim pascha anni proximi ante passionem Christi.

Quoto anno aetatis Christus est passus?

Tricesimo quarto, id est, pervenit ad quartum Pascha. Distinguuntur quatuor Paschata in narratione Evangelistarum. Hoc est tertium, de quo hic dicitur: quia Ioannes omittit unum annum, qui est in Luca, et Matthaeo, et praecipue in Luca.

Quid significat denarius? et, Quanta summa fuit? 200 denarii, quantum est peccuniae?

Sunt 20 Coronati, sicut nos computamus, non quaerentes praecisionem exactissime. Budaeus bene fecit, quod posuit illum numerum, qui facile surgit, et est ad supputandum facilior: cum 10 drachmis argenti aestimat unum coronatum Gallicum. Drachmam et denarium non subtiliter discernimus: quia Plinius expresse inquit: Denarius est pondus drachmae. Drachma est, quod Germani vocant *ein quintlin*. Plutarchus saepe denarios nominat Graecas drachmas: etsi drachma Attica fuit paulo minor quam denarius.

Civitas Romana locuples et opulenta fecit monetam meliorem, quam Attica redacta in paupertatem. Aeginetae tunc quoque meliorem monetam fecerunt, quam Athenienses. Quia Aeginetae habuerunt fodinas metallicas. Ubi foditur ex terra argentum, ibi melior moneta cuditur, quam ubi argentum emitur aliunde. Loquor de eo, quod regulariter fieri solet ac debet. Iam multum est disputationum de moneta, et in omnibus Conventibus Principum disputatur, quomodo facienda sit aestimatio monetae, ut eadem omnes constanter in toto Imperio utantur: et tamen nihil proficitur illis deliberationibus. Decipiuntur homines passim depravatione monetae. Nos sequimur aestimationem usitatam Budaei. 10 drachmae argenti valent uno coronato.

Unde scit Philippus esse opus ista summa pecuniae pro multitudine ista?

Oeconomia vetus regebatur multo meliori ratione vivendi, quam nos oeconomias regimus. Nostra barbaries est babaries. Nos vivimus in diem: non scimus, quantum consumamus, neque expensi, neque accepti rationem habemus: sed vetustas sciebat, quantum dandum esset familiae. Ideo *demensum* vocabatur, quod unicuique dabatur quotidie.

Quomodo vocatur Graece?

Χοῖνιξ. Est apud Homerum: *Nemo in mea domo debet choenicem edere sine labore*: Otiosi non sunt alendi. *Qui non laborat, non manducet,* inquit Paulus.

Unde venit vocabulum χοῖνιξ?

A *Chus* Hebraeo, quod calicem significat, *einen kelch, ein schüsslichen,* item pugillum, *ein handt voll,* ut multa nomina mensurarum sunt ex Hebraeo. Vocabulum *modius*, est simpliciter Hebraeum. Mina etiam est Hebraeum. Nomina ponderum et mensurarum sunt accepta a primis patribus. Igitur sunt plaerumque Hebraea. Singulis diebus, datus est singulis hominibus *Choenix,* id est, sextarius vini, quod satis est homini moderate viventi, et praesertim, si est bonum vinum.

Quid significat Sextarius?

Sextarius vini *ist ein nössel,* id est, dimidia pars canthari, vel aliquanto minus. Tantum datum est unicuique quotidie: Item datus est pro tribus nummis nostratibus panis. Id etiam homini temperanti satis est, praesertim si panis est ex bono frumento, et bene coctus. Datae sunt etiam aliquot massae ficuum, et certum pondus carnium.

Aliqui vendiderunt, quod superfluum fuit, ut ille apud Terentium, *Defraudans genium suum, comparsit miser.* Multi vendiderunt vinum, et biberunt aquam vel loram. Nostra cerevisia, et vina illa, quae hic magna ex parte venduntur, sunt non multo praestantiora quam lora.

Vera lora sic fit; quando vinum est expressum ex uvis, tunc affunditur aqua, et rursus premuntur uvae. Postremum illud, quod exprimitur, dicitur lora, quam alii meliorem, alii tenuiorem faciunt. Et melior lora fit, cum adhuc aliquid boni succi in uvis relictum fuit.

Ego memini Capnionem senem non solitum vesperi vino mero, sed lora uti; et quidem in aestate, cum tamen mihi non concederet uti lora. Ita temperanter, et simpliciter vixit ista aetas, quae est adhuc vicina nobis. Capnio erat senex, et tamen habebat mediocre robur corporis, egressus annos sexaginta, non procul aberat ab anno 70. Coena illi erat aliquid hordei et lorae.

Veteres certum ordinem tenuerunt in victu, et potuerunt scire, quid cuique opus esset in sua oeconomia, *wie viel er mit seinem gesinde verzerete im Iar.* Sic igitur supputationem hic Philippus instituit.

Quantum accipient singuli, si panes 20 coronatorum sunt distribuendi in 5000?

Vix pro sesquinummo, *etwan 3 heller werdt brodt*, quia non voluit Philippus illos laute pascere in deserto. Exercete Arithmeticam in illa pulchra computatione, et cogitate de veterum consuetudine, quod ordine vixerunt; intellexerunt oeconomias suas, et sciverunt, quid opus esset. Iam sequitur, quod dicit Andreas: *Puer habet quinque panes, et duos pisces.* Opsaria vel *ὀψόνια.*

Ὀψόνιον unde dicitur?

Ab ὄψον et ὄνιον. Ὄψον quod coquitur, quod coctum est, ab ἕψω, elixo, *siden,* quia usitatissima est mutatio ε in ο. λέγω λόγος. Non venit ab ὀψὲ, *sero* (quia homines illi soliti sunt tantum coenate). Ista est phantasia inerudita: sed venit ab ἕψον, *das man gekocht hat.* Praeter panem et vinum, caetera dicebantur obsonia.

Ὄνιον unde dicitur?

Ab ὀνοῦμαι, id est, emo.

Unde dicitur vendo?

A venum et do.

Unde est illud venum?

A Graeco ὀνοῦμαι, quod significat ita aliquid dare, ut sit pretium. Nam ὀνοῦμαι, est ab ὄνημι, *iuvo:* quia uterque iuvatur in emptione et venditione: in donatione alter tantum iuvatur. Ideo emptio et venditio habent pulchrius nomen; quia debent servire utrique. Mihi opus est frumento; Rustico opus est calceis. Igitur emo ab eo, et do pecuniam

ipse pro pecunia emit calceos. Ita uterque iuvatur.

Est distinctus contractus emptionis et venditionis a donatione. Deus sic ordinavit, ut homines colligati sint multis diversis officiis Non solus mas gignit, non sola foemina parit: Nemo nostrum potuit foveri ab infantia, sine multorum auxilio. Videtis quam multorum opera ad educandum hominem opus sit.

Cogitate vos etiam usos alienis officiis: non sitis ita Cyclopici, ut cogitetis, quod mundus sit vester, et liceat vobis omnem petulantiam exercere: Vexare et affligere omnes, ut aliquae bestiae vivunt. Vere hoc est vivere bestialiter, et tamen multi putant, hoc esse pulchrum, et vocant libertatem Christianam, Deus adsit nobis, et sanet vulnera nostra. Nequaquam probari debet, quod ita barbarice vivitur, cum contemptu Dei et hominum, et praetexitur tamen a multis nomen Filii Dei, qui factus est pro nobis Victima. Hoc ingens opus, et beneficium Filii Dei vertimus in ἀσέλγειαν: ideo necesse est venire poenas.

Considerate autem hoc quoque. Deus doctrinam de iustitia, et aequalitate, vult conspici etiam in contractibus, ut sciamus eum esse aequalem, non προςωπολήπτην, ut in Scriptura dicitur: *Non est in eo πξοςωποληψία, sed aequalis est omnibus.* De Christo nominatim dicitur in Esaia: *Non est acceptatio apud eum.* Sed de ea re alias dicimus. Nunc veniamus ad locos doctrinae, omissis inutilibus phantasiis, quaeramus utilia: Primum repetemus doctrinam de miraculis, quia est etiam inter miracula hoc factum.

Propter quas causas recitantur miracula?

Propter tres. Quae est prima? Ut miracula sint testimonia doctrinae. II, ut sint exempla promissionum. III, ut sint exempla applicationis. Si miracula sunt exempla promissionum, cuius promissionis exemplum est hoc miraculum: Respondeo: Corporalis promissionis.

Dic regulam, quia exempla sunt accommodanda ad regulam.

Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis: id est, Deus verissime vult esse nutritor, custos, et defensor suae ecclesiae. Hoc diligenter est discendum: quia difficulter subit animum, quod Deus curet humana. Et sunt aliqui inepti scriptores, qui dicunt: Bona corporalia sunt indigna, de quibus oremus. Etiam Chrysostomus corrumpit orationem Dominicam, et dicit Christianum non debere esse sollic'tum de pane, et ἐπιούσιον nominat, non *quotidianum*, sed *supersubstantialem panem.* Id multi arripiunt: dicunt panem non intelligendum de corporali dono. Sed ista pugnant etiam cum Grammatica.

Quid significat 'επιούσιον?

Crastinum, vel *sequentem diem*, et quidem *fur vnd fur:* quia ἐπιούσιον significat quiddam continuum. Scribunt etiam in Hebraico Matthaeo fuisse vocabulum *Mahar,* quod significat *diem crastinum.* Quid est dulcius bonae menti, quam considerare haec Grammatica. Nequam et barbaricum hominem esse oportet, qui non adhibet eam curam, ut proprietatem Grammaticam in Scriptura consideret. Sed pergo dicere de locis doctrinae. Hoc miraculum est exemplum promissionis illius, *Primum quaerite regnum Dei, et reliqua adiicientur vobis.* Adiungemus igitur communem doctrinam de distinctioue promissionum.

Quomodo distinguuntur promissiones?

Aliae sunt spirituales, aliae corporales.

Quae est spiritualis promissio?

Est prima et praecipua omnium, videlicet promissio gratiae, quam hoc unico dicto comprehendit Ioannes, cum irquit: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Gratia complectitur remissionem peccatorum, reconciliationem, iustificationem, renovationem, quae fit immediate per Filium, etsi simul fit per Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. Sed hoc ordine: Filius dicit consolationem, et vivificat, et dato Spiritu sancto, accendit motus convenientes in corde. Praeterea Gratia significat donationem vitae aeternae: item incrementa donorum spiritualium. In illo dicto: *Per gratiam unius* (scilicet quia Filius diligitur) *datur nobis gratia et donum per illum.* Gratia est remissio peccatorum, reconciliatio, acceptatio, iustificatio: quia illa idem significant. Donum, est sanctificatio, quae etsi fit per Patrem, Filium, et Spiritum sanctum essentialiter, et potenter efficacem in homine, tamen Deus liberat ex morte aeterna, vivificat per Filium, et

ipse Filius dat Spiritum sanctum, sicut inquit: *Ego mittam vobis Spiritum a Patre.* Filius Dei erat immediate persona loquens ad Adam et Evam foris, et intus per verbum vivificans. Idem dabat simul Spiritum sanctum laetificanten corda; quia Spiritus sanctus est substantialis laetitia. Sic fit in aliis, qui vere convertuntur et credunt. Haec est promissio gratiae, quae est semper, et sine exceptione omnibus rata, videlicet quicunque convertuntur.

Proba.

Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Et promissio gratiae dicitur aeternum testamentum; quia semper est rata, semper patet reditus ad illam, quandocunque convertimur et credimus. Deinde ideo etiam dicitur aeternum testamentum, quia confert aeterna bona.

Non ita intelligite iste, quod liceat stabilire idola, blasphemias confirmare, stupris se inquinare, et omnia mala facere, et dicere: nos habemus gratiam Dei. Propositio est copulativa in iuramento divino. Scitis autem oportere in copulativa propositione omnes partes esse veras. Haec pie et sancte cogitate, et agite gratias aeterno Patri Domini nostri Iesu Christi, et Filio et Spiritui sancto, quod accendit hanc lucem doctrinae inter nos, et orate, ut det incrementum, sicut dicitur: *Ego plantavi. Apollo rigavit, Deus autem dedit incrementum.* Non vivamus vitam beluinam: non corrumpamus doctrinam studio quaesitis depravationibus: sicut videtis nunc alios alias opiniones spargere, quod alii ex aliis causis faciunt: alii etiam delabuntur ad obscoenas voluptates. Haec non est vita, aut libertas Christiana. Iam de promissionibus corporalibus.

Quare sunt editae promissiones corporales?

Propter quinque causas: I. Ut sint testimonia providentiae, quod Deus vere curet ista.

Quid dicunt hac de re Philosophi? imo, quae est hominis uniuscuiusque cogitatio de rebus corporalibus?

Philosophi dicunt ista offerri ordine naturae, quando optime loqui volunt. Qui sunt valde industrii et diligentes, eos dicunt plus consequi. Verum est autem hoc, quod Deus praecipiat laborem; Sed non sequitur inde, quod deserantur illi, qui minus possunt laborare.

Quando Daniel sedet inter leones, retinet vitam, non humanis praesidiis. Sic quando Israëlitae sunt in Aegypto, et ante eductionem totis 80 annis exercetur in eos saevitia, occiduntur eorum filii. Cogitate, quam miser ipsorum status fuerit tanto tempore; et tamen divinitus conservantur. Res illa plane mirabilis fuit: Deus dedit obstetricibus hanc mentem, ut non interficerent infantulos, et texit ipsas obstetrices, texit et infantulos; sed multi tamen perierunt. Deus servavit Ecclesiam, quamquam voluit eam esse subiectam cruci.

Sic semper Deus vult intelligi, *quod benedictio Domini divites faciat.* Item, *quod corrosio sit in domo impii.* Videtis maximas opes saepe dissipari, saepe effundi subito.

Haec est ergo prima causa promulgationis promissionum corporalium. Deus vult nos scire, quod illa corporalia curet, et quod non spargantur caeca manu, ut Seneca inquit De fortuna: *Fortuna spargit munera sua caeca manu.* Saepe quidem ita sic videtur, ut Nabal est dives et abundat: David est in deserto, eget, et tamen pascitur. Deus vult nos scire consilio ipsius distribui illa corporalia, etsi non aequaliter. Sic Ieremias inquit, cum de bonis corporalibus, tum de calamitatibus: *Quis est ille, qui dicit bona et mala non venire a Deo?* Et Sophonias minatur: *Dominus veniet, et accensa face circumibit, et quaeret eos, qui dicunt: Dominus neque bene, neque male faciet.* Id est, qui sunt Epicuraei, derisores, qui dicunt, quod Deus neque bona, neque mala det. Est pulchra imago in Sophonia. Ego ante 25 annos semel citabam hoc dictum Noribergae in convivio, et assidebant nobis senes, qui admodum delectabantur hac sententia, et curabant adferri Biblia, et petebant sibi monstrari eum locum.

Debetis esse instructi multis talibus dictis, ut assensionem confirmetis. Nos senes experimur re ipsa. Scio, quod Deus me sustentavit mirabiliter: Et tamen difficilis est assensio in omnibus. Cogitamus: Ista fiunt tua diligentia, vel casu, vel naturae ordine. Nos debemus credere voci divinae, et simul facere, quae sunt vocationis cuiusque.

Dic mihi sententias insignes de promissionibus corporalibus.

Deberetis habere in parietibus scriptos tales textus, ut saepe intueremini: quia quotidie nobis opus est cogitatione istiusmodi dictorum. Suma-

mus dictum Psalmi: *Leones esurierunt: Timentibus Dominum non deerit omne bonum.*

Quotus dies mensis est hodie?

Sunt idus Martii.

Quid factum est Idibus Martiis Romae insigne?

Hodie est dies necis Iulii Caesaris.

Quo sunt anni?

Adde ad annos Christi 42 annos Augusti, Quia anno 42. Augusti, est natus Christus. Collige ergo in unam summam annos Christi 1556, et 42 Augusti, ante nativitatem Christi. Ita habebis annos 1598. Ab interfecto Iulio, numerantur anni Augusti. Considerate tempora, et cogitate: Si debuit aliquem virum tueri admiratio virtutis, magnitudo animi, auctoritas, praesidiae, tunc illum tueri debuissent. Ille unus fuit vir, a quo tamquam a filo pendebat mundus universus: fuit caput totius orbis: vir excellens sapientia et fortitudine, valuit auctoritate, consilio; fuit instructus praesidiis validis; fuit dilectus a Populo Romano; quod animadverti potuit, cum statuam eius ex caera fecerunt, quando corpus eius combustum est. Illa statua fuit artificiose facta, sic ut vulnera 23 possent conspici. Antonius deplorans miserabilem interitum, exclamavit: *Cur ego non sum potius interfectus, quam ille custos generis humani?*

Quoto anno aetatis suae interfectus est?

Anno 56. Nondum fuit senex. Ego iam annis quatuor supero istam aetatem. Pompeius triennio, et aliquot insuper mensibus ante interiit.

Quoto anno aetatis eius hoc factum est?

Anno 58 exeunte. Illi duo summi viri tam miserabiliter perierunt, quibus neque sapientia, neque industria, neque auctoritas defuit, qui fuerunt Domini orbis terrarum: ita accidit eis, quod in Psalmo scriptum est: *Leones esurierunt: timentibus autem Dominum, non deerit ullum bonum.*

In quo Psalmo est hoc dictum?

In Psalmo 34. *Benedicam Dominum omni tempore.* Hoc igitur sit unum ex illis dictis, quae dixi habenda esse ante oculos, cum cogitamus de bonis corporalibus. Iulius Caesar esurit, id est, deseritur, et ab illis interficitur, quibus donaverat vitam. Sic Pompeius esurit, fugit ad regem Aegyptium, hominem infidum. Ita Philippus Macedo pater Alexandri esurit, qui et ipse fuit praestans virtute, auctoritate et potentia.

Interea tamen manet Ecclesia. Maria periculosissimo statu temporum manet incolumis. Elisabeth manet salva. Denique servat Deus corpus Ecclesiae.

Dic plures sententias hac de re.

Deuter. 30. *Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum*: id est, tu non habes vitam tantum ex secundis et physicis causis, sed fovente Deo. Item: *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt.* Item: *Ecce duos passeres veneunt asse, nonne vos multo meliores estis?* Ista vulgaria dicta debetis habere in promptu: Et propter bonitatem harum sententiarum magis debetis amare Grammatices studium. Item: *In ipso sumus, vivimus, et movemur.* In hoc dicto simul est pulchrum testimonium de trinitate. *Sumus*, refertur ad Patrem: *vivimus*, ad Filium; *movemur*, ad Spiritum sanctum. Item totus Psalmus: *Dominus est pastor meus, et nihil mihi deerit: Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Estne bona Grammatica?

Quae est regula?

Duobus substantivis rerum inanimatarum diversorum generum, respondet adiectivum plurale neutrum.

Quae est sententia istorum verborum?

Vult dicere: tu regis, protegis, et custodis me. Item: *Angelis suis mandavit de te.* Et, *Angeli eorum semper vident faciem patris mei.* Item: *Nisi Deus*

custodierit civitatem. Ista dicta omnia sunt promissiones corporales, et asseverationes de providentia. Sitis instructi magna copia talium sententiarum ad vos docendos et confirmandos. Apud Oseam dicitur: *Ego do eis frumentum.* Et valde dulcis est prophetia de Ecclesia in Esaia: *Ego feci vos, ego gestabo, ego salvabo vos, dicit Filius Dei, etiam usque ad senectam portabo vos.* Item, *Ipse fecit nos,* dicit Psalmus 100, *et non ipsi nos.* Item, *Dante te escam colligent,* etc. Sunt innumerabilia dicta de providentia, quod Deus curet illa, et quod non sit recte dictum a Seneca: *Fortuna spargit sua numera caeca manu.*

Secunda causa, ut sint testimonia, quod Deus velit servare Ecclesiam, ut Paulus dicit: *Pietas habet promissiones praesentis et futurae vitae.* Deus vult servare Ecclesiam, et ideo promittit bona corporalia. *Non mortui laudabunt te Domine,* inquit Psalmus. Si tu debeas discere, oportet te habere magistrum, qui te doceat Oportet esse studia doctrinae. Qui aliter dicunt, insaniunt. Inde sequitur: Deus vult esse in Ecclesia studia doctrinae: Ergo oportet aliquos habere talem vitae sustentationem, ut docere possint. *Qui non laborat, non manducet.* Item: *Dignus est operarius mercede sua.* Item: *Oportet agricolam primum de fructibus percipere.* Cogitate, quod illa mirabili consilio, et sapientia divina pulcherrime sic ordinata sint.

Tertia causa, ut sint exercitia fidei et invocationis

Proba.

Invoca me in die tribulationis, et ego eripiam te. Deus vult invocari, ideo nos exercet cruce, ut sit occasio invocationis. Esaias inquit: *Angustia clamoris disciplina tua eis*: Item: *Facit alienum opus, ut faciat proprium.* Deus punit, castigat nos, ut commonefaciat nos de conversione, ut dicitur: *Postquam castigasti me, conversus sum.* Item: *Vexatio dat intellectum.* Deus vult exercitia invocationis esse. Deus bene potuisset nos alere sine cibo et potu: sicut arbores et plantae aluntur succo terrae, ito nos potuisset alere aere. Sed voluit nos indigere multis rebus, ut essent exercitia invocationis. Igitur accumbentes mensae precemini: deinde sumto alimento gratias agite. Debetis dicere precationem, et profiteri, quod sint dona Dei, et gratias agere, quod dat vitam, et multa bona.

Vos inordinate vivitis, et totas noctes symposiis consumitis, et accersitis vobis morbos. In ista ataxia negligitis invocationem, et peccatis in vos ipsos. Deus vult nos habere honorem corpori. Honos est quiddam divinum, et cuicumque tribuitur honos, hoc fit propterea, quod est res divina. Tribuitur honos corpori, in quantum rei divinae; quia est organum, et domicilium Dei. Quomodo potestis Deum invocare, ut sit efficax in vestro corpore, et anima vestra, si ita inordinate vivitis? Homines sunt parricidae et *αὐτόχειρες* sui ipsorum, accersunt sibi multa mala, ut dicitur: *καὶ τάχα Ἶρος Ἄϊρος ἐπισπαστὸν κακὸν ἕξει.*

Quarta, ut promissiones corporales sint commonefactiones de promissionibus spiritualibus: quia omnia corporalia promissa sunt propter spiritualia: Corporales promissiones omnes dantur, et sunt ratae propter spirituales: Item: Nulla potest invocatio esse, nisi apprehensa prius spirituali promissione. Cum accedis ad invocationem, obstrepit tibi statim indignitas tua: Fortasse negligor: Imo non negligeris; Cum petis remissionem peccatorum, scias te certo recipi propter Christum. Ipse precatur: *Pater, dilige eos, dilectione ea, qua me diligis:* Filius petit te diligi, sicut ipse diligitur. Quid potest esse maius? Haec est necessaria doctrina omnibus: Non sunt subtilitates, qualibus multi delectantur, quae nullum habent usum.

Quinta, ut mirandae liberationes sanctorum sint testimonia in Ecclesia de Deo: Ut Daniel servatur in lacu inter leones. Ibi Deus testatur, quod adsit Ecclesiae: ita nunc etiam testatur se nobis adesse, quia servamur mirabiliter; et quanquam accidunt multa tristia, tamen Deus testatur in multis liberationibus, quod adsit nobis. *Misericordia Domini, quod non consumpti sumus.*

Debetis vos exercere in petitione rerum corporalium. Iste annus praesens habet multa tristia signa. Cometa flagrat, quod significat magnos motus. Dicitur nuper fuisse terrae motus, et pluisse sanguine in oppido vicino Bohemiae. Cras erit coniunctio tetra et tristis Saturni et Martis in Ariete. Fortassis erunt siccitates et sterilitates; Deus gubernet, et enutriat nos. Debetis publicam necessitatem et privatam Deo commendare. *Intrant in thalamos publica damna tuos.* Cum Reipublicae male est, omnibus male est.

Itaque exercete vos in consideratione istarum causarum, et petite a Deo mitigationem, ut sanet vulnera Ecclesiae. Si nihil aliud esset malorum, quam dissipatio Ecclesiae inter nos (non dicam de insanis Papistis) satis magnam causam assidue orandi haberemus. Magna, et non parva sunt inter nos vulnera. Igitur clamemus cum Cananaea muliere: *Domine Iesu, fili David, miserere Ecclesiae tuae sauciae, aegrotae, laceratae horribiliter.*

Hac hieme duo fratres combusti sunt in Belgio propter egregiam confessionem: et quia clamarunt ad populum, et hortati sunt ad constantiam, ligna ori alligata sunt, ne possent amplius loqui, sed tamen exciderunt aliquoties. Postea petierunt,

ut auferrentur ligna saltem, ut possent se mutuo consolari. Ibi lictor misertus, ademit illis ligna. Magis moveor signo quam facto. Volunt obstruere os hominibus, ne celebretur et invocetur Deus. Sed non obstruent omnibus ora: Potius lapides clamabunt a Deum. Vos cogitate, quantum bonum sit esse in vera Ecclesia, et sitis modesti, et agite Deo gratias, quod sitis vocati ad veram Ecclesiam, et petite vos regi a Deo, et scitote illos non esse Ecclesiam, qui talia faciunt. Ecclesia non defendit idola, non interficit homines propter confessionem, ut Christus clare dicit: *Qui est ex Deo, verbum Dei audit: Vos non auditis: Ergo non estis ex Deo.* Illi non audiunt, volunt opprimere veritatem, sunt parricidae.

Haec sint dicta de doctrinis praecipuis in hoc miraculo. In quo etiam est pulcra imago. Deus pascit et defendit Ecclesiam: sicut hic Christus pascit turbam, quae ipsum sequitur. Sed ipse mandat Apostolis, ut distribuant; quia Apostoli debent habere rationem eleemosynarum, et distributionis in pauperes. Pingitur etiam communicatio doctrinae et consolationis per ministerium.

Item, Christus hic bonus Oeconomus est, et docet recte administrare Oeconomiam; colligere, quae superfuerunt fragmenta. Vult nos asservare aliqua, unde possimus dare egentibus. Docet igitur nos parsimoniam, quae est virtus vicina liberalitati.

Estne liberalitas virtus?

Est.

Ad quam virtutem principalem sive cardinalem pertinet?

Ad Iustitiam.

Quomodo differunt Iustitia, quae proprie dicitur particularis, et Liberalitas?

Iustitia particularis reddit cuique debitum, scilicet individuo. Liberalitas dat debitum speciei, id est, communi societati; Quia nos Deus obligavit, ut membra fortiora et copiosiora opem ferant imbecillioribus et tenuioribus: iste est ordo Dei: et Liberalitas est virtus, quia est destinata ad conservationem generis humani. Scitis de hac virtute multas sententias esse traditas. *Date, et dabitur vobis;* et est vetus et pulcrum dictum:

Kirchen gehen verseumet nicht.
Almosen geben verarmet nicht,
Unrecht gut faselt oder gedeyet nicht.

Ita Salomon dicit: *Liberali oculo benedicetur.* Item: *Qui dat pauperi, foenus exercet cum Deo,* id est, Deus dabit plus, quam sortem.

Illae communes sententiae debent vobis esse notae. Etsi estis iuvenes, nec habetis potestatem plenam utendi vestris bonis. Item, quanta promissio est? *Amen Amen, qui dederit vel potum frigidae aquae, non perdet mercedem suam.* Videtis, quod Deus benefacit foventibus Ecclesiam. Deus servavit nostros principes: Servavit has regiones; quia sunt nostrorum hominum beneficia in Ecclesiam. Sic Ieremias dicit de Abedmelech: *Tu servaberis etiam deleta Hierosolyma:* et mulier Sareptana tempore famis servatur, quia benefaciebat Eliae.

Quid est Parsimonia?

Est eadem virtus, quae est Liberalitas, nisi quod Liberalitas respicit officium dandi: Parsimonia, retinendi: quia debet esse concinna donatio εὐμελὴς, inquit Aristoteles: non debet esse dissipatio, seu vastatio. Deus amat parsimoniam: non vult nos bonis, quae dedit, abuti.

Hic solemus recitare argumentum. An non pugnant haec? *Hilarem datorem diligit Deus*, et dictum Epicharmi: *νόσον ἔχεις, χαίρεις διδοὺς.* Epicharmum scribunt primum exhibuisse Comoedias. Id credo sic intelligi, quod primus multum adhibuit elegantiae et artis. Valde elegans est, quidquid allegatur ex Epicharmo: est autem hoc unum ex elegantissimis dictis, *νόσον ἔχεις, χαίρεις διδοὺς.* Sic dicit paterfamilias ad filium. Ut si cogites de Imperatore Friderico monente filium adolescentem Maximilianum. Quod exemplum debetis meminisse. Pater Maximiliani Fridericus vocavit filium *ein strauw das gutlein.* Erat enim senex admodum rigidus. Miserat Maximiliano adolescenti strenam, cum esset Noribergae. Fuit patina plena pomorum pulcherrimorum, et additi erant 20 aurei Rhenenses. Cubicularii, quibus erat iniunctum, exhibuerunt munus adolescenti. Venerunt in eius habitaculum, et meditata oratione dixerunt: Imperator pater vester, mittit vobis hoc munus, et precatur vobis felicem annum, et postulat, ut precemini Deum, ut eum vobis, imperio, et nobis diu incolumem servet; praeterea ut studeatis diligenter. Adolescens acceptis muneribus respondit: Oro Deum aeternum, ut ipse patrem meum carissimum

incolumem servet multos annos, et ei confirmet vires corporis et animae, et optate ei meo quoque nomine faustum annum. Accipio autem hoc munus cum debita reverentia, et faciam, Deo iuvante, quae mihi praecipit. Assidue orabo pro eius incolumitate, et diligenter incumbam studiis. Ista pulcre dixit, ut fuit Maximilianus natura non tantum facundus, sed etiam eloquens. Postea cum essent ibi collocata dona, inspexit pecuniam, et inter commilitones abiecit, et dixit: Ista dividatis inter vos, sed poma nolite attingere. Ego mihi asservari ea volo. Redeunt illi ad patrem: pater interrogat, quid filius agat, qualis fuerit ipsius oratio, qui gestus, ut solent patres de omnibus inquirere. Illi recitabant orationem filii bene compositam, et narrabant, quo modo aureos abiecerit inter socios, poma sibi servarit. Ibi pater risit, et dixit: Ego bene scio *es wirdt ein straw gudtlein werden.* Erit prodigus, non studebit parsimoniae.

Sed tu quid iudicas de facto Maximiliani?

Est pulchrum factum; quia principes debent esse liberales in pecunia, si habent; sed in aliis rebus, quae habent naturalem suavitatem, pulchrum est magis parcum esse, ut hic Maximilianus fecit. Pater ad rem magis attentus, non cogitavit, in qua re deceret filium liberalitas. Ita ergo dicit quidam pater ad filium suum in Epicharmo: *νόσον ἔχεις χαίρεις διδούς.*

Iam quaero, pugnantne ista inter se, Hilarem datorem diligit Deus: et morbus est laetari dando?

Non pugnant. Dictum Pauli loquitur de officio. *Deus diligit datorem hilarem,* id est, laetantem officio, non laetantem perditione: ut si veniat ad te bonus amicus, et dicat: Est mihi opus 20 thaleris: Rogo, des mihi mutuo et tu des ei mutuo, et libenter id facis, et candide, et sincere, cum habes, et alioqui non delectaris profusione; tum congruit ad te dictum Pauli.

Sed dictum Epicharmi loquitur de eo, qui laetatur perditione vel profusione, ut fit in ista barbarie, ubi fercula plura, quam 20 aut 30 semel apponuntur sumptu inutili, et valetudine pernicioso: sicut saepe soleo dicere: *wir fressen uns arm, kranck, und in die helle.* Tales prodigi sunt multi: econtrario plures sunt, qui misere vivunt, Quia non est ordinata Oeconomia, non ratio certe sumptuum, non sapientia, non ordo. Non servamus regulam, quam Christus hic tradit: Colligite fragmenta.

Est autem haec pulchra significatio. In Ecclesia debemus conservare testimonia doctrinae, ut Irenaeus citat dicta Polycarpi, qui audivit Iohannem Evangelistam. Basilius citat Gregorium Neocaesariensem, vicinum temporibus Apostolorum. Utinam nunc etiam fideliter quaereremus testimonia antiquitatis, ita magis innotesceret veritas.

Excerpta ex Rhapsodiis aliorum annorum.

Hoc miraculum est pulchra imago et exemplum illarum promissionum, quae ostendunt in hac vita Ecclesiam defendendam, conservandam, alendam esse. Recitantur autem historiae similes: iam in vere, et demum post messem. Cogitemus igitur aliquid de consilio istorum, qui lectiones istas sic distribuerunt. In vere est petendum, ut Deus benedicat rebus nascentibus. Scitis fabellam. Fuit rusticus quidam, qui petivit, ut Deus tempestates regeret pro ipsius voto et arbitrio: Deus ei promisit; Quando voluit homo pluvias, tunc dedit ei, quando serenitatem, et ipsam dedit. Tempestates erant ex sententia ipsius: sed cum iam esset messis, nihil erat in aristis. Hoc significatum est, nihil crescere, nisi iuvante Deo. In Osea dicitur: *Nesciebant, quod ego frumentum dedissem.* Ergo initio veris debemus orare Deum, aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, pascentem omnes creaturas (ut dicitur: *Dante te, colligunt.* Item: *Dat escam pullis corvorum invocantibus eum*) ut benedicat sementi, ut tribuat terrae foecunditatem, sinat crescere segetem, custodiat eam, et reddat maturam.

Cur in Psalmo fit corvorum mentio?

Corvi exclusis pullis avolant. Est *ἄστοργος* natura corvis: quae est imago *ἀστοργῶν* parentum. Pulli relicti in nido clamant: Deus efficit, ut ex sordibus relictis in nido crescant vermiculi, quibus nutriuntur. Sic Dominus innumerabiles homines desertos a suis, et orphanos pascit. Orphanus est ab Hebraeo *araph:* significat desertum.

Hoc tempore debemus etiam cogitare de tota aestate secutura; quia multa moventur in aestate, quae non possunt moveri in hieme. Debemus etiam cogitare de pulcherrimo ordine in natura. Deus pulcherrime ordinavit ortus stellarum conve-

nientes tempestatibus. Aries est siccus, ideo tempestates nunc sunt sicciores, ut humiditates hiemis consumantur. In Aprili et Maio venit sol ad Hyades, et ciet pluvias. Sol veniens ad Caniculam, duplicat aestus, ut segetes maturescant. Sed hic ordo naturae non sufficeret, nisi Deo foecundante et benedicente omnia. Deus enim dat omnibus rebus incrementum sua potentia. Ideo Christus iussit nos petere panem nostrum quotidianum.

Post messem legitur similis historia, ut agamus Deo gratias pro donatis frugibus, et conservatione vitae. Magnum bonum est, quando Deus dat victum et amictum et incolumitatem: etiam Ethnici scripserunt: *Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.* Magna res est sanum corpus.

Est aenigma, quo quaeritur, quae sit res, quae non adferat taedium? *Was wirdt man nicht müde? Gesund seyn.* Aliarum rerum omnium est satietas: sanitatis non est satietas.

Ad quam regulam pertinet hoc exemplum?

Quia exempla semper sunt accommodanda ad aliquam regulam. Primum, *Quaerite regnum Dei, et reliqua omnia addiicientur vobis.* Haec est communis regula et necessaria in vita. Item, *Subditus esto Deo, et ora eum.* Item, *Commenda Deo vitam tuam, et spera in eum:* id est, fac officia vocationis, et commenda tua pericula, et exitus Deo. Pius miles aut etiam dux debet facere officia vocationis suae, debet proeliari in bello iusto, et pericula atque exitum commendare Deo. Sic in omnibus vitae generibus debet ista regula esse tamquam directrix, et monstratrix consilii. Facias officia vocationis, et ora Deum, commenda ei exitum et pericula. Usitate sic dicitur: *Labora et ora.*

Est dulcis regula, et est magna consolatio omnibus piis, quia non possumus omnia pericula cavere. Videtis, quam misera sit Ecclesia, quantum habeat hostium intus et foris: Ecclesia est circumsessa a Turcicis exercitibus, Mahometicis, Papisticis, Fanaticis: Nos non possumus esse tuti nostra vigilantia. Deinde in qualibet gubernatione quantum est periculorum!

Cogitate de vita ipsa, quam sit incerta et fugax. Quando Deus non tuetur vitam, tunc extinguitur, etiam cum non possumus cogitare de ulla causa *προκαταρκτικῇ*.

Eodem pertinet etiam hoc dictum: *Non in solo pane vivit homo, sed ex omni verbo Dei.* Item: *Sine me nihil potestis facere.* Tales sententias proponite vobis, et excitate vos ad invocationem, tunc vere curabit vos Deus.

Nomina mensurarum, ponderum sunt Hebraea: quod est testimonium linguam illam esse antiquissimam. Nos accepimus nostras appellationes a Latinis, *pfund*, a pondo: *Centner*, a centum libris.

Unde est Tausent?

A decies centum: corruptis vocibus Latinis, est per contractionem syllabarum. *pfennig*, etiam est a voce pondo; ita Graecorum vocabula multa sunt ab Hebraeis. Choenix a *Chus:* Mina a *Manah.* Poloni multa habent Hebraea in sua lingua; Modius est simpliciter Hebraeum, *Modan*: Graeci dixerunt *modium*, Latini *modius*: Nos, *ein Metze.*

Vetustas ita fuit diligens in Oeconomia, ut sciret quisque quantum consumeret. Nobilitas multum hodie consumit, et facultates tamen non sunt infinitae. Homines non computant, quid sustinere possint: sumptus est maior, quam reditus. Pauci habent Oeconomias frugales.

Qualis debet esse Materfamilias?

Debet esse similis api. Simonides: *Beatus qui habet apem coniugem.*

Quae sunt virtutes in api?

Primum est in ea prudentia. Magna industria fabricat domum, et colligit flores. Altera virtus, est iustitia. Apes venerantur suum regem, obtemperant ei, et una non impedit alteram. Quod est mirabile, cum sit magnum examen. Tertia virtus, castitas.

Quomodo sunt castae apes?

Nascuntur ex rore; non ut alia animantia ex concubitu. Est imago Ecclesiae. Ecclesia nascitur ex rore, ex verbo Dei. Sed nondum satis est habere Prudentiam, Iustitiam, Castitatem, quamquam hae sunt magnae virtutes. Est igitur in api quarta virtus, Beneficentia. Etiamsi aliquis esset castus, prudens, si non esset beneficus, parum esset; quia bonum est communicativum sui, huc pertinet Liberalitas.

Quomodo est benefica apis?

Quia conficit mella et ceram, quae sunt usui hominibus. Imo etiam caetera, quae fabricat, sunt usui.

Quis est usus Cerae?

Non tantum ad lychnos utimur cera, sed sunt alii quoque infiniti usus in medicationibus. Sic mellis usus est infinitus. In medicationibus non possumus carere melle. Est antiquum hoc dictum apud Pindarum: *Mel esse partem quandam immortalitatis.* Augustus interrogavit quendam senem, quomodo pervenisset ad tantam senectam, respondit: *Intus mulso, foris oleo.* Mulsum fuit ex melle. Quam multi ex Polonis habent quaestum ex melle et cera: multi ditescunt ex solis istis rebus.

Quomodo nominatur ille Poeta apud Theocritum, quem nutrierunt apes?

Comates Poeta. Notus est ille versus: *O me caula prius, quam nutriat aula Poetam.* Aulae non multum dant miseris poetis; potius plagas dant, quam beneficia. Ideo versus ille est deploratio facti. Sed quando vos Domini eiicitis miseros Poetas et Pastores, tunc apes nutriunt eos: sicut ille Dominus incluserat suum Poetam arbori; quia quotidie sacrificaverat unum agnum Musis, quae protegebant gregem. Hoc ille aegre ferens, et existimans nimium sumptum ab eo factum esse, inclusit in arborem, postea moriebatur totus grex. Redit ille ad arborem: Invenit eum viventem: Interrogat eum, dicens: *Unde vivis?* Is respondet: *Apes me nutrierunt*; est igitur apis beneficia.

Quinta virtus, est fortitudo. Cogitate has virtutes non tantum in matrefamilias esse debere, sed etiam in homine nobili: in quo magnum decus sunt hae virtutes coniunctae: Prudentia, Iustitia, Castitas, Beneficentia, Fortitudo. Apis est magnanima et fortis: gerit bella cum fucis, pellit fucos et culices. Non in scholis oportet pugnare cum fucis et culicibus, cum hominibus fantasticis et clamatoribus.

Sexta virtus, est Parsimonia et Frugalitas, quia hae duae virtutes sunt cognatae.

Quid significat Frugalitas?

Rathsamkeit. Frugalis: *heist rathsam.* Parsimonia *Sparsamkeit.*

Quid differunt Parsimonia et Frugalitas?

Frugalitas est virtus arte et ordine emens, vendens, et recte collocans, ac fruens rebus. Ego novi aliquot amicos, qui interdum habebant bona vina, non fruebantur, priusquam corrupta erant; postea cogebantur promiscue dare ancillis, servis, operariis. Ego malo cavere, ne mihi corrumpatur vinum, et bibere, cum est integrum adhuc, cum amicis. Scribebat mihi Carolovicius, cum mitteret lagenam vini Alpini, in longa charta, quomodo esset servandum. Rescripsi, me scire artem meliorem: Me curare, ut amici mecum exhauriant. Ioachimo misit etiam; ei plane periit, ne quidem pro aceto uti potuit.

Parsimonia servat medium in retinendo. Sed nihil est sine frugalitate. Ideo enim retinemus, ut recte fruamur: et frui tamen etiam recte non possumus, nisi retinendo.

Frugalitatem et Parsimoniam etiam docet hic Christus; quia iubet colligi fragmenta. Debemus uti beneficiis Dei ad res necessarias, non ad turpes profusiones. Non debent esse convivia Polonica, ubi unum convivium est multarum horarum, habent delicias Polonicas, Germanicas, Italicas, Hispanicas. Vergerius dicebat: Ego multa audivi de luxu Polonorum: sed res ipsa vicit sermones omnium. Sunt magni apparatus apud nos Polonos. Sed sunt etiam Germanorum magni apparatus. Memini data esse Torgae 300 fercula: sed quando profundimus in non necessariis, postea egemus in necessariis.

Magnum est vectigal Parsimonia. Utraque virtus est utilis rebus, et conservationi corporum, iuxta dictum:

Est modus in rebus: sunt certi denique fines:
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Μέτρα φυλάσσεσθαι. πάντων δὲ μέτρα ἄριστα.

Christus inquit: *Videte ne corda vestra onerentur crapula.* Et Paulus: *Non inebriamini vino, in quo est ἀσωτία: ein wust wildt wesen* inquit Paulus, *wann man seufft, so wirdt man wust. Cura fugit multo diluiturque mero.* Erant Numburgi, (quod mihi ipse hospes dixit) quidam nobiles: Volebant esse hilares, iusserant advehi suas coniuges. Erant ibi per aliquot dies. Tandem fenestras eiiciebant, destruebant fornaces, etiam effundebant plumas ex lectis. Ista erant strenua facta. Cum essent discessuri, et fieret computatio, quaesiverunt: Domine hospes, quid damus tibi *fur den unlust*, ita enim nominabant, potius *ἀσωτίαν* debuissent nominare. Ipse dixit: Mihi quidem ista displicent: quia non habeo in quaestu tales mores. Non volo petere pecuniam pro illis moribus: nec possum tantam pecuniae summam nominare, quae exaequare possit barbariem istorum morum. Illi sponte dede-

runt 30 Ioachimicos. Hospes dicebat: Ego non vellem accipere 100, et adhuc semel videre. Haec dico, ut audiatis vos, Domine Comes, (sic aiebat ad Polonum) etiam strenua facta Germanorum, sicut dixi antea de Polonis.

Frugalitatis et Parsimoniae commoda.

Apud Plautum est, quod non sit diuturna res familiaris, quando sumptus superant reditus. Est et antiquum Germanorum proverbium: *Wer da will mehr verzehren, den sein pflug kan erehren, der muss zuletzt verderben, und vieleicht am galgen sterben.*

Frugalitas est virtus in sese, et nutrix multarum virtutum.

Est etiam dictum Pythagoricum: *Non est insidendum Choenici: man soll das arslein nicht setzen auf das messlein.* Procul dubio significat non abutendum, sed reverenter utendum esse donis Dei. Fuit consuetudo parentum nostrorum, quandocunque viderunt panem in solo iacentem, ut levarent. Tales ritus fuerunt signa disciplinae. Sed ista consenescunt in hac barbarie, licentia, et petulantia hominum. Nihil nunc putatur esse pulchrum, nisi sit ferum et efferum. Fuit et haec olim ceremonia, quod, quando levabant panem, osculabantur eum. Fuit ritus haud dubie acceptus a patribus, qui monuerunt reverenter colenda esse dona Dei.

Nos hodie abusu donorum Dei laedimus corpora, laedimus animas: corrumpimus negotia? impedimus precationem: Denique sumus parricidae nostrorum, et aliorum, adeo turpis et beluina est vita multorum. Et accidit tamen hoc, quod vulgo dicitur, *Quicquid multis peccatur, inultum est.* Non potest fieri emendatio, quando vitia abeunt in consuetudinem.

Habuerunt etiam olim peculiarem ceremoniam in tractando seu aperiendo canthari operculo, ut est in Hesiodo.

Est autem et hoc in Pythagorico illo dicto comprehensum, *Choenici non insidias:* id est, debes prospicere in crastinam. Non sis otiosus, cum semel habes victum, sed labora, ut etiam crastinum panem habeas. Ita hic dicitur: *Colligite quod reliquum est.*

Contra:

Sollicitudo in crastinum est prohibita:
Colligere ea, quae supersunt, est sollicitudo in crastinum:
Ergo non sunt colligenda residua.

Respondeo ad Maiorem. *Sollicitudo est prohibita,* scilicet quae est diffidentiae, non quae laboris est et diligentiae: quia est mandatum divinum, ut laboremus pro vocatione, imo etiam ut diligenter laboremus.

Ad Minorem respondeo: *Colligere quae supersunt, est sollicitudo,* videlicet laboris et diligentiae, non diffidentiae. Hanc diligentiam praecipit Deus, et vult nos suis donis diligenter et reverenter uti, ut ostendat suam sapientiam. Et est magnum peccatum, quando tam turpiter omnia profundimus, et hac ipsa profusione nocemus nobis et aliis.

Putamus hoc magnum esse peccatum, quando occidimus hominem: sed non cogitamus, quantum sit peccatum, quando nos et alios occidimus mala diaeta. Etiam radiculae parvae tantum nutrimenti attrahunt, quantum opus est, et non amplius: Pecudes etiam tantum edunt, quantum possunt: et melior est ordo pecudum et radicum, quam noster. In summa, colligere fragmenta, est magna et pulchra virtus. Deus vult nos parce et diligenter, et reverenter uti omnibus donis corporalibus et spiritualibus.

Sic in spiritualibus vult nos conservare doctrinae fragmenta. Qui ante haec tempora dominati sunt in Ecclesia, oppresserunt veritatem, extinxerunt antiqua monumenta. Ego scio ex optimis libris veterum exemptas esse paginas, in quibus scripta erant testimonia in causa magna, ut stabilirentur errores in Ecclesia. Item, quam multum irrepsit suppositiciarum sententiarum. Multa dicta suppositicia irrepserunt in scriptores, ut in libro Ambrosii de Sacramentis: fieri potest, ut particula eius libri sit Ambrosii. Sed sunt in illo libro centones, *Alss ein betlers mantel, wan man viel lumpen zusammen flickt.* Multa sunt in illo libro pugnantia, et consuti sunt diversorum temporum centones, ad stabiliendum teterrimum errorem de Transsubstantiatione. Debetis esse diligentes in colligendis fragmentis doctrinae.

Estne narratio istius lectionis legalis, vel Evangelica?

Non est Legalis, sed Evangelica principaliter: Quia est testimonium doctrinae, sicut saepe dicitur de miraculis, quod sint testimonia doctrinae. Ac saepe moneo, ut doctrina de ipsis miraculis, saepe sit in conspectu. Et est mea consuetudo repetere eadem per eadem. Quamquam igitur continet haec lectio exempla, quae sunt praecepta: item umbrae et signa praeceptorum multorum, tamen miraculum per se est testimonium de doctrina. Deus voluit edere et patefacere legem et Evangelium additis illustribus et manifestissimis testimoniis ad genus humanum convincendum, et confirmandum.

Ad quod praeceptum pertinet haec regula, ad quam velut ad scopum accommodanda est ist a lectio:

Primum quaerite regnum Dei, et omnia adiicientur vobis?

Ad primum praeceptum; quia praecipit de discenda agnitione Dei, de agnoscendo Deo, de discenda illa doctrina, in qua se Deus patefecit, et huic praecepto addita est consolatio vel promissio respondens argumento, seu obiectioni: Si discam, habebo persecutiones, incidam in pericula, non habebo victum. Si discam doctrinam Ecclesiae, veniam in contemptum et odium potentum; ero miser, contemptus, conculcatus, sicut experimur fieri.

Huic argumento respondet Christus: *Omnia cumulate adiicientur vobis.* et est emphasis in verbo, *adiicientur,* quae illustratur per illa dicta: *Timenti Dominum non deerit ullum bonum.* Item: *Non vidi iustum derelictum.* Item: *Non peribit anima iusti in fame.* Et Christus etiam hoc ipso exemplo monstrat, quod eos, qui comitantur ipsum in desertum, qui in miserias veniunt et in aerumnas, Evangelii causa, velit pascere, defendere, praebere nidulos, et hospitia, tuguriola, tegere hospitia, et casulas, etiamsi non tantum vini exhaurias, quantum Antonius, neque Apitii delicias habeas.

Haec debet esse consolatio vestra. Sic magis amabitis studia: Non frangamini animis, non relinquatis ea propter contemptum, aerumnas, et incommoda, quae comitantur. Non tantum premimur odiis potentum, non tantum sumus in contemptu, sed inter se ipsi doctores motus excitant.

Videtis, quantae tempestates cieantur illa perversitate ingeniorum, quae multos deterrent. Videtis etiam sapientissimis hominibus usitatum esse, ut liberos suos removeant a studiis. Copus, qui est gubernator Imperatoris in Hispania, crevit sola commendatione literarum, fuit scriba: non voluit tamen filios suos adhibere ad litteras. Carolus Ruinus vir doctissimus in Italia Iurisperitus, nullum filiam voluit adhibere ad litteras, solitus est dicere: *Nolo, ut filius meus ferat asininos labores, sicut ego tuli:* et postea tamen unus ex eius filiis propter suspicionem adulterii, a quodam Italo interfectus est.

Possem multa alia exempla recitare, sed quomodocunque ista sint: Nos debemus opponere argumentum potentius, videlicet mandatum divinum; ut discamus doctrinam de Deo. Non potest autem doctrina tradita in libris Prophetarum et Apostolorum disci, sine multiplici eruditione. Contra aerumnas autem opponamus consolationem, quae est addita mandato: *Caetera adiicientur vobis.* Adiungamus etiam alias consolationes, quae plurimae sunt in tota Scriptura, inter quas haec sit infixa animis, quae apud Esaiam extat: *Posui verba mea in ore tuo, et dextera mea protegam te, ut plantes coelos.*

Vult primum esse ministerium, studia, doctrinam. Postea dicit: *Dextera mea protegam te,* etiamsi ruant Imperia, sicut videtis, et magni motus impendent: tamen in saevis illis tempestatibus servabit Deus Ecclesiam, et coetus docentes et discentes.

Cogitemus et hanc consolationem, quae similiter est apud Esaiam: *Ego gestabo vos, portabo, salvabo etiam in senecta.* Haec novissima aetas est miserrima, delira, multum habet tristissimarum confusionum: non sunt tam praestantes viri, quales fuerunt tempore Davidis, vel Abrahae. Vixerunt tunc simul praestantissimi viri, Abraham, Sem, Isaac. Fuerunt lumina generis humani. Iam non sunt tales viri: et tamen illi etiam non potuerunt omnia mala mundi impedire. In Sodomis, ubi fuit Paradisus orbis terrarum, fuerunt in conspectu illorum virorum teterrimae turpitudines: imo horribilia portenta libidinum. Iam premunt nos etiam nostrae miseriae. Iuniores non intelligunt, quantus sit dolor eorum, qui dolent propter confusiones doctrinarum. Sicut inquit textus: *Dolores parturientium venient ei:* et certe sustinemus similes dolores parturientium.

De praemiis liberalitatis.

In praecedenti Historia etiam observandus est locus de praemiis liberalitatis, vel eleemosynarum. Vocabulum *Eleemosyna*, est ex phrasi Hebraica sumptum: significat donum datum ex pietate propter Deum, vel ex misericordia. Germani etiam vocant *Almosen.*

Retinemus ista vocabula, quia antiquitas Hebraica est religiose locuta. Nominavit opera misericordiae, et facta ex misericordia, *dass einem menschen des andern hertzlich erbarmet in der noth.* Misericordia est virtus, quae afficitur dolore propter aliquam iniustam calamitatem, et mitigat illam calamitatem, quantum potest, etiam calamitatem iustam, tamen non exacerbat. Herodotus dicit, quod poenae nimis saevae offendant Deum. Homo debet meminisse se esse hominem, et se quoque incidere posse in miseriam, ubi opus sit misericordia. Graeci nominarunt ἔρανος, quod nos

eleemosynam, seu *misericordiam* nominamus. Romani vocarunt *stipem:* unde est illa phrasis: *Petere stipem.*

Habentne Eleemosynae praemia?

Ita.

Proba.

Date, et dabitur vobis. Item: *Qui dederit uni ex minimis potum aquae frigidae, habebit mercedem.* Item: *Dat mutuo Domino, qui miseretur pauperis.* Item: *Frange esurienti panem tuum, et erit hortus tuus irriguus.* Item: *Dedit pauperibus, et iustitia eius manet in saeculum.* Extant manifestissimae promissiones, quod Deus velit dare praemia pro Eleemosynis. Et quando Principes sunt benefici erga Ecclesias, erga discentes, erga pauperes, non debetis dubitare, quin Deus daturus sit praemia. Sic quando Respublicae sunt liberales erga Ecclesias, erga discentes, erga vere pauperes, tunc sine ulla dubitatione Deus reddet praemia. Idem sentiamus de privatis hominibus; quia Deus non est mendax. Ergo dicat aliquis: *Tales qui sunt benefici, nihil debent male pati?* Non sequitur; quia Deus etiam potest benefacere in afflictione. Non eodem modo compensat beneficia in alios collata, et tamen compensat sine ulla dubitatione beneficiis multis, privatis et publicis.

Quomodo intelligis Germanicum illud dictum:

Kirchen gehen seumet nicht. Almosen geben armet nicht, Unrecht gut faselt nicht.

Kirchen gehen, significat tribuere aliquod tempus audiendae doctrinae, et coniungendae invocationi cum reliquis.

Almosen geben verarmet nicht, non minuuntur opes, cum aliquid inde largimur pauperibus.

Unrecht gut faselt nicht, id est, Male parta, male dilabuntur. *κακὰ κέρδεα ἶσα ἄτῃσι.*

Cogitetur autem hic communis doctrina de operibus. Deus vult nos exercere in operibus fidem et dilectionem. Fides debet praelucere: Debes scire, quod illa, quae possides, sint beneficia Dei: Deum tuis facultatibus, tuguriolo, gregi, et familiolae prospicere, et fore custodem vitae, corporis, et tuorum, qui tibi curae sint, et quidem propter Filium. Debes apprehendere remissionem peccatorum in Filio, per Filium, et propter Filium, et debes eum invocare, ut tibi illa det. Semper in petitione corporalium debet praelucere fides, petens remissionem peccatorum. Postea debemus exercere caritatem, dilectionem, unusquilibet in sua vocatione: et quidem servato ordine certo: Paterfamilias debet habere rationem suae familiae: *das sindt die elendesten Bettler, ein hauffen kleiner Kinderlein.*

Ubi est ordo traditus in dando?

Paulus dicit: *Habeat curam, maxime domesticorum.* Hoc praeceptum Pauli congruit cum ordine naturae, quia natura habet lumen de istis gradibus divinitus insitum. Primum est habenda ratio parentum, liberorum, cognatorum, postea etiam aliorum. Deinde modus ille tenendus est, de quo Paulus dicit: *Non ut aliis sit ignavia, vobis afflictio.*

Salomon adhuc elegantius et iucundius ista recitat: *Fontes tui deriventur foras, et tu Dominus eorum esto.* Praecipit Parsimoniam, Iustitiam, et Liberalitatem, et modum liberalitatis ostendit. Loquitur de fontibus, qui sunt in locis illis, ubi parum aquae fuit. Cogitate, quanta fuerit commoditas posse frui in locis eiusmodi aquis fontanis. Vide ergo, inquit Salomon, ut habeas fontem, id est, proprium, et tu Dominus esto. Approbat proprietatem, et distinctionem dominiorum, sed rivulos debes impartiri aliis: ita tamen, ut non excutiaris ex patrimonio tuo: Quia Deus vult esse civitates, gubernationem, non vult esse dissipationem Anabaptisticam. Hic est expressa voluntas Dei in illo pulcherrimo dicto Salomonis.

Simul intuemini significationem: sicut ista fiunt in bonis temporalibus, sive in beneficiis corporum: ita fiunt eodem modo in distributione doctrinae. Apostoli distribuunt: Significatum est, debere eos distribuere doctrinam, quamquam simul est significatum, pastores debere curam gerere pauperum: sed praecipua significatio est de doctrina. Nos debemus in Ecclesia colligere fragmenta Prophetarum et Apostolorum, eorum qui recte docent, et qui habent testimonia Spiritus sancti. Ea debemus conservare in Ecclesia, sicut Christus dicit ad Petrum: *Et tu conversus, confirma fratres tuos.*

Prodest nobis, nosse testimonia antiquitatis, et valde dolendum est, et vituperanda pessima negligentia multorum superiorum gubernatorum, qui neglexerunt testimonia, quibus in Ecclesia valde opus est. Habemus exigua fragmenta; tamen

valde utile est ea asservari. Confirma, inquit, fratres tuos. Vult nos confirmari testimoniis.

Tecte etiam monuit Christus Apostolos de colligendis fragmentis Prophetarum. Sapientia tradita et revelata per Prophetas, erit opus etiam post nos.

Transferatur autem ad praemia spiritualia quoque, quod dictum est de Eleemosynis. Non diminuunt facultates Eleemosynae. Ita fideliter administrando vocationem quamcunque a Deo ordinatam, crescit donum, fidelis Doctor cumulatur maioribus donis.

Proba.

Habenti dabitur, et a non habente, etiam id quod habet, auferetur. Hoc dictum verum est universaliter, in spiritualibus et corporalibus. Ille, qui recte administrat sua, illius res Deus custodit. Qui est diligens in suo labore, communicat libenter in docendo, quae ipse recte didicit, illi Deus sua dona auget. Res ipsa hoc ostendit.

Paulus dicit: *Attende, quid dicam: Agricolam oportet primum de fructibus comedere.* Significat inter alia hoc: si tu fideliter docebis, primus cumulaberis magnis donis: tu maxime percipies fructum tuae sedulitatis et laborum. Si diligenter docebis, cumulabit Deus tua dona. Haec promissio etiam excitet nos, ut simus diligentiores in nostris laboribus, et functionibus, cuilibet mandatis, in sua vocatione.

DOMINICA IUDICA.

Evangelium Ioh. 8.

Quis ex vobis arguet me de peccato? etc.

Imago certaminum in Ecclesia.

Haec narratio, et quae in hoc capite praecedunt, sunt imago praecipuorum certaminum in genere humano. Semper enim contentio est, quae et qualis sit Ecclesia; et, an haec doctrina, quae est propria Ecclesiae, sit vera, et ex Deo: an vero nihil intersit inter opiniones de religione quarumcunque gentium. Item, quod sit caput principale doctrinae Ecclesiae, videlicet, de Messia, *Quis sit*, et, *Quod sit eius officium.*

De his rebus sunt maxima certamina: Et haec facile referri possunt ad articulos Symboli, sicut semper, quoties necessarium aliquod certamen agitatur in Ecclesia, diligentia illa adhibenda est, ut consideremus, contra quam partem Symboli disputetur.

In Canticis dicitur: *Ecclesia est sicut castrorum acies ordinata:* id est, semper cogitur stare in procinctu, et parata esse ad dimicandum.

Videmus autem hic ingentia esse illa certamina. Iudaei conferunt in Christum atrocissima convicia. Christus vicissim dicit, eos esse ex patre Diabolo. Agitur de articulis omnium gravissimis: *Credo esse Ecclesiam, sanctam, Catholicam: Credo in Iesum Christum, Filium eius unicum Dominum nostrum.* Item: *Credo remissionem peccatorum, et vitam aeternam.* In disputationibus, magnum lumen est videre, quo sint referendae controversiae.

De circumstantia temporis, quo contentio ista Christi cum Iudaeis contigit.

Iam quaero, quando accidit ista tam acris contentio inter Christum et Pharisaeos?

Respondeo. Facta est post Scenopegia, et ante Encaenia postremi anni, quo Christus crucifixus est. *Σκηνοπήγια* sunt festum tabernaculorum, a *σκήνη*, id est, tentorium, seu tabernaculum, *Ein Zelt*, et *πήγνυμι*, id est, figo. Celebratur hoc festum in Autumno, in fine Septembris, vel initio Octobris, si ad nostri anni rationem accommodemus. Ac fuit ceremonia huius festi instituta, ut esset monumentum seu memoriale tabernaculorum in deserto: Sicut Ceremoniae debent esse signa, memorialia, commonefactiones.

Vita hominum non potest regi sine aliquo ordine: Ita in Ecclesia opus est externis signis et commonefactionibus. Celebrabatur festum illud per dies octo, sicut etiam caetera magna festa praescripta in lege, Pascha et Pentecoste celebrabantur toto octiduo.

Construebant in hoc festo ex ramis arborum tabernacula ante aedes, in quibus commorabantur diebus illis, qui destinati erant huic festo. Mane accedebant ad templum, intererant concionibus et sacrificiis. Postea ingressi sunt in tabernacula ista, et recrearunt se hilarioribus conviviis, egerunt Deo gratias pro collocato populo in terra

Canaan; pro servata politia, et pro caeteris beneficiis, quibus Deus inde usque a temporibus patrum ostenderat testimonia suae praesentiae in isto populo. Sicut, quando nos convenimus, debemus Deo agere gratias, quod servet aliquos coetus, quod non sit barbarica vastitas: Diabolus cuperet dissipari totum genus humanum. Sed quod servantur aliqui coetus, id simpliciter est opus Dei.

Encaenia incidebant in initium hyemis. Id festum institutum fuit a Maccabaeis in memoriam templi recuperati. Nomen Encaeniorum est a renovatione, quasi dicas, *renovalia.* Historia Maccabaeorum saepe legi debebat; quia est imago postremorum temporum, et consolatio, quod, etiamsi magnae sint calamitates et miseriae, et Ecclesia horribiliter quassetur et dilaceretur, tamen Deus servaturus sit aliquas reliquias Ecclesiae. Oportet enim Ecclesiam manere usque ad finem seculi, etsi alias magis, alias minus est conspicua: Quia non semper eodem modo Deus glorificat Ecclesiam.

Dicti sunt Maccabaei a symbolo, quod gestarunt in vexillis, in quibus scripserant has literas *Macabi,* id est, quis sicut Deus in Israel. Singulae litterae significarunt integras dictiones.

Mi	Quis
Cemo	sicut
El	Deus
Be	in
Israel.	Israel.

Hoc symbolum sumpserunt ex Moise Exod. 15. Voluerunt agnosci, hunc solum esse verum Deum, qui se patefecit in Israel, id est, in Ecclesia. Ita nostri Principes, cum vellent significare se constanter retinere Evangelium, et iudicare doctrinam Evangelii esse doctrinam a Deo traditam, et Deum hanc defensurum esse, pingebant has literas in vexillis suis, V. D. M. I. Ae. id est, *Verbum Domini manet aeternum.*

Spalatinus collegerat multas insignes sententias: ex his Dux Saxoniae hoc symbolum sibi, ut maxime insignem sententiam, delegit

Fuerunt autem post repurgationem templi Ierosolymitani (quae facta est 25. Mensis *Cisleu,* qui est in nostro Calendario dies Catharinae) multis adhuc annis gravissima bella Maccabaeis contra hostes: Estque inprimis memorabilis historia illa de pugna cum Nicanore, quae facta est 13. die Mensis *Adar,* id est, circa hoc ipsum tempus. Nam *Adar* apud Hebraeos est postremus Mensis. Habet nomen a nova fossione et aratione agrorum; quia tunc homines incipiunt arare et serere frumenta. Incidit Adar apud nos partim in Februarium, partim in Martium. Nam Hebraeorum menses erant lunares.

Duxit Nicanor magnum exercitum contra Iudam Maccabaeum: Accessit ad urbem Ierosolymam, et minatus est sublata manu se templum deleturum esse; sed victus est paulo post in proelio. Amputatum est eius caput, et dextra manus, et de templo suspensum, adversus quod levaverat manum.

Ista historia annis ante Christum natum circiter centum et septuaginta accidit. Nec dubium est, quin parentes Mariae, Elizabeth, Zachariae sua aetate noverint aliquos, qui pugnae interfuerint. Adolescentes moniti hac notatione temporum, legant totam historiam Maccabaeorum, quae ita est scripta, ut possit detinere lectorem attentum.

Ex Evangelicis narrationibus apparet postremo anno Christi fuisse maximas concertationes inter ipsum et Iudaeos. Id cerni posset illustrius, si praecedentia contexerentur cum praesenti textu.

Initium disputationis inter Christum et Iudaeos.

Initium disputationis est de libertate: cum Christus concionaretur de beneficiis suis, et inter haec commemoraret donationem verae libertatis, obiiciunt Iudaei se esse liberos, *Nemini,* inquiunt, *Servivimus: Sumus semen Abrahae.* Erant oppressi tristissima servitute sub Romanis, et tamen disputabant de libertate sua, et miscebant dicta de libertate spirituali et corporali: Sicut nostri etiam homines exsultant de sua libertate, iactitant se esse Germanos liberos.

Christus vero aliam descriptionem libertatis proponit: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis,* quasi dicat: Vos tantum habetis umbram vocabuli, sed vera libertas est, quod Filius Dei liberat Ecclesiam ab aeternis malis, a peccato et morte: item, adest et sustentat Ecclesiam inter furores Diaboli, quae horribiliter oppressa est in Imperiis.

Hanc libertatem debebamus nos etiam cogitare, qui ne quidem de corporali libertate habemus promissiones similes iis, quas Iudaei habuerunt, donec politia illorum mansura erat. Sic autem argumentor:

> *Promissio divina est vera:*
> *Iudaeis erat promissa libertas; et Deus nominat eos regale sacerdotium, et sacerdotale regnum:*
> *Ergo ex vi promissionis istius recte potuerunt dicere Iudaei se esse liberos.*

Respondeo ad Maiorem: Promissio debet intelligi, sicut Deus ipse eam enarrat. Fuerat autem praedictum, ut libertas in fine eriperetur, imo ut Po-

litia tota deleretur, iuxta dictum: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec venerit Siloh,* id est, Salvator. Latina vocabula *salus* et *salvus,* et *salvator* congruunt cum nomine *Siloh,* quod significat datorem salutis, qui non umbram, sed veram salutem affert.

Politici Reges non possunt dare salutem et veram libertatem, imo se ipsos salvare non possunt. Quantus Rex fuit Cyrus? et tamen, quam tristis fuit eius exitus, si ita periit, sicut narrat Herodotus. Augustus floruit usque ad mortem, sed tamen moritur. Solus Messias est *Siloh,* id est, liberator, qui dat aeterna bona.

Deinde etiam stante politia debuit promissio de corporali libertate Iudaeorum intelligi, cum exceptione castigationis et crucis. Iudaei habebant humana consilia; volebant se asserere in libertatem, et excutere iugum Romanorum, sed aberrabant a vero intellectu promissionum corporalium.

Disputatio de Ecclesia.

Post disputationem de libertate, sequitur in praecedenti textu disputatio de Ecclesia. Christus concedit Iudaeos esse semen Abrahae secundum carnem, sed negat persecutores sui, et doctrinae suae esse membra verae Ecclesiae. *Si Abrahae filii essetis,* inquit, scilicet revera et in spiritu: *faceretis opera Abrahae.* Item: *Si Deum patrem haberetis, agnosceretis doctrinam meam. Vos autem estis ex patre Diabolo.*

Hic repetatur definitio Ecclesiae. Statuamus certo esse aliquam Ecclesiam omnibus temporibus, et quae ac qualis illa sit, diligenter consideremus. Cum videmus magnas illas confusiones generis humani, non potest fieri, quin offendantur animi. Sic enim cogitamus: Tanta est multitudo impiorum hominum, tanta diversitas opinionum, tam variae sectae: Item in illo ipso coetu, qui nominatur Ecclesia, tot sunt dissidia: Estne ergo aliqua congregatio, quae revera est Ecclesia Dei, in qua Deus habitat, et in qua habitabit in omni aeternitate, cui communicabit suam vitam, sapientiam, iustitiam, laetitiam et lucem aeternam.

Valde difficile est retinere hanc assensionem, quia grave est scandalum multitudinis impiorum, item dissidiorum inter illos ipsos, qui nominantur Ecclesia Dei. Adversus haec scandala oportet nos bene munitos esse. Ac loquimur nunc de Ecclesia visibili.

Quid est igitur Ecclesia visibilis?

Est coetus amplectentium Evangelium incorruptum, et recte utentium Sacramentis, in quo coetu Deus est efficax per ministerium Evangelii, et aliquos regenerat, et vivificat vita aeterna, et sunt tamen in eo coetu multi non sancti, sed de doctrina consentientes.

Hanc definitionem oportet notam esse, et debemus hoc firmissime tenere, quod illi, qui non sunt in coetu vocatorum, non sint membra Ecclesiae Dei. Sunt autem vocati qui externa professione accipiunt doctrinam, sive sint sancti, sive non sint sancti, modo de doctrina consentiant. Sed contradicentes Evangelio, seu hostes persequentes Evangelium, non sunt membra Ecclesiae, ne quidem visibilis Ecclesiae. Sicut hic dicit Christus: *Vos ex patre Diabolo estis.*

Certum est igitur, quod persecutores Evangelii non sint membra Ecclesiae, etiamsi iactitent titulum Ecclesiae ut Pharisaei et Saducaei, Quia Ecclesia non est corpus politicum, sicut nunc etiam imaginantur aliqui. Cum vident dominari Papam aut Episcopos, cogitant eos esse Ecclesiam, propter gradum aut ordinem dignitatis. Atqui Papa et Episcopi persequuntur Evangelium: Ecclesia autem est penes eos, qui amplectuntur Evangelium.

Et haec est illa veritas, de qua Christus disputat contra Pharisaeos: *Ego dico vobis veritatem, vos autem non creditis mihi.* Solum Dei verbum est veritas, et opponitur mendaciis Diaboli, quem Christus hic vocat *patrem,* id est, auctorem *mendacii.*

Sed si Episcopi et Pontifices non sunt Ecclesia, quomodo Ecclesia esse potest coetus visibilis?

Respondeo. Sicut schola est visibile corpus, et est coetus discentium, non est autem coetus plane otiosus, ac multo minus coetus persequens studia hostiliter: Ita etiam Ecclesia est visibilis coetus, sed amplectentium Evangelium, non habentium hostilem animum adversus doctrinam.

Defensio doctrinae Christi contra Iudaeos adversarios.

Repetitur autem in praesenti quoque, textu asseveratio de veritate doctrinae, quia cum dicit Christus: *Quis ex vobis arguet me de peccato,* non loquitur in genere: etsi hoc quoque verum est,

quod nemo potuerit Christum arguere ullius peccati. Loquitur autem principaliter hoc loco de doctrina: quasi dicat: vos accusatis me, quod sim Pseudopropheta: sed non potestis me convincere. Ego assevero me missum esse ab aeterno patre, et dico me non esse Pseudoprophetam.

Sum verax Doctor. Doceo idem, quod docuerunt Prophetae, videlicet quod Messias non sit futurus mundanus Rex, et quod sit passurus. Dico vos frustra exspectare Messiam, qui armis corporalibus superaturus sit omnes gentes, et qui magna gloria regnum mundanum constituat. Haec sunt aliena a vaticiniis prophetarum.

Praeterea affirmo, quod ego sim Messias promissus, quia habeo manifesta testimonia resuscitationis mortuorum, et alia inimitabilia omnibus creaturis.

Non est opus hic illa disputatione, qualis debeat esse vita concionatoris. Loquitur hic Christus de certa specie, id est, de veritate et certitudine doctrinae. Tales debent, et possunt esse omnes doctores, ut habeant notitiam verae doctrinae, et eam profiteantur, sine peccato, id est, sine erroribus et corruptelis. Sic argumentor:

Nemo debet se ipsum laudare, ut dicitur: *Nec te culpabis, nec te laudaveris ipse.*

Christus se ipsum hic laudat: Item Paulus dicit: *Haec est gloriatio nostra, quod non cum sapientia carnali, sed cum simplicitate et puritate versati simus in mundo:*

Ergo inconvenienter faciunt. Nostri Germani dicunt, nemo debet se laudare, nisi habeat malos vicinos, *wer bose nachbaren hat, muss sich selber loben.* Id recte intellectum, vere dicitur, quia singuli debent retinere asseverationem bonae conscientiae. Sed omitto iam disputationem istam de genere, et dico, *quod nemo debeat se laudare,* scilicet de privatis operibus, vel virtutibus. Sed quisque debet esse certus, quod recte doceat, debet commendare doctrinam, quam scit esse veram. Doctor Ecclesiae non debet dicere: Ego doceo vos ista, nescio, an sint vera. Imo si quis non est certus de doctrina, debet tacere.

Homines, qui ambiguas opiniones spargunt in Ecclesia, scelerate faciunt, ut nunc multi disputant de quibusdam rebus, quas ipsi ignorant, aut etiam quae palam falsae sunt. Quidam Phantasticus scripsit nuper de dormitione animarum: *Animas neque vivere, nec mortuas esse.*

Dominus hic inquit: *Quis arguet me,* scilicet, mendacii, seu falsae doctrinae; quia mox addit: *Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi.* De hac re semper sunt certamina in Ecclesia, ut nunc pugnatur, utrum nos simus Pseudoprophetae, an adversarii? Nos dicimus amplecti nos doctrinam per Prophetas, Apostolos, et Filium Dei traditam, et retinere symbola incorrupta: Dicimus adversarios corrumpere praecepta Dei, et symbola. Illi contra damnant nos, et clamant se habere patres, longam consuetudinem, multorum saeculorum exempla.

Adversus haec opponimus illud Pauli: *Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.*

De veris et vivis membris Ecclesiae.

Simili ratione Christus hic asseverationi de veritate suae doctrinae adiicit consequentiam, qua damnat Pharisaeos repugnantes Evangelio: *Qui ex Deo est, verbum Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Est forma argumenti per Contrapositionem, quae gignit secundam figuram syllogismorum. Geometrae, qui habent exactissimas probationes, saepissime utuntur hac forma argumentandi. Et facile potest haec forma redigi ad secundam figuram syllogismorum:

Omnis qui est ex Deo, verbum Dei audit:
Vos non auditis:
Ergo vos ex Deo non estis.

Hic syllogismus est in modo *Baroco;* sed rotundius est dicere in argumento Christi esse formam consequentiae per Contrapositionem, ut, si dicas:

Omnis homo est animal:
Ergo, quod non est animal, non est homo.
Item: *Omnes electi vocantur:*
Ergo, qui non sunt vocati, non sunt electi.

Haec est magna consolatio scire tantum in coetu vocatorum esse electos. Semper sunt in mundo aliqui electi. Sed nullibi sunt, nisi in coetu vocatorum. Agamus ergo gratias Deo, quod simus vocati; quia scriptum est: *Quos elegit, hos vocavit.* Quamquam autem multi sunt in coetu vocatorum, id est, in externa societate Ecclesiae, qui non habent veram fidem, iuxta dictum: *Multi vocati, pauci electi:* tamen quicunque accipiunt verbum et retinent, fide, sine ulla dubitatione sunt electi. Sed Christus hic loquitur de hostibus verae doctrinae, qui ne quidem in externa professione sunt membra verae Ecclesiae; quia haec propositio est universaliter vera: *Omnis non existens ex Deo, non audit verbum Dei.* Contra multi audiunt, qui non sunt ex Deo, hoc est, qui externa professione adiungunt se Ecclesiae, nec contradicunt verbo: sed tamen non retinent vera fide, quales sunt hypocritae. Pharisaei et caeteri hostes Christi, neque assentiebantur verbo, ut faciunt hypocritae, neque fidem retinebant: sed simpliciter erant persecutores et hostes verbi.

Contra:
Auditores Moisi audiunt verbum Dei:
Pharisaei erant auditores Moisi:
Ergo audiunt verbum Dei: et, per consequens, *sunt ex Deo, sunt populus Dei*, etc.

Respondeo. Maior vera est sine calumnia intellecta; sed Minor est falsa, quia Christus ipse dicit: *Moises testimonium de me perhibet:* Item: *Si crederetis Moisi, etiam mihi crederetis.* Pharisaei excerpunt ex Moise quae volunt. Etiam Mahomet habet aliqua vera, id est, legalia quaedam; sed doctrinam Evangelii prorsus abiicit, et legalibus quoque miscet multa venena. Ita faciebant Pharisaei.

Non fuit unquam tam furiosus quisquam, qui spargent novum dogma, totum Dei verbum abiiceret. Omnes phanatici praetexunt aliqua speciosa, et retinent legalia quaedam. Sed qui unum corrumpit, reus est omnium. Doctrina fidei est una copulativa, id est, ad veritatem fidei requiritur, ut omnes partes retineantur. Iudaei etiamnum habent scripta Moisis et Prophetarum; nec tamen sunt auditores verbi, sed corruptores. Non tenent τὸ ῥητὸν neque διάνοιαν Prophetarum.

Convicia Iudaeorum contra Christum.

Postquam autem Christus dixit, Pharisaeos non esse Ecclesiam, incipiunt eum criminari: Dicunt: *Tu es Samaritanus, et habes Daemonium.* Talibus contumeliis semper afficitur Ecclesia. Ab aliis nominatur *Samaritana,* ab aliis *Daemoniaca.*

Quale est convicium de Samaritano?

Non refertur hoc nomen tantum ad gentem illam, quae habitabat in Samaria, id est, in eo loco, ubi habitavit tribus Ephraim, fere in medio terrae Palaestinae; sed nominabant in genere Samaritanos, qui erant semiethnici, id est, homines, qui habebant confusionem Ethnicarum et Iudaicarum opinionum et cultuum.

Fuit Samaria urbs regia in tribu Ephraim, et nomen dedit toti regioni, in qua fuerunt decem tribus ante abductionem: Eam coepit Salman, qui et *Salmanasser* vocatur, qui fuit pater Senacherib. Is abduxit decem tribus, et novas colonias deduxit in Samariam. Isti homines, quia erant gentiles, attulerunt suos ritus Ethnicos in Samariam, sed quia regio coepit infestari a leonibus, et aliis bestiis, ut non tuto possent colere agros, et uti peregrinationibus, consuluerunt oracula, et reliquias Israelitarum de causa et remedio huius mali. Responsum est eis, eam ob causam grassari leones, quia colerent idola, et desituram esse illam poenam, si reciperent legem Moisi, et cultus Iudaicos, quibus Deus vellet in illo loco coli. Accersiverunt igitur ad se sacerdotes aliquot ex Iudaea, et receperunt quosdam cultus Iudaicos.

Sed cum simul retinerent suos ritus Ethnicos, hoc praetextu, quod tamen colerent verum Deum patefactum in populo Israël: Propter hanc confusionem Ethnicismi et Iudaismi coeptum est nomen Samaritani sumi pro convicio. Ac Iudaei magis oderant Samaritanos, quam caeteros Ethnicos; quia Ethnici palam profitebantur se alienos esse a populo Dei. Samaritani autem vindicabant sibi nomen populo Dei, simulabant professionem et cultum Dei, sed revera corrumpebant sinceritatem cultus divini etiam in externis ritibus.

Postea circa tempora Ptolomaei Lagi conditum est peculiare templum in Samaria in monte Garizin, unde magna bella orta sunt. Et Samaritani contendebant istum esse sanctiorem locum adorationis, quia ibi habitaverit olim Iacob, habuerit ibi visionem Scalae: denique allegabant religionem antiquam istius loci. Hinc odia inter Iudaeos et Samaritanos magis aucta fuerunt.

Sed et ante abductionem decem tribuum fuerunt aemulationes perpetuae inter tribum Ephraim, in qua erat sedes regia, et inter tribum Iuda. Postquam Ieroboam collocaverat vitulos aureos in Dan et Bethel, ut populum abduceret a templo Ierosolymitano.

Nomen Samariae significat custodiam. Credo sic appellatam esse propter antithesin; quia urbs Ierosolyma dicta fuit *Sion,* id est specula. Illi ergo contra, suam urbem dicebant Samariam, id est, arcem custodiae, ubi erant praesidia statuta, quasi dicas, statio militaris, *Ein landtshut*: voluerunt nomen lenius habere, quam specula. Plus est enim esse stationem, praesidium, arcem, quam speculam. Impii quaerunt magnificos et gloriosos titulos ad se ornandos, ut videmus nunc in Epistola Turcica recens. Germanice edita. Turca facit se custodem Dei, et nescio quid non. Tribuit sibi titulos, non cadentes in hominem, ut videri possit fabulosum esse aliquid ignorantibus, sed verum est nimis.

Cur non respondet Christus ad convicium Samaritani?

Respondeo. Quia non est respondendum ad omnia. Possunt aliqua praeteriri, quae non sunt atrocissima, et quae non laedunt immediate gloriam

Dei. Tota vetustas hoc observavit, quod Christus hoc loco non ad convicium Samaritani respondet. Sed ad alterum tantum, quod obiiciunt, *eum habere Daemonium,* quia id immediate, et aperte laedebat gloriam Dei; imo erat blasphemia manifesta contra Deum. Sed tamen et hoc verum est; Refutato maiori convicio, refutantur etiam leviora.

In Salomone est utrumque. Primum, quod *sit respondendum stulto secundum stultitiam suam*, *ne videatur sibi esse sapiens.* Deinde, quod *non sit ei respondendum secundum stultitiam suam:* scilicet, *ne fias ei similis.* Necesse est igitur aliquando respondere, quando contumelia pertinet ad Deum, et confessione nostra opus est. Aliquando autem non est respondendum: aut certa cum magna moderatione respondendum est, in conviciis levioribus.

Est pulchrum dictum Cypriani: *Non est miser, qui audit convicium, sed qui facit.* Et in quodam veteri poemate legitur, *Nullam esse Musicam concinniorem aut magis harmonicam, quam ferre convicium.* Quia haec debet esse hominis praestantis moderatio, ut non tam verbis, quam re ipsa purgare se velit a privatis conviciis. Ideo Cicero inquit: *Male mecum agitur, si me oratio potius quam vita mea purgat.* Et Demosthenes, cum non vellet respondere ad convicia Aeschinis: *Si existimatis me talem esse*, inquit, *Surgite, neque ullum verbum amplius audite.*

Magna est fatuitas perpetuo verbis pugnare velle, sicut multi iam nihil aliud faciunt, nisi ut verbis litigent. Hoc debemus operam dare, ut convicia privata, re et vita ipsa refutemus: aut, si quae vera dicuntur, ut saepe fit, corrigamus et emendemus. Sicut Plutarchus optimum libellum scripsit, Quomodo utilitas sit capienda ex inimicis, ubi inter alia docet: Si quae vere nobis obiiciantur, cogitare nos debere, quod sint commonefactiones ad emendationem nostri.

Et pulchra est illa sententia Euripidis: *Duobus litigantibus, irato altero, qui tacet, est sapientior.* Ego assedi aliquando, cum inter duos praestantes viros incideret certamen: alter dicebat: Ego nihil iam respondebo, quia video te esse iratum. Hoc sapientissime respondebat. Qui volet inter homines vivere, saepe audiet, quae non volet. Ibi certe moderationem oportet esse inter homines, et prudenter videndum est, ad quid sit respondendum, et quid sit dissimulandum.

Sic igitur Christus praeterit convicium Samaritani, et habet probabilem causam quia voluit colligere Ecclesiam ex utrisque id est, Ethnicis et Iudaeis Imo saepe fuit in Samaria hospes, habuit ibi Ecclesiam et auditores fecit ubi multa miracula, et Apostoli aliquoties eo missi sunt ad praedicandum Evangelium. Ipse etiam alibi se pingit nomine Samaritani.

Alterum vero convicium: *Tu habes Daemonium,* graviter refutat. *Non habeo,* inquit, *Daemonium.* Nam ibi Deus immediate contumelia afficitur. Utitur igitur categorica inficiatione. Cogitemus autem hic de similibus certaminibus Ecclesiae.

Virulenti hypocritae non sunt contenti, quod obiiciunt nobis, nos esse homines leves, aut fatuos, sed etiam doctrinam nostram damnant, tamquam impiam et Diabolicam. Vociferantur eos, qui recte docent, agitari a Diabolis, esse organa Diabolorum, esse pestes generis humani. Haec sunt valde horribilia, quae refutare, est pars necessaria confessionis. Ac Christus non simpliciter infitiatione utitur, sed etiam rationem addit: *Ego honoro patrem meum.* Argumentum tale est:

Nullus habens Daemonium, honorat Deum patrem:
Ego honoro Deum, et quidem patrem meum:
Ergo non habeo Daemonium.

Confirmatio utriusque praemissae pendet partim ex iis, quae sunt in praecedenti textu, partim in verbis, quae in hoc ipso textu postea sequuntur, Quia ante hunc textum dixit Christus, Diabolum esse patrem mendacii, et destructorem omnium, qui sunt a Deo; sicut expresse eum nominavit *homicidam ab initio.* Homo est praestantissima creatura Dei, et Diabolus tamen, ut aegre Deo faciat, omnibus modis conatur occidere homines. Multo autem magis conatur destruere omnia alia, quae sunt a Deo ordinata

Hinc igitur sequitur immutabiliter, quod impossibile sit agitatum a Diabolo, spiritu mendaci, et auctore omnium malorum, posse honorare Deum.

Quid sit autem Deum honorare, sequentia verba Christi ostendunt. *Vos dicitis, quia Deus vester est, et non cognovistis eum, ego autem novi eum. Et si dixero, quod non noverim eum, ero similis vobis, mendax. Sed novi eum, et verbum eius servo.* Dicit, *honorare Deum*, esse nosse Deum, et profiteri Deum, seu praedicare apud alios, et servare verbum eius. Haec enim tria coniungit Christus.

Primum dicit: *Ego novi Deum*, id est, ego penitus et intime novi eum, perspicio immensam et infinitam bonitatem eius, quae est incomprehensibilis creaturis. Deinde dico etiam, quod noverim eum, nec sum, sicut Diabolus mendax, sed quod scio in Deo esse vere, hoc etiam vere ei tribuo, et apud alios praedico et palam facio, et testificor, utcunque vos me inhonoratis, et contumelia afficitis propterea. Tertio, subiicio me etiam ad obedientiam, servans verbum ipsius, id est, obedio patri perfectissime. Sic vero obiicio:

Maledicentibus est benedicendum:
Christus autem et antea dixit ad Iudaeos, vos ex patre Diabolo estis: Et nunc inquit: *Non volo esse similis vobis, mendax:*
Ergo iniuste facit.

Respondeo. Maledicentibus est benedicendum, sed non blasphemis. Pharisaei isti palam sunt blasphemi. Ideo Christus magno cum zelo, severe contra eos agit, sicut Prophetae saepe faciunt: et Baptista nominat Pharisaeos genimina viperarum.

Sed obiicio et aliud argumentum, quo Arriani ex hoc textu voluerunt probare inaequalitatem essentiae Patris et Filii.

Honorans est minor honorato:
Christus hic dicit se honorare Patrem:
Ergo est minor Patre.

Respondeo ad Maiorem, ex regula Cyrilli: *Honor et obedientia non tollunt aequalitatem potentiae, sed ostendunt ordinem personarum.* Filius est a Patre; Pater non est a Filio, ideo Filius honorat Patrem, quia hoc totum, quod Filius est, et quod Deus est, habet a Patre per generationem aeternam. Deinde subiicit se Patri tamquam legatus, id est, tamquam mediator constitutus decreto Dei, ut solvat λύτρον pro genere humano lapso.

Cum autem homines, et praesertim ille populus, quem Filius elegerat sibi in peculium, obligatus esse debeat ad Filium vicissim honorandum: expostulat Christus cum Iudaeis merito, quod contumelia ipsum afficiant. *Vos,* inquit, *ignominia me afficitis,* scilicet conviciis istis vestris, et quia contemnitis sermonem meum. Postea minatur eis iudicium Dei. *Ego in praesenti vocatione non quaero gloriam meam, sed est qui quaerat et iudicet:* Sicut alibi inquit: *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem.*

Hactenus proposita est imago certaminum Ecclesiae. Deinceps sequitur summa doctrinae Ecclesiae.

Doctrina Evangelii propria, de officio et beneficiis Messiae.

Qui sermonem meum servaverit, non videbit mortem in aeternum. Hoc dictum opponit Christus Pharisaeis, ut doceat, cur missus sit Filius, quod sit officium Messiae, et quae beneficia propria: quasi dicat: vos habetis phantasiam, quod qui servat legem, salvetur, sed legem non potestis facere. Si credideritis hunc Messiam esse redemptorem generis humani, et per eum, ac propter eum remitti vobis peccata, sentietis vos vivificari ad vitam aeternam. Lex Moisi non affert vobis vitam. Quamquam ne hoc quidem quaeritis, sed quaeritis regnum politicum. At Filius Dei non venit, ut det regnum politicum, sed vitam aeternam.

Contra:

Moises dicit: qui fecerit ea, vivet in eis:
Ergo qui fecerit Moisi doctrinam, vivet, et non qui servat doctrinam Christi.

Respondeo. Primum, Moisi dictum est politicum. Qui instituunt vitam externam secundum praecepta legis, non haerent in poenis politicis. Deinde et hoc verum est: Si haberemus iustitiam integram legis, viveremus in ea. Nemo autem facit legem, nisi agnito Filio, et tamen inchoatur tantum obedientia fide; et quamvis non satisfit legi, tamen placet obedientia illa inchoata propter Christum. Sermo Christi intelligi debet de praedicatione propria Filii Dei. Et servare sermonem Christi, non est intelligendum legaliter. Id prodest considerare ad solvendum hoc argumentum:

Tantum servantes Christi sermonem, non moriuntur:
Nemo servat sermonem Christi:

Ergo nemo non moritur: et, per consequens, irritum est hoc dictum, seu ad neminem pertinens.

Saepe alibi ponitur eadem Phrasis: ut, *Si quis sermonem meum servabit, pater meus diliget eum,* etc. Nullus Papista unquam est recte interpretatus, neque potest recte interpretari. Sed respondeo: differunt dicta legalia, et dicta Evangelica. Hoc dictum: *Qui servat meum sermonem,* est dictum Evangelicum, non est dictum νομικὸν, quale est illud: *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quae scripta sunt in lege.* Haec est bona responsio, quia est brevis et expedita.

In responsionibus debemus non assuefacere ad verba artificum, quae vocantur τεχνικὰ, postea addi potest explicatio longior. Lex dicit: Omnes sunt damnati, qui non faciunt omnia, quae sunt scripta in lege. Sed Evangelium dicit: *Omnis qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Hoc discrimen legis et Evangelii diligenter oportet teneri. Lex damnat nos propter peccatum: Evangelium liberat per et propter Filium. Haec est igitur sententia huius dicti: *Qui fide amplectitur Filium Dei, ille non videbit mortem.*

Huc igitur pertinet illa communis doctrina, quod accipiamus remissionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iustitiae, et vitam aeternam per Filium, et propter eum. Et est Emphasis in vocabulis: *Non videre mortem in aeternum.* Idem est, quod dicitur: *Iustificati fide, pacem habemus.* Item: *Corpus mortuum est propter peccatum, sed Spiritus vivit propter iustitiam.* Qui credit in Filium Dei, et hac consolatione se sustentat, quod propter Filium placeat, et sit acceptus Deo, is eluctatur ex

morte: Non immergitur in tam horribiles dolores sicut impii. Paulus inquit ad Corinth. *Aculeus mortis peccatum est*; id est, peccato perterrefiunt homines, et occiduntur, quando sentiunt iram Dei adversus peccata, quia natura fugiens Deum experitur sensum mortis. *Potentia autem peccati lex est*, id est, cum lex arguit in nobis peccata, tum augentur dolores mortis, et *fit peccatum excellenter peccatum*, id est, sentitur vis peccati. Postea addit: *Gratia sit Deo, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum*. Hoc quid sit, discendum est in vera conversione.

Homines efferi et Cyclopici nihil horum intelligunt. Sed in quibus est scintilla contritionis seu poenitentiae, isti aliquid intelligere discunt, cum erigunt se consolatione Evangelii. Et quo maior est agon mortis, eo magis sentiuntur ista.

De qua morte loquitur hic Christus?

Respondeo. Non loquitur de dissolutione corporis et animae, sed de sensu mortis aeternae: de quo dicitur in Psalmo: *Circumdederunt me dolores mortis, et angustiae inferni. Anxietatem et dolorem inveni.* Hi dolores sunt mors, de qua Christus hic loquitur; ex hac morte liberantur credentes, id est, vivificantur; quia habent pacem cum Deo: Impii etsi sunt aliquamdiu securi, tamen opprimuntur tandem doloribus illis, qui sunt in hac vita initium aeternae damnationis.

Collatio Christi et patrum.

Iudaei offenduntur hoc dicto Christi, quia cogitaverunt esse sermonem simpliciter inanem. Non intellexerunt discrimen legis et Evangelii. Opponunt instantiam, id est, exemplum contrarium: *Abraham mortuus est et Prophetae.* Sed Christus non loquitur de morte corporali, qua etiam sanctissimi deponunt has exuvias corporum. Dicit credentes non superari terroribus mortis, et per ipsam mortem transire ad vitam aeternam. Sicut in prima promissione quoque dicitur: *Semen mulieris conteret caput serpentis*, id est, labefactabit et tollet potentiam mortis et inferorum.

Sed pergunt Iudaei: *Numquid tu maior es patre nostro Abraham? Quem facis te ipsum?* Videtur eis absurdum, quod non tantum efferat doctrinam, sed etiam personam suam supra omnes, qui unquam fuerunt in Ecclesia. Hic apparet, quanta eorum inscitia fuerit. Non intelligunt Messiam esse maiorem Abrahamo, cum ipsa promissio data Abrahae eos hoc docere potuisset. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Nam haec verba promissionis aperte dicunt, fore, ut serventur gentes per semen Abrahae, non per ipsius Abrahae personam. Quod si gentes benedicuntur per semen Abrahae, Ergo est maior quam Abraham.

Ita Psal. 110. *Dixit Dominus Domino meo*, refutat tenebras ipsorum, in quo inter alia hoc quoque dicitur: *Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Non dicit: *secundum ordinem Levi.* Est autem Melchisedech maior, quam Abraham; quia benedicit Abrahae. Sicut hoc Epistola ad Hebraeos pulchre tractat.

Alibi dicunt Prophetae Messiam esse Deum, ut Ieremias inquit: *Germen Davidis est Iehova iustitia nostra.* Denique passim prophetae docent Messiam restituturum iustitiam et vitam aeternam. Horum nihil intellexerunt isti.

Respondet autem Christus: *Abraham vidit diem meum, et laetatus est.* Affirmat Abrahamum propter Messiam salvatum esse, unde sequitur, quod Messias sit maior, quam Abraham. In Graeco est verbum ἠγαλλιάσατο. *Abraham pater vestre exultavit videre diem meum*, id est, ardentissimo desiderio expetivit videre, *Mit hertzlichem sehnen vndt verlangen.* Diem meum, id est, meam missionem.

Magna est Emphasis in Graeco verbo, ἀγαλλιάω, et ἀγάλλομαι et ἀγαλλιάομαι, quod deducitur ab ἄγαμαι, id est, admiror, admiratione delector: unde est etiam verbum ἀγάπω, diligo, et amplector. ἄγαλμα res accurate exculpta, afferens gaudium: et mox additur *quod laetatus*, seu *garisus sit Abraham:* scilicet illa ingenti laetitia, quae est initium vitae aeternae. Ἀγαλλιᾶσθαι non est tantum laetari, vel optare, sed gestire laetando.

Laetitia est effectus fidei. Cum fides est in corde, laetatur cor. Ideo in cantico Mariae dicitur: *Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Item, in Psalmo. *Laetamini in Deo omnes recti corde.* Ubi non est laetitia aliqua, tum cor fremit adversus Deum: Ubi autem est fremitus, ibi non est fides.

Cum Doctor Turca moriturus esset Lipsiae, accersitus est ad eum concionator, Motus nomine. Hic stetit ad lectum, hortatus est eum, ut se commendaret Filio Dei, et recitavit quaedam dicta ad eum consolandum. Ille sustulit oculos, dicens: Credis tu hoc? quasi dicat: quid mihi molestus es istis fabulis? Mortuus est postea in magno fremitu. Nam dubitationes pariunt fremitum. Contra, ubi est fidei scintilla in corde, est ibi aliqua laetitia, et quo maior est fides, eo laetitia quoque maior est. Observetur igitur hoc dictum tamquam testimonium de effectu fidei.

Quod eadem sit Ecclesiae doctrina, fides, et modus salvationis.

Simul autem docet Christus, quod una et eadem Ecclesia sit omnibus temporibus, et quod nulla sit Ecclesia, nisi in agnitione Filii Dei. Sunt multorum phantasiae, tres esse leges: unam, naturae: alteram, Mosaicam: tertiam, Evangelicam; et unamquamque aetatem salvatam esse sua lege. Aliqui etiam fingunt omnes religiones unam esse religionem, et tantum differre vocabulis; Item unumquemque salvari in sua religione. Sic sentire, magna est impietas.

Latomus Lovaniensis contra me scripsit, ac nominatim repraehendit me, quod affirmarem esse unam legem aeternam omnium temporum, quae sit sapientia Dei, insita mentibus hominum in creatione, sive nominetur lex naturae, sive lex moralis seu Decalogus: et quod scriberem unum esse Evangelium inde usque a promissione prima, edita in paradiso. Ille Latomus horribili mugitu triduo ante mortem confessus est, quod contra conscientiam fuerit hostis verae doctrinae.

Ego constanter dico, quod sit una lex in tota aeternitate, et quod non sit facienda illa fatua distinctio, quod sint tres leges, quia Evangelium non est lex. Et lex naturae est eadem cum lege morali, quae est Decalogus, nisi quod notitiae naturales sunt obscuriores post lapsum. Ac gentes multa receperunt contra legem: finxerunt multos Deos; instituerunt multiplices cultus Dei; approbarunt confusiones libidinum; usurparunt mactationes hominum in sacrificiis. Apud Lacedaemonios licuit pacisci cum marito de coniuge. Romae erant ludi gladiatorii, in quibus per iocum occidebantur homines.

Sed haec, quae pugnant cum lege, semper damnavit Ecclesia, quae sola retinuit puritatem legis: et hoc magnum testimonium est, quod sola Ecclesia sit populus Dei: quia lex mansit integra in sola Ecclesia, una cum vero intellectu legis.

Verum non satis est ad monstrandum discrimen inter veram Ecclesiam, et alias sectas, allegare doctrinam legis: sed oportet mentem et oculos referre ad Evangelium, quod principaliter discernit Ecclesiam, seu populum Dei ab illis, qui sunt extra Ecclesiam.

Et hoc Evangelium est unum et idem a promissione prima edita in paradiso. Ac sicut una est Ecclesia inde usque ab Adam: Ita Deus voluit in hac Ecclesia omnibus temporibus sonare non tantum vocem legis, sed etiam vocem promissionis. Agnoverunt igitur patres venturum Messiam, qui futurus esset victima pro genere humano, et liberaturus credentes, et daturus remissionem peccatorum, reconciliationem iustitiae, vivificationem, et donationem vitae aeternae.

Haec agnoverunt patres fide, sicut clare cernimus in concionibus Prophetarum; ut, cum Esaias inquit: *Quia ponet animam suam pro peccatis, videbit semen longaevum.* Et Zachar. inquit: *Tu in sanguine Testamenti tui educes vinctos e lacu:* id est, tu per mortem tuam educes ex morte, et restitues vitam his, qui te expectant, seu qui discesserunt ex hac vita fide. Talia dicta ostendunt, quod patres senserint se habere remissionem peccatorum et vitam aeternam, propter hunc Dominum.

Nam quod ad legem attinet, sciebant se non servare legem. Aliud est enim, retinere doctrinam legis, aliud facere legem. Adam, Abraham, David retinebant doctrinam, non abolebant legem, et tamen sciebant se non satisfacere legi; sciebant se habere peccata, et non servari lege. Sciebant autem se iustificari per fidem: Sicut inquit Esaias: *Notitia servi mei iusti iustificabit multos.* Et quicunque iustificati sunt ullo unquam tempore, hi iustificati sunt propter Filium Dei, ut dicitur: *Ex plenitudine eius omnes accepimus.* Item: *Omnis qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Sic igitur de Abraham hic dicitur: *Vidit diem meum et laetatus est.*

Quomodo vidit Abraham Messiam?

Respondeo: principaliter de vera notitia promissionis hoc intelligendum est. Nam Abraham novit Christum. Et haec notitia fuit lux fidei accipiens promissionem. Abraham non fuisset membrum Ecclesiae sine agnitione Filii Dei. Et hac agnitione iustificatus est coram Deo, iuxta dictum: *Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iustitiam.*

Hac agnitione sensit etiam novam vitam in corde, iuxta hoc dictum Ioannis: *Qui habet Christum, habet vitam.* Habetur autem Christus fide, cum accipimus eius obedientiam, et meritum. Postea etiam, cum ipse in nobis est efficax, quia Christus est salvator merito et efficacia.

Credo autem Christum hic loqui non tantum de notitia promissionis, sed etiam de visibili conversatione; qua coram, oculis suis vidit Filium Dei colloquentem secum; quia λόγος Filius Dei saepe visibiliter conversatus est cum patribus. Nec dubium est, quin saepe cum Adam collocutus sit, et eum consolatus in illa solitudine, et magnis doloribus. Ita scribitur etiam fuisse hospes Abrahae, antequam iret ad delendam Sodomam. Ita postea luctatur cum Iacob, qui, cum inquit: *Deus patrum meorum:* et mox addit: *Angelus qui eripuit me ex omnibus malis,* intelligit Filium Dei, qui est persona

missa ad Ecclesiam, per quam immediate Deus colligit et servat Ecclesiam. Idem Filius loquitur visibiliter cum Daniele.

Sic igitur dico: Abraham vidit Messiam, utroque modo: Primum, in promissione, quam accipiens sensit se vere vivificari per Filium Dei. Deinde etiam corporali visione cum se ei manifestavit vestitus corpore, assedit ei in mensa, tradidit ei in promissionem de semine.

Augustinus habet pulchrum dictum: *Corporaliter videre Christum, nihil est, nisi fiat etiam fide.* Item oratio, quae non fit propter Christum: id est, in agnitione et fide Christi, non solum non delet peccatum, sed fit peccatum.

Has distinctiones oportet nos bene meminisse, quae sit Ecclesia, quae sit lex, quod Evangelium, quam doctrinam Ecclesia habuerit, quid singulae aetates senserint de doctrina, quomodo hac doctrina usi sint sancti. Latomus scribit Abrahamum non habuisse aliam notitiam de Deo, quam qualem habuit Plato, Xenophon aut Cicero. Hoc est horribile mendacium: contra hoc ipsum dictum Christi, et necesse est retineri discrimen agnitionis Dei in Ecclesia, et apud gentes.

Notitia Dei in Ethnicis qualis est?

Est utcunque legalis, quamquam cum magna caligine. Non autem est notitia Christi, seu non est notitia mediatoris. Et hinc etiam responsio sumenda est ad argumentum Theowaldi Thammeri, qui nunc renovat confusionem Ecclesiae et gentium.

Gentes, inquit, *noverunt potentiam Dei*:
Christus et potentia Dei, 1 Corinth. 1.
Ergo gentes noverunt Christum.

Hoc argumentum spargit publice in libris, quos edidit. Sic autem respondeo: *Gentes noverunt potentiam Dei*, scilicet, creationis, et conservationis creaturarum. Christus est potentia Dei, videlicet, non tantum creationis, sed etiam salvationis: et quidem est potentia personalis. Ipse creat cum patre. Sed in Evangelio sic nobis patefactus est, quod peculiariter mittatur ad hoc opus, ut sit propitiator, et salvator, iustificator et vivificator. Haec non possunt satis inculcari, ut mentes sint praemunitae contra errores, qui nunc passim vagantur.

Testimonium de persona Christi.

Sequitur dictum: *Antequam Abraham erat, ego sum.* Iudaeis videbatur absurdum esse, quod Christus dixerat: *Abraham vidit diem meum.* Ideo dicunt: *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* Abraham fere bis mille annis fuit ante Christum exhibitum in carne. Est autem utrumque verum: *Christus est natus post Abraham*: et, *Christus est ante Abraham.* Et est clarum testimonium, quod in Christo nato ex virgine duae naturae sint una persona.

Sed quomodo haec dicta sunt applicanda ad distinctionem naturarum?

Respondeo. Humana natura non fuit ante Abraham, et tamen haec propositio est vera: *Antequam Abraham erat, ego sum,* respiciendo ad naturam divinam.

Hic igitur insigne exemplum habemus doctrinae de communicatione Idiomatum, quae est praedicatio, in qua proprietas unius naturae tribuitur personae in concreto. Esse ante Abraham, item ante creationem mundi, est proprietas naturae divinae, et tribuitur huic personae, quae est Deus et homo. Non dicitur, humana natura Christi est ante Abraham. Sed hic homo Christus, qui etiam est Deus, recte dicitur esse ante Abraham, et ante initium temporis.

Sic apud Zachariam inquit Filius Dei: *Aspicient ad me, quem confixerunt:* et tamen natus est post Zachariam aliquot saeculis: sed vera est propositio communicatione Idiomatum.

Haec communicatio non est transfusio proprietatum, ut aliqui phantastice imaginantur; sed est praedicatio, seu modus loquendi, seu phrasis certa, usitata Scripturae et eruditis scriptoribus, ad declarandam unionem personalem seu hypostaticam; quae ideo sic vocatur, quia est unum ὑφιστάμενον.

Ista unio non potest illustrius describi, quam exemplo hominis, in quo est anima et corpus, quae sunt una persona. Hoc exemplo usi sunt Iustinus, Athanasius, Cyrillus, et alii vetustissimi scriptores. Tuum corpus non est persona, seu ὑφιστάμενον, sed anima gestat corpus, et discedente anima dissolvitur corpus. Est igitur totus homo constans ex anima et corpore ὑφιστάμενον. Sic humana natura non est persona, sed dependet a divina natura filii. Et iste Filius visibilis post assumptionem naturae humanae est persona talis, in qua sunt duae naturae, divina et humana.

Damascenus ita loquitur: *Humana natura subsistit in divina.* Alii Scriptores nominarunt dependentiam. Homo utcunque est imago mirandae copulationis duarum naturarum in Christo. Et sunt tamen in hac imagine aliqua dissimilia, sicut etiam Iustinus dicit, hoc exemplum non omnino esse simile.

Anima separatur a corpore, Divina natura nunquam separatur ab assumpta natura humana in Filio. Divinitas Filii non dissessit a Christo etiam iacente in sepulchro, sed quievit, id est, non exeruit vim suam in depellenda morte ante resuscitationem. Nam postea illa ipsa divinitas resuscitavit Christum.

Ad declarandam ergo hanc unionem, tradita est doctrina de Communicatione idiomatum. Et danda est opera, ut retineantur modi loquendi approbati in Ecclesia Haec est vera propositio: *Deus est passus.* Non est vera: *Divinitas est passa.* Nemo unquam sic locutus est in vera Ecclesia. Nec putandum est pulchrum esse turbare recte constitutam doctrinam. Non est eloquentia ludere praestigiis verborum, et portentosis modis loquendi. Genus sermonis, quo utimur in Ecclesia, debet esse castum, et circumscriptum certis metis.

Estne similis haec propositio *Deus est passus*, illi alteri, *Patiente* Baptista, patitur Deus.

Respondeo: non. Est ingens dissimilitudo, quia in Baptista, Deus est, quoad effectionem, seu quoad assistentiam. Sed in Christo est unio personalis divinae et humanae naturae. Haec est metaphorica locutio: Baptista patiente, patitur Deus: id est, relatio contumeliae pertinet ad Deum; sicut patiente legato, patitur Rex, id est, relatio contumeliae pertinet ad Regem. Sed Christo patiente in cruce, patitur Deus, quia illa persona, quae patitur, non est tantum homo, sed Deus.

In propositione illa: *Baptista patiente, Deus patitur,* Subiectum est tale, quod non est Deus, sed in altera propositione, *Patiente Christo patitur Deus,* subiectum describitur, quod vere est Deus. Baptista ipse non proprie, neque essentialiter est Deus: At Christus est Deus essentialiter, ideo patiente Baptista, patitur Deus relative tantum. Christo patiente, patitur Deus *ὑπαρκτικῶς*, id est, Deus est illud ipsum *ὑφιστάμενον* quod patitur, seu Deus praedicatur *ὑπαρκτικῶς* de Christo, qui patitur.

Observetur etiam hoc dictum: *Antequam Abraham erat, ego sum,* tanquam testimonium quod *λόγος* sit *ὑφιστάμενον* etiam ante assumptionem naturae humanae. Alibi dicitur, *per hunc Logon omnia esse condita,* unde sequitur, quod hic Filius sit coaeternus Patri. Ita hic vocabulo significanti Christus utitur, *Ego sum, et quidem ante Abraham,* ut significet se esse *ὑφιστάμενον*, non quiddam evanescens. Et quod sit *λόγος* subsistens, id inde etiam clare sequitur, quia missus est ad Ecclesiam ab initio, et semper invocatus est in Ecclesia.

In fine textus dicitur, *quod adversarii Christi sustulerint lapides,* Voluerunt eum refutare non verbis, sed saxis. Sed Christus evadit, quia cursus eius nondum erat completus. Diaboli et horum organa non habent in sua potestate, ut adimant vitam Christo, aut aliis sanctis, nisi volente Deo.

Deus servat Doctores Evangelii propter ministerium, et protegit frementibus et furentibus Diabolis et organis Diabolorum. Servat Deus Paulum, donec compleat curriculum. Fuit aliquoties obiectus bestiis, antequam est a Nerone decollatus. Ac saepe hoc accidit in persecutionibus primae Ecclesiae, quod bestiae in Circo pepercerunt sanctis. Saepe blanditi sunt eis leones; quia Deus voluit ostendere, quod Ecclesia divinitus defenderetur, et quod tam diu maneret unusquisque in vita, donec suum cursum absolveret. Voluit etiam ostendere, quod bestiae plus haberent humanitatis quam tyranni. Sic et flammae pepercerunt Polycarpo, quem tamen Tyrannus iussit decollari, quod permisit Deus, posteaquam audita erat eius confessio.

EVANGELIUM IN DIE ANNUNTIATIONIS MARIAE.

Lucae 1.

In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel a Deo, etc.

Cur nominatur hoc festum Annuntiationis Mariae?

Respondeo. Quia Angelus attulit nuntium de conceptu filii Dei, de nascituro Messia. Fuit nuntius, iam fore, ut ipsa conciperet Messiam.

Dies conceptionis filii Dei in virgine Maria, quotus dies est mensis?

Vigesimus quintus Martii: iste dies fuit olim dies aequinoctii; Christus est conceptus die aequinoctii, et est postea natus die solstitii brumalis, Quia 25 dies Martii, fuit dies aequinoctialis: et 25. dies Decembris, fuit dies brumalis.

Iam debetis cogitare, quare regressa sunt

aequinoctia et solstitia. Illa pertinent ad scholas Mathematicas. Est communis sermo, nihil tamen affirmo: Dicunt eodem die Dominum esse conceptum et crucifixum. Item, dicunt, eodem die conditum esse Adam. Certe non procul abfuit, *Es sey nun oder nicht, so ists nicht fern darvon gewesen.* Non dubium est Adam tempore verno esse conditum.

Quot sunt anni a condito Adam?

Sunt anni 5513 a principio mundi ad hunc annum currentem 1551. Videte, tale curriculum est, non longissimum omnium temporum: et non procul absumus a fine, iuxta dictum Heliae: *Sex millia annorum mundus, et postea erit destructio: duo millia inane, duo millia lex, duo millia dies Messiae: et si quid deerit ex his annis, deerit propter nostra peccata, quae multa et magna sunt: si quid decurtabitur, decurtabitur propter peccata, quae in fine cumulabuntur.* Omnes non dico praestantes, sed etiam mediocres homines iam clamant, ut Deus abrumpat ista tempora, et faciat finem miseriarum, et dissipationum generis humani. Turcicum imperium crescit, regna ruunt, Ecclesia distrahitur, et horribiliter distrahitur. Haec a vobis sunt consideranda, et debetis a Deo petere mitigationem calamitatum. Haec vota non erunt irrita, sicut dicit Christus: *Orate, ut possitis effugere venientes miserias.* Cogitandum est, quo tempore vivamus, et in quibus periculis, et quae sint quaeranda remedia.

Unde est nomen Maria?

Puto nomen idem significare, quod *amaritudo dierum*: alii vertunt *amaritudo maris*: alii etiam *doctrix populi.* Sed credo omnino, Mariae attributum nomen propter moestitiam temporis: sicut haud dubie soror Moisi in Aegypto propter moestitiam temporum sic fuit dicta. Creverat servitus in Aegypto, differebatur tempus liberationis, quam expectabant, calamitates crescebant, sicut fit ad extremum: Sic etiam parentes Mariae viderunt magnas calamitates: Avus et avia sine dubio viderunt miserias sub Antiocho, dilacerationem pulcherrimae Ecclesiae et politicae: postea parentes viderunt magnas miserias inde usque a principio regni Herodis, et aliquanto ante: fuerunt spectatores tristissimae pugnae, quando Ptolomaeus Lamyrus interfecit 30000 Iudaeorum, et captivos coegit vesci carnibus interfectorum, parentum, fratrum, cognatorum.

Haec qui viderunt inter gentes, nullo modo cogitaverunt, illum populum esse Ecclesiam Dei. Non enim poterant cogitare, quod Deus tam horribiliter calamitates sineret accidere in suo populo.

Illas atrocissimas historias debetis considerare, ut compescatur aliquo modo nostra insolentia, et simus humiles et modesti, et clamemus ad Deum veris gemitibus, ut ipse prohibeat tales calamitates, et servet aliquos suos coetus: et non sinat fieri vastitatem barbaricam: Non sinat diabolum ita horribiliter grassari.

Veteres plerumque indiderunt suis nomina ab aliqua significatione, vel ab aliquo eventu; sive a dolore, sive a laetitia.

Cogitate autem, qualis fuit Ecclesia illius temporis: Quia historiae politicae commonefaciunt nos etiam de miseriis Ecclesiae. Politicae miseriae, quando homines occiduntur, civitates vastantur, sunt magis in conspectu, magis subeunt oculos et animos; sed simul etiam Ecclesiam considerate.

Fuit tunc tristissimus status in Ecclesia: Pharisaei, Saducaei dominabantur, et inter se belligerabantur. Parentes Mariae viderunt Hircani, Aristobuli, Alexandri lanienas: quia Maccabaeorum posteritas, quae vicerat in bello adversus Antiochum, postea inter se dimicavit, sicut Cadmaei fratres. Sic etiam facta aliqua reformatione, tamen posteritas incipit furere, et fit peior; Ecclesia autem fuit multo magis dilacerata. Magna pars fuit palam Epicurea, ut Saducaei ex professo negabant animae immortalitatem.

Quot fuerunt tunc sectae?

Pharisaei erant, qui doctrina excellebant. Nomen *Pharisaei*, significat *expositorem:* Quia fuerunt illi, qui enarrabant Scripturam, et corrumpebant tamen suis enarrationibus et traditionibus, sicut solet fieri. Etiam Papa habet suas expositiones, ut cum dicit:

Translato sacerdotio fit legis translatio:
Sed sacerdotium est translatum a Christo in Petrum:
Ergo etiam facta est legis translatio: et, per consequens, *Petrus et quilibet Papa debet facere aliam legem, quam fecit Christus.*

Tales furores commenti sunt. Illa optima sententia turpissime abusus est Papa. Sacerdotium Mosaicum vel Leviticum removetur. Ergo non praedicatur iam iustitia legis: sed iustitia filii Dei, et iustitia aeterna. Sed Papa transfert dictum ad suas stultissimas traditiones

Idem fiebat cum Pharisaeis et Saducaeis, qui adhuc erant nequiores, petulantiores, et flagitio-

siores. Erant palam Epicuraei. Dicebant neque restare postea vitam, neque animas esse superstites corporibus, hominem mori sicut pecudem: non legebant prophetas: Tantum volebant Moisen legere, abolebant, quantum in ipsis erat, doctrinam Prophetarum, qui debebant esse testes de venturo Messia.

Talis erat status inter illos furores: et tamen erat aliqua Ecclesia: erant parentes Mariae, Maria ipsa, Elisabeth, Zacharias, Simeon, et multi horum auditores. Erat aliquis coetus, aliqua congregatio: quia Deus semper servat aliquas reliquias: sed exiguas prae reliqua multitudine, sicut Esaias dicit: *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus.*

Ita nunc etiam fit: Sunt exiguae reliquiae in genere humano, quae recte invocant Deum. Maxima pars generis humani est palam impia: Quanta multitudo est Mahometica, quanta multitudo est inter eos, qui dicuntur Christiani, qui acerrime propugnant idololatriam: postea inter eos, qui dicuntur Evangelici, qui segregati sunt a persecutoribus: dimicant inter se horribiliter, distrahuntur opinionibus, unde existunt distractiones in multis aliis rebus.

Adversus haec magna scandala pugnemus precatione: nihil enim aliud possumus. Talis fuit illa aetas, ut non immerito Maria nomen acceperit ab amaritudine dierum: et credite mihi, ipsa et parentes eius bene senserunt: Ecclesia semper sentit tales miserias: Alii impii non curant, qui delectantur illo Symbolo, οὐδεν πάσχεις κακὸν ἂν μὴ προςποιῇ, nihil pateris mali, *wen du dichs nichts annimpst,* si non putas ad te pertinere: si non curas, si non afficeris.

Extat hoc dictum in Luciano, ubi inter se disputant Stoicus et Epicuraeus, Iupiter est auditor. Hunc hortatur aliquis, ut mature tanto malo occurrat, alioquin omnes fore Epicuraeos: sed respondet alius: οὐδὲν πάσχεις κακὸν, ἂν μὴ προςποιῇ. Tu, Iupiter, non curas ista, tibi nihil est mali, quando quidem non afficeris hoc malo. Ecclesia afficitur tantis malis: Agnoscit iram Dei aliquomodo, et in illa magnitudine irae Dei expavescit, dolet, gemit, ut est apud Ezechielem, ubi Angelus signat eos, qui gemunt propter gloriam Dei. Semper sunt aliqui homines, qui in Ecclesia gemunt propter communia mala: Reliqua multitudo, ut Nero, nihil curat, ne quidem sentit, tantisper donec venit iudicium. Multi sunt ἀπηλγηκότες, ut Paulus loquitur, id est, qui dedoluerunt, qui nullo sensu mali afficiuntur.

Illa securitas taxatur voce divina saepissime, quod homines ne quidem sua vulnera volunt sentire. Ecclesia oneratur aerumnis, ut ipsa cogitet de ira Dei, iuxta illud: *Bonum mihi Domine, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.* Item, *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum: Castigasti me, et domitus sum.* Deus ideo premit Ecclesiam magnis miseriis, ut agnoscat iudicium et iram Dei.

Nemo fit melior in rebus secundis, et magnis successibus; *Luxuriant animi rebus plerumque secundis.* Item: *Fortuna quem nimium fovet, stultum facit.* Premit igitur Deus Ecclesiam magnis aerumnis, privatis et publicis, ut domita expavescat, et agnoscat iudicium Dei, gemat pro se et aliis.

Ista hic considerate, et cogitate impendere tales confusiones rerum; quas si non mitigabit Deus, gravissima mala sequentur. Nolite igitur cogitare, ista ad me non spectant. Est verum dictum Solonis: *Intrant in thalamos publica damna tuos.* Quando Reipublicae male est, etiam singulis male est. Sunt homines qui nihil curant, etsi omnia pessum eant, tales non debemus esse.

Dicemus aliquid etiam de appellatione urbis Nazareth, et de exilio Mariae.

Quid significat Nazareth?

Nomen est vel a segregatione, vel a *Nezer,* surculus. Sed credo appellationem oppido factum a *Nezer,* quia fuit in loco uberrimo et amoenissimo.

Ioseph et Maria, quamquam nati erant ex tribu Iuda, tamen migraverunt in Galilaeam. Haud dubie aliquae causae procatarcticae propinquae fuerunt, quod ex Bethlehem terra patria secesserunt. Habuerunt cognationem suam in tribu Iuda, sed coacti sunt migrare in locum alium.

Nazareth 18 vel 19 miliaribus distat a Bethlehem, quantum est a Witeberga Erfordiam usque. Quotannis iverunt Ierosolymam ad festum; vixerunt ibi in exilio, id grave eis fuit; credo etiam difficultates alias oeconomicas ibi expertos eos esse: Ioseph victitavit labore manuum, fuit faber, parentes Mariae tunc etiam fuerunt ibi: quia existimo virginem ibi adhuc fuisse apud parentes.

Illa historica monent lectorem de multis magnis rebus, qualis fuerit Ecclesiae status, qualis fuerit status publicus. Ego inter magna miracula numero, quod illae pulcherrimae mulieres et virgines defensae sunt illo tempore, cum vagarentur pessimarum gentium latrunculi per Iudaeam, Parthici, Arabici, Syriaci, Aegyptiaci. Non sunt peiores homines in mundo, ne hodie quidem. Isti certe appetebant matronas excellentes virtute, forma, ingeniis, quae non potuerunt esse ignotae, et tamen defensae sunt divinitus mirabiliter. Ita videtis servari Ecclesiam a Deo, sicut foetus servatur in utero matris.

Nos multa disputamus, volumus constituere politias, defensionem bonam habere, sed non fiet. Ecclesia est oppressa, non habet defensionem, sed immensa bonitate Dei servatur mirabiliter manu filii Dei: sicut in Propheta dicit Dominus: *Ego portabo, ego servabo vos in senecta, in canitie: ego gestabo vos sicut pastor agnum recens editum:* ideo debetis esse ardentiores in precatione. Illae circumstantiae multum lucis addunt historiae: Monent hominem non stolidum, non bestialem, de multis magnis rebus. Et haec sint dicta de temporibus et de loco.

Iam historia ipsa consideretur, quia Deus vult notam esse historiam. De magnitudine autem istius operis quid possumus dicere? nisi ut agamus gratias Deo pro hoc mirando consilio et immenso beneficio. Non possumus neque causas sufficientes considerare, neque magnitudinem ullo modo comprehendere, quod Deus decrevit, hoc modo placandam esse iram suam, et genus humanum sic redimendum esse, et generi humano reddendam esse iustitiam et vitam aeternam. Sed non possumus satis rationibus assequi, quare Deus ista fieri voluerit; sed sicut Paulus inquit, debemus redigere mentem captivam in obsequium Dei: Debemus audire vocem divinam, et agere Deo gratias, quod se patefecit, quod misit Filium, quod isto mirando modo voluerit redimere genus humanum. Et cogitate nos consideraturos illam sapientiam in omni aeternitate. Sicut angeli illam sapientiam contemplantur, mirantur, et fruuntur sapientia Dei in aeterna gloria: Sic nos illam sapientiam in altera vita discemus. Sed tamen Deus vult nos elementa considerare in hac vita; quia vult nos ipsi agere gratias, et agnoscere iram eius adversus peccata, et misericordiam, ac promissiones divinas.

In Aggaeo inquit Dominus: *Adhuc semel, et movebo coelum et terram, et veniet desideratus gentibus*, vel *desiderium gentium*: Veniet ille, qui est consolatio, laetitia, et aeternum gaudium omnibus, qui eum accipiunt.

Movet Deus coelum, quando mittit Filium, et quando ipse filius Dei deiicit se in istam humilitatem, ut cum sit omnipotens persona, tamen assumat naturam humanam: nemo potest hoc eloqui, quantum sit.

Postea movet terram, quod filius nascitur more non usitato. Secundum ordinem naturae nullus homo nascitur sine maris et foeminae coniunctione. Hic Filius aliter nascitur.

Omittamus hic, quae sunt speculabilia, magis curiosa quam utilia. Illam vero magnitudinem reverenter admiremur, et consideremus beneficia: Etiamsi de illo opere multa disputemus, tamen non satis intelligimus: Laetemur, quod Deus prohibuit testimonia, quod illa vere sic facta sint, sicut Dominus resuscitavit Lazarum his ipsis diebus. Et alias quoque Resuscitatio mortuorum, et alia miracula ab initio testantur, quod Deus miserit Filium. Simus contenti hac cognitione, quod illa facta sint: non curiose inquiramus, quomodo facta sint: quia non possumus immensitatem et magnitudinem sapientiae divinae comprehendere.

Illud autem inprimis consideremus, quare Filius missus sit, et ad quem finem Deus velit nos hoc scire. Hic in textu dicitur: *Dabit ei thronum et regnum David patris sui*: id est, dabit ei regnum promissum: De quo et in Esaia est: *Promissiones Dei firmae et ratae sunt, factae Davidi.* Noster textus habet: *Misericordiae David fideles.* Iam oportet ex Scriptura quaerere, quodnam sit hoc regnum, sitne politicum? Vocatur autem regnum David, non quidem quod simile regnum sit, sicut fuit Davidis regnum mundanum et politicum: sed aliud regnum, quod ei promissum erat.

Ergo oportet scire, quare missus sit filius. Est autem haec causa finalis praecipua, ut tollat peccatum et mortem, reddat iustitiam et vitam aeternam. Sicut Daniel dicit: *Veniet Sanctus Sanctorum, et delebit peccatum, et reddetur iustitia aeterna.*

Hic consideremus iram Dei adversus peccata: aliquid magnum esse iram Dei adversus peccata, testantur poenae, et calamitates, quae vagantur per genus humanum. Omnia atrocia scelera habent poenas in hac vita. Textus dicit clare de homicidis: *Qui acceperit gladium, gladio peribit*: Aut semper ita fit, idque est regulare: aut certe paucissimae sunt exceptiones, ubi Deus sua magna misericordia vel remittit vel mitigat poenas. David cum punitus est, sustentatur a filio Dei: tamen oportet illum ingentes poenas sustinere tristiores morte. Idem cogitemus de aliis etiam sceleribus: *Vae qui spolias, quia spoliaberis.* Sic de incestis et horrendis libidinibus et de periuriis manifesta testimonia sunt, quod Deus illa puniat: *Scortatores et adulteros punit Deus.*

Illae poenae sunt testimonia, quod Deus iudicet et irascatur peccatis: Politia debet esse quaedam paedagogia hominibus; Debemus inde discere aliquo modo iram Dei adversus peccata: Postea mors ipsa est testimonium, quod haec natura sit rea propter aliquid: sicut Paulus dicit: *Per peccatum mors intravit.*

Sed quod Deus irascatur peccatis, est omnium maxime illustre testimonium, quod nulla alia victima constituta est, nisi Filius Dei. Haec est res magna, quae nulla cogitatione exhauriri potest.

Debetis autem et causas aliquo modo considerare, quare sint copulatae duae naturae in redemptore, divina et humana.

Quare oportuit esse redemptorem in genere humano?

Quia homo peccaverat: Ergo oportebat esse aliquem in genere humano, qui esset victima pro ceteris: illa plenius discemus in vita aeterna; tamen istas congruentias consideremus.

Postea est Deus: *Quae est prima congruentia?* ut sit aequivalens pretium: ille est ἀντίλυτρον, ut Paulus, et ipse Christus inquit. Nullius creaturae obedientia fuisset sufficiens pretium pro genere humano: sola obedientia huius Filii est sufficiens pretium.

Postea aliae sunt plures congruentiae: Quia nulla natura nisi omnipotens potuisset sustinere iram Dei, vincere et tollere mortem et peccatum. Hoc est omnipotentis naturae tollere peccatum, et mortem, sicut Dominus ipse inquit: *Ego habeo potestatem ponendi animam et recipiendi*, etc. Nullus intellectus creatus potest hoc intelligere, neque angelicus, neque humanus. Ille igitur solus potest delere peccatum: solus potest restituere vitam, unde Propheta eum nominat *patrem aeternae vitae.* Et Paulus inquit: *Ipse nobis est factus iustitia sanctificatio*, quia idem nobis donat et applicat iustitiam et vitam, et est efficax in nobis.

Praeterea Deus est, ut sit perpetuus defensor, qui semper sit nobiscum, sicut dicit: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Oportet mediatorem nostrum talem esse, qui gestet, sustentet et servet Ecclesiam.

Item mediatorem congruit esse Deum: quia oportet eum ingredi in consilium aeterni patris. Quando facis invocationem, debes illam dirigere ad illum Deum conditorem coeli et terrae, una cum Filio et Spiritu sancto; postea oportet te complecti Mediatorem, petere, ut Deus te recipiat, exaudiat per Mediatorem, sanctificet te Spiritu sancto.

Hic Mediator perfert tuas preces, tua vota, tuos gemitus ad aeternum patrem, stat in consilio arcano aeterni patris, tamquam summus sacerdos interpellat assidue pro genere humano. Si non ipse interpellaret, totum genus humanum periret. Ipse est umbraculum Ecclesiae, ne ira Dei subito consumat totum genus humanum. Deus ignis consumens est, nisi isto umbraculo tegeremur.

Quaerit ratio alias causas; sed nos debemus ista amplecti fide, sicut tradita sunt in Scriptura. Et valet argumentum: *Ille Mediator est conscius arcani consilii: Ergo est Deus.* Videt pectus patris, ostendit patri tuas preces et tua vota, est scrutator cordium; quae non nisi omnipotentis naturae sunt.

Hae sunt magnae et inenarrabiles causae, quare hic redemptor sit Deus et homo. Has causas nunc aspicimus ex effectu, sed in vita aeterna melius et plenius: videbimus a priori. Intelligemus consilium aeterni Patris, Filii, et Spiritus sancti, multo uberius et locupletius: Tamen debemus hic etiam aliquo modo considerare, et nos accendere ad gratiarum actionem.

Dicamus quotidie, Agimus tibi gratias aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, quod misisti Filium; Agimus tibi gratias Domine Iesu Christe, quod patefecisti te; assumpsisti naturam humanam, et es constitutus mediator et redemptor; salva, sanctifica nos Spiritu sancto tuo. Ista saepe repetenda sunt. Et crebra repetitio seu commemoratio istarum rerum, adsuefacit nos, ut exuscitemus animos ad gratiarum actionem, invocationem, et postea ad aliquam obedientiam. Quando illa non considerantur, facile veniunt in oblivionem et contemptum.

Hinc etiam intelligi potest, quale sit regnum, in quo comprehendenda sunt haec omnia, videlicet, quod tollit peccatum et mortem, et reddit iustitiam et vitam aeternam: quod colligit et servat Ecclesiam omnibus temporibus usque ad finem, quae postea in omni aeternitate fruetur sapientia, iustitia, et bonitate Dei in aeterna laetitia et gloria. Ideo dicit: *Cuius regni non erit finis.* Ista etiamsi non clarissime intellexit Maria, tamen habuit aliquas scintillulas, habuit aliquem doctrinae propheticae intellectum. Sic autem de hoc regno debetis cogitare, ut statuatis vos etiam esse cives illius regni.

Paulus pulchre dicit, quod filius sit constitutus, *ut redigat omnia sub unum caput.* Hoc dictum considerate. Deus est amans ordinis, et vult totam creaturam esse ordinatam. Sic igitur est condita tota natura, ut Deus vere agnosceretur in natura rationali, id est, in angelis et hominibus; et ut natura rationalis suo ordine obediret Deo: agnosceret, celebraret Deum. Fuit ergo caput naturae rationalis tota divinitas, cui natura fuit subdita in creatione.

Istum ordinem turbavit primum Diabolus, et quidem prorsus excidit, et est damnatus, et manet in peccato, quod est horrendum Dei iudicium. Postea lapsum est genus humanum, impulsum a Diabolo. Ita laceratio maior facta est: Ordo magis turbatus est: non est subditus capiti Deo Diabolus, et homo etiam est avulsus a Deo, sed Filius Dei est intercessor pro genere humano. Ille sarcit ista detrimenta, reparat illas ruinas; ipse constituitur caput, ita ut redigat naturam humanam, id est, Ecclesiam, rursus in hunc ordinem, ut sit subdita capiti Deo.

Paulus dicit de omnibus, quae sunt in coelo et in terra. Loquitur de Ecclesia angelorum et hominum: Quia etiam Angelos beatos oportet copu-

lari inter sese, et coniungi sub uno capite Deo per Christum.

Est igitur Dominus congregator, facit rursus unionem, restituit illum ordinem, et dissipationem tollit. Sub hoc capite Christo sciamus nos oportere esse membra corporis ipsius Christi.

Debemus etiam scire, quomodo efficiamur membra; Efficimur autem membra fide: id est, quando aliquo modo agnoscimus peccata, et expavescimus, et vera fide erigimur et statuimus, nos recipi a Deo propter hunc Dominum, per redemptionem sanguinis ipsius, ut inquit Paulus.

Hanc oblationem Christi, qua factus est victima pro nobis, debemus intueri, et voluntatem Dei, qui vult nos recipere, confidentes huic Domino, non propter nostra opera, vel dignitatem, sed gratis, sola fide. Ita tollitur peccatum, ita rursus accedimus ad Deum, iuxta dictum: *Per hunc cum fiducia habemus accessum ad Deum.* Item: *Iustificati fide, pacem habemus, et accessum ad Deum.*

Quando ita erigimur, ipse est efficax Spiritu sancto in nobis; inserit nos massae suae vivificae: copulat nos secum vi et efficacia Spiritus sui, agit in nobis per eundem Spiritum, qui est efficax in ipsius corpore, et similia in nobis operatur, quae in sua massa operatur, ut inchoetur in nobis nova lux, iustitia, et vita, quae postea consummabitur in resurrectione.

Haec debetis exercere in quotidiana invocatione, in qua petendum est, ut fidem in nobis confirmet filius Dei, et nos magis magisque sibi uniat, et cum Deo copulet, et efficiat, ut simus viva membra corporis ipsius, et cives regni eius; de quo hic dicitur.

Sunt in hoc textu alia etiam singularia, eaque valde magna: *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Est usus singulari verbo obumbrandi: quo significatur, quod natura humana non possit ferre conspectum Dei sine umbraculo; iuxta illud: *Non videbit homo Deum, et vivet.* Accommodemus autem hoc non tantum ad Mariam, quae est sustentata in hoc mirando opere conceptionis filii Dei, ne absorberetur: sed ad totam Ecclesiam: Quia Filius est universae Ecclesiae umbraculum.

Figuram sermonis puto sumptam esse ex historia, quae narrat, populum in deserto nube tectum fuisse, quae interdiu umbram praebuerit, nocte vero lucem: Illa tunc fuit miranda consolatio, et testimonium praesentiae Dei. Ita semper pii scire debent, se lucem habere a Filio Dei, id est, consilium, consolationem, et vitam: deinde etiam umbram in aestu; id est, sustentationem in poena, ne imbecillis natura terroribus divinis consumatur.

Etsi igitur hic de Maria peculiariter haec phrasis usurpatur, tamen sciamus universaliter Ecclesiam foveri obumbratione, sicut et Esaiae 4. dicitur: *Creavit Dominus super omnem locum montis Zion, et ubi invocatur, nubem per diem, et flammam lucentem in nocte: et adversus fulgorem tegmentum et umbraculum diei ab aestu.*

Fit autem et Spiritus sancti expressa mentio in hoc textu, *veniet super te.* Haec verba testantur, quod Christus conceptus sit efficacia Spiritus sancti, sine virili semine: unde et Matth. 1. dicitur: *Quod in ea natum est, a Spiritu sancto est.*

Voluit autem Deus nasci Christum sine commixtione viri et mulieris, ut esset conceptio sine peccatis, et tamen ut esset semen Abrahae et Davidis; sumpta est massa sanctificata per Spiritum sanctum ex virgine. Eam massam assumpsit Filius, et univit sibi unione personali: Sed de istis arcanis mysteriis non possumus multa loqui. Consideremus nos causas, quare filius Dei missus sit, cogitemus de ira Dei adversus peccatum; cogitemus de remissione peccatorum, de instauratione naturae nostrae de copulatione nostri cum Christo; de restitutione iustitiae, de quotidiana conservatione Ecclesiae, et exerceamus hanc fidem in invocatione, tunc proficiemus utcunque in cognitione, quia ista non discuntur sine aliqua experientia, sine invocatione, iuxta dicta: *Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.* Item: *Petite et accipietis.* Item: *Habenti dabitur.* Quando non volumus exercere illa dona, tunc amittuntur. Haec saepe auditis: vos cogitatione horum accendite corda ad precationem, petite, ut illucescat vobis haec cognitio, et agite gratias pro illo tanto beneficio, et pro caeteris beneficiis omnibus.

EXCERPTA EX ALIORUM ANNORUM PRAELECTIONIBUS.

Saepe cogitandum est hoc dictum: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, ut destruas inimicum et ultorem.* Non potest autem magnitudo copulationis divinae et humanae naturae comprehendi ab ulla creatura, sed est tamen revelata Ecclesiae, et illustribus testimoniis confirmata. Eam igitur sonemus, ut infantes et lactentes, et assidue petamus, ut Deus accendat et confirmet in nobis illam lucem fidei, ut certo statuamus, Filium Dei esse Dominum nostrum Iesum Christum, in quo foedus illud factum est mirandae copulationis divinae et humanae naturae.

Res ipsa tam magna est, ut, etiamsi totus mundus, omnes angeli, et omnes homines essent unus intellectus, tamen non possent illam magnitudinem comprehendere. Ideo dicitur in Propheta Haggaeo: *Adhuc semel, et movebo coelum et terram.*

Coelum movebo, id est, mittam filium in carnem. *Movebo terram*, partu Virginis faciam quiddam, quod est extra ordinem naturae. Illam sapientiam contemplabimur in tota aeternitate. Nunc discamus prima elementa, et ideo discamus, ut confutemus sapientiam Diabolorum, qui adversantur isti Filio; et ut confirmemus nos adversus illorum insultus. Dicamus primum de vocabulis quaedam Grammatica.

Primum hoc considerate, quod Deus mirabiliter implet promissiones suas. Fuit promissum, fore ut nasceretur Christus in Bethlehem, et ex stirpe David, utrumque mirando modo perficitur; Christus nascitur quidem in Bethlehem, sed concipitur in Galilaea, in exilio. Accidit Iosepho et Mariae, quod usitate fit in Ecclesia: crebra sunt enim exilia Ecclesiae omnibus temporibus. Quare? Respondeo. Ut nos commonefaciant de primo exilio Adam et Evae. Hi post lapsum facti sunt exules, sed filius Dei factus est exul propter nos, ut nos reduceret in aeternam et veram patriam.

Fuit olim usitatissimum, expellere Christianos magna multitudine ex urbibus. Ita autem expulsi saepe sunt, ut sint missae cohortes equitum, quae conculcarent senes, mulieres, et pueros, qui non poterant celeriter procedere.

Apud Eusebium est de Chaeremone, qui fuit Episcopus Aegyptius senex. Is cum coniuge anu antecessit agmen euntium in exilium, et cum non possent velociter procedere, immissis cohortibus: vidit populus eos subvehi in coelum, et auferri viventes. Credo hoc factum esse saepius. Deus dedit Ecclesiae multa testimonia.

Sic igitur isti boni homines habitarunt in exilio, in Galilaea; videlicet, parentes Mariae (qui adhuc fuerunt superstites, ut non dubium est) et Maria et Ioseph, qui fuerunt ex tribu Iuda.

Stirps et familia Davidica erat ignobilis iam, id est, inops, paupercula, ut videtis Ioseph esse fabrum: sed voluit tamen Deus sciri, quae esset stirps, propterea non est longum tempus a statu illo Davidicae stirpis, cum adhuc praefuit, et tenuit ducatum, id est, gubernavit, non Regis nomine, sed Ducis usurpato, videlicet proxime ante Maccabaeos: fuit intervallum annorum 160, aut circiter.

Tali tempore potest manere memoria alicuius familiae, et praesertim apud illos, qui fuerunt diligentiores in genealogiis numerandis. Vix est unus ex nobis, qui non possit recitare familiam suorum avorum: ego possum aliquanto longius dicere familiam meorum maiorum. Ita mansit memoria stirpis illius.

Hoc est primum in isto textu, quod Deus mirabiliter implet promissiones suas. Christus nascitur in Bethlehem, sed tamen postea quoque parentes eius redeunt in Galilaeam, in exilium.

Secundo, hoc est omnium mihi mirabilissimum, quod saepissime cogito. Cum in illa gente Iudaica vagarentur pessimi milites, ut Iudaici Apostatae, Syriaci, Arabes, Aegyptiaci, Parthi, Romani, tamen Deus custodiit istas familias, ut familiam Zachariae, familiam Mariae, quae virtute et forma fuerunt praestantes. Tales appetuntur a malis nebulonibus, tamen servabantur divinitus hae matronae et virgines. Ibi videtis, quod humana praesidia sint infirma sine auxilio divino, ut dicitur: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilant, qui custodiunt eam.* Et hoc exemplum attulit mihi saepe magnam consolationem: sicut Deus servavit tres viros in fornace Chaldaica: sic semper Deus servat Ecclesiam. Sed ignoramus, quomodo; Habemus tamen defensionem, sicut scriptum est: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.*

Scitis, quales motus hoc decennio fuerint in Germania, et tamen Deus sic servavit Ecclesiam: quanquam nostris peccatis irritamus iram Dei, ut metuendum sit, sequuturas esse poenas. Nos nimium sumus petulantes, attrahimus iram Dei multis modis, furoribus opinionum, furoribus ambitionum, cupiditate tumultuandi, lacerandi nos invicem, movendi Rempublicam, et privatim laxando frenum cupiditatibus, luxuriae, libidinibus, helluationibus. Istae sunt causae, quae urgent et attrahunt poenas.

Sed quaeso vos per Deum, sitis modestiores, et cogitate hoc mirandum et mirabile beneficium, quod aeternus pater mittit Filium, et gratias agite, quod non voluit genus humanum penitus perire. Non est, quod dicat mihi aliquis: Ista sunt exercitia puerilia, et non sunt iustitia: Verum est, non sunt iustitia, sed tua helluatio etiam non est iustitia: Ubi non est cogitatio de fide, ibi non est fides: Ubi est fides, ibi est mens ardens in cogitatione, et in deploratione infirmitatis propriae, videlicet, quod fides nostra adeo est imbecillis, languida, plena trepidationum: Non enim est tantum languida, sed etiam trepidat.

Ista possunt agnosci a sobriis, cum cogitant. Qui sunt ebrii, et aliis furoribus indulgent, non possunt ista cogitare: non debetis cogitare, fidem crescere sine cogitatione.

Vidi ego quassatas mota face crescere flammas:
Et vidi nullo concutiente mori.

Omnes notitiae, omnes virtutes crescunt agitatione. Nec obiiciat mihi aliquis: tu philosopharis, ista sunt philosophica: Deus dat, cui vult. Verum est, sed Filius Dei dicit: *Habenti dabitur.* Et amplius. *Qui non erat negotiatus cum suo talento, illi iubet eripi talentum.* Deus vult tales negotiationes, vult nos exercere data dona: et profecto mirabile opus Dei est, quod aliquid lucis habemus, et quidem multum lucis.

Si confertis scripta prioris saeculi ad haec

nostra, necesse est fateri, quod multum lucis Deus nobis dedit: sed quo plus lucis habemus, eo maior est negligentia nostra et ingratitudo. Interea rixamur de nugacissimis nugis inter nos, ut ille, qui dicebat, iniuriam fieri Christo, quod comparetur asino in die Palmarum. Sic certamus ambitione. Et de hac ipsa lectione, *χαῖρε κεχαριτομένη*, **fuit magnum et rabiosum certamen in Northausen. Aliquis sive inscitia, sive simplicitate dixerat:** ***κεχαρισμένη***, **est** ***gratia plena*****: alter dicebat** ***dilecta*****: Uterque erat asinus: Neuter intellexit vim vocabuli. Sunt duo distincta vocabula** *κεχαρισμένος*, **et** *ἠγαπημένος*.

Ἠγαπημένος **est dilectus, ab** *ἀγαπάω*, *diligo*: **pater aeternus diligit aeternum Filium: ideo dicitur:** ***Filius meus dilectus tu es.***

Diligitne Pater Filium ex misericordia?

Non, sed natura diligit filium. Est *στοργή*, **quam habet Deus erga Filium ex ipso genitum. Nos vero diligit ex gratia. Deus est essentia ordinata, et fons ordinis, et omnis boni. Sed vocabulum ipsum** *ἀγαπάω*, **sicut Latinum** ***diligo*****, est generale, sive ex debito, sive natura, sive ex alia causa benevolentiae.**

Aliud est *κεχαριτωμένη*, **id est,** ***dilecta ex misericordia.*** **Salve, inquit Angelus, quam diligit Deus singulari, seu excellenti misericordia. Hoc volebat ille, qui dixerat:** ***gratia plena.*** **Sed alter calumniose interpretatus est eius sententiam, quasi dixisset:** *Salve Maria, in qua nullum peccatum est, in qua sunt tantum virtutes.* **Hoc,** *gratia,* **non significat Latinis, sed faciebat iste ex mero odio, ut alterum vexaret. Male tamen et ipse interpretabatur; quia non satis est dicere dilecta, sed dilecta ex misericordia. Hoc proprie significat** *κεχαριτωμένη*.

Paulus eleganter et proprie et distincte est locutus, ut plerumque valde diserte est locutus. Dilexit nos ex gratia in eo, qui dilectus est natura, *ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ*. **Id cogita quotidie, quando dicis precationem: Ah Domine Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, exaudias, recipias me per misericordiam propter Filium, quem diligis. Et illustre testimonium contra phantasiam Osiandricam. Sicut ego sum usus hoc praecipuo testimonio contra Osiandrum. Est exilis Grammatica, sed magni momenti, et adfert dulcem consolationem bonis mentibus.**

Quid significat nomen Galilaeae?

Limitaneam, ***die grentze,*** **qui Galilaea fuit terminus Iudaeae, et fuit pulcher tractus.**

Quid significat Nazareth?

Significat surculum, ***ein schön gewechs, ein Zweig.*** **Totus ille tractus fuit amoenissimus. Non procul inde fuit Iericho, ubi fuerunt horti Balsami. In Galilaea non procul dissitae fuerunt Nazareth, Cana Galilaeae, Capernaum, et aliae urbes.**

Capernaum quid significat?

Idem quod vicus amoenus, ***schon dorff.*** **Nomina civitatum et aliorum locorum fere sumpta sunt ab amoenitate.**

Cana, est a *canna*: **habet nomen ab arundine, seu ab arundinibus. Ibi sederunt honesti illi homines in exilio: sicut Iohannes, Iacobus Maior, et horum parentes fuerunt in Bethsaida: et fuit Ecclesia dispersa, sicut nunc quoque est dispersa. Sadducaei, Pharisaei, Herodes, qui dominati sunt, non fuerunt Ecclesia. Sed fuit Ecclesia coetus aliquis visibilis recte sentientium, ut alias auditis.**

Quid significat Maria?

Aliqui dicunt significare ***doctrinam populi.*** **Alii,** *tristitiam populi*; **quia vocabula apud Hebraeos sunt cognata. Et sane Doctores sunt satis tristes et maesti, qui vera student docere:** *Sie leiden elend und betrübnus gnug.* **Maria refert Ecclesiam. Debemus audire Ecclesiam docentem, sed credamus verbo. Vult enim Deus esse ministerium. Iam considerate etiam tempus. Iste hodiernus dies 25. Martii, dicitur esse dies passionis Christi.**

Quotus annus mundi iam est?

5518 (scilicet anno currente 1556). Nullae literae sunt ullius gentis, in quibus sit servata annorum continua enumeratio, nisi in sola Ecclesia. Est testimonium, quod doctrina Ecclesiae sit antiquissima, et omnium aliarum gentium historiae sint recentiores. Quae quidem et testimonium dant,

quod historia Biblica sit vera, quia origines et nomina gentium concurrunt cum historia Biblica.

Dicunt, quod sit idem dies creationis hominis. Dicunt etiam eundem esse diem conceptionis et passionis Christi. Hoc anno congruit Pascha Iudaicum, in quo passus est Christus, cum die hodierno festi, id est, incidit in plenilunium. Semper pascha Iudaicum fuit in plenilunio. Et hic mensis est primus secundum antiquam anni rationem.

Quod fuit initium anni?

Proxima coniunctio verno aequinoctio fuit initium anni, sive antecedens, sive sequens. Hoc anno incidit in ipsum diem aequinoctii coniunctio, et fuit praeterea horribilis congressus Saturni, Martis, Veneris, et Mercurii, Solis et Lunae. Deus adsit nobis. Profecto ista coniunctio tetra, minatur nobis horribiles confusiones. Deus servabit Ecclesiam suam. Erunt tamen magni motus, quantumvis nobis promittamus securitatem et defensionem. Accedit etiam Cometa. Sed redeo ad descriptionem temporis.

Hic dies est insignis, videlicet propter memoriam creationis hominum, et lapsus, et admirandae promissionis editae, *Quod semen mulieris conculcabit caput serpentis.* Ibi Adam fuit in morte: imo sensit mortem horribilius, quam ullus homo, quia Adam fuit typus Christi. Hoc eodem die Filius Dei conceptus est, et hoc die passus est. Hodie Filius Dei fuit in tanto dolore, ut clamaret: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti.* Quantum hoc sit, est ineffabile, sed quo maiora et minus perscrutabilia ea sunt, eo magis clamemus, ut Deus nos doceat, et confirmetur in nobis fides.

Non simus ita furiosi, ut de tantis rebus non velimus cogitare et indulgere furoribus, cum sit in conspectu, quantae res hodie factae sint. Non cogitemus fuisse ludum, cum Filius Dei ita clamavit: simus modesti, cogitemus esse ingentem iram Dei adversus peccatum, quod alio modo noluit placari, nisi in Filio. *Dedit Filium unigenitum pro nobis,* ut textus dicit. Haec sint dicta de Grammatica et de tempore.

De historia non possumus multa dicere, sed petamus, ut fide nostrae mentes confirmentur, et agamus gratias pro illo ineffabili bono, quod Deus sic colligit et servat Ecclesiam misso Filio suo inde usque ab initio. Sed tamen quaedam cogitanda sunt de causa copulationis humanae et divinae naturae in Deo. Stanckarus scribit: Quid multum disputas de causis copulationis? Deus potuisset redimere genus humanum misso angelo, vel homine: sed non simus ita prophani. Causas perfecte in illa aeternitate discemus. Nunc initia aliquo modo cogitanda sunt.

Quae est prima causa, quare decretum hoc factum sit, ut Filius assumeret humanam naturam?

Quia, nisi hoc decretum factum fuisset, ut Filius assumeret humanam naturam, generatio hominum funditus periisset. Filius est vita et vivificator: In ipso erat vita. Item, per Filium omnia condita sunt. Gloriottus, qui est Lipsiae, dicit: *Pater non est creator,* quia textus ait: *Per Filium omnia condita sunt.* Si nulla haberemus alia peccata, nisi petulantiam sermonis, satis esset causae ad puniendas totas gentes.

Per, quid significat, vel διὰ Graecum, quod est significantius?

Διὰ significat *per*, tamquam medium. Aeternus Pater, Filius, et Spiritus sanctus simul creant, sed illo ordine, ut aeternus Pater dicat decretum creationis per Filium, dicendo creat per Filium. *διὰ* significat medium et instrumentum. Si *ὑπὸ* esset, significaret totalem causam: sed *διὰ* significat medium. Debetis observare eiusmodi cavillationes, ut eas refutare possitis, et ab iis abhorreatis, et confirmemini in vera sententia. Non sunt parva peccata: Est maius peccatum, ita ludere et cavillari, quam furari bovem, aut aliquot florenos: Quamquam illa etiam sunt peccata: tamen haec sunt maiora. *Non habebit Deus insontem, qui in vanum usurpaverit nomen eius.* Rursus veniamus ad primam causam: Quod tu es aliquid, eo es: quia est decretum factum, ut Filius Dei assumeret massam humanae naturae; et nisi decretum hoc factum fuisset, tota natura humana redacta esset in nihilum, funditus periisset. Idem est, quod Paulus ait: *Omnia in eo consistunt vel subsistunt*: id est, durant. Quod tu es aliquid, quod est Ecclesia, quod est genus humanum, eo est; quia Filius Dei assumpsit humanae naturae massam. Propter hanc, reliqua massa servatur. Nos sic servamur, quia inserimur isti massae, ut dixi in versibus:

Nil sum, nulla novi solatia, massam
Humanam nisi quod tu quoque Christe geris.
Tu me sustenta fragilem: tu Christe guberna:
Fac, ut sim massae surculus ipse tuae.

Hanc precationem semper cogitemus. Ideo vivis: loquor, non tantum de corporali, sed de spirituali vita, quod es insertus Filio, qui assumpsit nostram massam, et quod ille te vivificat. Ita vivemus in tota aeternitate inserti massae ipsius per fidem. Ista pie cogitanda sunt; sed non possunt cogitari, nisi mentes sint compositae ad cogitationem. Huius primae causae quasi declarationes sunt aliae causae.

Est igitur secunda causa, quia congruebat aliquem ex genere humano luere poenam. Cum genus humanum lapsum esset, congruebat, Mediatorem esse talem, qui esset ex genere humano, et qui esset innocens, et qui sustineret poenas, ut ipsius innocentis poena esset λύτρον pro aliis. Ideo Paulus ait: *Adam est typus futuri Adami.* Ut propter Adam caeteri sunt rei; ita propter Filium sumus dilecti. Diligimur, recipimur, acceptamur iusti propter iustum filium: Iustificationem sequitur sanctificatio et novitas. Sic igitur dico: Congruebat, ut Mediator esset aliquis ex genere humano; quia Deus voluit esse aliquem ex genere humano, qui sustineret poenam, et qui satisfaceret iustitiae divinae. Deus salvat nos, sed ita, ut habeat rationem suae iustitiae. Ἐπιείκεια, seu dispensatio non debet esse dissipatio. Igitur compensatione aliqua Deus voluit satisfieri suae iustitiae. Iam cogitate ulterius.

Quare Mediator est Deus?

Scilicet, ut sit pretium aequivalens. Hoc est exaggeratum ab antiquitate: Cogitarunt omnia peccata in mundo esse minora illo pretio, quod Filius praestitit pro nobis. Anshelmus pulchre commoratus est in illo affectu: In hoc commoremini et vos, et haec est tertia causa.

Quae est quarta?

Quia nulla creatura potuisset sustinere iram Dei. *Deus ignis consumens est.* Quando Deus effundit iram suam, tunc creatura perit ac moritur; ut Adam coepit mori, quando Deus eum coepit arguere, et mansisset in morte, nisi vivificatus fuisset iterum per Filium. Sensit se vivificari audita promissione. Hoc est ergo, quod dico: Nulla creatura potuisset sustinere iram Dei. Christus ipse sudavit sanguinem sine violentia externa. Nemo hominum adeo robustus est, qui posset vivere facta tanta cordis commotione et laceratione, ut sudaret sanguinem. Filius Dei sentit iram adversus nostra peccata. Cogitate ingentem humiliationem. Filius Dei iacuit prostratus coram patre, quasi ipse contaminasset se tuis et meis peccatis. Hoc tam mirandum est, ut non subeat humanas mentes, quia dicitur: *Factus est pro nobis peccatum et maledictum.* Illa pie cogitanda, et pondera verborum consideranda sunt.

Quinta quae est?

Haec multas complectitur. Ille mediator non est tantum redemptor, sed etiam salvator. Redemptor est, quia persolvit pretium: Salvator, quia reddit iustitiam et vitam aeternam. Adest Ecclesiae, protegit et conservat Ecclesiam. Filius Dei assumens massam humanae naturae, ideo assumit, ut deleat peccatum et mortem, quod non potest facere ulla creatura. Hoc didicit Adam in prima promissione, et ego credo, quod in prima solitudine Filius Dei cum eo saepe collocutus sit, et docuerit eum illam planius. *Semen mulieris conculcabit caput serpentis*, id est, destruet regnum et potentiam Diaboli; tollet peccatum et mortem. Ut illa persona ergo tollat peccatum et mortem, oportet in eo esse omnipotentiam: Quia natura humana non potest tollere peccatum et mortem. Sola humana natura non potest hoc efficere.

Cogitate hoc dictum, quod est apud Esaiam: *Patres tui*, inquit, *non potuerunt te salvare: Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me. Tu me in peccatis tuis servire fecisti*, scilicet redimendo in passione. *Ego deleo*, scilicet salvando: Tollam peccatum, primo imputatione iustitiae et inchoatione novitatis, postea consummatione.

Prophetae quando de hoc beneficio loquuntur, comprehendunt integrum beneficium, ut Daniel dicit: *Adducetur aeterna iustitia.* Osiander exponit: *adducetur Deus ipse.* Sit ita sane, sed loquitur Daniel de toto beneficio Christi. Non volunt Prophetae, quod simus iusti propter nostram iustitiam, vel iustitiam essentialem Christ, vel propter novitatem: sed quod simus dilecti in dilecto, id est, simus iusti propter obedientiam Filii in hac vita: et quamquam inchoatur in nobis nova iustitia, tamen illa demum erit integra, seu perfecta in aeternitate, in qua Deus erit omnia in omnibus. Sicut Paulus dicit: *Nunc expectamus spiritu ex fide iustitiam*, scilicet integram, seu consummatam.

Hoc tantum beneficium reddit nobis iste Filius Mediator, et isto ordine reddit. In hac vita habemus remissionem peccatorum; reconciliationem per misericordiam propter Filium: Sumus propter obedientiam Filii accepti et iusti: Postea consequimur initia renovationis. Post hanc vitam Deus erit

omnia in omnibus, id est, plenitudo iustitiae erit in nobis.

Idem etiam dicitur in hoc textu: *Regni eius erit finis:* id est, ipse reddit iustitiam et vitam aeternam, sed imputative primum: postea per novitatis inchoationem in hac vita, tandem consummative in altera vita.

Propter unius obedientiam iusti constituentur multi. Est verbum forense: id est, Pii placent in hac vita propter obedientiam Filii fide, et haec ipsa fides est initium vitae aeternae, Deo per Filium vivificante corda, ut dicitur: *Ego vitam aeternam do eis.* Item Paulus inquit: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum; Spiritus est vita*: scilicet per fidem intuentem obedientiam mediatoris.

Post hanc vitam erit Deus omnia in omnibus. Nunc est simul peccatum in nobis: Ergo iam nondum est omnia in omnibus, quia Deus non vult peccatum. Est in nobis ingens peccatum, ingens imbecillitas. Non cogitate illos tantum habere peccata, qui grassantur externis sceleribus. Satis est in nobis peccatorum. Etiamsi illa similiter non sunt in omnibus; tamen est ingens imbecillitas etiam in illis, qui excellunt virtute, ut in Davide, Abraham, Moise. Illi dicunt: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et Iob: *Vere scio, Domine, quod non sit iustus coram te*: sed sumus iusti propter Filium. Post hanc vitam erunt in nobis in tota aeternitate, vita, iustitia, laetitia, lux perfecta et integra.

Cogitate, quam procul ista posita sint extra conspectum humanae rationis: sed verbo divino nos sustentemus, iuxta dictum: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*

Istas causas copulationis divinae et humanae naturae in Christo cogitate. Et cum sit tanta nostra imbecillitas, et assensio sit languida et trepida, clamemus assidue: *Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae*, quod saepe dico, et propterea dico, ut assuefaciatis vos ad hanc precationem.

Debetis quoque recitare Symbolum Apostolicum, et in ea recitatione opera Dei considerare, et petere, ut augeatur fides. Multi sunt, qui non possunt recitare Symbolum. Boni adolescentes quotidie debent recitare Symbolum, et clamare: *Domine, adauge nobis fidem.* Tu Deus dedisti nobis initium, da etiam incrementum. Sic inquit Paulus: *Deus est qui, cum effecerit, ut velitis, etiam perficiet, ut possitis, ut aliqua bona fiant ipsi grata*: id est, cum dederit vobis initia, et vocaverit vos ad societatem doctrinae, et lucis Evangelicae, vult ea perficere. Certe non frustra vocavit, dedit talentum; vult, ut negotiemini: Ideo dicit: *ut perficiatis.* Quamquam fides concutitur et oppugnatur a Diabolo, et est per se imbecillis, tamen Deus augebit fidem, confirmabit aliquos; quia vult servare Filio Ecclesiam: et Filius non frustra venit. Sedet etiam ad dextram Patris, dans dona hominibus, sed dat petentibus. Non simus tam efferi, ut nolimus petere.

EX PRAELECTIONE ANNI 1560.,

qui fuit annus mortis D. Philippi.

Quae doctrina discernit Ecclesiam a reliquis gentibus?

Doctrina de Filio Dei. Doctrina legalis est aliquo modo nota hominibus sanis omnibus, non furentibus; quia sunt quidam radii illius sapientiae, quae est Lex, sparsi in mentes in creatione. Sed hoc consilium, quod Deus velit recipere humanum genus; et ita velit recipere, misso Filio, qui sit constitutus reconciliator et propitiator; et quod Filius ille sit λόγος aeterni Patris, qui assumta humana natura ex virgine natus sit, est inenarrabilis sapientia, vel potius incomprehensibilis omnibus creaturis. Ideo debemus petere ardentibus votis, ut hic ipse Filius nos doceat, sicut dicit: *Nemo novit patrem nisi Filius: et nemo novit Filium, nisi Pater, et cui voluerit Filius revelare.* Petamus ergo; ut nos doceat, et clamemus assidui ad eum, sicut iussit: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos.*

Ista sapientia maior est, quam doctrina legis: quamquam ea quoque est valde pulchra. Sed ista sapientia est supra captum humanum, quam contemplabimur in tota aeternitate. Vult tamen Deus nos initia discere in hac vita. Dicit aeternus Pater: *Hic est Filius meus dilectus, quo delector, hunc audite.* Ista mandata teneamus, et obsequamur his, et sicut infantuli sedent inclusi in utero matris: sic muniamus nos verbo contra insidias Diaboli, quae magnae et horribiles fuerunt inde usque ab initio generis humani.

Quomodo Cain defecit a Patre: nonne fuit sapiens? Certe eius posteritas invenit varias artes?

Respondeo. Fuit excellenter sapiens; sed quando audivit ex patre: *Semen mulieris conteret caput serpentis,* cogitavit esse phantasiam.

Quale est hoc? cogitavit, quod Deus non vult placari, nisi talis hostia interficiatur?

Ita defecit abiecta doctrina de Filio Dei.

Quid accidit postea post Moisen et prophetas, quando Pharisaei, et Saducaei dominati sunt?

Etiam repudiarunt hanc doctrinam; putarunt esse mirabiles et prodigiosas opiniones. Ratio non potest aliter iudicare, et Diabolus incitat. Extinxerunt igitur promissionem, retinuerunt aurea quaedam somnia. Venturum quendam Dominum, qualis erat Alexander: et fore Iudaeos tam potentes, sicut tunc erant Romani: Sicut nos habemus tales imaginationes: Nos Evangelici regnabimus, repressis regibus, et erit pulcher status.

Talia somnia delectant animos. *Quod volumus, libenter credimus,* inquit Iulius Caesar. Et est Demosthenis dictum: *ἅπερ βουλόμεθα, ταῦτα πιστεύομεν. Quo cor est inclinatum, eo opinio propendet etiam.* Ita Virgilius inquit:

Credimus, an qui amant ipsi sibi somnia figunt?

Scitis querelam pastoris in Petrarcha:

Aeternum gemat, ille miser, pastoribus aulae,
Qui primus mala dona dedit.

Venit pastor in aulam, aliquis donat ei speculum, in quo se contemplatur; Putat se esse pulcherrimum. Incipit amare in gynaeceo, et postea deiicitur de gradibus. Illa sic fiunt in parvis et magnis rebus: Qua opinione aliquis delectatur, illam mordicus defendit. Accedit Diabolus, qui istos errores confirmat adversus Deum.

Quid est totum regnum Mahometicum, nisi blasphemia in Filium? Hic est enim nervus illius regni, quod Christus non sit Deus, et non sit redemptor generis humani: Tollit personam et officium: id est, tollit ea quae sunt propria personae et officii. Tollit illa verba: *Qui est imago, character, ἀπαύγασμα Patris, sustentans omnia.* Item illa verba: *Et verbum caro factum est.* Tollit verba: *Iustificati fide, pacem habemus per ipsius sanguinem.*

Hoc ipsum igitur est regnum Mahometicum. Sublato hoc articulo, nullum est discrimen, inter Christianam et Mahometicam doctrinam.

Ante illud regnum videtis labefactatum esse illum articulum, tempore Apostolorum ab Ebione, Cerintho, Samosateno, qui fuit eloquens, et ista pulchre pinxit. Deinde ab Ario et Nestorio. Anno 273 Christi, Samosateni dogma sparsum est tempore Valerii Aureliani.

Quae fuit occasio Samosateno tollendi illum articulum?

Samosatenus fuit familiaris Zenobiae. Illa Arabica mulier, erat instituta in secta Iudaica, didicerat enim Iudaicam doctrinam. Postea venit in eius amicitiam Antiochenus Episcopus, Samosatenus. Is, ut eam inflecteret ad Christianos, quorum volebat habere studia contra Romanos, coepit facere chaos ex Christiana doctrina et Iudaismo. Ista confusio est nata in aula Zenobiae reginae, quae Syriam et Antiochiam tenuit, et exercitus duxit. Tandem victa ab Aureliano Imperatore, in triumpho ducta est Romam.

Homines callidi inflectunt se ad aularum voluntates. Pingunt, mangonizant illa, quae sunt grata Dominis.

Prima sit igitur cura, ut vos muniatis testimoniis de divinitate Christi, et humana natura assumpta: Deinde accedat precatio.

Quibus testimoniis confirmas te, quando dicis: *Omnipotens, vive, et vere Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor et conservator rerum omnium, una cum Filio tuo, Domino nostro Iesu Christo et Spiritu Sancto.* Quia nostra invocatio debet esse distincta ab invocationibus gentium, Mahometistarum, Iudaeorum.

Quae cogitas testimonia?

Da mihi testimonium perspicuum, quod in Christo sint duae naturae, quod *λογος* sit *ὑφισταμενος*, non verbum evanescens. Quando Iohannes inquit: *Verbum factum est caro.* Samosatenus dicebat: *verbum*, id est, ille sermo tandem est completus, ut, si tibi promitterem librum Homeri, et darem, sermo esset res. Sic ille eludebat. Sicut postea Nestorius: *Sermo est vox aliqua, non ὑφιστάμενον.* Haec vox adest, sicut lumen in mente illius hominis Christi, et regit eum: Est quaedam sapientia maior, quam aliorum hominum. Quando homines astuti in aliquam rem incumbunt, possunt extruere mirabilia, ut nostro tempore fecerunt Servetus, et Coniza, et alii valde multi.

Proponite vobis illa testimonia, quae affirmant esse Filium Dei ante assumptam humanam naturam. *Antequam Abraham erat, ego sum.* Et Paulus expresse dicit, *Christum adfuisse patribus in deserto.* Et Iacob: *Benedicat Dominus pueris his, et angelus qui me eripuit ex omnibus malis.* Irenaeus: *Semper adfuit generi humano λόγος Filius Dei, regens, sustentans.* Illa testimonia cogitate in invocatione. Item: *Ab initio egressus eius ante dies mundi.* Multa talia testimonia recitamus in festo, quo celebratur recordatio nativitatis Christi, quae debent esse nobis in conspectu.

Postea sumite testimonia, quod Filius Dei sit natura Deus. Iohan. 1, *Verbum erat Deus.* Rom. 9, *Qui est Deus benedictus in saecula.* Item sumatis illud usitatissimum: χριστὲ ἐλέησον.

Potestne videre corda, si non est omnipotens?

Non. Illa invocatio est testimonium, quod ille Christus sit Deus. Iste est magnus articulus. Non est disputatio de linea veste. Munite vos his testimoniis. Omnia dicta de omnipotentia et invocatione huc pertinent: *Ego vitam aeternam do eis.* Item: *Quae Pater facit, ego facio.* Ideo sunt tenenda haec testimonia, ut possimus alacrius accedere ad Deum in invocatione, statuentes vere nos exaudiri, et hanc esse eius omnipotentiam, quod videat corda, sicut dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos.* Hoc quoque est omnipotentiae.

Iam quaedam in textu consideremus.

Ante triennium in oppido Northusen, quidam retinuerat haec verba: *Ave gratia plena.* Est reprehensus ab altero concionatore, qui est vere μωρόκακος. Statim exagitavit eum, et nominavit illum alterum, *den Ave Marien prediger.* Disputavit: Maria non est plena gratia, sed solus Christus est plenus gratia. Neque ille candide fecit, quod illum sic reprehenderit; neque alter, quod non adhibuerit diligentiam, qua inquireret, quid vocabulum significaret.

Germanicum vocabulum *Gnade* significat favorem, et quidem gratuitum favorem. *Es ist gnade, es ist nicht schuldt oder pflicht. Zu hoff sagt man, Mein gnediger Herr, wil dir diese gnade thun, und wil dir das schencken*, id est, *Er ist dirs nicht schuldig.*

Gnade, est a *gonnen*, et sumitur ex Hebraea origine, *Chen.* Et vocabulum Hebraeum alias vertitur *misericordia*, alias *gratia.* Oportet autem videre, quando vocabulum gratiae significet active, quando passive. Quando Latine loquimur, gratia significat tantum passive. Ista puella est gratiosa, id est, amabilis, passive significat. Hic quoque dicitur Ave, κεχαριτωμένη, id est, *dilecta per misericordiam.*

Semper autem cum favore illo Deus etiam hominem ornat multis donis.

In Syracide ponitur hoc verbum κεχαριτωμένος, alioqui non saepe reperitur. Si observassem, potuissem forte invenire alicubi in Prophetis, Κρήσσων ὁ λόγος ἢ δόσις, id est, quando aliquis dat eleemosynam cum bono sermone, cum suavitate, sermo gratior est, quam res donata: ut quando Alexander praebibit militi. Cum miles attulisset caput interfecti hostis, et dixisset: *Rex, apud nos est consuetudo, ut is, qui adfert caput hostis interfecti, donetur aureo poculo:* Alexander videns, iubet infundi vinum in poculum aureum: *Sed illi,* inquit, *vacuum dant, plenum ego.* Fuit lepos, et multo gratius fuit militi, quod praebibit ei, quam aurum. Quando aliquis dat cum exprobratione, est grave, χαρίτων δέ τε θυμὸς ἄριστος. Hoc quod datur a benevolo, est multo gratius, quam quod datur ex tristitia, vel significatione animi alienati. *Wenn mir einer nicht gern ein freundtschafft erzeigt, der lass es nur anstehen.*

Postea addit Syracides, ἀμφότερον δὲ ἐν τῷ κεχαριτωμένῳ, id est, in eo, qui est ornatus suavitate. Hic intelligitur de dante, qui habet suavitatem. Illi, quibus est otium, quaerant alia exempla, et mihi monstrent, erit mihi gratum beneficium.

Quid est χαῖρε εὐλογημένη?

Benedicta, *gesegnete. Segenen* significat *gaben geben:* quia dat Deus dicendo, a *sagen.* Sed vox ipsa, *sagen,* est Hebraea: ut Sacae, unde Saxones dicuntur, significant vel vatidicos, vel aequales, *freie leutt. Segnen* intelligas favorem cum donis, sicut vocabulum *gratia* usurpatur, ut significet favorem cum donis. *Non ego [illegible], sed gratia, quae in me est,* inquit Paulus.

Oportet considerare, ubi vocabula significent relative, ubi res datas, ubi utrumque. Hoc igitur dicitur ab Angelo: *Salve benedicta*: id est, ornata multis ingentibus donis. Iacob precatur: *Benedicat Deus pueris:* id est, det eis dona sua. Idem Iacob orat fratrem suum Esau, *ut accipiat de illa benedictione*: id est, donis. Salomon: *Oculo benedicenti, benedicetur:* id est, Oculo liberali. *Deus dat danti.*

Castalio vertit: *In semine tuo fortunabuntur omnes Gentes.* Vult Romane loqui; sed quam Romane loquatur, nescio. Vetustas non est ita locuta. Rectius est: *In semine tuo benedicentur:* id est, diligentur, recipientur, et accipient bona, iustitiam et vitam aeternam: Sicut Paulus etiam inquit: *Per Christum habemus gratiam, et donum per gratiam:* id est, acceptationem gratuitam. Relative intelligatur, postea accedunt dona.

Explicatio dicti Esaiae.

In Esaia dicitur: *Gratis venumdati estis: gratis redimemini: Ergo si sumus gratis redempti, non fuit opus λύτρῳ, vel compensatione aliqua. Cur igitur Christus ipse nominat se λύτρον? ponet animam suam λύτρον?* Respondeo. *Gratis redimemini,* scilicet respectu nostri pretii. Deus voluit ostendere et misericordiam, et iustitiam. Iustitiam, quia non remisit peccata sine compensatione: id est, sine filii intercessione et obedientia. In eo ostendit iustitiam, quod vere irascatur peccato, et non recipiat nos miseros, nisi persoluto pretio, nisi illa pactione compensationis, ut Filius sustineat poenam pro genere humano: Quia Lex Dei est immota et aeterna sapientia. Omnis autem Lex obligat, vel ad obedientiam, vel ad poenam.

Sed cur dicit Esaias, *Gratis venumdati estis?*

Quia Diabolus ut praedo, eripuit genus humanum, Deo nihil dedit. Homini etiam nihil dedit, occidit eum. Ita homo gratis est venumdatus.

Commendatio dicti Paulini:

Iustificati sanguine eius.

Semper sit in conspectu dictum: *Iustificati sanguine ipsius.* Non habeo aliam consolationem praesentiorum, quam oppono Mahometicis impietatibus et meis dubitationibus. Sunt autem tria verba: Potestis facile meminisse, cum dicitur: *Sanguis Domini nostri Iesu Christi mundificat nos ab omnibus peccatis:* idem est: Sed illa brevitas dulcis est. Illa tria verba destruunt potentiam Diaboli grassantis adversus nos.

Est mirabile temperamentum iustitiae et misericordiae. Deus vult hunc Filium esse victimam. Hoc omnes Prophetae dicunt, praesertim Esaias: *Cum ponet animam suam hostiam pro peccato, videbit semen longaerum.* Aliquae insignes sententiae debent esse in conspectu, ut sint quasi baculi, qui sustentent vos.

Misericordia est, quia applicat nobis illud sacrificium, illam compensationem: mittit propter nos Filium suum, ut recipiat nos, et applicet nobis illius merita.

Istud argumentum usitate ponunt Scholastici, quando de satisfactione loquuntur:

> *Deus est iustus et misericors:*
> *Ordo iustitiae est solvere poenam aliquam:*
> *Ergo necessaria est poena, quam ipsi nominant Canonicam.*

Deus non ex levitate, aut futilitate remittit peccatum, sed constituit hoc pretium. Respondeo. Nego consequentiam, quia plus est in conclusione, quam fuit in praemissis. Deus est iustus, verum est, Minor. Ordo Iustitiae est solvere poenam. Concedo. Sed quae est illa poena? An satisfactio canonica? Non sed mors Filii.

Estne verum, quod Osiander dicit, nos iustificari Iustitia essentiali Christi?

Ista Osiandri pugnant cum textu: *Iustificati sanguine eius.* In altera vita verum erit, quod dicit Osiander; sed in hac vita sumus iusti imputata iustitia. Inchoatio novitatis est exigua in hac vita; Manebit tamen in tota aeternitate, quod reconciliati sumus propter Filium Dei. Postea erimus donati illa nova veste, sapientia, et iustitia integra, cum erimus toti templum Dei.

DOMINICA PALMARUM.

Evangelium Matth. 21.

Et cum appropinquassent in Bethphage, etc.

Est haec vetus consuetudo, quod hoc tempore in Ecclesia proponitur commonefactio de mirabili consilio et opere Dei, quod voluit redimere genus humanum, derivata ira adversus peccata generis humani in hostiam innocentem, videlicet in filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui morte sua, tamquam compensatione debita, satisfaceret iustitiae Dei.

Nec est dubium, quin inde usque ab antiquissimis temporibus doctrina de hoc mirando opere

certis ceremoniis commendata sit patribus circa hoc tempus anni. Nam de agno paschali constat, quod ab Israelitis ex Dei mandato mactabatur hoc ipso tempore.

Hic ritus fuit servatus in Ecclesia populi Iudaici annos 1500, et aliquanto amplius, et congruit pictura agni Paschalis cum archetypo, id est, cum passione et morte Christi. Congruit tempus passionis Christi cum tempore typi. Christus enim oblatus est eo tempore, quo solenne erat mactari, et edi agnum Paschalem. Et quod dignum est consideratione, Christus vero die paschatis, et comedit pascha, et passus est.

Sed credo fuisse aliquas solemnitates apud patres, etiam ante eductionem populi ex Aegypto. Puto Isaac eo tempore ductum esse ad montem Moriah, ut mactaretur. Ideo decet nos meditari magnitudinem huius operis istis diebus; quia, etsi omnibus temporibus et momentis cogitandum est hoc tantum opus, quo nullum est admirabilius, tamen ut natura hominum amans est ordinis, et meditatio magnarum rerum exuscitanda est externis quibusdam adminiculis: Sic pium est, hoc ipsum tempus tribuere cogitationi tanti operis.

Non simus ita barbari et agrestes, ut veteres mores Ecclesiae contemnamus. Cogitemus, non tantum in novo Testamento celebrari memoriam passionis Christi hoc tempore, sed antea quoque in veteri Testamento per signa aliqua, mentionem factam esse victimae circa hoc tempus.

Est et hoc pulchrum, cogitare quod Christus hodierna die ingressus est cum pompa aliqua in urbem Hierosolymam, quo agnus Paschalis secundum legem a Deo latam, segregandus erat a reliquo grege.

Nam Moises praeceperat Iudaeis, ut die 10. primi mensis agnum separarent a grege, et seorsim servarent, usque ad diem mactationis. Intercesserunt igitur dies 5 ab hoc ingressu Christi usque ad postremam eius passionem.

De Grammatica significatione vocabulorum, quae sunt in hac historia, diximus prima dominica Adventus, nec est inutile, paucis repetere illa; quia multae historiae possunt rectius intelligi, et commonefactiones inde sumi de rebus dignis consideratione.

Grammatica Explicatio praecipuorum membrorum textus.

Bethage quid fuit, et unde est hoc nomen?

Respondeo. Fuit Bethphage locus non procul a Hierosolymis, et significat domum grossorum, seu olynthorum. Grossi, Graece ὄλυνθος sunt primae ficus, quia ficus arbor duplicem fert fructum: primum ficus praecoces, initio Veris, et postea in Augusto ficus generosas. Puto ipsum nomen Ficus esse ab Hebraeo *Phage.* Et quamquam in locis horridioribus non omnes ficus sunt biferae: tamen in regionibus foecundis pleraeque ficus bis proferunt quotannis fructus: Sed primus fructus (id est, ὄλυνθοι, seu grossi) non est tam suavis, quam qui postea nascitur in aestate.

Haec est imago Ecclesiae, quae bis parit; primum regit aliquos disciplina: postea gignit veram sobolem, videlicet sanctos, qui vere sunt conversi ad Deum. Aliqua pars Ecclesiae est populus legis, hoc est, qui utcunque reguntur et coercentur doctrina, et disciplina externa. Altera pars Ecclesiae est novus populus, qui habet inchoatam lucem, et vitam aeternam.

Populus Israel, quod ad externam politiam attinet, erat Bethphage. Ad hunc populum missus est Christus, imo propter Christum constituta est illa politia, et conservata usque ad adventum Christi: Ideo ex Bethphage iubet ad se adduci asinam, cui insidet: quia debuit certum esse, ubi exspectandus esset Messias, qui ministerium Evangelii reparaturus esset, per quod regenerentur homines, et vivificentur, ut sanctificati per Spiritum sanctum haberent initia lucis, et vitae aeternae

Indocti sentiunt, grossum significare ficum immaturam. Sed non est. Nam grossus est ficus sui generis, etsi non tam suavis, quam est alter fructus, qui postea nascitur.

Quid significat, castellum, quod contra vos est?

Respondeo. *Contra,* significat hoc loco, situm, non hostilitatem; *Quod contra vos est,* id est, quod est vobis in conspectu, non quod est inimicum vobis, ut quidam exponunt.

Asina et pullus, significant Filium Dei colligere sibi Ecclesiam ex Iudaeis et gentibus, item, ex senibus et iuvenibus.

Euntes solvite.] Sic argumentor:

Sumens sine voluntate domini, malefacit:

Isti sumunt sine voluntate domini:

Ergo male faciunt: Vel potius, quia a Christo iussi sunt hoc facere, peccavit Christus ipse.

Ideo accommodate argumentum ad Christum ipsum:

Invito domino non sunt alienae res contrectandae:

Christus iubet adduci asinam, nec petit a do-

mino, nec promittit mercedem; sed dicit: tantum dicatis; Dominus his opus habet: Ergo Christus peccat.

Respondeo ad Minorem: Christus est Dominus et Rex illius populi. Habet autem Rex potestatem sumendi ex facultatibus subditorum ea, quae pertinent ad expedienda negotia regni. Ita Christus utitur asinis, tamquam re necessaria in officio suo. Facultates subditorum sunt distinctae a facultatibus dominorum, sed tamen Reges, Principes, magistratus habent potestatem sumendi stipendia ex facultatibus subditorum: item utendi rebus subditorum necessariis ad administrationem. Interim non sunt omnia Regum, neque omnibus temporibus. Praeceptum divinum: *Non furtum facies,* obligat omnes homines. Ideo peccat Magistratus sumens ex facultatibus subditorum, quantum libet, sicut in multis principibus est βουλιμία, quae est signum postremae aetatis mundi.

Quid significat βουλιμία?

Respondeo est illa fames, quae vocatur fames canina, id est, fames inexsaturabilis. Et est nomen morbi, quo qui laborant, etiamsi multum ingerant, tamen adhuc semper esuriunt. Talis est βουλιμία in multis gubernatoribus. Auferunt ex bonis subditorum, quantum possunt; et tamen omnia illa non sufficiunt eis. Non saturantur. Deus non benedicit eiusmodi expilationibus.

Christus est verus et legitimus rex istius populi; sed non voluit uti administratione politica. Utitur autem regno, ad quod est missus, et ad hoc iuvandum poscit sibi mitti asinam. Haec est una solutio.

Altera solutio est: Omnes homines debent adiuvare ministerium Evangelii, quantum omnino possunt. Debet catechumenus officium illi, a quo docetur. Ergo etiamsi non voluisset usurpare ius regis, tamen ut Doctori Ecclesiae debebatur officium, quo poterat iuvari ministerium.

Paulus inquit: *Qui bene praesunt, duplici honore digni sunt.* Imo alibi inquit: *Ita ordinarit Dominus, ut, qui annuntiant Evangelium, etiam de Evangelio vivant.* Hoc videtur absurde dictum: quia Evangelium non debet nobis esse quaestui: Voluit tamen Paulus ita significanter loqui, ut sciamus deberi mercedem, et renutricationem docenti. Magna est ingratitudo subtrahere necessaria fideliter docentibus.

Apostoli imponunt Christum asino. Id significat, quod Christus debeat regnare. Ipse debet insidere, non Apostoli. Auditores sunt deducendi ad Christum per ministros Evangelii, ut ab eo regantur et sanctificentur.

Cum procedit Christus, venit ei obviam magna turba, et praestat illi tria genera officiorum. Primum, afferunt ei ramos palmarum et olearum. Deinde, substernunt vestes. Tertio, clamant; *Hosianna Filio David; benedictus qui venit in nomine Domini.*

Unde sumptum est, quod gestant ramos?

Fuit haec consuetudo multarum gentium, ut in triumphis gestarentur rami, seu frondes istarum arborum. Adhuc in multis partibus Germaniae usitatum est, ut mense Maio mittantur scholastici ad frondes afferendas. *Das heissen sie Meyen holen. Meyen* sunt rami arborum, qui gestantur laetitiae causa, et quibus ornantur templa, et vestibula aedium. Apud Ioannem usurpatur vocabulum βάϊα, cap. 12., ab hoc fortassis est vox Germanica *Meyen;* quia β et μ sunt literae cognatae: nisi malis derivare a mense Maio. De cuius tamen Etymologia rursus quaeri potest.

Quid significat procedere cum oleis et palmis?

Respondeo. Procedere cum oleis, significat petere pacem: procedere cum palmis, significat victoriam. De pace, quam repraesentat olea, dicitur in versu:

— — Pax optima rerum
Quas homini novisse datum; pax una triumphis
Innumeris potior. —

Est apud Livium in historia Scipionis. Miserunt Carthaginenses navim cum legatis ad Scipionem petitum pacem. Ibi speculator videns venire naves, indicat duci. Promovet igitur Scipio suas quoque naves. Sed cum illi propius accessissent, vidit speculator in prora, seu anteriore parte navis ramum oleae. Id cum indicasset, sistit Scipio suas naves; quia intellexit eos venire ad petendam pacem. Fuit igitur consuetudo ista, ut, cum aliqui petituri essent pacem, accederent ad dominum, a quo petenda erat pax cum ramis oleae.

Palmae natura est, ut assurgat contra onus; et est alioqui durabile lignum: ideo antiquitas cum iecit fundamenta, fecit ea ex palis palmarum; ut scribit Xenophon.

Cum igitur preferunt Christo ramos olearum

et palmarum, cogitemus, utrumque petendum esse a Deo, pacem et victoriam. Primum petamus, ut det nobis pacem, id est, remittat nobis peccata, et det nobis tranquillitatem conscientiae, ut possimus accedere ad Deum, et invocare eum. De hac pace dicitur: *Regnet pax Christi in cordibus vestris.* Et, *Iustificati fide, pacem habemus.*

Quamdiu corda fugiunt Deum, non invocant eum, et tamen naturaliter est in omnibus hominibus trepidatio fugiens Deum. Sed haec est vincenda fide, et statuendum, quod propter Filium Dei vere recipiamur, et exaudiamur, ut Paulus dicit: *Per hunc habemus accessum cum fiducia per fidem ipsius.* Et haec ipsa προςαγωγὴ, παῤῥησία, πεποίθησις (his enim vocabulis utitur Apostolus) pertinent ad illam pacem, quae petenda est propter Christum. Nam propter Filii obedientiam recipimur, reputamur iusti, et exaudimur, ipso pro nobis interpellante.

Praeter hanc pacem cordis, quae sentitur in invocatione, petamus etiam pacem externam, ut servetur Ecclesia. Nemo nostrum ita efferus esse debet, ut non malit Ecclesiam salvam esse, quam sibi ipsi bene. Et Christus servat corpus Ecclesiae, etiamsi membra aliqua patiuntur. Multi pii sentiunt ingentem dolorem propter discordiam docentium in Ecclesia. Hanc etiam sciamus a Filio Dei petendam esse.

Est et tranquillitas aliqua necessaria in hac vita, ut possit doceri Ecclesia: Quia, ubi sunt perpetua bella, non potest vigere disciplina. Secundo, petamus etiam victoriam a Christo contra Diabolos: quia Diabolus insidiatur omnibus hominibus; circumit sicut leo rugiens, quaerens quem devoret. Apparuit autem filius Dei, *ut destruat opera Diaboli.* Ergo petamus, nos ab ipso gubernari adversus insultus astutissimos Diaboli. Quod fit, si filius Dei vincat in nobis peccatum et mortem. Haec victoria est intus in corde. Postea opus est, ut foris etiam depellatur Diabolus, ne insidiae ipsius procedant, ne penitus nos evertat.

Hoc est vere praeferre ramos oleae, et palmarum, edere confessionem; quod hic Dominus sit victor et dator pacis, et invocare eum, ut tribuat nobis victoriam et pacem. Nostra studia debent esse eiusmodi frondes, quas afferamus Domino in pia cogitatione et meditatione doctrinae coelestis. Item, quotidiana invocatio debet dare testimonium, quod hic Dominus sit in nobis quoque victor peccati, mortis et Diaboli, et dator pacis.

Quid significat *substernere vestes?*

Respondeo. Iste gestus significat, tribuendum esse hunc honorem ministerio, ut conferamus aliquid ad iuvandum et ornandum ministerium publicum, ex nostris facultatibus. Deinde exuere vestes, et prosternere Christo, significat etiam res et corpora in periculum adducere pro gloria Christi: ut, cum pii Martyres patiuntur persecutiones propter confessionem veritatis, *dass man ihm die haut uber die ohren ziehe,* id est, ut exuantur non tantum facultatibus, sed etiam vita et corporibus.

Quid significat clamor seu voces, quas sonat multitudo ista?

Respondeo. Hic clamor rursus significat confessionem, invocationem, item doctrinam. *Hosianna* significat idem quod salvifica, vel salva, iuva, fer auxilium et opem. Est compositae figurae, ab *Hoschiah,* et *Na,* quae est interiectio deprecantis. Sicut nos dicimus *ach.* Multi ignari linguae Hebraeae inepte verterunt vocabulum *Hosianna:* Et notum est, papistas hoc nomen suis quibusdam campanis indidisse. *Die grossen glocken haben Hosanna mussen heissen.*

Sed quomodo nos possumus orare pro Messia?

Respondeo. Haec vox orat non tantum pro capite, sed pro toto corpore Ecclesiae; id est, petit, ut hic Rex sit felix et faustus, et eius regnum habeat felicia incrementa. Ita debemus nos orare, ut Deus per Filium perficiat salvationem generis humani, et ut ipsum triumphare sinat contra Diabolum et mundum. Postea etiam complectamur corpus Ecclesiae, ut hoc quoque sit salvum, nec opprimatur a Diabolo et eius organis.

Ex quo Psalmo sunt ista verba sumpta?

Respondeo. Ex Psalmo 118, quem D. Lutherus nominabat *suum aureum Confitemini.* Eum Psalmum scribit Hieronymus cantari solitum fuisse apud Iudaeos, quoties petebant, ut Deus mitteret Messiam. Et consentaneum est, in postremo illo miserrimo statu populi Iudaici, post tempora Maccabaeorum, et sub Herode crebrius cantatum esse hunc Psalmum, ut orarent Deum pro missione Messiae, qui liberaret ipsos ex tantis miseriis, et

periculis publicis. Fuit igitur notus etiam plebeis hominibus.

In eo Psalmo sunt etiam haec verba: *Lapidem quem reprobarerunt aedificantes, factus est in caput anguli.*

Estne oratio congrua: *lapidem quem etc. factus est*?

Respondeo. Est figurata constructio per Antiptosin, ut in versu Virgilii: *Urbem quam statuo vestra est.*

Qui sunt aedificantes, de quibus Psalmus loquitur?

Respondeo. Iudaei, vel potius inter Iudaeos Doctores legis. Vocantur enim aedificantes illi, quos Deus collocaverat in officium docendi, et qui debebant aedificare Ecclesiam, et testimonium dare de Christo. Hi ergo reprobaverunt lapidem, id est, Christus est occisus a Doctoribus illius populi. Ita nunc Pontifices, Episcopi, Monachi, qui gloriantur se esse in officio ordinario docendi, occidunt Christum, dum persequuntur Ecclesiam Christi.

Quid est, quod Psalmus inquit: *Hic lapis factus est in caput anguli*?

Significatur lapis fundamentalis, gestans utrumque parietem: *Ist ein eckstein worden, darauff beide wende stehen.* Duo isti parietes sunt Iudaei et Ethnici; quia Ecclesia in novo Testamento colligitur ex gentibus et Iudaeis. Ac Christus non solum coniungit et copulat, sed etiam gestat et sustentat Ecclesiam; imo nos singuli in eo consistentes servamur, ut dicitur: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Item, *Ego portabo, et salvabo vos.*

Sciamus Filium Dei vere praesentem esse Ecclesiae, et salvare nos, non tantum merito, sed etiam effectione. Nam Christus non ideo solum est salvator noster, quia pro nobis patitur, sed etiam, quia ipse adest verbo vocali, colligit, et vivificat Ecclesiam, et potenti manu protegit et servat eam, et tandem resuscitaturus est ex morte, et daturus vitam aeternam.

Hunc ergo Dominum alloquuntur illi, cum ex Psalmo canunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini,* id est, qui promissus est patribus, et venit missus ab aeterno patre ad Ecclesiam. Utrumque autem complectitur voce *benedicti,* quod sit benedictus et benedicens. Est enim benedictus ab aeterno Patre: et est talis, qui benedicit, sicut scriptum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.*

Utrumque comprehenditur etiam in dicto Psalmi 45. *Unxit eum oleo laetitiae propter consortes:* id est, Messias est ornatus donis divinis, iustus, placens Deo, sicut Baptista inquit: *Dedit ei Spiritum non ad mensuram.* Quo pertinet etiam vulgata lectio: *prae consortibus.* Sed si legas: *propter consortes,* intellige, quod ipse unctus sit propter nos, ut nobis communicet sua dona, donet nos iustitia, et vita, et omnibus bonis spiritualibus: In summa, ut det nobis de suo Spiritu. Hoc modo est et benedictus et benedicens.

Et quidem venit ad nos *in nomine Domini;* hoc est, missus est a Patre ad Ecclesiam, et ad magna officia, ut benedicat nobis, et ut propter eum, ac per eum salva sit Ecclesia: quia non vult Deus alio modo salvare homines, nisi per Filium; sicut dicitur: *Nemo venit ad Patrem, nisi per Filium.* Significat etiam *venire in nomine Domini,* venire in potentia vel efficacia divina. Oportet enim nos aliter de Christo sentire, quam de Alexandro. Ipse enim conculcat caput Serpentis, et est efficax in nobis divina potentia:

Quales fuerunt emptiones et venditiones illae, de quibus dicitur, quod Christus, cum venisset in templum, eiecerit ementes et vendentes?

Respondeo. Sicut in Papatu uberrimus est quaestus ex Missis; quia sacerdotes unam saepe missam pluribus vendunt: Sic in templo Iudaico, sacerdotes captabant quaestum ex victimis; cum unam et eandem victimam venderent saepius. Nam peregrini, qui ex longinquis locis veniebant, non poterant secum adducere agnos, vitulos, aut alias pecudes. Emebant ergo a ministris sacerdotum. Venit unus, qui emit vitulum aliquem pro floreno. Eum obtulit sacrificio. Sacerdotes retinuerunt horam unam atque alteram: deinde venit alius, qui eundem vitulum emit et obtulit, donec tertius, quartus, quintus, decimus accederet, cui idem vitulus vendebatur. Haec res valde erat quaestuosa. Sacerdotes pro uno vitulo accipiebant decem aut plures florenos.

Plerumque religiones, quando degenerant, transferuntur vel ad regna stabilienda, vel ad ventrem: Sicut Papistae disputant de Missa sua, utrum una missa pro multis tantundem valeat, quantum singulae pro singulis. Sic Iudaei disputabant, mactationem unius victimae pro multis, tantundem valere,

quantum si singuli vituli pro singulis mactarentur. Utrobique, (id est, in Papatu et Iudaismo) obtinebat illa opinio, quod opera ista valerent ex opere operato; id est, putabatur ipsum opus esse meritorium. Sed in Missa papistica adhuc maior est idololatria; quia fit in ea adoratio pugnans cum praecepto: *Dominum Deum tuum adorabis.*

Omnibus temporibus Diabolus invenit quaestus ex religione depravata, et multas praestigias avaritiae excogitat. Ego non credo maiorem quaestum esse in mundo, quam qui est ex missa; item ex invocatione sanctorum. Ungari ante paucos annos currebant in Belgium ad sanctam Annam et caligas Ioseph. Afferebant secum loculos sericos, plenos aureis Ungaricis. Ideo dabatur eis primus locus, ut et Romae ad S. Petrum.

Audivi, praefectum Aquensem habuisse quotannis 1500 florenos pro sua tertia. Nam ille quaestus erat in tres partes divisus: una pars erat Capituli, ad conservandum aedificium templi: altera Episcopi; tertia praefecti; et una quaelibet pars erat centum et quingentorum florenorum. Tantus fuit quaestus ex concursu illo ad reliquias, quae sic nominabantur, Sanctorum istorum.

In hoc nostro oppido Wittembergae fuit clavus in templo, quo dicebatur, confixas fuisse manus et pedes Christi pendentis in cruce. Illo clavo perfodiebantur numismata aurea vel argentea, et decidebantur quaedam ramenta, et ex ramentis istis colligebatur aliqua summa. Talibus aucupiis plenus fuit mundus.

Qui dicuntur nummularii, quorum mensas dicitur hic Christus evertisse in templo?

Respondeo. Significat, *einen wechsler.* Ac differunt argentarii et nummularii. *Argentarii* sunt domini nummulariorum, ut Fuccari, aut alii opulenti mercatores, qui praesunt *Banco*, ut vocant. Servi seu ministri argentariorum nominantur *nummularii et collybistae.*

Collybus est pretium seu accessio pecuniae, quae datur in permutatione supra monetam, quam permutare volumus, *Das auffgelt, oder wechsellgelt,* ut, si quis petat Lipsiae permutationem Grossorum Marchicorum, et postulet sibi pro iis numerari thaleros: eum oportet solvere collybum, ut lucrum inde habeant, qui pecuniam conferunt in illas usuras. Sic, si quis vult habere monetam auream pro argentea, vel etiam argenteam pro aurea, eum oportet solvere collybum.

Exstat hoc vocabulum in Verrinis Ciceronis, et apud Iulium Pollucem.

Sic igitur Ierosolymis in templo, cum multi venirent ex Oriente, Aegypto, Arabia, Cyrenaica regione, et aliis locis procul dissitis, et haberent diversam pecuniam, erant ibi collybistae, qui mutabant pecuniam cum suo quaestu. Nam illis opus erat usitata pecunia ad emendas victimas.

An peccarit Christus eiiciens mercantes ex templo.

Sic argumentor:

Concionator non debet uti vi corporali.
Christus expulit vendentes et ementes: Item: *evertit mensas nummulariorum vi corporali:*
Ergo peccavit.

Maior est vera, quia est differentia inter magistratum et concionatorem. Magistratus punit vi corporali omnia externa delicta, quae potest et debet iudicare. Sed minister Ecclesiae debet docere Evangelium et punire verbo; sicut dicitur: *Spiritus sanctus arguet mundum.* Nec voluit Christus habere administrationem politicam: Nec uti vi corporali. Imo quando Petrus vult dimicare in horto, prohibet. Et pertinet Regula ad omnes ministros Evangelii: *Sicut misit me pater, sic ego mitto vos.*

Sed nego Minorem. Christus non eiicit vi corporali, sed motu et impetu divino. Sic Petrus interficit Ananiam Spiritu divino. Est igitur hoc factum Christi opus divinum, etiamsi externa instrumenta adhibet, quae sunt tantum signa, ut flagellum, vel tale aliquid.

Postea suum etiam locum habet illa solutio, qua potest responderi ad Maiorem: Concionator non debet uti vi corporali, nisi in quantum Oeconomus, seu paterfamilias. Si grassator aliquis vellet intrare in domum pastoris, et turbare familiam, recte faceret pastor, si etiam vi eum eiiceret. Sic, si nebulones in templo tumultuarentur, pastor, si posset, iuste eos expelleret, tamquam paterfamilias ex sua domo. Haec sunt puerilia, quibus tamen commonefaciendi sunt iuniores, ut exerceantur eorum ingenia, et honestae cogitationes in eis excitentur.

Non peccavit Christus hoc facto, quod est secundum legem, non contra legem; ideo citat Evangelista dictum ex Psalmo: *Zelus domus tuae comedit me;* cum Christus statim in primo paschate, postquam ingressus esset ministerium, idem fecit. Apparet enim non semel, sed aliquoties Christum e templo eiecisse foeneratores istos.

Zelus significat *einen Eiffer, das einer zürnet aus grosser liebe*: id est, Zelus est indignatio accensa propter amorem iustitiae. Ab Aristotele vocatur *Nemesis*; et numeratur inter virtutes; quia in gubernatione debet esse ira, et indignatio contra iniustitiam. Ubi non est talis motus, ut est in illis, qui nimium sunt lenti, nihil magni geritur. Sic in Ecclesia debemus ingenti dolore et indignatione affici, quando gloria Dei laeditur, seu contumelia afficitur.

Deus ipse hoc motu exardescit adversus iniustitiam. Vere et horribiliter irascitur peccatis: et sancti qui reguntur Spiritu Dei, habent similes aliquos motus convenientes cum lege Dei. Quando Helias petit ignem delabi de coelo, et devorare impios, est opus Dei, et Spiritus sancti in corde Heliae. Quod opus est eo iustum; quia est divinum et congruens cum lege. Deus non facit contra legem suam: Est talis, qualem se in lege sua describit.

Petrus zelo occidit Ananiam, id est, commovetur indignatione propter mendacium, quod erat magnum scelus, et propter scandalum in illa prima et tenera Ecclesia. Paulus Magum excaecat zelo, id est, magna indignatione irascitur impietati et hypocrisi.

In coniugiis nominatur *Zelotypia*, quando aliquis habet coniugem, et ille metuit, et non vult eam attingi ab aliis. Haec Zelotypia cum est sine falsis suspicionibus, est iustus Zelus.

Denique in iustis et magnis causis omnes debemus flagrare Zelo. Mihi in hoc ipso loco sedenti obiiciebatur aliquando, quod iracunde disputatem. Ego respondebam, me in rebus magni momenti contra pertinaciter tuentes falsitatem, non posse sine aliqua commotione esse: cum etiam in rebus vilioribus, sine commotione ulla loquentes, audire valde molestum sit: ut apud Ciceronem cuidam, qui sine commotione causam agebat, obiicitur *Nisi fingeres, non sic ageres*. Quia nimium somnolente agens, videtur fingere.

Sic igitur de Christo dicitur: *Zelus domus tuae comedit me*: id est, amor Ecclesiae et iusta ira contra Diabolum fuit causa, quare me passioni obtulerim. Eadem causa est, cur nunc etiam sustineam persecutionem, et me in discrimen dederim. Nemo sibi persuadeat aliter, quam quod habiturus sit adversarios, inimicos, aemulos, quotiescunque tractare cogitat magna negotia. Id multo magis fit in praedicatione Evangelii, ubi Diabolus adversatur, accendit odia in suis organis, conatur tollere recte docentes. Haec experimur singuli, etiamsi fideliter serviamus. Nonnus pulchre reddidit dictum Psalmi pene iisdem verbis:

Ζῆλος ἐμε ζαθέοιο τέου καταδάψεται οἴκου, id est, Zelus divinae domus tuae consumit me, seu devorat me, *frist mich auff*. Sancti et heroici viri habent hunc motum, qui dicitur *Zelus*. Philosophi vocant *Nemesin*. Contra.

An fuerint affectus in Christo sine peccato.

Irasci est stultitia:
In Christo non est stultitia:
Ergo in Christo non est ira.

Iacobus dicit: *Ira viri malum operatur.* Et est optimus versus ille:

Vince animos, iramque tuam, qui caetera vincis.

Hunc versum recitabam aliquando Luthero, cum ille praeter solitum ostendisset se animo valde irato esse, nec haberem aliam occasionem placandi eum. Ille delectatus sententia huius versus, subrisit, et coepit placari.

Sed respondeo ad argumentum: In hominibus irasci, est stultitia: quia imbecillitas humana addit aliquid stultitiae, etiam cum est vera causa irae: In Christo autem est ira sine stultitia, quia in eo est perfectio naturae. Ita Deus irascitur peccato iusta indignatione, in qua nihil est vitii.

Idem Deus vere diligit Filium.

In nobis *στοργὴ*, etsi est divinitus in natura condita, tamen propter naturae depravationem habet aliquid vitii. Ideo tunc etiam, quando diligimus nostram sobolem, miscemus aliquid stultitiae: ut videmus, quomodo ludant parentes cum pueris. Haec communia nota esse debent iunioribus, quae etiam moralia sunt: Et debent eiusmodi explicationes excitare discentes ad inquirendas vocabulorum significationes.

De dicto: *Domus mea domus precationis est*!

Christus expellens vendentes ex templo, addit hanc sententiam: *Domus mea, domus precationis est*. Hoc dictum est testimonium, quod placeant Deo publici congressus, et quod in his fieri debeant precationes, et conciones de doctrina: quia non potest esse precatio, nisi homines doceantur de Deo, de voluntate Dei, de fide, etc., quia fides est ex auditu. Invocatio est effectus fidei, et fides est effectus auditionis. Ideo recte possumus colligere: Si est domus precationis, est etiam domus doctrinae. Ut autem possit tradi doctrina, oportet esse

publicum ministerium. Cum invocatione etiam debet coniuncta esse confessio.

Haec omnia comprehenduntur in isto brevi dicto: *Domus mea, est domus orationis*: id est, domus ministerii, praedicationis verbi, invocationis, et confessionis. Cogitemus igitur, quod velit Deus servare congressus, et agamus ei gratias, quod conservat. Ideo autem conservat, ut nos ingrediamur in illam domum, veneremur ministerium, discamus verbum Dei, invocemus, confiteamur:

In multis antiquis templis hoc dictum magnis literis insculptum est in saxis, supra fores templorum. Ac debebat etiam inscribi aedificiis scholarum, quia scholae sunt pars ministerii publici, et in scholis debemus docere et discere doctrinam, et adiungere postea invocationem.

Sed cur dicit hic Christus sacerdotibus, quod fecerint speluncam latronum ex domo Dei? Haec est profecto dura concio adversus pontifices, reges, gubernatores, qui nunc etiam occupant bona Ecclesiastica, nec curant ministerium, imo exercent tyrannides, et sunt hostes doctrinae Evangelii.

De dicto: *Lapides clamabunt.*

Pertinet ad Grammaticam explicationem etiam, quod, cum reprehenderetur Christus, quia non prohiberet, quo minus pueri canerent in templo, ipse respondet: *Imo si tacuerint isti, lapides clamabunt.* Significat, quod Deus velit aliqua testimonia exstare in Ecclesia, sicut semper aliqua fuerunt, alias plura, alias pauciora, et si nos desierimus vel docere, vel vivere, tamen alios excitabit Deus.

Postea opponit Dominus etiam hoc dictum ex psalmo: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem tuam.* Recte dicitur, *lactentium,* quia lactere est activum: ut, mater lactat infantem; sed lactere est neutrale, infans est lactens. In Virgilio est: *Lactentes stipulae.* Et apud Ciceronem dicitur: *Romulus lactens, fulmine ictus est.* Recitat ibi Cicero prodigium, quod accidit ante bellum civile in statua lupae, sub qua Romulus et Remus erant sugentes. Illam statuam disiecit fulmen. Significatum est bellum civile, id est, distractio Iulii et Pompeii summorum principum: sicut videmus multa prodigia praecedere, cum ingruunt tumultus.

Quid ergo discendum est ex illo dicto Psalmi, quod Christus hic allegat?

Respondeo. Nos omnes sumus infantes et lactentes. Sumus infirmi, pleni sordium, inscitiae, ignorantiae multiplicis, et tamen Deus vult nos habere initia fidei, invocationis, confessionis, et habet sibi acceptos istos cultus, vincit Diabolum, efficit, ut simus salutaria organa nobis et aliis. Etiamsi parum intelligimus de rebus divinis, sumus admodum imbecilles, quod ad cognitionem, et affectus, et actiones nostras attinet: tamen placet Deo etiam clamor infirmorum, modo non simus indociles. Aliud est enim esse infirmum, aliud indocilem et impium.

Infirmus habet initia fidei, et de hoc dicitur: *Deus eum recepit.* Debemus ergo discere, invocare, confiteri, singuli suo loco: et in summa, agnoscere et colere Deum, etiamsi non intelligimus, quantae sint istae res, quae ad agnitionem Dei pertinent: Sicut non scimus, quanta res sit, quod Dei Filius assumpserit humanam naturam, et quod Deus voluerit talem esse victimam. Intueamur tamen verbum Dei, agnoscamus Filium, audiamus, et cernamus testimonia. Haec exigua initia et scintillulam fidei postulat et approbat Deus; quae est valde dulcis consolatio.

Simus autem non tantum infantes, sed etiam lactentes, id est, magis magisque doceamur, et proficiamus, et ut possimus proficere paulatim, alamur voce divina, sicut infantuli aluntur uberibus matris.

Haec eo libentius consideret iuventus, quia textus clare loquitur de pueris, et Christus accommodat ad pueros. Et propterea magis amanda sunt studia doctrinae de Deo, et excitanda cogitatio et meditatio verbi divini, et exercenda invocatio.

Pontifices et scribae murmurant contra cantiones istas puerorum: id est, multi sunt impii et ἄθεοι, quibus dolet, quod doctrina purior sonet in Ecclesia et scholis: sicut nunc ordinaria potestas pugnat adversus nos: Sed defendimur ac servamur divinitus.

Locus Principalis huius historiae.

Ita hactenus tantum tractavimus Grammatica ex hoc textu. Doctrina autem principalis est, cur Dominus voluerit ingredi in urbem Hierosolymam cum eiusmodi pompa: item, qualis Rex sit Christus, et quale sit eius regnum. Sic igitur argumentor:

Pompae regiae non decent concionatores:
Ista est pompa regia:
Ergo ista pompa non decuit Christum.

Fuit haec summa pompa, quae potuit exhiberi in hac vita, quod turba prodiit Domino obviam,

sicut victori. Ac multi non aliter interpretati sunt hanc pompam, quam seditiosam molitionem, quasi politicum regnum Christus invadere vellet. Habet etiam pompa illa speciem quandam superbiae contra dictum illud: *Discite a me, quia humilis sum corde.* Scimus, quomodo pontifices propterea devoveantur diris; quia gestari se volunt, et capiti habent impositam coronam.

Respondeo autem ad argumentum: Christus non fuit tantum concionator, sed etiam Rex: et usus est illa pompa testificationis causa. Voluit inter caetera testimonia, etiam hoc testimonium ostendere, ut innotesceret, quia Deus vult nota esse Ecclesiae opera, quae ipse gerit inter nos propter salutem nostrum: Et tamen aliter conspiciuntur ea, quae fiunt in regnis politicis, aliter quae fiunt in Ecclesia.

Alio modo Alexander conspicitur in mundo, aliter Christus in Ecclesia. Alexander volitat per orbem terrarum, conspicitur ut victor, occupat urbes, ditiones, regna, evertit Tyrum, et facit alia, quae incurrunt in oculos. Hoc modo non conspicitur Christus, et tamen vult se agnosci: vult esse notam suam nativitatem pastoribus, et multis aliis personis, ut Magis: Postea edidit miracula, resuscitavit mortuos, sicut paulo ante resuscitavit Lazarum.

Sic igitur iam se ostendit in hac pompa, ut Ecclesia sciat, quod Messias venerit, et ut ipsi hostes convincantur.

Quale est autem regnum Christi?

Respondeo. Id pulchre pingitur in dicto Zachariae: *Ecce Rex tuus venit tibi iustus et salvator et pauper.* Latinus textus habet: *mansuetus.* Sed in Hebraeo est *afflictus*, vel *miser*, vel etiam *pauper.* Saepe autem alias vocabulum Hebraeum *Ani*, Septuaginta verterunt per *πρᾷος*, id est, *mansuetus*, seu *mitis.* Est autem mirabilis titulus, quod Messias nominatur rex pauper.

Friedrich Thuen dicebat se aliquando fuisse consolatum senem de Orlamunde, et inter alia dixisse eum esse ex vetustissima nobilitate Thuringica. Sed responderat ille: *Quid mihi dicis de nobilitate? etiamsi essem tam nobilis, ut perdicum pennae mihi per nares erumperent, et non haberem pecuniam, tamen essem miser.* Voluit significare non magnifieri Dominos, qui non abundent pecunia. Caesar Pflug, pater Iulii Episcopi, etiam dicere solitus est:

Nobilis est ille, quem nobilitat sua villa.

Mutavit studiose alterum illum vulgarem:

Nobilis est vere, quem nobilitat sua virtus.

Iudaei expectabant Messiam, qui esset rex politicus, qui dominaretur in orbe terrarum, partiretur provincias. Ideo Zacharias ad differentiam regni politici nominat Christum *pauperem*; quasi dicat: non tenebit imperia mundi: sed patietur, ac crucifigetur pro genere humano: sicut postea dicit: *In sanguine tuo educes vinctos tuos ex lacu, in quo non est aqua.*

Hoc est expressum testimonium de passione Christi. Et sic alibi prophetae passim vaticinantur de Messia, quod sit rex, liberaturus tyrannide Diaboli, deleturus peccatum, abolitarus mortem: sed hoc modo, ut fiat victima pro nobis, et suo sanguine liberet nos ex inferis.

Est autem et hoc mirabile in dicto Zachariae, quod coniungit haec duo: *pauper* et *iustus.* Paupertas praesertim in gubernatore praebet occasionem multis rapinis. Sicut videmus principes nunc profundere suas opes, et postea expilare subditos. Glareanus non multo ante mortem interrogatus a quodam, quomodo viveret: *Bene vivo,* inquit, *more Principum.* Alter dicebat: quid hoc est? Ego non satis intelligo? Respondit Glareanus: *Habeo cibum et potum, et multa debeo.* Si studerent Principes parsimoniae et iustitiae, minus esset expilationum, ut dicitur: *Bonus Servatius, facit bonum Bonifacium,* id est, princeps et paterfamilias frugalis potest benefacere: *Wann er im vorrath ist, so kan er der leut schonen.*

Quomodo autem Christus est iustus?

Primum ipse est natura iustus; deinde est nobis donatus, ut propter eum nos simus iusti. Est enim iustificator noster iustificans nos, seu restituens nobis iustitiam. Fit victima pro nobis, ut nobis remittatur peccatum propter ipsum, et ut ipse donet nobis suam iustitiam. Quomodo autem donat? Imputatione, ut nos reputemur iusti propter eum, sicut Paulus inquit: *Fecit eum peccatum, ut nos fieremus iustitia Dei in eo.* Deus reputat nos iustos propter hunc Filium, vestitos iustitia ipsius. Deinde facit nos Christus iustos effectione. Sed haec tantum est inchoatio iustitiae in nobis in hac vita, et consummabitur tandem in vita aeterna. Sic ergo Messias est iustus, non tantum quod ad suam personam attinet, sed etiam iustificans nos imputatione et effectione.

Nomen *Salvatoris,* complectitur similiter et meritum et efficaciam Christi, quatenus vincit peccatum, tollit mortem, destruit potentiam Diaboli, arcet tyrannidem eius ab Ecclesia.

Hinc exstrui potest definitio regni Christi. Id vero est mitti Filium ad Ecclesiam inde usque ab initio, ut annunciet Evangelium, et fit efficax cum Evangelio, et certo tempore assumat humanam naturam, et in ea concionetur, patiatur pro genere humano, resurgat ex morte, sit victor mortis ac Diaboli: sedeat ad dextram aeterni Patris, colligat Ecclesiam, servet ministerium, donet iustitiam credentibus, et sanctificet eos Spiritu sancto, protegat ac defendat in hac vita, et resuscitet ad vitam aeternam.

Differuntne regnum Dei, et regnum Christi?

Respondeo. Regnum Dei est, de quo dicit Paulus: *Deus erit omnia in omnibus.* Nam post resuscitationem mortuorum coram agnoscetur, et conspicietur Divinitas, non in voce Evangelii. Sed regnum Christi est in hac vita regnum Evangelii; quod sic dicitur, quia colligitur per verbum. Idem vocatur regnum Filii Dei: quia Filius immediate profert Evangelium, et est efficax per verbum, et mittitur ad redimendum et salvandum genus humanum. Sic enim placuit Deo liberare genus humanum a morte et peccato, videlicet misso Filio.

Aeternus Pater, Filius et Spiritus sanctus, colligunt Ecclesiam; sed hoc ordine, ut Filius proferat Evangelium, et sit efficax per ministerium Evangelii, det Spiritum sanctum voce Evangelii, servet et protegat Ecclesiam, sive per media, sive sine mediis: ut servavit tres viros in fornace Babylonica, et iam etiam Ecclesiam servat inter assiduos furores mundi, et Diaboli. Idem Filius immediate resuscitabit mortuos, et iudicabit genus humanum, ut dicitur: *Filio dedit omne iudicium*: id est, homines et Diaboli conspicient Filium iudicantem. Idem credentes adducit ad Patrem, ubi coram videbimus Deum: nec amplius opus erit ministerio Evangelii. Ideo inquit Paulus: *Tunc tradet regnum Deo Patri.*

Quomodo fit applicatio beneficiorum regni Christi?

Respondeo. Applicatio fit fide. Oportet nos statuere, quod vere propter Christum recipiamur, iuvemur, et salvemur. Et hoc significat Zacharias, cum inquit. *Rex tuus tibi venit*, etc. Et postea addit: *Etiam tu in sanguine foederis tui, seu testamenti tui educes vinctos tuos.* Quod Iudaei pessime corrumpunt. Vocant sanguinem Testamenti: *circumcisionem, mactationes et sacrificia.* Sed Testamentum significat promissionem de venturo Messia. Est enim illud Testamentum, quod fecit Deus cum Abraham de venturo semine; et sanguis Testamenti est sanguis promissionis gratiae, quae est confirmata sanguine Filii Dei.

Aliqui *tu* in hoc textu dicunt esse generis foeminini, et intelligunt de Ecclesia. Ideo sic distinguunt membra: *Etiam tu Ierusalem exsulta in sanguine foederis tui.* Quae sententia si retineatur, confirmatio est doctrinae de applicatione. Postea rursus monstratur applicatio in altero membro: *Emisi vinctos tuos de cisterna, in qua non erat aqua.*

Non dicit vinctos in genere, quia discrimen est inter membra Ecclesiae, et alios, qui sunt extra Ecclesiam, item inter credentes et non credentes. Ut, si dicas de Imperatore aliquo: Scipio liberat suos captivos, id est, qui sunt cives Romani, non alios. Sic Filius Dei liberat suos, non liberat caeteros, qui sunt impoenitentes et sine fide.

Cisterna, seu *lacus*, *in quo non est aqua*, est mors aeterna, ubi non est consolatio, nec recreatio ulla.

Pertinet et haec verba, quae sequuntur, ad membra Ecclesiae: non ad damnatos et Diabolos. *Convertimini ad munitionem vincti spei*, id est, sperantes liberationem. Credentes sunt captivi, sunt adhuc in carne, circumferunt magnam imbecillitatem: sunt obnoxii multis malis, sed sunt vincti ad spem, id est, sperant vel tandem in finali liberatione eripiendos esse ex omnibus malis.

De allegoriis, quibus pingitur forma Ecclesiae, et cultus, quos Ecclesia exhibet Christo, dixi supra in explicatione Grammatica vocabulorum. Observetur autem haec regula, quod allegoriae non sint confirmationes, sed commonefactiones, quae cum quadam concinnitate accommodari debent ad doctrinam iam ante in Scriptura traditam. Et cum quis recte institutus est in fundamento, is multas picturas sumere potest, cum ex antiquis ritibus, tum etiam ex natura rerum.

Obiiciunt autem aliqui, pueros accinentes Messiae: item, populum praeferentem frondes olearum et palmarum, non habuisse exactam notitiam illarum rerum, quas dixi significari illis imaginibus. Concedo, quod non plene ista intellexerint, sed tamen fuit in illo coetu Ecclesia, id est, aliqui fuerunt intelligentes, sine ulla dubitatione. Spiritus sanctus accendit in aliquibus hanc lucem, quod iste esset Messias, et rexit ipsorum corda, et linguas, ut publice profiterentur eum.

Nulla est congregatio. in qua omnes sint sancti, sed tamen semper aliqui sunt, in quibus sunt

initia fidei. Ideo non sunt cavillatorie ista accipienda: satis sit nobis, quod acclamatio illa populi sit confessio Ecclesiae, affirmantis hunc esse Messiam, qui se tunc publice ostendebat, et edebat de se testimonia. Fieri etiam potest, ut multi, qui nunc salutarunt Christum tamquam Regem, postea sinistre de eo suspicati sint, cum crucifigeretur, sicut discipuli Christi etiam sperabant eum expulsurum Romanos; et offendebantur, cum nihil tale fieret, Christo pendente in cruce. Fuerunt tamen dociles postea, agnito vero intellectu vaticiniorum Propheticorum. Ita non dubium est, multos ex iis, qui maledixerant Christo in cruce, conversos esse, postquam audiverunt Christum resuscitatum esse, et hanc doctrinam confirmari maximis miraculis.

EXPLICATIO XVII. CAPITIS IOANNIS, IN DIE VIRIDIUM.

Commonefactio de consideratione operis redemptionis.

Totum hoc mysterium redemptionis humanae, vel missionis filii Dei, est sapientia, quae superat omnium creaturarum intellectum et captum: quod videlicet Deus voluerit isto modo redimere genus humanum, ut fieret Filius pro genere humano victima, mitteretur in mundum, assumeret naturam humanam, et derivaretur in ipsum ira; et sic placata ira Dei, redderetur nobis vita aeterna. Haec sunt ita miranda, et ita procul posita extra omnem sapientiam omnium creaturarum, ut non solum non sint inventa vel deprehensa iudiciis humanis, sed etiam posteaquam voce Dei patefacta, et revelata sunt, tamen sit difficilis assensio. Ideo inquit Propheta: *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est*? quasi dicat, non omnes amplectentur, non omnes credent.

Sed colligit sibi tamen Deus aeternam Ecclesiam, efficit, ut aliqui credant, iuvat etiam credentes, ut magis magisque in eis confirmetur fides. Quare oremus ipsum, ut nostra corda accendat cogitatione doctrinae, et fidem in nobis confirmet, ut haec ipsius beneficia agnoscamus, celebremus, et grati accipiamus.

Hoc primum omnium faciendum est in consideratione harum tantarum rerum. Non est hic disputatio de eiusmodi rebus, quae possint comprehendi iudiciis humanis: ut quando homines eruditi disputant de numeris, de propositionibus Euclidis, vel de causis physicis, quae res efficiant morbos, item quae res medicentur morbis. Ita utcunque comprehendi potest, quod sit Deus, et quod sit mens aeterna, sapiens, conditrix rerum, bona, iusta, casta. Haec est particula sapientiae legalis, sicut et illa, *Non occides*, *Non moechaberis*, *Non furtum facies*, utcunque intelligi possunt.

Quamquam enim mentes humanae multum tumultuantur etiam in cogitatione doctrinae legalis: multi sunt Epicuraei, multi Academici, et in omnium hominum mentibus multum est dubitationum, tamen legalia ista utcunque possunt demonstrari, et possunt percipi facilius. Verum ista miranda sapientia, quod Deus sic voluerit restituere genus humanum, et servare, et donare aeterna iustitia et vita, misso Filio: hoc ita magnum est, ut, nisi Deo accendente corda nostra, non intelligamus.

Intueamur autem testimonia exhibita a filio Dei. Hic ipse Filius, qui concionatur in ista narratione Iohannis, resuscitavit Lazarum et alios mortuos. Ipse etiam resurrexit a mortuis, et revixit, ostendit se magnae multitudini per quadraginta dies. Haec testimonia cogitemus, et simul oremus, ut accendat mentes nostras, ut firma assensione et fide ista amplectamur. Discamus, quae sit vera invocatio, eam exerceamus: Ita in invocatione, et in istis gemitibus orietur lux in cordibus, ut aliquo modo ista intelligamus, et ut assentiamur.

Praeterea vos adolescentes in his feriis relegite historiam Passionis, et adiungite dulcissimas conciones Iohannis. Deus ipse servavit tempus Paschatos, et ordinavit ac distribuit tempora propter nostram utilitatem, quia ad homines docendos utilis est qualiscunque temporum distributio, ut historiarum partes aliae aliis temporibus proponantur copiosius. Quamquam enim de omnibus assidue cogitandum est, tamen quando est proponenda doctrina, ipsa temporis distributio aliquid adiuvat. Neque omnia eodem tempore dici possunt.

Scitis autem dicendum esse in historia Passionis Filii Dei primum, quae sit persona, quae patiatur, postea de causis, quare patiatur, tertio de applicatione.

Quae sit persona, auditis quotidie: Est Filius Dei coaeternus aeterno Patri, λόγος et imago aeterni patris. Haec persona assumit humanam naturam unione personali, ut sit iam unus Dominus, una persona λόγος, et illa natura assumpta a Maria virgine. Descendit filius Dei in istam massam miserrimam humani generis, et eam induit.

Quam ob causam?

Ut fiat victima pro peccato. Haec causa tanta est, ut magnitudo eius non possit exprimi verbis:

nulla creatura satis intelligit, quanta res sit peccatum et ira Dei. Nulla etiam creatura sensum irae Dei sustinere potest. Mallet in nihilum redigi, quam sentire horribilem cruciatum: Etiam levis aliquis sensus irae Dei enecat hominem, sicut saepe experimur. Multi homines moriuntur sentientes unam guttulam, ut ita dicam, irae divinae.

Quia vero non cogitamus, nec intelligimus magnitudinem peccati et irae Dei, ideo miramur, quod Deus ita voluerit liberare genus humanum misso Filio, et derivata ira in Filium. Cogitamus, an non potuit hoc aliter fieri? et ratio turbatur mirabilibus disputationibus. Mentes nostrae multipliciter tumultuantur imaginationibus.

Debemus autem tenere hanc hypothesin, quod ista sint revelata voce Filii Dei, et testimoniis illustribus confirmata inde usque ab initio generis humani. Adam vidit testimonia certa praesentiae Dei, quae confirmabant assensionem promissionis in ipso, postea Noe vidit illustre testimonium irae et misericordiae in diluvio. Sic in exitu ex Aegypto ostensa sunt testimonia maxime perspicua, et sic deinceps subinde exhibita sunt testimonia illustria, quae debent nobis esse in conspectu, ut certo statuamus, hanc doctrinam esse traditam divinitus. Et quamquam causas consilii divini de nostra redemptione in vita aeterna plenius cognoscemus, tamen iam etiam aliquid utcunque est cogitandum.

Ubi est scripta causa, quare Filius missus sit?

Respondeo. Alia est impulsiva, alia finalis. Causa impulsiva, in Deo est immensa misericordia: causa impulsiva in nobis, est obiectum, videlicet nostra miseria. Finalis causa est, salus nostra.

Ubi hoc est scriptum?

Sic Deus dilexit mundum, (haec est causa impulsiva) *ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum,* (haec est causa finalis) *non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Habetis utramque causam in hoc dicto: Et fit in eo etiam mentio de persona. Nominat etenim Filium unigenitum: qua appellatione discernit Filium ab omnibus creaturis, angelis et hominibus.

De causa finali etiam dicitur in ista oratione: *Ego pro ipsis me sanctifico*, id est, offero. Item: *Una oblatione consummavit sanctos.* Item: *Fecit Filium maledictum, ut nos a maledictione legis redimeret.* Haec omnia pertinent ad causam finalem. Sed causa impulsiva est: *Sic Deus dilexit mundum.* In verbo *dilexit* comprehensa est illa impulsiva.

Verissimum est igitur et manifestissimum, quod causa redemptionis nostrae sit impulsiva, bonitas et misericordia Dei, et amor erga genus humanum. Sed Deus simul est iustus; vult remittere peccatum, sed ita tamen, ut velit satisfieri iustitiae suae: ideo misericordia et iustitia copulatae sunt in isto opere. Illa mirabilis copulatio conspicietur clarius in vita aeterna; sed nunc utcunque initia consideranda sunt.

Deus est iustus, et vult iustitiae suae satisfieri. Non vult peccatum remittere ex futilitate vel levitate. Hoc debet esse infixum mentibus nostris, et de illa iustitia commonefaciunt nos horrendae, et tristissimae poenae in genere humano. Illae magnae calamitates, quae grassantur per genus humanum, commonefaciunt nos de ira Dei, quod Deus non ex futilitate, vel levitate remittat peccata. Vult in genere humano sibi satisfieri de peccatis: *Christus est ἀντίλυτρον factus*, inquit Paulus: sicut ipse inquit in Matthaeo: *Pono animam meam λύτρον, seu pretium pro multis.* Iustitiae Dei est reposcere pretium, et oportuit aliquem esse in genere humano, qui solveret pretium: Quia genus humanum peccaverat, oportuit esse redemptorem hominem. Sed nulla creatura sola poterat sustinere iram: Nullius creaturae erat solvere aequivalens pretium, ideo iste redemptor est et Deus, et homo.

Ista procul stantes utcunque cogitare possumus, et causas plenius et multo illustrius videbimus in vita aeterna, et tamen, ut saepe iam dixi, utcunque cogitanda sunt. Necesse est scire, quare sit passus, quae fuerint causae impulsivae, quae causae finales: Non possunt esse membra Ecclesiae, quae nulla sapientiae huius initia, vel scintillulas habent.

Aliqui ita philosophati sunt de missione Filii Dei. Deus voluit genus humanum docere; ideo misit Moisen, Prophetas, et Christum. Intuentur Christum sicut Moisen, sicut Prophetas, sicut doctores caeteros, quia tradiderit bona quaedam praecepta. Postea dicunt, voluit eum pati, ut doctrinae responderent perfecta exempla omnium virtutum, maxime patientiae. Dicunt finem esse exemplum. Hoc nulla modo satis est: Est contumelia adversus Deum et Filium eius, et adversus totum eius Evangelium; imo est totius Evangelii deletio et extinctio, sic cogitare.

Oportet igitur nos de aliis maioribus cogitare; videlicet, quod non tantum missus sit Filius Dei, ut exemplum vel Doctor iustitiae et salutis aeternae. Socrates non dat tibi suam virtutem, etiam

cum docet te; sed Filius Dei venit non principaliter, ut Doctor (quamquam etiam Doctor est, et exemplum) sed venit, ut Redemptor: quia hoc est decretum in consilio trinitatis, deprecante pro nobis Filio Dei, ut derivaretur ira in hunc Filium, et genus humanum reciperetur propter ipsum, et donaretur nobis ipsius iustitia, et quidem donaretur imputatione, et effectione. Utrumque dico, sed effectio complebitur primum post hanc vitam, sed tamen hic inchoari oportet. Ipse in cordibus nostris accendit novam iustitiam, sapientiam, et vitam.

De applicatione, quae fit per fidem, postea subinde monebimus.

Propositio sequentis Concionis.

Nunc dicemus de hoc ipso capite, in quo continetur precatio Filii Dei, quae saepe est repetenda; imo quotidie, quando nostram precationem instituimus, intuenda est, quia debemus nostram precationem adiungere ad precationem illius summi sacerdotis. Non imaginamini, semel tantum sic precatum esse, sed ideo publica voce hic precatus est, ut Ecclesia audiret applicationem sacrificii sui.

Eadem precatio dicta est in aeterno consilio, quando deprecatus est Filius Dei pro genere humano: Et fuit haec precatio eius gemitus in his terris per totam vitam, imo omnibus temporibus a restitutione Adam. Hoc diligenter memineritis, quod sit perpetua precatio, et gemitus perpetuus Filii Dei.

Deinde cogitate apud animos vestros, illam precationem esse ardentissimam vocem omnium, quae unquam in coelo et inter terra sonuerunt. Nulla fuit ardentior vox audita in coelo et in terra, quam ista.

Commonefaciat autem nos statim haec precatio de officio summi sacerdotis Christi. Nam quia Dominus est sacerdos, stat hic, et dicit precationem, et applicat suum sacrificium.

Quid est summus sacerdos?

Alii sacerdotes sunt participatione sacerdotes, et sunt discernendi ab hoc sacerdote, propriissime sic dicto. Nos non sumus summi sacerdotes. Levitici sacerdotes, fuerunt typici sacerdotes: qui non recte docent, non sunt sacerdotes, ne quidem participatione, ne ne quidem typici.

Summus sacerdos est persona immediate ordinata divinitus ad docendum Evangelium, ad sacrificandum pro caeteris, ad orandum, seu ad deprecandum pro eis, et habens testimonia, quod exaudiatur.

Sic propriissime definitur Sacerdos; Christus primum est persona immediate ordinata a Deo, imo iste est primum omnium ordinatus, et est missus ad docendum Evangelium. Per ipsum primum patefit Evangelium: *Semen mulieris conculcabit caput serpentis;* ibi primum edita est promissio Evangelii: Revelatio quae est facta ad Adam, facta est per ipsum. Ipse est persona loquens, et de se loquitur, cum dicit de semine mulieris conculcaturo caput serpentis. Hoc Evangelium praedicavit postea per prophetas, et rursus in assumpta carne praedicavit in suo ministerio, sicut hic inquit: ***Haec est vita aeterna, ut agnoscant te verum Deum, et quem misisti Iesum, esse Christum.***

Qualis est haec praedicatio:

Vita aeterna est notitia Dei est Christi?

Est formalis; alius diceret esse effectivam causae efficientis; etiam non malum est, sed illud est accommodatius: quia vita aeterna est illa ipsa nova lux, agnoscens verum Deum, et cernens hunc Iesum (qui missus est) esse Christum.

Quid intelligis per hanc phrasin:

te solum verum Deum?

Solus excludit omnia commenticia numina. Est positum ad differentiam Dei revelati in Christo, et omnium commenticiorum numinum. Postea dicitur, *Iesum esse Christum:* id est, esse salvatorem, non prophetam tantum: non Moisen, non Esaiam, non Ieremiam, sed esse hunc redemptorem, qui est Filius tuus, in quem derivatur ista magnitudo irae.

Sic autem nosse eum oportet, ut credamus, nos propter eum recipi, sicut Apostoli dicunt: *Huic prophetae omnes testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accipiant omnes qui credunt in eum.* Credere non tantum significat nosse historiam, sed significat erigi in magnis doloribus, et statuere, quod propter hunc Filium recipiamus iustificationem, fiamus haeredes vitae aeternae, donemur iustitia, et vita aeterna. Hac fide ipse est efficax in cordibus, et accendit per Spiritum sanctum hanc novam et aeternam vitam. Sic Esaias quoque dicit: *Notitia servi mei iusti iustificabit multos*; quasi dicat: Non erunt homines iusti lege, sed agnitione huius Domini.

Sed redeo ad definitionem Sacerdotis, in qua iam dictum est, quod sit *Persona ad praedicandum Evangelium ordinata.* In hoc ipso capite praedicat Evangelium, et omnibus temporibus servat ministerium in genere humano.

Postea sacerdos est constitutus ad sacrificandum pro aliis, et ad deprecandum. Hic sciatis: Ubicunque fit mentio sacrificiorum, simul est intelligenda applicatio sacrificii, sicut videtis in lege expresse positas esse multas. Quando sacerdos sacrificabat pro alio, nominatim dicebat: *Ego pro ipso tibi offero hoc sacrificium.* Sed in lege Moisis tantum erant typica sacrificia, quae significabant hoc futurum sacrificium Christi, qui et ipse hic stat et applicat sacrificium: *Ego me pro ipsis sanctifico*: id est, offero. Item: *Rogo non pro eis tantum, sed pro omnibus credituris per verbum ipsorum.* Ipse orat pro toto genere humano: id est, omnibus accipientibus.

Singuli cogitemus: Christus est tuus sacerdos, ergo orat pro te: *Ego*, inquit, *oro pro omnibus credituris per verbum eorum.* Hic pro te orat, et pro singulis credentibus. Postea habes vocem Paulinam: *Sedet ad dextram patris assidue interpellans pro nobis.* Sed hic solenni voce et precatione applicat sacrificium suum. Hoc diligentissime observandum est.

Omnis sacerdos facit applicationem sacrificii et precationis; sicut nos etiam sacrificantes suo modo, id est, orantes applicamus orationem pro Ecclesia, pro nobis, et aliis, et ostendimus nos pro illis petere. Haec ipsa precatio est sacrificium, non propitiatorium, quod mereatur, sed sacrificium laudis vel eucharisticum, sunt vituli labiorum, ut Prophetae loquuntur. Tantum unicum est sacrificium propitiatorium, quod placat iram aeterni patris, videlicet, hoc sacrificium Filii, quod ipse applicat nobis hac voce: *Ego me sanctifico pro eis.*

Iam sequuntur caetera membra precationis, in quibus consideretur magnitudo sapientiae. Respicite ad humana exempla.

Augustus constituerat Romanum Imperium legibus, et distributione exercituum in provinciis. Sperabat, si maneret illa constitutio, Imperium fore perpetuum; igitur moriturus optat conservari illum ordinem, et cum ad se vocat Tiberium, maxime optat conservationem istius Imperii; et ut possit stare, simul optat concordiam, de qua recte dicitur: *Concordia parvae res crescunt: discordia maximae dilabuntur.*

Cogitate, quid noster Imperator nunc cogitet, et diu cogitavit: Libenter vellet relinquere Imperium tali successori, qui possit esse instar capitis orbis Christiani: sicut memini Maximilianum dedisse mandatum legatis Casimiro Marchicni, et Henrico Nassaensi ad Ducem Fridericum, ut operam daret, quo eligeretur talis Imperator, in quo orbis Christianus haberet caput, quod possit reliquam Europam continere: *Das die Christenheit ein haupt hette, daran sie sich halten kondte, und das ein solch ansehen hette, das die andern herrn ein schew dafur hetten.* In quo capite esset auctoritas conveniens summo fastigio.

Verum Christus de multo maioribus rebus precatur, quamquam etiam de concordia dicit. Praecipue sunt hic tria membra: primum membrum, ut conservetur veritas, seu puritas doctrinae: Secundum, ut sint concordes Doctores, et ut tota Ecclesia sit concors: Tertio, ut simus, ubi ipse est, id est, ut propter ipsum donemur iustitia et vita aeterna.

Quando dicit: *Pater sanctifica eos*: loquitur de ministerio: petit, ut conservetur doctrina, conservetur ministerium perpetuo. De concordia dicit, *ut sint unum in nobis.* Denique cum ait: *Volo, ut ubi ego sum, ibi sint et ipsi*; precatur, ut consequamur ultimum finem, ad quem colligitur Ecclesia, videlicet ut simus participes aeternae consuetudinis Dei cum ipso.

Haec tria petit, et haec tria quotidie nos petere debemus, sicut omnes Sancti faciunt. Debemus nostra vota et gemitus ad precationem huius summi Pontificis, summi sacerdotis filii Dei adiungere, propter quem exaudimur. Nam haec dantur generi humano propter ipsum, non propter nos. Nos fruimur ipsius merito et beneficio. Sed expendamus nonnihil membra singula.

Pater, serva eos in nomine tuo: id est, in agnitione, invocatione, celebratione gloriae tuae. Omnes illae expositiones concurrunt in unam sententiam: Petit servari puritatem doctrinae, sicut postea ipse exponit: *serva eos in veritate tua*; retineant veritatem, sermonem tuum. *Quia tuus sermo est est veritas: Sanctifica eos per sermonem tuum, qui est veritas.* Hoc autem fit per vocem Evangelii, ut in sequentibus magis declarat: Retineant sermonem tuum, et tu sis efficax per illam vocem Evangelii.

Est una et eadem sententia saepe repetita, sicut fit in precationibus: unam et eandem sententiam saepe repetimus. Semel quidam venit ad me, interrogavit de precatione, cur toties repeteretur eadem precatio Dixit non esse repetendam eandem precationem; quia repetens dubitaret de priori precatione. Quam stulta est haec imaginatio. Non ideo dubitatur, quia repetitur precatio, sed significatur magnitudo desiderii; et deinde, etiamsi est confessio imbecillitatis seu dubitationis, tamen non propterea nulla est fides, nam fides etiam languida debet crescere.

Observate hoc, quod fides et ardor in precatione plerumque se ita habeant, sicut motus animalis.

Quomodo differunt motus animalis violentus et naturalis?

Motus naturalis est tardior initio, et celerior in fine. *Ein stein ihe lenger er felt, ihe eilender er felt*: lapis quae diutius per aerem defertur, eo maiori impetu tandem decidit in terram. Contra: Motus violentus est vehementior initio, et languidior in fine, *nimpt immer abe*, decrescit paulatim, sicut alioqui quidquid violentum est in principio, id evanescit ad extremum. Motus animalis est in fine et principio languidior; quia est mixtus motus. Sic etiam precatio initio adhuc est languida, postea magis magisque cum intenditur pectus, et tamen (ut est hominum natura) ad extremum fit rursus languidior, cum intentio animi quodammodo defatigata est.

Ideo saepe in precationibus eadem sententia repetitur. Videte amantes quomodo loquantur, quoties repetunt eandem sententiam. Sic etiam fit in precationibus. Saepe repetitum est membrum, in quo precatur Filius Dei, ut Pater servet Ecclesiam in genere humano, et non sinat deleri veritatem: Propter hanc precationem Christi servatur vox Evangelii, et semper sunt aliqui in Ecclesia, qui petunt, gemunt, et precantur idem propter meritum Christi, non propter nostra merita.

Ubi tu hoc petis?

An unquam serio petivisti, ut Deus servet veritatem et Ecclesiam? ubi? quibus verbis? *Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum.* Est prima petitio in oratione Dominica. Ita videtis, quomodo ista congruant. Addatur autem et altera petitio: *Adveniat regnum tuum*; tu colligas et regas Ecclesiam per verbum tuum dato Spiritu sancto.

Ita in duabus istis petitionibus idem petis, quod Dominus hic orat; sed ipse pro toto genere humano petit, et ipse certo exauditur; nos etiam debemus petere, sed sciamus, nos exaudiri propter ipsum: debet esse eadem vox praecentoris et chori accinentis: ipse praefatur precationem, nos debemus subsequi: *Serva eos in nomine tuo*: id est, in agnitione tua. Eandem sententiam repetit etiam in his verbis: *Sanctifica eos in veritate tua.*

Hic discamus simul, quod per ministerium non aliter velit sibi colligere Deus Ecclesiam, et nos facere eius membra. Nihil est, quod aliqui dicunt: quid ego faciam? si cuderem singularia opera, vellem etiam fieri membrum Ecclesiae.

Omnes illae speculationes sunt hominum non intelligentium doctrinam de fide. Nos fide adducimur ad hunc Dominum: Oportet nos audire vocem, et acquiescere in hac voce. Quod cum facimus, vere iuvamur et sanctificamur, et vere efficimur membra Christi et Ecclesiae. Hoc docet Christus, cum inquit: *Sanctifica eo in veritate tua.*

Hic damnatae sunt omnes opiniones, omnes sectae extra verbum Dei, Mahometistae, faeces humanarum traditionem et haeresium, sive Monachatus, sive Papatus, vel quomodocunque nominentur: nos sumus alligati ad hoc verbum. Id etiam continetur in hac sententia, sicut valde multa comprehenduntur. Atque haec est prima pars precationis, quam bene considerare debetis.

Secunda pars est de concordia, etsi simul miscet alias sententias, ut fit in Schetliasticis materiis, et in affectibus vehementioribus, *Serva eos, ut sint unum in nobis.* Vult Ecclesiam esse concordem. Non potest esse diuturna societas sine concordia. Ideo Plato dicit, *ὑπόθεσις τῶν νόμων ἐστὶν, ἵνα οἱ πολῖται ἀγαθοὶ ὦσιν καὶ ἀλλήλοις φίλοι.* Aristoteles narrat fuisse latrunculos, qui aliquamdiu una exercuerant latrocinium; orta est inter eos dissensio sicut solet fieri: *Omne malum destruit se ipsum, πᾶν κακὸν φθαρτικὸν ἑαυτοῦ*: econtrario, *πᾶν ἀγαθὸν σώζει καὶ συλλέγει ἑαυτό.* In bono tria sunt: Omne bonum est conservativum, congregativum et communicativum sui: Deus est conservativus, et est congregativus, fovet totam naturam, et est communicativus sui: Communicat nobis omnia beneficia corporalia et spiritualia. Hoc universale est etiam in bonis hominibus: Et observandae sunt illae particulae, quae ponuntur in descriptione boni, vel proprietatum boni. Malum e contrario, est destructivum sui, et est disgregativum, et est invidum, *κακὸν φθαρτικὸν ἑαυτοῦ, καὶ διαλυτικὸν, καὶ φθονερόν.*

Illi latrunculi coeperunt dissentire, et unus interfecit alterum: postea reliqui duo dixerunt: quid faciemus? Si dimicabimus, perinde erit, ac si sinistra dextram amputet.

Ita fit, quando impendent magnae poenae, sicut inquit Esaias de dissensionibus civilibus: *Manasse comedit humeros suos et brachia sua. Das sich ein mensch selber frist.* Quod est tristissimum spectaculum, quale saepe cernitur in istis, qui fame necantur, ut narravi vobis alias exemplum, quod debetis meminisse.

Fuit quidam nobilis in ducatu Wirtenbergensi, cepit moechum uxoris suae, hominem nobilem, et

collocavit eum in carcerem, quotidie iussit ei afferri carnes assas, non ut praeberentur ei ad vescendum, sed tantum ut odore nonnihil reficeretur, atque ita diutius cruciaretur: imo ut fames ipsa in eo magis irritaretur. Ille, quia erat ligatus, apprehendit humeros et brachia, quantum ore et dentibus consequi poterat, et voravit carnes proprias, et vixit usque ad diem undecimum. Sic ille adulter est mortuus. Est vera historia, quam mementote, ut poenam adulterii.

Talia igitur exempla intuetur Esaias, sapiens propheta, et dicit, Manasses devorat humeros suos, *frist sich selbst*: id est, discordia, civilis interficit propria corpora. Sic Germania nunc se ipsam devorat, ut videtis, postea nihil erit roboris adversus Turcas, et sic antea accidit in Ungaria et Graecia.

Semper discordia fuit exitiale venenum in imperiis. Sed discordia in Ecclesia est deterior: quia simul est contumeliosa adversus Deum, et destruit Ecclesiam. In discordiis de dogmatibus necesse est alteram partem errare, esse contumeliosam adversus Deum, esse membrum Diaboli, et horribiliter furere contra Deum. Deinde distribuitur Ecclesia: ideo Dominus precatur tanto ardore, ut nulla sit audita vox ardentior: *Serva eos in nomine tuo, ut unum sint in nobis.* Non sint unum in factionibus, sed in tuo nomine.

Saepe mali aliquamdiu consentiunt, sed non diu hoc fit: Christus vult esse consensum in veritate: hoc dicit, *ut unum sint in nobis.*

Iam cogitemus etiam nobis praecipi concordiam et studium concordiae. Nam ut conservetur concordia, necesse est, ut patienter tolerent alii alios.

Est insignis adhortatio ad concordiae studium in hoc etiam dicto: *Deus est dilectio; et qui manet in dilectione, in Deo manet.* Qualis est praedicatio: *Deus est dilectio*? Est Figurata per Antonomasiam: Deus est essentia, ardentissime diligens suam creaturam, et praecipue Ecclesiam, quam in prophetis etiam nominat *dilectam animam suam.* Significantur res maximae, cum dicitur Ecclesiam esse dilectam Domino, et Deum ardentissime diligere Ecclesiam. Vult autem nos quoque esse in dilectione copulatos: Ergo orat Christus, ut Deus sit in nobis, diligens nos, et tamen nos etiam non debemus ultro dilacerare concordiam.

Haec est secunda precatio, in qua videtis, quam ardenter preces fuderit de concordia et dilectione, et significatur simul, quod illa dilectio fiat Deo accendente et regente corda nostra.

Sequitur tertia precatio de ultimo, seu principalissimo fine: id est, propter quem caetera omnia sunt: Deus dedit verbum, patefecit se, quia nos vult salvos, et haec est finalis causa passionis Christi, missi et exhibiti, et quidem ultima et principalis causa, ut genus humanum redemptum sit in omni aeternitate, in aeterna consuetudine cum Patre et Filio et Spiritu sancto, et communicet Deus sapientiam suam, iustitiam suam toti naturae rationali, angelis et hominibus, qui sunt in coelesti consuetudine extra numerum damnatorum.

Hoc etiam est multis verbis repetitum in hac oratione, et pertinent huc ista quoque verba: *Ut videant gloriam meam, quam dedisti mihi*: *et quod dilexisti me ante constitutionem mundi: Pater iuste, mundus non novit te*, et quae sequuntur: sunt repetitiones eiusdem sententiae.

Tandem concludit: *ut dilectio tua, qua dilexisti me, in eis sit.* Hoc est insigne πάθος, quod singuli diligenter considerare debemus, *ut dilectio*, inquit, *qua me dilexisti, in eis sit*: id est, ut illa dilectione, qua me diligis, etiam ipsos complectaris, et tamquam membra mea, sic diligas eos, sicut me diligis.

Nulla creatura potest huius rei magnitudinem exhaurire, quod Christus hic petit, ut pater diligat eos eadem dilectione, qua diligit Filium. Parentes sciunt aliquo modo, qualis sit affectus amoris erga natos, sed alium diligere, sicut natum, est res extra communem captum. Significatur igitur amor singularis et στοργὴ inimitabilis in alia persona, cum dicit, quod aeternus Pater ardenti amore nos amplectatur, et recipiat propter Filium.

Ego ero in eis.] Non tantum dicit de praesentia, sed de efficacia praesentiae, de praesentia sanctificante per Spiritum sanctum et salvificante. Personae sunt indivulsae, Pater, Filius, et Spiritus sanctus; sed tamen homo est habitatio Dei, et dicitur tunc templum Dei, quando sic adsunt Pater, Filius et Spiritus sanctus, utsit efficax Pater et Filius per Spiritum sanctum, iuxta dictum: *Spiritus vivificat*: et, ut in Symbolo dicitur: *Credo in Spiritum sanctum vivificantem.* Ipse Spiritus sanctus est persona, per quam accenditur novitas: quamquam personae sint indivisibiles. Observate hoc πάθος: *ut dilectio, qua me diligis, sit in eis.*

Iam accendantur corda nostra ad precationem. Sciamus summum Pontificem praeire nobis, praefari nobis: quare una petamus, et quidem petamus hac ipsa precatione filii Dei pro nobis precantis.

Postremo pertinet etiam ad sacerdotem, ut habeat testimonia, quod exaudiatur. Sunt ergo testimonia illa, primum omnia miracula, deinde quod expresse sic Dominus ipse dicit: *Scio, quod me exaudis* et Psal. 2. scriptum est: *Postula a me et dabo tibi gentes.* Similis promissio est etiam in illo dicto: *Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Ideo constituit eum sacerdotem, quia vult eum exaudire. Item in hoc textu dicitur: *Omnia tua mea sunt, et quae vult Filius, eadem vult Pater.*

Haec etiam pertinent ad testimonia, quod ipse exaudiatur.

Hac fiducia debemus nos precari, quod scimus istum sacerdotem pro nobis precari et exaudiri. Debemus statuere, quod propter ipsum recipiamur et exaudiamur, et quod sit ideo constitutus sacerdos, ut colligat sibi Ecclesiam aeternam, quam tandem adducet ad patrem, ut sit gloriae ipsius particeps.

Saepe relegite hoc caput, et exuscitate vos etiam ad precationem, et cogitare, quod illae res tantae sint, ut necesse sit, saepe earum considerationem repeti, modo velimus aliquid de nostra salute cogitare. Cogitemus autem magnitudinem communium miseriarum, et istas ingentes calamitates, quibuscum conflictatur Ecclesia in hoc mundo, et petamus, ut Deus leniat aerumnas, et respiciat nos miseros propter Filium, non sinat omnia dissipari, et deleri, sed servet nos, ut simus unum in ipso.

EXCERPTA EX RHAPSODIIS EXPLICATIONUM EIUSDEM TEXTUS, ANNIS SEQUENTIBUS.

Quod servandus sit ordo et distinctio temporum sine superstitione.

Quamquam hoc tantum opus, videlicet redemptio generis humani per mortem Filii Dei quotidie est considerandum omnibus momentis, tamen Ecclesia certo tempore voluit proponi publice harum rerum mentionem: Quia distinctiones temporum commendant cognitionem historiarum populo; et vult Deus esse ordinem in docendo, ut alia aliis temporibus uberius explicentur.

Non simus ita barbari et agrestes, ut istum Ecclesiae morem, quae in omni aeternitate harum rerum memoriam celebrabit, ut nunc celebrat, contemnamus: sicut meminimus quendam phantasticum hominem, Doctorem Iacobum Schenck omnem ordinem temporum pervertere. Tempore nativitatis Christi concionabatur de passione, et tempore passionis de nativitate: putabat contrarium facere, esse superstitionem. Deus vult nos his temporibus cum maiori intentione animorum considerare consilium suum de redemptione generis humani, ut agnoscamus ipsius misericordiam, iustitiam, et immensum amorem, de quo in hoc capite dicitur: *Dilectio tua, qua me dilexisti, sit in eis.*

De triplici Meditatione passionis Christi.

Primum autem scire oportet vos adolescentes, triplicem esse meditationem, seu cogitationem de passione filii Dei: 1. cogitatio seu meditatio est paedagogica; 2. proprie est Evangelica, spiritualis. 3. exemplaris. Haec est utilis distinctio, et retinenda propter multas causas.

Paedagogica, primo loco ponitur; quia populo necesse est proponi historiam. Ac persuassimum esse debet omnibus, et infixum animis, quod semper doctrina seu cognitio antecedat efficaciam in corde, et quod accessus, aditus, ianua, porta sit illa vox docentis ad efficaciam divinam. Item lectio, studium, cogitatio, auditus.

Universaliter hoc verum est, *Ignoti nulla cupido.* Et, *Affectus sequuntur cognitionem*: et verissimum est, Deum esse efficacem, per vocem Evangelii. Haec est voluntas Dei, ut hic in textu dicitur, *ut agnoscant te solum verum Deum.* Item, *Sermo tuus est veritas.* Oportet audiri, cognosci, considerari sermonem, oportet iunioribus explicari vocabula. Huc pertinent et illae sententiae: *Evangelium est potentia Dei.* Item, *Evangelium est ministerium Spiritus.* Item, *Prope est verbum in tuo ore.* Oportet esse verbum in ore; oportet esse vocem docentis; ideo haec meditatio seu cognitio paedagogica prima est in ordine, et est gradus ad alteram praestantiorem.

Qui studium, cogitationem, meditationem negligunt, sunt barbarici et feri contemptores operis et ordinis divini. Deus etiam punit tales furores istorum hominum, qui contemnunt studium, meditationem, diligentiam docendi et discendi. Non est superstitio, ipsa cogitatio et meditatio. Aliud vero est postea affingere superstitiones alienas a proprio fine huius meditationis. Oportet homines discere historiam, et est mandatum divinum, ut discamus, et propter illam paedagogiam sunt instituta discrimina temporum, ut aliis temporibus aliae historiae proponantur: Nondum tamen illa meditatio est iustitia coram Deo: oportet accedere secundum gradum, qui vocatur *meditatio Evangelica*, et *spiritualis.*

Haec est, expavescere agnitione irae Dei in consideratione mirabilis illius sapientiae et decreti, quod oportuit Filium fieri victimam pro genere humano, et rursus erigi consolatione, quod propter Filii passionem donemur iustitia et vita, et simus certo recepti a Deo. Haec meditatio habet ardentes motus in corde, ut experimur: quia et pavor sentitur, et laetitia in consolatione; et ideo vocatur *spiritualis*, quod sentitur. Non est mortuum quiddam inanime simulatum, sed sunt veri pavores, et verae consolationes.

Haec meditatio est magni momenti: quia intuetur decretum, mirabili temperamento misericordiae et iustitiae factum de redemptione generis humani. Deus remittit peccata, non ex futilitate, sed vult simul servari ordinem iustitiae mirabili consilio, quod etiam angeli admirantur, et nos discemus in tota aeternitate. Sed tamen hic aliqua esse debet consideratio istarum rerum.

Lex divina est immota, ideo legi satisfieri oportuit vel per obedientiam, vel per poenam; et oportuit in genere humano esse aliquem, qui esset innocens, et sustineret poenam pro caeteris. Sic igitur Filium Dei oportuit esse hominem, qui sustineret hanc poenam, et haec causa semper recitatur, quando quaeritur:

Quare filius Dei assumpserit humanam naturam?

Genus humanum peccaverat, ideo aliquem in genere humano oportuit sustinere poenam.

Postea adiunguntur aliae causae, cur mediatorem oportuit esse non tantum hominem, sed etiam Filium Dei: id est, personam omnipotentem, scilicet ut esset aequivalens pretium. Tanta res est peccatum, tantum malum, ut nulla creatura potuerit esse aequivalens pretium. Ista non intelliguntur, sicut natura scimus bis 4 esse 8; et tamen non minus firma esse debent, quia sunt divinitus tradita. In illo igitur arcano et mirabili decreto conclusum est, ut Filius esset pretium illud et victima: Quia oportuit in λύτρῳ esse infinitum bonum, sicut peccatum est infinitum malum.

Praeterea nulla creatura potuisset sustinere poenam, multo minus potuisset esse victrix mortis. Haec cogitanda sunt cum attentione et reverentia.

Est et hoc observandum. Mediatoris est non tantum esse redemptorem, sed etiam custodem assiduum, item deprecatorem coram Deo. Nulla autem creatura potest intueri hominum corda, et intelligere mala, quibus premuntur singuli: multo minus potest ubique esse praesens: Quia creaturae non est omnipotentia aut omnipraesentia. Item, creatura non ingreditur in sanctum sanctorum: non videt cor et voluntatem aeterni patris. Filius Dei, qui redemit nos, simul est constitutus redemptor et custos Ecclesiae: stat coram patre, intercedit pro te et pro me, et adest etiam nobis, et est custos noster. Idem intercedens pro nobis, videt motus cordis Patris, sicut inquit: *Nemo novit Patrem nisi Filius.*

Hanc sapientiam discemus in illa aeternitate: sed debemus reverenter inchoare quantulacunque; cogitatione. Non simus ita barbarici et agrestes, ut putemus nihil esse cogitandum de istis rebus, sed tantum esse tumultuandum. Illa sunt pia et tacita cogitatione persequenda; et cogitandum est, peccatum esse rem horribilem et tantum malum, ut non potuerit deleri, et placari ira aeterni Patris, nisi morte Filii.

Videtis, quam magnae sint in genere humano calamitates, furores, miseriae, bella, vastationes, aerumnae innumerabiles. Horum omnium prima causa est peccatum, sicut primo loco scitis peccatum nominari, quoties quaeritur, quare genus humanum oppressum sit calamitatibus tam multis et magnis? Sed omnia illa spectacula, quantumvis tristia, ut certe tristia sunt spectacula, morbi, fames, mors, et aliae miseriae multae, tamen non ita evidenter indicant, non ita ostendunt iram Dei adversus peccatum, sicut mors Filii Dei pendentis in cruce.

Haec omnium maxime ostendit magnitudinem peccati et irae Dei, ut quae non potuerit placari illis ingentibus aerumnis in genere humano: sed unica morte filii Dei. Ideo dixi, quod meditatio spiritualis est, quando expavescimus agnitione irae Dei, et vere afficimur magnitudine illius, intuentes in Christum pendentem in cruce.

Oportet autem accedere consolationem: non oportet manere in morte, sicut revera peccatum mergit hominem in mortem, sed eluctandum est: Filius ideo donatus est nobis, ut sit salvator ex morte, ille est dominus vitae, ut inquit Psalmus 68. *Est Dominus, qui ex morte liberat.* Sciamus igitur, peccata remitti propter hunc Filium, exaudiri, fieri haeredes vitae aeternae. Hoc consolatione erigamus nos, accedamus ad Deum, petamus, et sciamus quoque nobis exhiberi remissionem peccatorum.

Ad utriusque rei memoriam instituta est coena Domini, iuxta verba Christi: *Hoc facite in mei memoriam.* In quam memoriam? 1. quod Christus patiatur, et fiat victima propter peccata; 2. quod hic sanguis sit effusus in remissionem peccatorum: id est, quod nos accipiamus remissionem peccatorum propter hanc victimam. Huius rei celebrationem et repetitionem assiduam vult Deus esse in Ecclesia, ideo instituta est coena Domini. Et hic discamus sententiam: *Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis iustitiae, et tunica salutis.*

Quamquam sumus miseri, contaminati, aerumnosi, tamen statuamus nos indutos vestimentis iustitiae. Credamus nobis imputari iustitiam propter Filium Dei. Hac iustitia vestiti exaudimur, iuvamur, sumus haeredes vitae aeternae.

Tertia meditatio est exemplaris, id est, sicut Christus fuit obediens in suis afflictionibus, ita in nostris aerumnis obtemperemus voluntati Dei. Sic in genere possum dicere de aliorum praestantium aerumnis, sicut martyres fuerunt tolerantes, ita et nos simus tolerantes. Sed magna differentia est inter Evangelicam, et exemplarem meditationem. Evangelium dicit de dono, non de exemplo, scili-

cet quod passio sit donata nobis, sit sacrificium exhibitum Deo pro nobis. Hanc differentiam mementote propter illos phantasticos, qui dicunt, Christum exhibere exemplum perfectae fortitudinis et virtutis in passione, non dicunt de sacrificio et causis redemptionis.

Brevis explicatio singulorum membrorum ultimae precationis Christi.

In capite 17. Iohannis est precatio et applicatio, et quidem in principio capitis est precatio Christi pro sese: quia enim ipse est caput Ecclesiae, orditur a sese, ac petit ab aeterno Patre, ut adsit ei potentia divina, in tanta humiliatione et oppressione, in tam acerba passione.

Personae in historia passionis sunt multiplices: primum patiens persona, est Filius Dei; actores sunt persequentes multipliciter; alii consiliis, alii armis, alii proditionibus: sunt aliae etiam personae piae, quae afficiuntur dolore propter Christum, sed languidae, alii magis, alii minus: Maria ingenti dolore affecta est: alii sunt admodum frigidi, ut Apostoli dormiunt, nihil tale exspectant, qualia postea acciderunt. Sunt aliquae personae dura patientes; est etiam maxima multitudo persequentium. Postea est coetus aliquis eorum, qui frigide afficiuntur.

Excitemus autem nos, ut aliquo modo adficiamur cogitatione harum rerum. Simus ex personis, quae adficiuntur dolore cum Christo. Quod ita fiet, si intelligamus, qualis sit haec illius passio, et quod propter nos eam sustinuerit.

Christus hic concione, quam inter coenandum habuit, finita, stat inchoans precationem, sicut usitatum est etiam in nostris templis. Semper concioni est subiicienda precatio.

Prima pars precationis Christi.

Magna autem motu animi, oculis sublatis in coelum, incipit precationem: *Pater, glorifica me. Filium tuum, ut Filius tuus te glorificet.* Hic incidit simul testimonium, quod in Christo sint duae naturae divina et humana. Divina, qua est Filius coaeternus Patri; et humana, quam assumpsit, ideo postea rursus dicit: *Glorifica me ea gloria, quam habui apud te, priusquam hic mundus existeret.* Ita igitur precatur pro sese, quia agon tantus est, ut non possit sustineri, nisi sustentante divina potentia.

Additur autem causa finalis, cur petat auxilium, *ut et filius tuus te glorificet.* Item, *Ut, quos dedisti ei, det eis vitam aeternam.* Vult dicere: Hic agon ideo abs te ordinatus est, ut hac mea obedientia satisfiat iustitiae tuae, deleatur peccatum, et Ecclesia meo sanguine redimatur, celebratura te in aeternum.

Postea intexit, seu miscet doctrinam: *Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum.* Nomen *Christus* ponitur appellative. Complectitur autem hoc dicto summam doctrinae Evangelii. Verbo *agnoscendi* intelligatur non tantum notitia historiae, sed vera fides lucens in corde. Observanda est enim phrasis Hebraica. Hebraei multum utuntur verbis cognitionis pro verbis appetitionis et affectuum, qui comitantur cognitionem: ut *Dominus novit viam iustorum*, id est, approbat, tuetur, et aspicit cum benevolentia. Ita hic inquit: *ut agnoscant te*; et docet, quomodo sit agnoscendus, scilicet, *te esse Deum, qui misisti Filium.* Sic argumentor:

Invocans conditorem coeli et terrae, invocat verum Deum:

Turcae invocant conditorem coeli et terrae:

Ergo invocant verum Deum.

Respondeo. Nego Minorem; quia negant hunc conditorem, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi: Homines fanatici fingunt omnes religiones unam esse religionem: fingunt veri Dei invocationem esse compellationem alicuius ignoti numinis, quod condiderit omnia. Non amemus tales furores: sciamus Deum velle agnosci et invocari, sicut se patefecit, misso Filio. In precatione debetis cogitare: Ego te invoco pater Domini nostri Iesu Christi. Postea et hoc ad agnitionem Dei pertinet: Illum Iesum esse Messiam, propter quem genus humanum recipiatur, et exaudiantur invocantes.

Et haec sunt discrimina invocationis Ethnicae et Christianae: Sunt enim haec duo praecipua et principalissima: etsi etiam alia sunt discrimina: Primum, Turci errant de essentia, quando invocant aliquid, quod non est Deus. Non dicunt hunc conditorem esse, qui est pater Domini nostri Iesu Christi. Secundo, errant de voluntate: accedunt ad Deum sine mediatore, et sine promissionibus: ideo coguntur dubitare: quia non sciunt, an habeant remissionem peccatorum: nos autem accedimus mediante mediatore. Utrumque discrimen in hoc dicto comprehensum est, *ut agnoscant te verum Deum, et quem misisti Iesum, esse Christum.*

Qualis est praedicatio: Agnitio veri Dei et Christi est vitae aeterna?

Non est figurata praedicatio. Cum dico: Calor est qualitas, Qualis est praedicatio? Est Generis de Specie: sed haec integra definitio est: Cum dico: Iustitia est virtus, suum cuique tribuens, Est praedicatio definitionis de definito: ita et hic est praedicatio definitionis de definito, et dicitur *Formalis*: quia exponit, quae res sit vita aeterna. Nonne est illa nova sapientia et iustitia aeterna? Vita aeterna est quoddam vivere, et est vivere in illa iustitia et sapientia aeterna. Haec sunt formalia, pertinentia ad definitionem vitae aeternae.

Alii solent dicere, esse praedicationem figuratam per Metalepsin: id est, agnitionem esse causam vitae aeternae, sed prius illud est rectius: Dicatis esse praedicationem definitionis de definito. Quando dicimus: fide iustificamur, non est figurata praedicatio, sed est causalis. Fides habet se ut organon, accipiens promissionem et beneficia divina.

Intelligatur autem illa definitio vitae aeternae, non solum de vita futura, sed etiam de inchoatione vitae aeternae in hac praesenti vita. Illa futura vita erit conspectus seu visio Dei, et erit consummatio in nobis sapientiae, iustitiae, vitae et laetitiae aeternae. Inchoatio autem vitae aeternae est in hac vita, fide agnoscere hunc aeternum Deum, qui misit Filium, et est agnoscere eum placatum esse per Filium, et invocare eum, petere et exspectare consolationem in omnibus aerumnis. Haec fides et consolatio in veris doloribus, est gustus vitae aeternae.

Cogitate, quanti fuerint motus Christi accessuri ad illum agonem. Ibi multa quoque dixit, quae ad doctrinam pertinent, ut hic patefacit et sancit immotum et aeternum decretum, quod in agnitione Filii Dei simus habituri certo vitam aeternam.

Postea repetit precationem pro sese: *Glorifica me*: et allegat causam, ut antea, scilicet ipsum consilium Dei, seu ordinationem divinam: Tu voluisti te patefacere misso Filio; vis per me redimi genus humanum, vis me fieri victimam et placatorem: *Ecce glorificavi te super terram, et perfeci opus, quod dedisti mihi, ut facerem*: id est, complevi cursum meae vocationis, praedicavi Evangelium, et offero me iam ad patiendum. Praeteritum tempus est intelligendum cum quadam Synecdoche. Significat se iam esse prope finem. *Nunc vicissim me glorifica*: id est, adiuva me, ne succumbam in hoc agone: et, *restitue mihi gloriam aeternam, quam apud te habui, antequam mundus conderetur.* Hinc sequitur, si Filius fuit ante mundi creationem, non est creatura: item, est hyphistamenon etiam ante incarnationem: denique est Deus.

Deinde pergit explicare, quibus rebus glorificaverit patrem, scilicet, quia Evangelium ex arcano sinu Patris prolatum, tradiderit Apostolis et aliis auditoribus suis, et addiderit testimonia miranda, resuscitationes mortuorum, et alia quae convincunt, hanc doctrinam veram esse. *Patefeci*, inquit, *nomen tuum*: Sparsi doctrinam de te, feci te notum. Et hic inserit descriptionem Ecclesiae, quae accipit doctrinam, *Dedi hominibus, quos dedisti mihi e mundo; tui erant, et mihi dedisti eos, et sermonem tuum servarunt*: id est, illi vere sunt electi, qui accipiunt verbum tuum, et custodiunt illud fide et bona conscientia.

Non enim legaliter phrasis intelligenda est de perfectione obedientiae erga legem, sed loquitur de Evangelio, quod ita servatur cum apprehenditur fide, et exercetur in invocatione, et ad alios fideliter propagatur, cum studio retinendi iustitiam bonae conscientiae. Sic arguo:

Nemo satisfacit legi:
Ergo illi non servarunt sermonem.

Respondeo. Non est intelligendum legaliter, sed Evangelice. Loquitur de custodia et professione verae doctrinae, in fide et bona conscientia. Servare sermonem, non significat hic idem, quod in dicto illo legali: *Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quae sunt scripta in lege.* Haec non intelligunt, qui non sunt recte instituti, qui non intelligunt legi non praestari in hac vita integram obedientiam, qui ignorant placere Deo etiam inchoationem obedientiae propter Filium.

De hac explicatione solemus plura dicere in expositione dicti illius: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.* Nonne cogitas, hoc dictum esse inutile? Quia sic obiicit tibi lex:

Servare sermonem, est servare legem:
Ego non servo legem:
Ergo nihil ad me pertinet illa promissio.

Respondeo. Nego Maiorem. Dictum illud Christi, non est dictum legale: neque est idem servare legem, et servare sermonem Christi. Tu debes scire, te servare sermonem Christi: ideo cum in Minore dicitur: *Ego non servo*: respondere debes: verum est de lege, et quidem legaliter tantum intellecta sine Interpretatione legis Evangelica, sed servo Evangelice: disco et amplector doctrinam, habeo initia fidei, Illa bona conscientia profiteor.

Haec sententia clarissime docet, omnes amantes et complectentes doctrinam, docentes ac discentes esse domicilia Dei, et vera membra Ecclesiae, et pertinet haec sententia ad singulos. Unus-

quisque discens, audiens, amplectens doctrinam Evangelii, est membrum, et servat sermonem Christi.

Augustinus corrumpit hunc textum, confundens legem et Evangelium. Defuit ei puerilis institutio illa de discrimine dictorum legalium et Evangelicorum: exponit legaliter et tamen plus intellexit de ea re, quam caeteri.

Sunt etiam multi Hebraismi in illa promissione: permutata sunt extrema, subiectum et praedicatum. Constructio est, servans sermonem meum, ipse est, qui me diligit. Pertinet hoc exemplum ad doctrinam conversionum. Similis oratio est in illo dicto Psalmi: *Beati immaculati, qui ambulant in lege Domini:* id est, ambulans in lege Domini, est beatus.

Quae sequuntur: *Nunc cognoverunt, quia omnia quae mihi dedisti, abs te sunt: Quia verba, quae dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere quod a te exivi, et crediderunt, quia tu misisti me;* rursus spectant partim ad descriptionem auditorum Christi, ut constet, quales sint electi, seu, quibus notis agnoscendi sint, quos pater dedit Christo: partim ostendunt dignitatem et efficaciam ministerii Evangelii, in quo patefit missio filii Dei ad Ecclesiam, et agnoscitur consilium Dei, volentis non aliter salvare homines quam per fidem in Christum.

Altera pars precationis Christi, quae pro Ecclesia instituitur.

Iam progreditur ad precationem pro Apostolis, et pro tota Ecclesia. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Mundum hic vocat synecdochice, partem generis humani persecutricem, et perseverantem in impietate. Alibi dicitur: *Sic Deus dilexit mundum,* id est, creaturam suam, genus humanum, et in eo electos: Hic ait: *Non pro mundo oro:* sed loquitur de damnandis, et non credituris. De multitudine illa, quae est reiecta, quae non est creditura: De qua loquitur etiam in verbis Psalmi: *Non assumam nomen eorum in labia mea.* Quae potest autem maior miseria accidere ulli homini, quam exclusum esse a deprecatione Christi, maledictum a Domino, et aeternae irae subiectum esse?

Divinitatis Christi rursus testimonium est in his verbis: *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* Quae sententia aliquoties etiam repetitur in concione Christi, quae praecessit hanc precationem.

Magna est autem consolatio, quod affirmat servantes sermonem Christi, *et suos, et sui patris esse;* et quod ait, *se in eis glorificatum esse.* Defenduntur ergo divinitus, etiamsi deserti sunt ab humanis praesidiis. Hac consolatione Ecclesiae opus esse, testatur Christus ipse, inquiens: *Iam non sum in mundo, et ipsi in mundo sunt.* Dicit se transiturum ex mundo, neque amplius futurum cum eis esse conversatione corporali et visibili. Discipulos vero suos ait vivere in hac confusione hominum, in qua plurimi sunt impii, alii tyrannici, crudeles, alii fanatici, aut haeretici, multi leves et perfidiosi, qui omnes hoc agunt, ut iustitiam Dei deleant, et Ecclesiam dissipent.

Magna sunt igitur pericula piorum, et in his petit eos servari. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo.* Ego simpliciter intelligo in agnitione tui. Haec vero complectitur simul invocationem, celebrationem, gloriam Dei. Erasmus varie vertit, alias *per nomen,* alias *in nomine:* quia phrasin non intellexit.

Declarat autem in sequentibus hanc generalem petitionem, et principaliter haec tria membra complectitur, praeter applicationem, quae etiam inserta est.

Primum petit, ut sit et permaneat Ecclesia: ea vero esse non potest, nisi maneat veritas; id est, non extinguatur lux Evangelii.

Secundo petit, ut sit concors in Deo.

Tertio petit id, quod est finale et ultimum, ut ipsa Ecclesia habeat vitam aeternam, id est, ut ei detur id, propter quod missus est.

Haec tria membra diligenter consideremus, nec quaeramus speculationes otiosas. Non sunt Magica verba, quae intelligi non possint: non est *βαττολογία* Monachorum, cui nihil rerum subsit: *andechtige Wort*, et nihil significantia.

Intuemini vitam hominum, ut intelligatis Christum precari de magnis rebus. Quid existimas sapientes gubernatores cogitare, quando sunt vicini morti? Unusquisque angitur de posteritate: multo magis bonus gubernator cogitat de posteritate. Optat ergo, ut maneat Respublica, ut sit imperium ordinatum legibus: Deinde optat, ut successores sint concordes. Eadem petit Christus, ut sit Ecclesia, retinens puritatem doctrinae, et ut sit concors, et quidem in Deo: sed addit aliud longe maximum de haereditate vitae aeternae: quia Filius Dei ideo venit, ut ex genere humano colligat sibi Ecclesiam, cui communicet suam bonitatem in omni aeternitate, quae agnoscat, et glorificet Deum, et cui vicissim impertiat sua beneficia.

Haec tria ergo petit Christus, et petivit omnibus temporibus, ut cum pro Adamo lapso oravit, et cum hodie etiam interpellat pro nobis apud Patrem: sicut est in Psalmo: *Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedek:* et apud Esaiam scribitur: *Sicut sponsus faciens sacerdotis*

officium in ornatu suo. Sponsus sponsam vult esse incolumen. Hic ergo stat ille sponsus, facit sacerdotis officium docendo, orando, patiendo.

Vere stat faciens officium in ornatu suo, qui duplex est. Primo, cruor sanguinis defluens, quando sudat sanguinem, quando corpus est cruentatum; ille est ornatus passionis et humiliationis: 2, alter ornatus est resurrectionis et gloriae; ibi indutus est veste immortali et sua gloria. Similiter stat coram patre, interpellat pro nobis, colligit et servat Ecclesiam.

Conferte membra precationis cum iis, quae petunt viri boni in communi vita: Unusquilibet paterfamilias moriens optat, suam familiam et posteritatem esse incolumem: postea etiam, ut liberi sint concordes. Magna est miseria, quando parentes, praesertim principes, relinquunt filios inter se dimicantes: aut quando hoc fit, quod est apud Livium: Sedit pater miserrimus iudicaturus inter duos filios. Sed illa sunt tantum bona huius vitae; Christus petit, ut Ecclesia sit constituta verbo Dei, et sic sit concors, ut mentes primum sint copulatae in Deo, sicut inquit: *ut sint unum in nobis:* id est, sint alligatae uni vero Deo, et eandem doctrinam amplectantur, et per unum Deum, et unam doctrinam inter se congruant. Denique orat, ut Ecclesia habeat vitam aeternam.

Hanc summam precationis Christi cum tenetis, facile iam verba ipsa assequi poteritis, in quibus crebra est earundem rerum repetitio. *Pater,* inquit, *serva eos in nomine tuo:* id est, in agnitione et invocatione tui. Agnitio complectitur invocationem, gratiarum actionem, fidem, spem, expectationem auxilii. *Nomen* plerumque significat *agnitionem,* ut in verbis Baptismi: *Ego baptiso te in nomen:* id est, agnitionem et invocationem huius Dei, qui est Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Simul autem describit haec clausula, qualis sit Ecclesia, videlicet quae agnoscit hunc verum Deum. Quando igitur dicit: *Serva eos in nomine tuo:* hoc ipsum petit, fac ut sit Ecclesia: postea, ut sit talis, quae te agnoscat.

Repetit autem subinde, *quod credentes sint ipsi dati a Patre, quod ipsos servarit in nomine Patris, dum visibiliter cum eis versatus fuit, quod nemo ex eis perierit praeter Iudam, qui fuerit filius perditionis:* id est, non fuerit ex illo numero salvandorum. Addit se precari pro eis, *ut habeant,* inquit, *gaudium meum impletum in se ipsis*: id est, ut habeant consolationem veram, non simulatam, non philosophicam, non curam palliativam, non destituentem corda in maximis periculis. Non loquitur de perfectione graduum. Vocat plenum gaudium veram et firmam consolationem dissimilem humanis consolationibus, etiam si nondum est omnibus gradibus perfectum, ut, Puer est perfectus homo substantia, etsi nondum quantitate: id est, Est revera homo, etsi nondum creverunt omnia membra ad eam altitudinem, vel usum, quem postea habebunt. In hac vita inchoatur gaudium. Postea erit plenum omnibus gradibus.

Ad pericula pertinet, quod mox addit: *Mundus eos odio habuit: Quia non sunt de mundo.* Sed in his periculis promittitur defensio: *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.* Sciamus igitur Ecclesiam in mediis periculis conservari: Quod multo est mirabilius, quam si statim abduceret Deus ex hac vita pios, quos vult prius in hac mortali vita discere doctrinam de Deo, et eam exercere, et propagare ad alios, et experiri vim et efficaciam doctrinae, et defensionem a Deo exspectare in multis et magnis miseriis huius vitae.

Ut autem haec pertinent ad petitionem illam, ut semper sit ac maneat Ecclesia, ita, qualis esse debeat, ostenditur his verbis: *Sanctifica eos in veritate: sermo tuus est veritas.* Hoc dictum bene mementote etiam propter hanc causam, ut sint vobis commendatiora studia doctrinae, ut magis ametis studia.

Sanctificare universaliter est dedicare usibus divinis. Homo transfertur ex regno peccati in regnum Dei. Haec est sanctificatio hominis, *Sanctifica eos*: id est, converte eos ad te, transfer eos ex regno peccati ad te. Hoc autem fit *in veritate,* quod ipse exponit: *sermo tuus est veritas:* id est, unica illa veritas, in qua tu vere agnosceris. Nam verbum est veritas unica, in qua Deus agnoscitur. Effice igitur, ut sint pueri in doctrina: non dominentur corruptelae: non misceantur aut inspergantur idololatrica isti doctrinae, sicut semper fit omnibus temporibus, ut cum cogitamus de horribili idololatria in Missa papistica, in cultu Sanctorum, et de aliis multis crassis erroribus.

Valde multa continentur in his verbis. Ego Grammatica tantum nunc tracto, quae occasionem praebent ad cogitandum de rebus ipsis.

Sanctum significat purum, et quidem sic purum, ut sit destinatum usibus divinis. *Sanctificare in veritate,* est servare Evangelium, et veram sententiam in mentibus piorum: deinde addere eam efficaciam in cordibus, ne sit otiosa notitia, sed vere ardeant in animis timor Dei, fides, dilectio. Hinc sequitur: Ergo sermo discendus est, amanda studia, Ergo ministerium audiendum est. Item, Ergo non est inanis sonus doctrina Evangelii, sed Deus est efficax per vocem docentis. Idem dictum est testimonium de Ecclesia, quod colligatur per vocem Evangelii.

Manifesta est etiam hic institutio ministerii: *Sicut tu me misisti in mundum, ita et ego eos mitto in mundum.* et simul consolatio de efficacia et fructu ministerii. Certum est Filium Dei non frustra missum esse, cum Deus tot manifesta testimonia

addiderit, ut ostenderet eum a Deo missum esse, et approbari hanc doctrinam, et vere daturum bona, quae promittit Evangelium. Sic igitur inquit Christus se Apostolos quoque mittere, ut ministerium ipsius sit efficax, et ut Deus per hoc inchoet vitam aeternam in omnibus, qui agunt poenitentiam, et vere credunt Evangelio.

Hic vero vocem illam memorabilem intexit: *Ego sanctifico me ipsum pro eis.* Hac voce applicat sacrificium suum: quia hoc est opus summi sacerdotis, non tantum sacrificare, sed etiam applicare sacrificium pro aliis.

Fuit consuetudo in lege, quando Israelita adferebat primitias: sacerdos eas accipiens, dicebat stans ante altare: Ago tibi gratias Domine Deus, quod eduxisti nos ex Aegypto, quod terram promissam nobis tradidisti, et oramus, ut populo tuo benedicas, et isti offerenti. Ita sacerdos faciebat sacrificii oblati applicationem in precatione. Non solum offerebat aliquid, sed accedebat oratio pro eo, pro quo fiebat sacrificium: Sic igitur et Christus facit, cum dicit: *Ego sanctifico me pro eis:* praesto tibi obedientiam hanc valituram, ut illis mereatur remissio peccatorum, ut ipsi quoque sint sancti tibi placentes, quod in textu dicitur: *ut sint sanctificati per veritatem:* scilicet imputata eis iustitia propter Filium, et simul inchoata in eis veritate: id est, vera agnitione Dei, et vera novitate, quae postea erit integra.

De hac applicatione sacrificii Christi et intercessione pro nobis, semper in omni vita cogitandum est. Sic enim recte de mediatore et sacerdote Christo cogitamus: cum intuemur eum pro nobis quoque intercedentem, et pro nobis applicantem sacrificium. Et sic Christus ipse dicit: *Oro non pro eis tantum, sed pro omnibus creaturis per verbum eorum.* Hic palam affirmat Christus valere suum sacrificium, non tantum pro Apostolis, sed pro omnibus, qui Evangelium amplectuntur, et quidem alligat nos ad verbum scriptum et traditum per Apostolos, ut sciamus nos recipi, quando confirmamus nos verbo.

Postquam de applicatione dixit, accedit ad secundum membrum precationis, *ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis sint.* Haec dicit de concordia. Scitis autem, quanta res sit concordia. Sed sapientia est videre, in quibus rebus concordia consistat, te temere dissolvatur. *Sint unum,* inquit, *in nobis:* quia potest etiam inter latrones aliquamdiu esse amicitia, sed non in Deo. Augustinus inquit: *Amicitia debet esse consensus rerum divinarum et humanarum:* videlicet, ut amici in illo tertio, scilicet in Deo conveniant, sicut dicitur. *Aequalia uni tertio, inter se sunt aequalia.* Quando homines non sunt unum in Deo, leves occasiones possunt dissolvere amicitiam: saepe repetit serio hanc vocem Christus, patheticis verbis: *Pater, sint unum, sicut et nos unum sumus, ego in te, et tu in me, ut sint consummati seu perfecti, seu coagmentati in unum.* Quare et nos simus studiosi concordiae, adhibeamus diligentiam, ne temere turbemus concordiam, sicut Salomon inquit: *Non sis velox ad loquendum:* non temere pronuntiemus, et Paulus inquit: *Tu quis es, qui iudicas fratrem?* Sed haec habent suos gradus et metas.

Quia vero toties inculcat hanc particulam: *sint unam in nobis, sicut ego et tu unum sumus:* discamus non simpliciter eum loqui de concordia civili, sed de tali concordia, ut mentes primum consentiant cum Deo, sint illustrati luce et veritate divina. Postquam autem copulati sunt homines cum Deo, tunc etiam retineri vult concordiam voluntatum, et animorum inter ipsos docentes, et vetat turbari Ecclesiam.

Postremo petit Christus: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi,* id est, peto, ut propter me salvi fiant, et sint participes meae gloriae.

In fine flagrantissimi amoris descriptio est, quo pater complectitur filium, et quo vult Filius, ut nos etiam pater complectatur; *Tu dilexisti me ante constitutionem mundi, sit dilectio tua, qua dilexisti me, in eis.* Postulat, ut dilectio, qua pater aeternus immenso amore diligit filium, sit in nobis: id est, ut sic nos diligat, sicut filium diligit: quia dilectio hic active intelligendum est.

Huius petitionis magnitudinem nulla creatura satis eloqui potest; necesse est tamen hunc amorem Dei aliqua ex parte cogitari a nobis, ut accendantur mentes fide et gratitudine. Non simulatus, sed verus et ardens amor est aeterni patris erga filium. Cum autem filius propter nos missus sit, ut assumat humanam naturam, et nos propter eum diligamur: necesse est verum et ingentem etiam esse hunc amorem, quo aeternus pater nos diligit.

Observate ergo hanc precationem, et vos eadem quoque petite, ut sit Ecclesia, et sitis membra Ecclesiae; et ut sit concors Ecclesia, et ut habeat vitam aeternam. Filius Dei petit in agone, quae semper petivit: et sciamus non esse irritam eius precationem. Ipsi est facta promissio exauditionis: Ergo non frustra petit. Sed nec nostram precationem irritam esse putemus adiunctam eius precationi, iuxta illud: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo,* id est, in agnitione et fiducia mei, *dabit vobis.*

VERSUS PHILIPPI MELANTHONIS

de verbis Christi: *Sit dilectio, qua me diligis in eis.*

Nec tu, gnate Dei, maius, melius ve rogare
Aeternum poteras, optime Christe, Patrem;
Quam quali στοργῇ semper te diligit ipse,
Diligat et simili nos ut amore Pater;
Nec tribui nobis hoc possit munere maius.
Quid nati posset maius amore dari?
Non apud aeternum facis irrita vota parentem;
Affirmat iurans hoc Pater ipse tibi.
Erga nos etiam es patrii tu pignus amoris,
Iussus pro nobis debita λύτρα dare.
Nos igitur quamquam sumus aegra et sordida massa,
Credimus ista tamen munera summa dari,
Confisique tua prece, Christe, pericula nostra
A summo petimus cuncta parente regi.
Tuque regas servesque infirmos numine, qui vis
In nostris vivens mentibus esse λόγος.

DE DICTO IOANNIS XVII.

Haec est vita aeterna, etc.

Iesum esse Christum.] *Iesus* ponitur loco Subiecti, et *Christus*, Praedicati: et sensus est, quod Iesus hic sit Christus. *Christus*, ponitur loco Praedicati, quia est nomen officii. Ista propositio est summa doctrinae Evangelii, et congruit cum dicto Esaiae: *Notitia servi mei iusti, iustificabit multos.* Intelligatis agnitionem, quae alioqui vocatur *Fides.* Est in diabolis notitia, sed non talis, quae assentitur promissioni divinae, et quae est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem, et accendens ac apprehendens bonitatem aeterni Patris, et ipsum Filium, qui est factus pro nobis victima, qui est salvator merito et efficacia, qualis est fides nostra, ut saepe dicimus.

Qualis est praedicatio: Notitia Dei Patris et Filii est vita aeterna?

Est praedicatio causae formalis: Et est idem, quod Paulus dicit ex Propheta: *Iustus fide sua vivet:* id est, Fides est illud, quo fit vivificatio. Sic illa agnitio est illud ipsum, quo fit vivificatio; et ut nos solemus usitate dicere: fides et vivificatio habent se correlative, id est, quando fide apprehendis remissionem peccatorum propter Filium Dei, et in Filio: sive cum agnoscis bonitatem aeterni patris te recipientis propter Filium: illa fide fit vivificatio, qua vivificaris ad vitam aeternam. Sumatis exempla ex doctrina Poenitentiae.

Quando David audit vocem Nathan: *Dominus abstulit peccatum tuum:* tum ille credens huic voci, sentit se vivificari per Filium Dei, et sentit cor laetificari dato Spiritu sancto. Hoc exemplum cogitate, ne existimetis nos loqui de ideis Platonicis et phantasiis ignotis. Sic quando sumus in agone mortis, et disputamus de nostris peccatis, de venturo iudicio, et vita aeterna: Si cor erigitur, et statuit, quod propter Filium Dei habeas remissionem peccatorum, tunc sentis te vivificari, et illa vivificatio est initium vitae aeternae. De hac vivificatione inquit Psalmus: *Recrea me, priusquam abeo.*

Haec discenda sunt in vera poenitentia: quia similiter fiunt in omnibus, qui vere convertuntur ad Deum: In aliis magis evidenter sentiuntur, in aliis minus. Et hoc ipsum est, quod Paulus ait: *Iustificati fide, pacem habemus erga Deum.*

Sunt autem et multa alia, quae comprehenduntur in hac sententia: Excluduntur omnia idola: quia dicit: *Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum Deum. Solum* opponitur commenticiis Diis. Discernit commenticia Numina a vero Deo, qui est aeternus Pater, Filius et Spiritus sanctus.

Arriani multum disputarunt de hoc loco, quia Christus discernat inter Deum verum, et inter se ipsum: sed est facilis explicatio per vocabulum *Christus.* Appellatio Dei comprehendit aeternum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum: Postea describitur Filius, in quantum est persona missa.

Nos Christum invocamus dupliciter. Primo invocamus eum cum Patre et Spiritu sancto; et tum complectimur unam et totam divinitatem: Postea invocamus eum, ut Mediatorem missum, Deum et hominem. Hoc quotidie invocatione cogitandum est, quia, in quantum Mediator est, exaudit te et perfert preces tuas ad consilium arcanum divinitatis, in quo consilio ipse quoque est, ut Deus cum Patre et Spiritu sancto. Sed est discrimen inter Divinitatem mittentem, et Filium missum. Ita planissime respondetur Arrianis, si monstretur distinctio inter divinitatem mittentem, et personam missam. Nec pervenitur ad agnitionem divinitatis, nisi agnito Filio misso, ut dicitur: *Nemo venit ad Patrem nisi per Filium: Et qui non honorat Filium, etiam non honorat Patrem.*

Praeterea dico hic excludi totam iustitiam legis. Accedis ad aeternum Patrem, vivificaris agnitione Dei et Filii, non tuis aut ullius alterius hominis operibus aut meritis. Ita videtis, quantae res hic comprehendantur, quarum magnitudinem non tantum ego explicare non possum, sed nulla creatura.

Imo si omnium creaturarum, angelorum, et hominum sapientia et eloquentia esset in uno homine, tamen non posset explicare. Sed conferamus hanc sententiam ad consolationem; et sint verba singula huius sententiae incitamenta et stimuli ad invocationem, qua petamus, nos regi, doceri et confirmari a Christo.

Sapientes vident ista in mundo, et dicunt: Quid est ista notitia? an ea sumus iusti? Et argumentantur:

Sola notitia nemo est iustus:

Ergo frustra definitur vita aeterna per notitiam Dei et Christi.

Respondeo. Verum est, nemo est iustus illa notitia, quae non est fides. Sed nos loquimur de illa notitia, quae est fides, et quid sit fides perspicue declaramus, esse scilicet, ut agnoscant te verum Deum, et Iesum esse Christum. Sic agnoscitur verus Deus, quando agnoscimus et apprehendimus Iesum Filium Dei esse Christum: id est, quod sit persona salvatrix missa.

Appellatione Christi significatur Messias, et appellatione Messiae totum beneficium promissum propter hunc Dominum. Quando Iudaei nominabant Messiam, intelligebant omnia beneficia promissa propter hunc Dominum.

Etymologia vocabuli Christus, quid significat?

Significat unctum. Quare sic nominatur? aut quare Christus est nomen officii vel divinitatis? Quia summus sacerdos erat unctus. Item, quia Rex erat unctus. Significatur igitur, quod hic est ille summus sacerdos; missus a Deo et Rex salvans genus humanum. Est summus sacerdos, id est, placator, offerens sacrificium pro nobis, et est Rex, destructor mortis et potentiae Diabolicae. Deus vult agnosci hanc personam natam ex virgine, crucifixam, resurgentem esse Messiam.

Haec cogitanda sunt in invocatione, ut scias, quid invoces, quem Deum, ubi patefactum, an alloquaris numen Pompilii, vel sicut Sylla in maxima pugna cum Archelao in Boeotia, cum periculum ob oculos videret, habuit de collo dependentem imagunculam, statuam Apollinis; eam osculatus est, et clamavit: *O Apollo, ne deseras me, quia, si me deserueris, abiiciam te, et nullo honore posthac afficiam.* Tales furores erant Ethnicorum. Fuit alias impiissimus et crudelissimus, tamen in periculo voluit esse maxime pius. Oportet nos cogitare, quid alloquamur. Nos alloquimur verum Deum, qui est aeternus pater Domini nostri Iesu Christi; qui se patefecit misso Filio, et dato verbo, et alloquimur hunc Filium, qui est natus ex Maria virgine, qui resuscitavit Lazarum, factus est pro nobis victima et crucifixus est, ac resurrexit. Hunc Filium alloquimur, et statuimus nos fiducia ipsius habere placatum patrem, nos recipi, vivificari, protegi, salvari per eum.

Ita igitur summa Evangelii est hic comprehensa: *Ut agnoscant te verum Deum, et Iesum esse Christum.* Non excluditur Filius a divinitate, sed fit distinctio inter divinitatem mittentem, et personam missam, quae est Deus et homo. Haec transferatis ad consolationem vestram, et ad exercitia verae invocationis.

IN DIE VIRIDIUM,

sive,

IN DIE COENAE DOMINI.

De esu agni Paschalis. Exodi 12.

Agnus immaculatus, id est, ubi corpus est integrum, *Das keinen schaden hat,* quod non habet labem, quod non est caecum, non mutilum. Ita Psalmo 119. dicitur: *Beati immaculati.* Non est satis perspicue redditum per vocem *macula:* Latini non ita loquuntur. Et est insigne erratum in antiqua versione: (Nam prima consideratio debet esse paedagogica, ut historiam recte discatis, et vocabulo grammatica) cum dicitur: *Iuxta quem ritum tolletis et haedum:* Debebat esse: *ex agnis et haedis eum sumetis, et servabitis:* id est, sumetis de grege vestro.

Quare hoc dicitur?

Quia Christum oportet esse ex Israël, non ex peregrina gente.

Quid hoc est: *ut comederent pascha?* An comederent transitum? Quid significat in isto loco Pascha?

Vocabulum *pascha* varie est usurpatum: sed hic significat agnum. *Ut comederent pascha,* id est, agnum assatum. Paulo post, ubi dicitur: *dies παρασκευῆς paschae;* Pascha significat tempus. Ob-

servate, quando significet tempus, quando agnum, quando transitum. *Pesach* significat idem, quod transitus prima origine: Inde totam festivitatem et agnum ita nominarunt, et sic Paulus loquitur, *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Pascha, id est, agnus et victima. Sed cum sumitur hoc modo pro agno et festo, tum metonymiae sunt.

Christus pascha, estne oratio congrua?

Ita. Est Appositio. Cur dicit *immolatus*, et non *immolatum?* Quia verba et adiectiva debent respondere principali nomini, ut, cum dico: Otium studiorum pernicies, est fugiendum. In Graeco non est *immolatus*, sed ἐτύθη, *mactatus est;* sicut in hoc ipso textu dicitur: *mactabitis*, seu, *occidetis agnum.*

Similiter etiam, non est in Graeco, *Epulemur ergo in azymis*, debebat esse, agamus festum diem, doceamus, audiamus suo quisque loco, faciamus invocationem et gratiarum actionem.

Quid est in azymis sinceritatis?

Azymi panes significant *ungesewert brot:* Fermentati panes, id est, quibus mixtum est fermentum; debetis haec discere in domestica inspectione, ut vocabula intelligatis. Graeca vox ζυμή, est a ζέω, sicut a ferveo est fermentum, quod facit fervere illam massam, rarefacit et attenuat. Habetis Oratiunculam meam de tribus farinae satis, quam potestis inspicere.

Panis fermentatus est melior pane non fermentato; magis est accommodatus quotidiano usui. Illa rarefactia et attenuatio est praeparatio conveniens actioni ventriculi, *sonst ligt es* in ventriculo *hart auff einander, wie ein Ziegelstein.* Sed hic ad allegoriam, seu ad typum est respiciendum.

Panes fermentati significant fermentum humanarum opinionum et adfectuum: panes non fermentati, seu azymi, sunt typus doctrinae, et cultus non corrupti humanis opinionibus aut affectibus; Opiniones et affectus sufflant animos instar fermenti: ut, quando aliquis est inflatus persuasione suae sapientiae, ita extollitur, ut putet se vertice tangere sidera. Sic etiam affectus sunt similes ventis, quia sufflant et cient motum.

Paulus explicat typum: *Agamus festum, in azymis,* inquit, *sinceritatis et veritatis. Veritatis,*] id est, verae et incorruptae doctrinae. (Quia veritas significat doctrinam veram) *et sinceritatis,*] id est, ut sint sinceri cultus, quibus Deus vero honore afficitur. Non sit cultus institutus ad quaestum; non fiat ambitione, non fiat pro forma, ut idololatrae retinent suos cultus pro forma; Papa servat suas ceremonias tantum pro forma. Cogitate, oportet esse religiones: Retinet igitur spectacula, et cultum pro forma et pro regimine politico. Haec non est sinceritas, sed ubi vere quaeritur gloria Dei et salus hominum.

Hoc igitur vult Paulus: Teneamus veram doctrinam, celebremus cultus sinceros, timeamus Deum, credamus ei, quaeramus eius gloriam, non serviamus ambitioni, aut quaestui, non faciamus cultus praetextu nominis Dei, non quaeramus regna, potentiam, opes, praetextu cultuum divinorum, sicut videtis, quod universaliter mundus religiones constituit, quae sunt nervi regni et potentiae. Sit invocatio Dei et tota glorificatio sincera. In textu Graeco usurpatur vox εἰλικρινείας. εἰλικρινὲς significat sincerum-*unvermischet.*

Postea sequitur apud Paulum: *Expurgate vetus fermentum*: id est, veteres opiniones et pravos adfectus. Paulus ante conversionem habuit istam opinionem, quod esset iustus, iustitia legis; item erat in dubitationibus, an haberet Deum propitium: sed post conversionem scit se esse miseram massam, et tamen scit se esse acceptum, et habere remissionem peccatorum propter filium Dei, et indutum se esse imputata iustitia, propter mediatorem: habet item donationem Spiritus sancti habet iam novos adfectus, veram invocationem, gratiarum actionem, novam obedientiam, veram fidem, veram spem.

Ut sitis nova conspersio.] Loquitur de subiecto, non sitis tale subiectum, quale prius fuistis, sed nova conspersio, id est, nova massa, *ein newer teig, φύραμα.* Debet in nobis esse novitas spiritualis, habens aliquam lucem de Deo, habens novam et inchoatam obedientiam, fidem, spem. Sicut estis azymi; sic argumentor:

Non habens fermentum, non indiget ex purgatione:
Nos sumus azymi:
Ergo non indigemus expurgatione.

Respondeo ad Maiorem: *Non indiget expurgatione*, sed consummata novitate, puritate consummata. Minor: *Nos sumus azymi*, videlicet imputatione, nondum consummatione. Nos, quamquam sumus valde sordidi, sumus immersi peccato miserabiliter, non ardemus dilectione Dei, fide, spe; sumus contaminati multis vitiosis affectibus, tamen illa immensa misericordia Dei tegit nostras sordes per Filium imputata nobis iustitia, reputat nos iustos et acceptos propter Filium, ac si essemus mundi Cum hac imputatione coniuncta est inchoatio aliqua novitatis; quia oportet esse initia poenitentiae. Ubi sunt initia fidei,

ibi etiam sunt initia poenitentiae. Haec debetis cogitare his diebus: Quid est enim dulcius bonae menti, quae non est Cyclopica, aut prophana, quam cogitatio de operibus et concionibus divinis. Multum est eruditionis in textibus Paulinis.

Sed dicamus iam de veteri typo in Moise. Ideo autem commonefacio vos veteris typi, ut cogitetis esse voluntatem Dei, ut certis temporibus historiae praecipuae recitentur et explicentur copiosius. Deus vult nos scire, ubi, et quomodo se patefecerit. Quam illustris est patefactio in tota historia eductionis ex Aegypto. Ideo fecit eius mentionem in primo praecepto: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Aegypto.* Deus vult se per illas patefactiones agnosci.

Non apprehendimus, non amplectimur Deum brachiis. Oportet apprehendi eum per patefactiones; oportet alloqui nos illum Deum, qui se patefecit misso Filio, et multis testimoniis editis. Ideo illae patefactiones sunt cogitandae, considerandae, et saepe repetendae mente et memoria in quotidiana invocatione.

Est autem materia in hoc textu valde insignis de ipso transitu Dei, a quo festum ipsum nominatur Transitus, *Pesach.* Deus dicit se illa nocte transiturum per Aegyptum, et interfecturum primo genita; post alias poenas multas illa secuta est, quod interfecit omne primogenitum in domo Pharaonis et aliorum. Dicit autem se velle parcere istis domibus, ubi viderit limina notata sanguine agni. Videtis esse typum.

Deus erudiit Ecclesiam suam per pulcherrimos typos. Cum illa agerentur, cogitate, quam serii motus fuerint in Sanctis intelligentibus et considerantibus ista, qui tanta Dei opera oculis suis conspexerunt, Moises, Aaron, Iosue; Cogitate, quam fuerint hi attenti, quantus in eis fuit ardor fidei et gratiarum actionis. Illi intellexerunt quid ageretur, intellexerunt esse typos maximarum rerum.

Sicut autem Deus hic transit per Aegyptum, ita est proposita commonefactio, quod Deus a principio usque ad finem transit per mundum, et facit universaliter, quod fecit tunc: id est, colligit sibi Ecclesiam ex genere humano, et tuetur, sicut tunc collegit Ecclesiam et servavit illos, qui erant in domibus signatis sanguine. Ecclesiae sunt domunculae signatae sanguine filii Dei. Ubi sunt postes, id est, Ecclesiolae madefactae et conspersae sanguine Filii Dei, ibi est coetus Deo placens, et eum defendit Deus inter ruinas imperiorum et horribiles motus ac tumultus. Interea punit Aegyptios, id est, omnes impios et idololatras; sicut videtis, quomodo vagentur poenae et ruinae regnorum per totum genus humanum.

Sic ibat Deus per mundum, quando delevit in diluvio genus humanum; item quando delevit Sodomam, et quando postea evertit imperia, Babylonicum, Aegyptiacum, Syriacum, et assidue alia atque alia evertit. Quanti fuerunt tumultus imperiorum istis proximis annis. Nunc etiam fiunt mutationes et magni motus passim in omnibus regnis, et vagantur poenae etiam inter privatos: Et tamen Deus servat coetum in Ecclesia, iuxta illud: *Nemo rapiet eos de manu mea.*

Hic igitur est transitus, et ab hoc nominatur *festum Paschae.* Deus transit per genus humanum, colligit sibi Ecclesiam sanguine Filii, et interea delet et evertit reliquam partem generis humani impiam, et maledictam. Id firmissima fide statuere debemus, ut discamus timere iram Dei, confugiamus in domunculas conspersas sanguine Filii Dei, id est, ad Ecclesiam, simus membra Ecclesiae, petamus nos serva in isto coetu collecto sanguine Filii. Hanc doctrinam primum meminerimus de collectione Ecclesiae et iudicio Dei, quod universaliter exercet omnibus temporibus.

Deinde, videte etiam illam sapientiam, quod Deus simul ordinat annum. *Iste mensis,* inquit, *erit vobis principium anni.* Qui mensis fuit? Proximus mensis aequinoctio: incidit in Martium et Aprilem nostrum. Praeterito die lunae fuit Pascha Iudaicum, quia tunc fuit plenilunium primi mensis. Illa prima vetustas inchoavit annum ab eo mense, cuius lunatio, seu novilunium aequinoctio fuit proximum. Fuerunt tum usitati menses lunares, et haec fuit magna commoditas, sed requirit ea res observationem.

Menses 12 lunares congruuntne ad periodum solis?

Ita: sed differunt 11 diebus, qui vocantur *Epactae,* id est, additi dies. Deus voluit aspici sua opera. Et illustre testimonium sapientiae Dei ille pulcherrimus ordo anni, item vices temporum anni, diei, noctis, hiemis, aestatis, veris, autumni, etc. Haec Deus vult aspici, vult esse testimonia, quod ipse vere condiderit naturam, quod non casu exstiterit, ideo et spectaculum de agno certis diebus ordinavit, ut die decimo sumerent ex grege et servarent, die vero 14. mactarent.

Iam quaestio est: *An Christus servaverit legitimum tempus Paschae, quando comedit agnum et passus est.* Quia debuit legitimo tempore comedere agnum, et legitimo tempore pati. Iudaei inchoant

diem a vespera praecedentis diei. Comedit igitur eodem die, et passus est eodem die: Coepit dies 14. vesperi, occidente sole, et desiit ad occasum solis sequenti die: servavit ergo legitimum diem; et haec est vera conciliatio. In ipso autem ritu manducationis agni, multiplex est sapientia. Antea dixi sumendum fuisse agnum ex grege. Quo significatum fuit, oportere Messiam esse ex Israel, non ex gente peregrina. Sed erat comedendus *agnus assus et non coctus*. Id etiam significationem suam habet: Filius Dei est assatus: id est, in eum est effusus ignis irae divinae; et nos debemus assatum edere, id est, agnoscere iram divinam, quam nulla creatura alioqui sustinere potuisset. Magnum quiddam est, quando sentitur scintillula irae Dei adversus peccata. Ubi sunt initia timoris Dei, aliquo modo de re tanta cogitari potest: nec debetis esse tam negligentes et prophani, ut putetis nihil cogitandum esse de istis rebus. Multi extinguuntur subito, cum exiguus sensus irae Dei penetrat cor. Erit horribile aliquid in aeternis poenis, ubi natura non poterit quidem destrui in damnatis, et tamen sentiet iram Dei *sine refrigerio*, sicut loquitur Petrus, *ut habeatis refrigerium in illo die, quando iudicabit Dominus.*

Non potest verbis exprimi, quanta res fuerit illa assatio, quam Christus est expertus, quando iacuit prostratus coram Deo, sudans sanguinem in summis terroribus et doloribus. Illa resolutio tanta fuit, ut nulla alia creatura potuerit sustinere. Omnes alii homines, etiam fortissimi, subito fuissent extincti in illo sensu: nos non cogitamus, rem tantam et tam horribilem esse iram Dei.

Sic argumentor:

Minus dolens est fortior:
Laurentius minus dolet in sua passione, quam Christus:
Ergo Christus est minus fortis.

Respondeo. Laurentius minus sentit dolorem, et est fortior, scilicet in illo actu; sed ideo minus dolet, quia, quem ipse ferre non poterat dolorem, eum Christus tulit; Laurentius non est λύτρον, non sentit illam iram Dei, sicut Filius Dei. Omnes in motibus poenitentiae habemus aliquem gustum illius sensus; sed hoc nihil est ad illud mare et oceanum dolorum in Christo, quales nos non possemus ferre. Nos cogimur clamare, ut David inquit: *Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit?* Ideo toties dicit Scriptura de nobis: *quod Deus non accendat totam iram suam.* Item, *quod in ira misericordiae recordetur.* Item, *non facit furorem irae suae*, sicut dicitur in Osea: *Exarsit cor meum miseratione; non volo effundere totam iram adversus miserrimos homines.* Nos sumus similes miserrimis vermiculis, qui pedibus conteruntur; imo miseriores sumus et imbecilliores ad sustinendam magnitudinem irae divinaem.

Haec oro vos, ut velitis cogitatione vestra subsequi, simul etiam ut velitis abducere a prophana vita, *von dem wilden wüsten und rohem leben.* Experimur maximas poenas: Et his paene succumbimus, et tamen inter ipsas poenas reddimur ferociores. Id profecto est horribile. Pertinent autem haec ad circumstantiam de comedendo agno assato. In Christum effunditur ira Dei, et nos edimus assatum, id est, debemus agnoscere aliquo modo iram Dei, et habere initia poenitentiae, et sensum assationis illius.

Quid significat hic: *non comedetis crudum*?

Significat non miscendas esse opiniones carnales, seu carnalem sapientiam; item illi ipsi, qui adhuc sunt crudi, non debent comedere: id est, qui non mortificantur, ii non fruuntur. Latro conversus in cruce non comedit crudum; quia mortificatur, agnoscit peccata, habet ingentes dolores, et in doloribus vivificatur.

Postea dicitur: *Caput cum pedibus comedetis*: id est, totum edetis: non vult aliquid superesse; quia religio est una copulativa, non debemus divellere articulos fidei. Ille non est vere fidelis, non placet Deo, qui non retinet fundamentum integrum; Arriani non placent Deo retinentes articulum, quod Christus sit natus ex Maria, et passus pro nobis; interim vero abiiciunt articulum praecipuum, quod sit natura Deus; sic omnes haeretici non vescuntur integro agno, mutilant, disrumpunt frusta, laniant unam partem, et reliquam abiiciunt. Oportet autem totum Christum agnoscere, non divellere, non dilacerare, non oppugnare articulos fidei.

Potest quidem esse infirmitas, ut aliquid non intelligatur, sicut universaliter in omnibus est magna infirmitas; ipsarum rerum magnitudo non potest comprehendi, sicut hoc magnum est, quod filius Dei pendet in cruce; item quod propter ipsum assatum et suspensum remittitur peccatum. Cogitate, quam magnum hoc sit, quis potest hoc comprehendere? In omnibus igitur sunt magnae infirmitates, tamen sint initia, sint scintillae, simus tales, ut non oppugnemus aliquem articulum fide, sicut fecit Samosatenus, Manichaei, et alii, qui aliquid retinuerunt, et reliquum abiecerunt.

Turci etiam aliquid retinent; dicunt Christum fuisse sapientem doctorem, dedisse bonas leges, sed Mahometum, qui reformavit omnia, meliores leges attulisse: hoc est lacerare agnum, discerpere, aliquid retinere et reliquum abiicere.

Salsamentum, sive lactucae simpliciter significant doctrinam legis et Evangelii. Necesse est ad ceremonias accedere praedicationem verbi. Patresfamilias in illo loco, ubi comedebant agnum, addebant doctrinam; Levitae et Sacerdotes etiam suo loco docebant in templo. Ita nunc, quotiescunque celebratur Coena in Ecclesia, debet accedere doctrina, sicut textus inquit: *Quotiescunque feceritis, in memoriam mei facite.* Hinc sequitur opus esse studiis, quia, ut doceantur alii, oportet nos prius discere.

Quid significant renes accincti?

Respondeo. Non debemus vagari opinionibus, sicut multi faciunt, qui putant esse decus ingenii, et delectantes ista petulantia fingendi opiniones de Deo et rebus divinis. Paulus inquit: *Redigite captivas mentes vestras in obsequium Christi;* debemus manere intra metas certas, quas circumdat nobis verbum Dei: Sed homines non volunt se continere intra has metas. Vulgus haeret in ceremoniis, docti sapientes sunt vagabundi in opinionibus, indulgent sibi, delectantur varietate opinionum, commiscent philosophiam et doctrinam Ecclesiae, turbant simplicitatem doctrinae; iubet igitur renes esse accinctos. Renes significant opiniones et affectus.

Postea dicitur: *state tenentes baculos*: id est, debemus esse parati ad exilia, et miserias; quia Ecclesia est subiecta cruci; deinde debemus scire, quod haec tota vita sit transitus ad vitam aeternam, sicut eductio ex Aegypto in terram promissam: Oportet nos ex servitute peccati et mortis educi in patriam, id est, in vitam coelestem. Haec simplex, et non procul quaesita expositio typi sit vobis in conspectu; et cogitate de misericordia Dei, quod per istum typum voluit nos docere. Iam sequitur quaestio de usu typi.

Quotuplex est usus?

Duplex, primus paedagogicus, videlicet quod docebantur homines de hac re, quod ventura sit victima, et quod illa sit exspectanda: Item, quod nos ipsi non simus mansuri perpetuo in hac vita, sed quod transibimus in veram patriam et aeternam. Quaero: *an omnes in Israel sanctos, et non sanctos oportuerit servare illum ritum?* Ita. Rursus quaero: *An omnes sancti et non sancti debeant accedere ad coenam Domini*? Non. Quae est differentia? Hae quaestiones magnum lumen praebent ad discrimen Veteris et Novi Testamenti. Nam novum Testamentum est testamentum Spiritus; vetus Testamentum est politia. Oportuit ergo illa servari a sanctis et omnibus aliis in illa politia externa. Membra novi Testamenti sunt tantum viva et sancta membra. Non debet accedere ad communionem coenae, qui non est Sanctus, qui non agit poenitentiam, qui non convertitur ad Filium Dei, qui est sine timore et fide, qui habet propositum peccandi; talis si accedat, indigne accedit, sicut Paulus ait: *sumit sibi iudicium.* Lex ceremonialis Mosaica fuit politica, oportuit servare ista legalia, politiae causa, quam Deus voluit servare usque ad nativitatem Messiae.

Secundus usus fuit spiritualis: id est, sanctis, agentibus poenitentiam, vel conversis.

His typus erat sacramentum et obsignatio fidei: Ipsi intuentes istum agnum et manducantes, cogitabant, Ecce, ita mactabitur victima, qua victima nos vescentes, sanctificamur et liberamur ex servitute peccati et mortis, et donamur vita aeterna. Hac fide se sustentabant ad Deum, invocabant eum, consolabantur se, et laetabantur. Nulla est enim invocatio Dei sine laetitia. Quando cor non laetatur in Deo, non est invocatio. Ubicunque fides est accensa, efficit laetitiam in corde accedente ad Deum. Moses quoties usus est hoc ritu, dixit: Domine Deus, aeterne pater, conditor omnium rerum, qui te patefecisti Adae, Sem, Noe, Abrahamo, Isaac, Iacob, tibi gratias ago, quod eduxisti nos Aegypto; te invoco, credo tuae promissioni, qui es missurus victimam, quae patietur, in quam ira derivabitur: Hac fide te invoco, exspecto redemptionem et eductionem ex summis miseriis, et vitam aeternam. Talis fides accedens in usu externi ritus, faciebat, ut sumptio agni haberet usum spiritualem.

Sic caeteri typi primum sunt paedagogici universaliter omnibus: postea sunt sacramenta, id est, obsignatio spiritualis, scilicet sanctis cogitantibus fide de promissionibus, et hac fides per externam commonefactionem accenditur. Non cogitate inane fuisse spectaculum; neque existimate, fuisse sordidam gentem, habentem multos ineptos et rusticos ritus, sed fuit gens elegans, quae habuit pulcherrimas et elegantissimas ceremonias: Quid putatis Dominum cogitasse, cum dicit: *Desiderio desideravi Pascha comedere vobiscum. Ach wie hoch und hertzlich hat mich verlanget?* Quid voluit aliud dicere, quam: ego ipse hic iaceo: Ego sum ille agnus, quem significat iste agnus typicus, quo vescentur mei discipuli, de quibus in ultima precatione dixit: *Ego me pro eis sanctifico:* sicut nuper audivistis de illa precatione, quae est maximi momenti, et debet esse infixa animis. Sic igitur discite nunc typum istum, quid significarit. Quod cum facietis, et simul agetis poenitentiam, invenietis dulces consolationes.

His exuscitate vos ad invocationem, quae non potest esse vera, nisi in mente sit laetitia per fidem accedentem ad Deum. Paulus multa accumulat, cum describit naturam fidei, *per quam habemus accessum ad Deum*, ut tollat horribilem et profundam dubitationem in cordibus, quae deterret ab invocatione. Multi sic cogitant: timeo, quod Deus me abiecerit propter multa et magna mea peccata. Haec dubitatio profunde haeret in cordibus: sed illis dubitationibus, quae sunt ex lege et doloribus ingentibus, opponenda est haec consolatio, quod propter nos mactatus sit hic agnus, et quod propter hunc agnum recipiamur et exaudiamur. Sed non tantum de mactatione agni cogitemus: sciamus etiam nobis praecipi, ut manducemus eum. Haec manducatio descripta est Iohan. 6. et ut Israelitae vescentes agno, nutriebantur: sic nos cum fiducia Christi in veris terroribus erigimur, efficimur membra Christi, et vivificamur per eum.

EXCERPTA EX ALIIS PRAELECTIONIBUS DE AGNO PASCHALI.

In principio anni mactatus est agnus, ita in principio anni offertur Christus: quia ipse renovat annum, id est, inchoat resurrectione sua aeternam vitam: et cum iam colligat Ecclesiam in ista brevi et cessatura vita: postea in nostri quoque resuscitatione restituet nobis quoque aeternam vitam, et immortalitatem.

Quod fuit ergo initium anni Hebraeis et Chaldaeis?

Nam hi habuerunt idem initium. In hoc textu dicitur: *Hic mensis primus, erit vobis principium anni.* Distinguuntur anni et menses. Vult igitur Deus observari seriem annorum, et discrimina temporum: quare necessaria est etiam consideratio motuum Solis et Lunae. Non vult Deus, ut nos homines vivamus ut bestiae, non discernentes discrimina temporum.

Respondeo igitur ad quaestionem: Coniunctio Solis et Lunae proxima aequinoctio verno, fuit initium venientis anni. Aliae gentes discesserunt a prima consuetudine; vel aemulatione, vel ut ostenderent se esse disiunctos a caeteris: ut fit, quando homines incipiunt certare, tunc studio quaerunt dissimilitudines rituum.

Quod fuit initium anni in Asia?

Aequinoctium autumnale. Id prorsus est contrarium consuetudini patrum.

Sed quare aequinoctium autumnale elegerunt?

Quia respexerunt ad Oeconomiam. Et sic Iudaei quoque annum Iubilaeum exorsi sunt ab aequinoctio autumnali. Hoc Oeconomiae erat conveniens; quia fruges tum sunt collectae, et merces solvitur mercenariis. Item, Reipublicae dantur reditus, solutio debitorum fuit ordinata ad principium huius anni Oeconomici, collectis iam frugibus.

Graeci unde inchoarunt annum?

A solstitio aestivo: quia etiam populus facilius potuit animadvertere solstitium, quam aequinoctium.

Latini anni initium quod fuit?

Solstitium hibernum. Quando Sol redit ad nostrum hemisphaerium. Haec quatuor initia mementote. Primus modus est sancitus voce divina, a vere incipere annum, et est naturae conveniens. Hunc modum Chaldaei et Iudaei servarunt; et apud Iudaeos initium hoc anni, insigne fuit mactatione agni. Deus voluit aliquibus signis commonefacere de distinctione temporum, quae ordinis causa observanda est, non quod sit cultus Dei, aut sanctitas, aut iustitia. Mementote etiam, menses Iudaeorum fuisse lunares: id est, ab una coniunctione Solis et Lunae ad aliam. Nostri menses neque lunares, neque solares sunt, sed politice ordinati, de quibus in doctrina sphaerica dicitur.

Eclipsis Solis facta patiente Christo fuitne naturalis?

Non: quia illa eclipsis fuit in plenilunio. Omnes autem eclipses Solis naturales fiunt in novilunio.

Unde probas, quod illa Eclipsis in plenilunio?

Quia festum inchoatur 14. die primi mensis.

Quid significat vocabulum Pascha?

Pascha proprie, secundum Grammaticam, significat transitum.

Unde est nomen transitus?

Textus dicit: quia Deus transiit illa nocte per Aegyptum, et interfecit Aegyptios, et tamen servavit Ecclesiam. Hoc autem debetis hic discere, quod ille transitus per Aegyptum est typus transitus Filii Dei per genus humanum omni tempore. Filius aeterni Patris *λόγος* missus est ad genus humanum praecipue ad Ecclesiam, inde usque ab initio, et semper adest Ecclesiae, ut Irenaeus dicit. Stancarus homo nequam, vociferatur contra me, quod dixi Filium Dei mitti: et illas esse proprietates personarum: Patrem mittere, Filium mitti; Sed illi maledicebant, ego autem orabam, dicit Psalmus.

Filius ab initio missus est ad genus humanum et Ecclesiam. Et est *λόγος* loquens in Ecclesia continue: Ille Filius adest in deserto, et servat Ecclesiam, ut Paulus dicit: *Petra autem erat Christus.* Sic igitur dico:

Deus misso Filio transit per genus humanum omni tempore, vel ipse Filius Dei, quod idem est: quia *λόγος*, Filius in sinu aeterni patris semper est. Ut dicit: *Ego sum in Patre, et Pater in me.* Et tamen est distinctus a Patre. Hic Filius transit per genus humanum eodem modo, ut ibi: id est, horribiliter punit et delet impios, et mirabiliter servat Ecclesiam ac protegit: Sicut ibi transit et interficit primogenita Aegyptiorum et servat illos, quorum limina conspersa erant sanguine agni: Ita nunc nos servat, ablutos sanguine Christi, qui illum agnoscimus, et fide apprehendimus: nos sumus ipsi inserti, et facti membra eius, sicut instituta est Caena Domini, ut sit signum, quod nos simus facti eius membra, et abluti ipsius sanguine. Hic Filius revera adest semper et omni tempore, etiam antequam induit humanam massam, et nunc facit omnia, et adest nobis, postquam assumpsit humanam naturam.

Quando Paulus dicit: *Pascha nostrum, immolatus est Christus*, quid pascha significat?

Agnum. Et est metonymia: quia tunc agnus mactabatur et comedebatur.

Pascha pro transitu in quo Praedicamento?

Respondeo. In Praedicamento Ubi: quia ab uno loco transit ad alium. Hic est in Praedicamento Relationis: id est, victima vel aliquid quod mactatur tamquam victima.

Cum dicitur: *Post biduum, Pascha fiet*, in quo Praedicamento?

In Quando; quia significat tempus festi. Ista debet esse diligentia iuventutis, quae versatur in studiis, ut observetis significationes vocabulorum, ex quibus multa iudicantur, sicut iam dixi: quod quando consideratis, quod pascha nomen acceperit a transitu per Aegyptum, statim doctrina haec sese offert, quod Deus colligat et servet Ecclesiam in genere humano, et ita servet, ut *λόγος* transeat per mundum, et horribili iudicio destruat impios, et tamen custodiat Ecclesiam in genere humano, mirabilissimis modis: quia Ecclesia undique quassatur a Diabolo et ab organis Diaboli, et tamen servatur.

Qualis quassatio est, cum Cain incitatus a Diabolo, interficit fratrem suum Abel! Qualis quassatio, cum Pharao incitatus a Diabolo interficit omnes masculos Israelitarum! Item, quales quassationes fuerunt omni tempore, quando organa Diaboli persecuta sunt Ecclesiam! Qualis nunc est quassatio! In Anglia interficiuntur doctissimi viri, quorum praecipua auctoritas est, religionis causa, ab hypocritis, a Reginaldo Polo, qui existimatus est favere nostrae religioni, vel saltem intelligere doctrinam nostrarum Ecclesiarum. Quales quassationes alibi sunt! Quoties actum est, ut turbarentur Ecclesiae nobiscum sentientes in Germania, Ungaria, et aliis regionibus! In his periculis tamen servatur Ecclesia Dei sanguine Christi conspersa.

Iam consideretur totus typus Agni Paschalis. Mactatio agni, est typus mactationis Christi. Non tantum autem describitur mactatio (non enim mactandus tantum erat, et abiiciendus) sed voluit

Deus Israelitas vesci hoc agno. Ita vult nos vesci suo Filio, ut Christus dicit: *Nisi carnem meam ederitis, et sanguinem meum biberitis, non erit vita in vobis.* Istis verbis alludit ad hoc pascha.

Stant sancti patres in illo suo festo, et intelligunt ex mactatione agni, fore ut mactetur venturus Messias. Et vescuntur agno, id est, intelligunt se esse membra mactandi agni, et sic fieri membra, cum credunt hunc agnum mitti a Deo, et se illi inseri, et adiungi tamquam capiti, et se servari et custodiri ab isto agno.

Illud comedere de agno significabat credere eos in Messiam, quod homo nasciturus esset, et eos massae suae adiuncturus, et quod propter hunc Messiam essent recepti, et reconciliati cum Deo, et quod per eum tunc quoque servarentur: Quia eadem facit Filius Dei ante assumptionem humanae naturae, quae postea facit post assumptam humanam naturam: id est, colligit et servat Ecclesiam. Haec est ista coena, et esus istius agni: Credere in hunc Messiam, qui tunc adfuit in Ecclesia, et erat assumpturus carnem nostram, passurus, immolandus, et futurus victima: et credere, quod ipse sit caput, et qui fide adhaerent ei, sint eius membra; et quod propter ipsum sint reconciliati, et per ipsum habituri iustitiam et vitam aeternam.

Haec est summa huius typi; postea multae aliae circumstantiae sunt textus. Dicit *agnum assandum esse*, quod significat assationem Christi, ut revera est assatio, quando ita torrefit ab ira Dei, ut sudet sanguinem; ut dicitur: *Aruit ut testa virtus mea.* Ita enim fit: cor maerore desiccatur: et angustia cordis facit resolutionem, ut sanguis diffluat. Cor arefactum non amplius regit, non intra metas retinet officinam illam, et venas sanguinis: Ergo fit resolutio et effluit sanguis. Fit mirabilis compressio cordis: in hac sanguis pellitur, et extruditur.

Postea dicit textus: *Totum agnum assandum et comedendum esse,* id est, totus Christus agnoscendus est. Antiquum dictum est: *Doctrina fidei est una copulativa. Qui delinquit in uno, reus est omnium,* dicit Iacobus, videlicet in doctrina. Id sine ulla dubitatione verum est: uno articulo labefactato, labefactantur reliqui. Labefactato fundamento, totum systema doctrinae turbatur. Arrius negat λόγον natura esse Deum. Erit igitur propositio illa falsa: *Ego vitam aeternam do eis.* Quid prodest Christus illis, qui dicunt: *Homo est iustus impletione legis, vel suis operibus,* ut Pelagiani, Papistae et Monachi? Paulus expresse inquit: *Si ex operibus legis iustificamur, frustra Christus mortuus est.* Mahometistae retinent particulam doctrinae; dicunt esse Deum, et esse eum iudicaturum et resuscitaturum mortuos, daturum iustis vitam aeternam. Sed non complectuntur integram doctrinam. Nos in Ecclesia oportet complecti integram doctrinam. Agnoscendus est Christus totus. Tenendum est totum corpus doctrinae: Omnes articuli fidei integre tenendi sunt.

Vult etiam textus, ut *stantes et accincti edant*: id est, ut semper sint vigilantes et parati ad crucem. Vult etiam addi *salsamenta,* praesertim lactucam, id est, vult addi enarrationem doctrinae. Lactuca in lingua Latina nomen habet a lacte, quia herbae illae sunt lacteae et dulces, et habent bonum succum. Apud Graecos *θρίδακες* habent nomen a *τρίχες*, id est, villi, quasi dicas, *herbae villosae*, seu *capillosae.* Doctrina est lac, quo alimur: et est villosa, multa semper complectitur, ut dixi; oportet doctrinam integre complecti, non quod possit subito exhauriri: sed quia corpus doctrinae integrum teneri oportet.

Item dicit agnum edendum cum pane non fermentato. Id saepe repetitur in sacris literis. Fermentum significat mixturam peregrinae doctrinae. Non debemus miscere articulis fidei doctrinam Mahometicam, Papisticam, Iudaicam, aut quascunque corruptelas. Iste typus servatus est tot annis usque ad passionem Christi: id est, annis 1542: Quia post resurrectionem Christi non fuit mactandus amplius agnus. Iam sunt ab illo exitu ex Aegypto ad hunc annum 55, anni 3064. Horum annorum consideratio eo utilis est, ut cogitemus tam longo tempore servatam esse Ecclesiam, quae et antea servata est multis mirabilibus operibus ante exitum, et post exitum. Postea ad hoc usque tempus inter tantas quassationes et confusiones doctrinarum, tamen fuit coetus recte invocans Deum, etsi in hoc ipso coetu fuerunt, sunt et manent multae infirmitates et miseriae.

Israelitae viderunt se servari in mari rubro, in quo per aliquot dies iter fecerunt, cum illorum essent 600000. Et spatium maris ad minimum fuit miliarium 9 vel 10; ea parte, qua transeundum fuit. Stetit igitur aliquamdiu aqua, ut Pharao putaret diuturniorum fore stationem aquae, et nihil periculi esse. Ingressus autem, mole aquarum obruitur cum toto exercitu. Cum hoc viderunt Israelitae, crediderunt, et tamen postea aliquoties fremunt contra Mosen, et Aaronem: *Quare nos eduxisti, ut fame hic moriamur?* Fuerunt multi infirmi in illo coetu, alii dociles, alii mali, et non sancti.

Sic igitur istam historiam totam et typum agni consideremus, ut exuscitemus nos ad veram agnitionem Filii Dei; discamus illum vere adesse Ecclesiae, et eum velle nos facere sua membra, et ipsum mereri sua mactatione nobis remissionem peccatorum, et postea vivificationem: quia corda credentium, qui ad ipsum convertuntur, et in conversione fide illum apprehendunt, simul hac fide

vivificantur. De hac re cogitate etiam testimonia, quae nobis sunt proposita in coena Domini. Ea nunc est nostrum Pascha, et per hanc filius Dei testatur, quod velit nos sua membra facere, et quod velit nos inseri suae massae tamquam surculos, ut vivificemur per eum.

De vocabulo azymus.

Ego memini, cum Canonicus Comes Hennenbergensis reciperetur a collegio Bambergensi, et mos esset, ut legeret coram populo: ille legebat: *Sicut estis asini*: senes dicebant: Nos non volumus audire a senibus et prudentibus; et oportet nos audire ab adolescentibus. Vertebant illud erratum in gravem admonitionem.

DE MEDITATIONE PASSIONIS CHRISTI: DIE PARASCEUES.

Ista est vetus Ecclesiae consuetudo, non primum ab Apostolis, sed haud dubie inde usque ab initio generis humani, id est, inde usque ab Abel, celebrare hoc tempore illud ingens et mirabile mysterium, quod Deo placuit, sic, et non aliter redimere genus humanum, et colligere Ecclesiam misso Filio, qui pro nobis fieret victima. Credo necem Abel circa hoc tempus factam esse, et oblationem Isaac, de qua non dubito. Postea est institutum, ut scitis, in exitu Israelitarum ex Aegypto, ut agnus mactaretur hoc ipso tempore, quod est Pascha, in quo passus est Christus: qui ipse servavit historiam istius diei. Deinceps istum morem retinuit Ecclesia, ut hoc ipso tempore mirandi mysterii memoria celebraretur, et publice tractaretur doctrina de hac re.

Etsi enim haec quotidie, et singulis momentis cogitanda sunt, quia in invocatione necesse est assidue intueri filium Dei intercedentem pro nobis, tamen Ecclesia sumpsit tempus certum, in quo historia proponeretur populo, repetendae doctrinae causa, ubi copiosius de illa re doceretur. Hunc morem et nos servamus, et quidem servamus propter exempla pulcherrima. Quid enim est pulchrius, quam sequi exemplum filii Dei, et universae Ecclesiae omnium temporum?

Vos saepe audistis, Athenis fuisse quendam Cynesiam, qui habuit nomen a cane, et fuit canis, (ut Canisius ille, qui apud Regem Ferdinandum persequitur Ecclesiam) is erat Cynicus, et servabat festa contraria publicis festis, ut quando publice celebrabant festa pro mortuis, ipse celebrabat orgia Bacchi, et contra, ut derideret religionem. Sic nos meminimus quendam phantasticam, qui tempore Paschatis concionabatur de natali Christi, et tempore passionis de natali, et dicebat, Papisticum esse servare alium morem. Qui sic ludunt, non benefaciunt, ne quid aliud dicam.

Omni tempore est cogitanda nativitas et passio Christi: sed tamen et illos ritus servare certis temporibus anni honestum et utile est, memoriae causa. Sic et nos, quamquam magnitudinem rerum non possimus isto brevi tempore, vel potius nullo tempore satis explicare, tamen legimus nunc aliquas partes historiae propheticae: Caetera dicuntur per totum annum, quantum quidem nos possumus.

Vetus est dictum: *Nullum opus esse maius, melius, sanctius, meditatione passionis Christi.* Fuit antiquum dictum. Nos senes saepe audivimus a parentibus nostris, et est bonum, quoquo modo intelligatur, recte accommodando.

Meditatio passionis Christi est triplex: Prima paedagogica; II. Spiritualis; III. Exemplaris. Meditatio Paedagogica, est cognitio, lectio, studium historiae, sicut necesse est iuvenes, adolescentes, pueros docere historiam, admonere de doctrina: ideo retinet Ecclesia ritum legendae historiae. Oportet esse aliqua tempora, in quibus praecipue et prolixius historia tractetur, et inculcetur rudioribus, ut memoria historiae conservetur: Quia non debetis cogitare, quod cum semel atque iterum rem aliquam audistis, vos eam semper posse retinere. Non sic est, sed eadem semper repetenda sunt.

Ista Paedagogica meditatio valde multum utilitatis habet. Legendus est textus, et conferendi prophetae, quomodo isti vaticinati sint de passione Christi. Commonefaciendi sunt homines de communi doctrina catechismi, quod Iudaei aliud imaginentur, aliud loquantur Prophetae de Messia. Sicut adhuc hodie habent phantasticam imaginationem Iudaei: Messias veniet et reducet nos in Palaestinam, et instituet regnum politicum, ubi sedes erit Imperii, et provincias subactas distribuet Iudaeis. Nos in Ecclesia contra, sequimur doctrinam Prophetarum et Apostolorum. Scimus Filium Dei missum esse, ut fieret victima, ut Dominus docet discipulos euntes in Emaus, qui etiam habebant illam opinionem de politico illo regno et partitione provinciarum.

Ista Paedagogia est qualiscunque lectio, ut nunc etiam legimus caput Esaiae, ut sit omnibus familiarissime notum, et ut adolescentes Grammaticam in illo textu considerent. Et hoc caput est illustre testimonium contra Iudaeos. Idque etiam ad paedagogicam meditationem pertinet; quia et ego ipse proposui hoc caput Iudaeo, quod Messias

esset passurus, quia, cum hoc obtinetur, tunc possunt facilius duci ad agnitionem Evangelii, et quod Dominus sit is, quem vocamus Christum.

Non possunt negare Iudaei, quod in quarta Monarchia venire debuit Messias; ea autem Monarchia est Romana, quae iam praeteriit. Item, bene sciunt, stante politia Israel eum venturum: Ea iam iacet in ruderibus, et cineribus amplius 1500 annis. Sed illud offendit eos, sclilicet scandalum crucis. Cogitant esse impossibile, esse Deum, qui moritur, ut nos dicimus, illum esse redemptorem, qui sinit esse tantas miserias, calamitates, et dissipationes in genere humano. Ista phantasia tenet fascinatas mentes eorum.

Possunt refutari per multa loca, sed praecipue per hunc textum, et per locum Zachariae, ut de aliis iam non dicam, quod fuerit Messias passurus.

Daniel etiam inquit: *Messias occidetur.* Quod verbum ex hoc capite sumpsit: quia haud dubie Daniel fuit diligens lector Esaiae.

Cum convincerem Iudaeum illum ex hoc capite, claudebat librum. Habebat enim Hebraica Biblia: videbam eum ordine legere textum, et cum afferret suas glossas, dicebam: Glossae pugnant cum textu, quia Esaias dicit de tali, qui ponet animam suam pro aliis. Item, qui gestat et aufert peccatum. Nam in textu duo verba sunt: prius *gestare*; alterum *auferre peccata.* Christus peccata gestat, quando ipse patitur et moritur, quando sudat sanguinem, et sentit in se iram Dei, id est, sustinet poenam. Sed aufert peccata, cum remittit peccata credenti. *Das heist* auferre peccata, dare remissionem peccatorum credenti per nomen eius: Iste, de quo dicitur in hoc capite, abolet peccatum et mortem: Ergo dicitur de Messia, in hoc capite.

Cum eum satis perspicue refutassem, iratus clausit librum; et cum mihi nihil aliud obiicere posset, dixit: *Impossibile est vos esse populum Dei, quia non servatis legem.* Quomodo, dicebam, tu magis servas legem, quam ego? *Quia*, aiebat, *vos non servatis sabbatum*: Quasi observare sabbatum esset servare totam legem. Ita putant sese esse populum Dei, quia habent particulam legis. Sed non servant sabbatum legale, seu ceremoniale; quia non habent templum, non habent victimas, non possunt offerre. Praeterea observatio legis longe est alia res, quam qualiscunque externa ceremoniarum observatio. *Ex operibus legis non iustificatur omnis homo.* Item, *In conspectu tuo non iustificatur omnis vivens*, inquit David. Ergo non servant legem, et sunt dupliciter caeci, quod Christum non agnoscunt, et quod fingunt se esse populum Dei, *quia servant legem.*

Haec eo dico, ut libentius legatis hoc caput, et diligenter consideretis. Pertinent autem haec ipsa etiam ad paedagogicam meditationem passionis, et ad doctrinam.

Altera est meditatio spiritualis: quae est vere expavescere agnitione irae Dei adversus peccata, atque ita simul crucifigi et sepeliri in mortem cum Christo: Necesse est enim ingentem iram, et magnum malum esse peccatum, cum sic, et non aliter tollendum fuit. Oportet autem accedere veram consolationem. Non oportet nos manere in morte, sed simul resuscitari illa efficacia, qua Christus resuscitatus est. Illa efficacia est, quando fide vivificamur, ut dicitur hic: *Notitia servi mei iusti iustificabit multos.*

Ista est spiritualis meditatio: ad hanc perveniendum est, ex illa prima paedagogica. Certe oportet historiam prius scire, postea bonae mentes cogitent de causis, de ira Dei adversus peccata, et de consolatione. Non opus est accersere speculationes procul quaesitas. Sed sciamus hanc meditationem exercere se in veris exercitiis poenitentiae, de quibus Paulus dicit, Roman. 6. *Sumus complantati, vel plantati in ipsum*: id est, sumus inserti ipsi sicut plantulae. Sic colligitur Ecclesia, indicatur peccatum, et vivificatur per Filium Dei et propter eum.

Videtis multum esse calamitatum in toto genere humano, horribiles calamitates, et, ut tota vita sit tranquilla, certe mors est destructio horribilis. Ista omnia mala sunt testimonia et signa irae Dei adversus peccata: quia sunt poenae peccatorum. Sed nullum est illustrius testimonium magnitudinis irae Dei adversus peccatum, quam quod Filius Dei patitur.

Verum non unum tantum hoc cogitandum est, sed utrumque: Magnitudo irae Dei, et bonitatis divinae. Sic condidit Deus hominem, ut dederit nobis bona, quae sunt in ipso. Istud est testimonium magni amoris, quod aeternus pater dedit homini lucem agnoscentem ipsum, et agnoscentem legem, dedit iustitiam talem, quae erat conformis ipsi. Eramus recti iuxta legem: Deus quos condidit, sibi similes condidit, et ideo tales condidit, quia diligebat nos. Simile amat simile.

Amisimus autem illam similitudinem: ibi Filius intercedit pro nobis, et fit decretum, ut assumpta humana natura fiat victima, et ovis, de qua hic dicitur in textu, qui sumi debuit ex nostro grege, sicut dicitur in institutione paschatis.

Praeterea, postquam redempti sumus per Filium, datur Spiritus sanctus in corda. Quid potest dare maius Pater, et Filius quam transfundere coessentialem Spiritum in corda nostra, et accendere dilectionem Dei, et iustitiam talem, qualis est illa, ad quam conditi sumus, et qualis erit consummata in tota aeternitate? Ille spiritus est co-

pulator nostri cordis cum Deo, et laetitia acquiescens in Deo.

Illa sunt testimonia immensi amoris et bonitatis, quae, quamquam penitus non percipiuntur a nobis, tamen consideranda sunt: quia illi, qui non cogitant, non habent affectum. Ubi est affectus, ibi est cogitatio. *Ignoti nulla cupido.* Si vis, ut accendatur affectus, praecedat cogitatio: *Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei.*

Stenckfeldiana deliria tetra sunt et abominanda, quae tollunt meditationem et cogitationem verbi. Nos proficimus cogitatione: *Quaecunque scripta sunt, ad doctrinam nostram praescripta sunt.* Ergo discendum est, et ideo discendum, ut per Scripturarum consolationem habeamus spem vitae aeternae. Dicit Scripturam prodesse ad docendum. Requiritur ergo correlativum, scilicet, cogitatio discentis, ut inde ad consolationem transeatur. Stenckfeldius imaginatur, quae non vidit, ut inquit Paulus, somniat dari Spiritum sanctum immediate sine creatura. Ergo nihil opus esse verbo, sed esse expectandum, donec ingenti raptu corripiaris. Fuerunt Enthusiastae et Phantastici in Ecclesia omnibus temporibus. Nos agnoscamus, nos esse pueros. *Ex ore infantium et lactentium praeparasti tibi laudem.* Lac est verbum scriptum, vel vocale, quod legimus, cogitamus, audimus. Illo lacte alendi sumus. Qui hoc nolunt facere, contemnunt Deum, se patefacientem immensa bonitate per Scripturam. Placuit Deo per stultam praedicationem salvos facere credentes.

Tertia meditatio est exemplaris. Oportet nos similes esse imagini filii Dei. Nos quaerimus Ecclesiam, in qua dominemur ipsi, in qua floreamus dignitate; simus excellentes opibus, gloria, potentia, et aliis rebus secundis. Talem omnes quaerimus, talem etiam Iudaei quaerebant, et quaerunt et cogitant. Sed cogitemus Ecclesiam subiectam esse cruci, quia caput patitur.

Deinde in omnibus adversitatibus, praesertim quae sustinendae propter confessionem, intueamur in hoc exemplum Christi. Sicut scitis in locis consolationum tradi locum, qui nominatur Exemplum.

Videtis omnes sanctos gustasse aliquam partem afflictionum Christi ab initio. Quantus dolor fuit in Adam, quando cogitavit de lapsu, de peccato suo, sicut illis 900 annis vidit multas commonefactiones. Quando vidit necem Abel, et multorum aliorum, cogitavit: ista sunt tua peccata. Deinde erexit se rursus promissionibus: Simul tamen subiiciebat se Deo. *Humiliamini sub potenti manu Dei*, inquit Petrus. *Potenti*, scilicet ad deprimendum, ac puniendum, et rursus ad erigendum et vivificandum.

Quando David audivit vocem prophetae Nathan, expavit vel doluit, et audivit deinde consolationem: *Dominus abstulit a te peccatum*: ibi habuit meditationem passionis venturi Messiae spiritualem: Deinde habuit exemplarem, quando patiens fuit in exilio, quando ita toleravit exilium, ut cogitaret Deo esse obediendum, et nihil faciendum propter dolorem contra Deum, ut Cato facit contra Deum propter dolorem: Iudas propter dolorem facit contra Deum. Illi non intuentur exemplum Christi.

Ista triplex meditatio passionis Christi coniungenda est: Quia aliqui indocti docuerunt Christum tantum missum et passum esse, ut esset perfectissimum exemplum virtutis, ut luceret in eo patientia. Verum hoc est, sed non satis. Oportet dicere aliam causam maiorem, ut ipsius obedientia esset pretium pro nobis, et nos donati ipsius obedientia, reputemur iusti; ut dicitur: *Propter obedientiam unius multi constituuntur iusti.* Illae sunt maiores causae, et de his praecipue dicitur in hoc capite.

ENARRATIO CAPITIS LIII. ESAIAE.

Hoc caput Esaiae semper scitis lectum fuisse in Ecclesia, et repetitum propterea, quod est expressum et illustre testimonium de passione Messiae, sicut videtis in Actis Apostolorum legi ab illo peregrino homine, qui in curru sedebat, ad quem baptisandum missus est Philippus. Et in vulgaribus, et communibus colloquiis cum Iudaeis, non est alia materia et locus, ex quo ita convinci possint, sicut iste locus. Ideo doctrinae causa cognoscenda est haec pars praecipue, postea ut serviat cuiusque consolationi. Est enim doctrina accommodanda ad veros affectus excitandos, qui debent accendi in mentibus et corde, quandocunque cogitatur de passione Filii Dei.

Volumus autem caput distribuere in istos locos utcunque.

Primus, sit narratio historiae; quia iste textus clare testatur, quod Messias sit passurus, imo sit interficiendus, et quidem a suo populo. Deus passionem Filii passim adumbravit in multis signis, ut in mactatione victimarum. Sed voluit etiam in ipsius concionibus Propheticis exprimere, sicut expressa est in hoc ipso capite Esaiae.

Sic etiam in Daniele expressa est: Daniel inquit claris verbis: *Messias interficietur.* Zacharias quoque dicit: *In sanguine testamenti tui, educes vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Ista loca clare testantur, fuisse hanc doctrinam tunc quoque notam in Ecclesia de passione et morte Messiae. Et est, admodum pulchre dictum a Zacharia: *In-*

sanguine testamenti tui: id est, Tu facies testamentum, quod obsignabis sanguine tuo; tu morieris, et haec tua mors erit pretium, propter quod reddetur vita electis. *Educes vinctos de lacu*: id est, ex morte et inferis.

Antiquitas breviter est locuta: Rex maximas brevibus aphorismis et sententiis tradidit. Postea voluit eas diligenter cogitari, considerari, expendi. Tunc enim intelligitur omnium maxime, quod illa sint gravissime, et significantissime dicta, quando verborum pondera considerantur. Hic locus est fundamentum totius aedificii. Oportet enim primum historiam nosse.

II. Locus est causa finalis passionis; videlicet quod fiat propter nos: *Dolores nostros ipse portavit,* inquit: idque saepe inculcat et repetit, ut significet, a nobis etiam saepe repetendum et diligenter cogitandum esse: Quia, etsi sumus infantes, et non intelligimus magnitudinem et profunditatem consilii, quare Deus sic voluerit redimere genus humanum: tamen vult Deus nos discere initia doctrinae in hac infantia, et imbecillitate nostra.

III. Locus est Applicatio istius beneficii, quae traditur in istis verbis: *Notitia eius iustificabit multos.* Vos adolescentes discite Grammaticam. Iudaei multis modis depravarunt turpiter sententiam. Nostra versio ita legit: *Scientia sua iustificabit.* Quod sic exposuerunt aliqui: Hic sua scientia, id est, Lege, iustificabit multos, id est, docebit multos, sicut Moises docuit multos, qui audientes postea sua diligentia se emendarunt. Ita exposuerunt hoc dictum, non de fide et iustitia, sed de doctrina.

Sed sic contaminaverunt totum locum, cum verba prophetae hoc dicant: *Christus iustificabit multos notitia sui*: id est, quando agnoscetur, sive per hoc, quando homines fide eum intuebuntur, et agnoscent esse Messiam et victimam pro peccato.

Notitia hic non significat doctrinam, sed passive significat agnitionem Christi: Nec dicitur, *docebit,* sed, *iustificabit,* id est, iustos et acceptos Deo faciet. Debetis considerare, quomodo alii depravarint, ut possitis vitare corruptelas.

Quartus locus, praedicatio poenitentiae universalis, cum inquit: *Omnes nos quasi oves erravimus.* Accusat totum genus humanum. Nos singuli habemus tetra peccata.

Quintus locus est promissio universalis: *Pro omnibus rogavit,* sicut Paulus dicit: *Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur.* Haec universalis saepe hic repetita est, tum in praedicatione poenitentiae. *Quisque ivit in viam suam:* tum in promissione: *Et posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrorum.*

Sextus locus est de Sacerdotio Christi: *Ponet animam suam peccatum,* ut est in Hebraeo; vel, ut alii vertunt, *hostiam pro peccato.*

Septimo, de resurrectione et regno: ut cum dicit: *Ex afflictione et poena liberatus est.* Item, *Generationem eius, quis enarrabit?*

Octavo, de poenis impiorum et persequentium. *Spolia fortium dividet.* Passim autem coniungit passionem et resurrectionem: ut, *Abscissus est de terra viventium:* id est, interfectus est. Debetis pondera verborum considerare: sed addit tamen: *liberatus est de angustia.* Hoc dicitur de resurrectione. Postea rursus coniungit: *Sepelietur ut impii, et sicut divites morietur*] id est, vere morietur, et morietur tamquam scelerati: *Quamquam non est dolus in ore eius.* Item, *ponet animam suam*] morietur, et tamen addit: *videbit semen longaevum.*

Haec contradictoria et pugnantia non possunt solvi nisi per resurrectionem. Simul dicit eum et moriturum et resurrecturum. Ista pugnantia non poterant conciliare impii Iudaei, qui non credebant resurrectionem. Ideo tantum exagitarunt, sicut adhuc faciunt.

Ego disputavi cum quodam Iudaeo de hoc ipso capite, et ipse habebat ante se positum librum, Biblia Hebraica, et ego quoque habebam: et cum essemus progressi disputando, et videret suas solutiones nihil valere, iratus clausit librum, et stomachabundus dixit: Nihil volo disputare de isto capite, et obiecit mihi: Impossibile est vos esse populum Dei, quia non servatis legem: Ego respondi: Quomodo vos magis servatis legem, quam nos, et intelligebam, quid vellet. Ille dicebat: Non loquor de faciendo, sed vos docetis contra Legem, quando dicitis non esse servandum sabbatum. Videte, qualis sit cavillatio. Sic oppono:

Ubique clamat lex nihil esse addendum, nihil detrahendum, nihil mutandum:

Nos detrahimus:

Ergo non sumus populus Dei, quia docemus partem illam de sabbato esse abolitam.

Respondeo. Christus ipse solvit: *Filius hominis, etiam sabbati Dominus est.* Messias est supra Moisen, et est Sacerdos, *non secundum Levi, sed secundum ordinem Melchisedech.* Est sacerdos supra legem, supra Sacerdotium Leviticum. Deus mandavit in lege, id est, in Deuteronomio, ut illum Messiam audiamus post Moisen, tamquam afferentem aliam doctrinam, quam lex affert.

Ieremias clarius solvit: *Ecce dabo aliam legem in cordibus eorum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum.* Tota Scriptura secum consentit: vox divina solvit nobis, quanda dicit: *Hic est Filius meus dilectus, hunc audite.* Debetis esse parati et instructi talibus dictis: Quia certe res absurda videtur, tollere integrum praeceptum ex Decalogo.

Sed vox divina clarissime solvit, et iubet audire Messiam, et dicit eius sacerdotium maius esse, quam Leviticum. Christus saepe disputavit cum Iudaeis de sabbato. In Iohanne describuntur multae ipsius contentiones hac de re cum Pharisaeis. Vos considerate etiam caetera dicta huius capitis, quae pertinent ad historiam, sicut rursus monebimus in ipsa lectione textus, in quo obiter etiam faciemus mentionem reliquorum locorum, quos antea recitavimus.

EXPLICATIO BREVIS SINGULORUM MEMBRORUM HUIUS CAPITIS.

Videtis Prophetam ordiri ab admiratione: *Quis credit auditui nostro?* id est, sermoni nostro. Hebraei sic loquuntur. *Brachium Domini cui revelatum est?* id est, quis potest capere istas res, tam mirabiles? Significat multos contradicturos esse. *Ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiente.* Utitur similitudine surculi aut plantulae stantis in arido solo.

Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et non desideramus eum. Despectus erat novissimus virorum, vir dolorum et sciens infirmitatem, quasi absconditus vultus eius et despectus, unde non reputavimus. Ista omnia ad historiam pertinent. Vult dicere: Nos Iudaei non reputavimus eum, contempsimus, fuimus persecutores. Loquitur enim de suo populo.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.] Haec est causa finalis, propter nos illa passio et poena imposita est Messiae Filio Dei. *Nos putavimus eum quasi leprosum*: id est, abominabilem, *et percussum a Deo.* Est amplificatio causae finalis.

Quaero ex te: quae est viro forti omnium maxima consolatio, ut Miltiadi, vel Cimoni expulso in exilium?

Respondeo, Bona conscientia, quae dolorem valde lenit. Scitis aliam partem hominis esse cor, aliam partem esse nervorum: Caro etiam est alia pars in reliquo corpore. Laceratio affert dolorem nervis: sed dolor cordis est multo maior, sicut saepe dixi vobis historiam Viennensem de latrone, qui interfecit patremfamilias, et totam familiam, et duas ancillas in domo, in qua servierat, et puellam parvulam, quae dixerat: *Ah noli me interficere, ego dabo tibi omnes meas pupas*, sed tamen interfecit, et abstulit pecuniam.

Cogitate, quale sit facinus, potuisset auferre, puella non impediente. Sed tamen in furore eam interfecit, impulsus a Diabolo, sicut de Iuda scribitur: *Satanas intravit in eum.* Quando homo deseritur a Deo, Satanas ingreditur, et postea impellit eum. Illud magnum malum debetis considerare, et deprecari ardentibus et assiduis votis, ne filius Dei nos relinquat, sed custodiat contra talem hostem, sicut ipse dicit: *Nemo rapiet eos de manu mea.*

Postea latro iste pendens in veru, *sie haben ihn gespiesset*, clamavit: Omnes dolores corporis esse minores, quando cogitaret necem puellae, *Non interficias me, dabo tibi omnes meas pupas.*

Hic dicitur: *Vidimus eum percussum a Deo.* Item: *Faciet in eum incurrere peccata nostra*: *Er hat sie auff ihn gestossen.* Ista sunt valde pathetica verba, *hefftige grosse wort.* Aliud in Christo est sentire dolores ex laceratione corporis, aliud sustinere iram Dei. Christus fortis, magnanimus, antecellens virtute omnes homines, etiam naturali robore, non ita expavit cruciatus corporis et lacerationem, ut sanguinem sudaret. Aliud maius fuit, quod sensit. Sensit iram Dei adversus peccatum; quam iram nulla creatura sustinere posset, sicut saepe dico, quando homo guttulam irae Dei sentit, extingueretur, nisi Deus mitigaret poenas. Bona conscientia magna est consolatio. *Est aliquid, magnis crimen abesse malis*

Laboratne conscientia Filii Dei? laboratne cor?

Ita: Conscientia non sui delicti, sed quia translatum est in eum nostrum peccatum et onus. Ipse iacens prostratus, sustinet iram, quasi ipse fecisset tua, et mea peccata. Hoc est incomprehensibile quiddam. Est in eum derivata ira, quasi ipse tam horribiliter se polluisset. Quam magna res haec sit, nulla creatura potest eloqui.

In Psalmo clamat Filius Dei: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Haec verba omnem intellectum superant: etiamsi umbra quaedam intelligitur, tamen magnitudo non potest comprehendi. Ipse sensit, quid sit, *Deus fecit in eum incurrere nostra peccata.* Quia vero vident eum pendentem in cruce, iudicant esse maledictum a Deo. Sicut lex dicit: *Maledictus omnis qui pendet in cruce.* Et ideo lex dicit illud, ut intelligeretur Filium Dei sustinere maledictionem generis humani.

Ipse autem *vulneratus est propter iniquitates no-*

stras, attritus est propter scelera nostra. Repetitur in his verbis causa finalis. *Disciplina pacis nostrae super eum*: id est, ipse castigatur, ut nobis sit pax, *et livore eius sanati sumus.* Saepe est repetita causa finalis, ut sciamus, quod Messias patiatur pro genere humano. De applicatione infra docebit textus.

Prius autem ponit poenitentia praedicationem. *Omnes nos quasi oves erravimus: unusquisque in viam suam declinavit,* id est, Omnes sumus sub peccato. Hanc exaequationem debetis diligenter meminisse, et ad accusandam securitatem in multis, et rursus ad consolationem imbecillium et expavescentium. Nos singuli in doloribus sic cogitamus: Si hoc, vel illud non fecissem, possem confidere in misericordiam Dei. Verum scire debemus, quod omnes sint rei: contra vero, et consolationem hanc opponere debemus: *Gratia exuberat supra delictum.* Regnum Christi est potentius regno peccati et Diaboli. *Omnes erravimus*, inquit Propheta.

Discamus igitur agere poenitentiam, et agnoscere nos esse reos. Non oportet nos vivere in securitate, et petulantia illa, quasi nihil sit peccatum; cum tamen videamus tam horribiles poenas vagantes per genus humanum.

Sed iuvenilis aetas non afficitur illis communibus miseriis: Nondum sentit proprias aerumnas, et leviter tangit iuvenum animos cura pro aliis. Iuventus cogitat praeclare secum agi, si suo tantum indulgeant animo: *Wenn sie ihren freien muth haben.* Pindarus etiam inquit, *Οἰκεῖον πιέζει, ἀλλοτρίων δὲ οὐ μέλει. Proprium malum, propria calamitas*: res propriae premunt, sed alieni mali non est cura. Ita plerumque vivitur, donec aliquis fiat paterfamilias et suscipiat liberos: tunc res ipsa cogit eum angi pro aliis, quamquam liberi non sunt alii. Ipsi sunt mea caro, et sanguis, etc. *στοργαὶ* naturales complectuntur liberos, tamquam partem naturae propriae.

Seniores magis, quam iuvenes afficiuntur cura communis salutis pro aliis, sed tamen et vos debebatis affici sensu calamitatum communium, et cogitare de ira Dei: Quia Deus vult calamitates esse commonefactiones, de sua ira. *Nos omnes erravimus*; alius alio modo aberravit, alii aliis opinionibus, alii aliis sceleribus, alii aliis furoribus.

Videtis, quanta sit dilaceratio in toto genere humano. Homines debebant esse adiuncti ad unum caput, videlicet ad Deum; postea debebant sub hoc uno capite copulati esse inter se: Debebamus esse unius sensus, unius motus, eiusdem opinionis de Deo, et rebus bonis. Debebant esse similes affectus. Debebamus habere summam dilectionem Dei et proximi. Debebat unusquisque manere suo ordine. Verum *unusquisque declinavit in via sua.* Alii aliter aberrant suis opinionibus, affectibus, sceleribus. Hanc totam distractionem et horribilem confusionem et aberrationem describit et depingit Esaias brevissimis verbis.

Adiungit autem mox consolationem: *Posuit Deus in eum iniquitates omnium nostrorum.* In Hebraeo est: *Fecit in eum incurrere omnium nostrorum peccata*, id est, Passus est pro omnibus, etiamsi non omnes volunt accipere beneficium hoc. Fit igitur ipsorum culpa, quod pereunt deinceps.

Rursus Propheta redit ad historiam: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Etsi in his verbis etiam aliud mysterium inest, quod est inenarrabile. *Ipse voluit.* Filius Dei factus est pro nobis deprecator in arcano consilio divinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ibi se abiecit coram patre, ut placaret patrem, et impetraret, ut reciperetur genus humanum, ne abiiceretur in aeternas poenas et miserias. Haec significatio est in isto verbo: *Voluit.*

Filius Dei sua sponte factus est deprecator, immenso amore erga genus humanum. Quantus hic ipse amor sit, considerabimus in omni aeternitate, et coram. In hac vita non possumus comprehendere: Sed fides debet inchoare doctrinam. Cogitemus igitur de illo immenso amore in Filio, et agamus ei gratias, quod pro nobis fieri victima voluerit.

Sit haec nostra assidua precatio: Agimus tibi gratias, unice, omnipotens, et aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator una cum Filio et Spiritu sancto, quod te patefecisti nobis, quod misisti Filium, quod in Filio ostendisti te, quod Filium voluisti esse victimam, *μεσίτην καὶ ἱκέτην.* Agimus etiam tibi gratias Domine Iesu Christe, quod in te derivasti iram, quod deprecatus es pro nobis immenso amore.

Est et hoc in isto dicto comprehensum. *Quia voluit.* Ergo non est facta casu passio; non est facta invito eo. Tyranni non potuissent eum rapere invitum: Sed illud prius multo maius est, quod sponte factus est deprecator.

Non tantum excludunt haec verba violentiam tyrannorum, sed etiam significant immensum amorem, quod in concilio divinitatis pro nobis factus est deprecator pro genere humano, et ipse ruit in exitium, mortem, et poenas aeternas. Deus iuste potuisset delere totum genus humanum, sed Filius interponit se, tollit et mitigat iram Patris, et poenam in se derivat. Hoc complectimur etiam, cum dicimus, quod Filius ingreditur in Sanctum sanctorum, id est, in consilium aeterni Patris, est intercessor, et ipse se offert. Est autem res maxima se offerre.

Sequitur iterum de historia: *Non aperiet os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et sicut agnus coram tondente se, obmutescet, et non aperiet os suum.* Postea coniungit sententiam de resurre-

ctione. *De angustia et iudicio sublatus est:* id est, ipse ex morte eripitur: Ergo resurget: Est testimonium de resurrectione. In nostro textu additur: *Quis enarrabit generationem eius,* in est, saecula. Dicit eum victurum postea aeternis saeculis. *Abscissus est de terra viventium,* id est, interfectus. Est illustre testimonium de morte Messiae.

Propter scelus populi mei percussi eum. Hic iterum ponitur causa. Est autem rursus πάθος, cum inquit: *Percussit eum.* Cruciatus, seu laceratio corporis, est tolerabilis viro forti. Multi generosi Ethnici fuerunt tolerantes; etiam ancillulae se obiecerunt pro dominabus, ut est in historia Syracusana: praebuerunt cervicem feriendam, ne proderent dominas. Potest esse contemptus doloris, vel certe magnitudine animi potest reprimi aliquo modo dolor lacerationis corporum, quando conscientia integra est. Illud gaudium conscientiae, et decus virtutis reprimit dolorem corporis: sed quando cor dolet, quando sentit iram Dei, quando Deus ipse percutit, ut dicitur hic, quando luctatur cor cum sensu irae Dei, id vero atrox et horribile est.

Dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua.] Alii vertunt: *sepelietur cum impiis:* id est, sicut impius interficietur, sicut impletum est re ipsa in passione; quia latrones una crucifiguntur. Illa crucifixio latronum etiam est typus.

Duo latrones significant totum genus humanum. Latro impius significat partem impiam. Latro pius, partem piam, quae convertitur. Significantur duae partes dissimiles generis humani. Utraque pars istic pendet; quia totum genus humanum est adiudicatum et addictum morti.

Filius Dei pendet ibi cum impiis. Moritur, sicut alii homines. Nos omnes ibi pendemus, sed illa differentia est: una pars generis humani ridet risum Sardonium, sed altera obiurgat impium latronem. Sicut autem hic latro convertitur, sic quoque nos oportet converti. Ipse non adfert sua merita ad Christum, sed agnoscit eum esse Messiam, et est in eo magnum lumen, cum videt eum pendentem, et morientem: et tamen statuit esse Messiam, qui etiam post mortem habiturus sit regnum. Ideo dicit ad eum: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum*: Petit ab eo remissionem peccatorum, et vitam aeternam: habet initia fidei, et audit absolutionem: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Suntne in eo bona opera?

Ita. Iam quando convertitur, sunt in eo bona opera. Ipsa poenitentia est bonum opus, Invocatio, et Fides, sunt vere bona opera. Item subiicit se voluntati Dei in poena. Illa patientia est bonum opus. Item, confessio est bonum opus, quod dicit clare, illum Christum iniuste affici supplicio. Etiam confessio peccatorum suorum est bonum opus.

Quandocunque fit conversio, sunt in homine multa bona opera: accenduntur multae virtutes. Ille latro semper debet nobis esse in conspectu: Quia est insigne exemplum doctrinae, de remissione peccatorum gratuita: Nec nos aliter salvamur, quam ille latro. Etiam Iohannes Baptista non est aliter salvatus, quam ille latro: Nam et ipse petit remissionem peccatorum gratuitam a filio Dei; agnoscit hunc esse Messiam, et scit se quoque pertinere inter eos, de quibus hic dicitur: *Omnes erravimus.* Sed redeo ad verba Prophetae: *Cum impiis sepelietur, et morietur sicut divites.* Divites hic sunt, qui alias Tyranni nominantur.

Non fecit iniquitatem, neque dolus fuit in ore eius.] Hanc sententiam Paulus ita expressit: *Eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Primo loco peccatum significat fundamentum, id est, vitia et delicta, ponitur pro defectibus, qualitatibus et actionibus malis. *Non novit peccatum,* est Hebraica consuetudine dictum, pro *non voluit:* id est, eum cuius voluntas fuit sine ullo peccato, labe, vitio, delicto: Eum ergo *fecit peccatum,* id est, hostiam pro peccato. Accipitur pro termino, sicut in Dialecticis loquimur: *Fecit peccatum,* id est, quiddam reum. Paulus sumpsit phrasin ex hoc ipso textu Esaiae, ubi dicitur: *Dominus voluit conterere eum in infirmitate*: et, *Ipse posuit animam suam hostiam pro peccato.*

Oportuit in genere humano innocentem sustinere poenam, cuius poena valeret pro aliis. Quia enim ipse est innocens, ideo eius poena valet pro aliis. Non esset λύτρον, si non esset innocens. Poena innocentis valet pro aliis.

Hic breviter repetite causas, quare Messias sit homo et Deus: Et homo innocens: quia oportuit aliquem in genere humano solvere poenam, et hunc oportuit esse innocentem, ut esset λύτρον, ut poena valeret pro aliis.

Sed oportuit etiam esse Deum, ut esset aequivalens pretium; item ut possit ingredi in sanctum sanctorum, ut possit esse Mediator; quia angeli non vident cor aeterni Patris, sed tantum vident, quantum eis ostenditur. Ipse videt totum pectus aeterni Patris. Item, oportet esse in Mediatore naturam victricem mortis. Item oportet esse custodem Ecclesiae.

Cogitate etiam rursus, quantum hoc sit πάθος: *Deus voluit eum conterere.* Haec est gravissima illa passio sustinere iram Dei, non tantum lacerationes corporis externas.

Quod in Latino textu est: *Ponet animam suam pro peccato:* in Graecis est περὶ ἁμαρτίας. Quandocunque peccatum nominatur, significatur aliquid tale, quod Deus abiecerit, cui irascitur.

Sunt atrocissima vocabula, quibus nihil dici potest atrocius: summa iustitia Dei, et peccatum: aeternae poenae, aeterna damnatio. Contra nihil iucundius, nihil gloriosius nominari potest, quam vita, et aeterna laetitia, sapientia, et iustitia aeterna donata nobis.

Cum igitur dicitur: *Fecit Filium hostiam pro peccato*, significatur hoc, quod est atrocissimum. Sed ira in eum derivata est, *ut nos fieremus iustitia Dei in ipso.* Voluit plus dicere: Tu es iustitia Dei, non tantum iustus in ipso: ut, si dicam: *Cicero est eloquentia*, id plus est, quam Cicero est eloquens.

Sumus autem iustitia Dei in ipso servatis gradibus. Primum imputatione coram Deo; deinde, inchoatione in nobis ipsis in hac vita; tandem, consummatione in vita aeterna.

Etiam Esaias complectitur hos gradus. *Induit me vestimento iustitiae, etc.* Id est, vestit me primum imputata iustitia: postea, inchoat novam iustitiam in nobis in hac vita: tandem, induet nobis consummatam iustitiam in omni aeternitate.

Videbit semen longaevum.] Haec rursus ad resurrectionem pertinent. *Voluntas Domine dirigetur in manu eius.* Ea quae vult Deus, prospere per eum fient. Loquitur de redemptione generis humani et de salvatione. Diabolus non poterit eam impedire: id comprehenditur etiam illis verbis Christi: *Nemo rapiet eos de manu mea.* Est hoc in despectum Diaboli positum: *Es ist dem Teufel zu trotz gesetzt. Voluntas Domini dirigetur in manu eius.* Liberatio generis humani, et collectio Ecclesiae prospere fit per Christum, etiam repugnante Diabolo, et tumultuantibus horribiliter Imperiis: denique furente Diabolo, et membris Diaboli. *Es muss alles Christo weichen.*

Pro eo, quod laboravit anima eius, videbit et saturabitur.] Est repetitio passionis et resurrectionis. Iam addit de applicatione et fide.

Iniquitates eorum ipse portavit: et postea iterum dicitur: *Ipse peccata multorum tulit.*] Sunt hic duo verba diversa. Unum significat gestare, alterum auferre, removere. Utrumque facit Christus. *Gestat*, id est, sustinet onus, et removet, seu transfert a nobis in se. In Iohanne est uno verbo dictum: *Ecce agnus Dei qui tollit*, id est, gestat et removet *peccata mundi.* Sed in Hebraeo sunt verba diversae significationis.

Notitia sui iustificabit ipse servus meus iustus multos.] Clare dicit de iustificatione, et quomodo iustificemur. Applicatio huius beneficii fit fide. Idem Paulus dicit: *Iustificamur gratis per sanguinem eius fide.* Notitia hic est fides agnoscens eum. Iustificabit multos illa agnitione sui. Ipse est causa efficiens. Non satis est scire historiam, sed oportet scire, quod fide beneficia applicentur. Oportet scire applicationem, quod verissime accipiamus remissionem peccatorum, quando credimus gratis dari nobis beneficia propter Filium Dei, et oportet remissionem esse gratuitam, ut fides vel beneficium sit certum.

Dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia.] id est, In genere humano colligit Ecclesiam, puniet impios: et servabit credentes. *Pro eo, quod tradidit animam suam et reputatus est cum sceleratis.*] Passio Christi est fundamentum collectionis Ecclesiae.

Pro transgressoribus rogavit.] Hoc est officium sacerdotis. Sacerdotis officia sunt tria: Docere Evangelium: Deprecari pro aliis: et Offerre pro aliis. Doctrina est tradita in concionibus eius. Deprecatio eius pro nobis est assidua. Ipse coepit deprecari pro Ecclesia, statim post lapsum Adae, et orat pro nobis usque ad extremum iudicium, et fecit precationem ante agonem expressa voce, quae est in Iohanne, quam nuper recitavimus; et quia est deprecator pro nobis, habet promissionem, quod exaudiatur. Nos statuamus eius precationem non esse irritam; et confidentes hac illius deprecatione, accedamus ad Deum, et coniungamus nostra vota et gemitus. Contra:

> *Christus dicit Iohan. 16. Non ego rogabo patrem pro vobis:*
> *Ergo ipse non orat.*

Respondeo: hoc dictum est intelligendum exclusive: id est, ego non solus orabo. Vult nostrae dubitationi et trepidationi mederi. Nos anxii, agnoscentes nostram immunditiem, magna et tristia peccata, et lapsus, non audemus accedere et petere; sed ipse retrahit nos fugitantes et trepidantes, et vult, ut oremus: *Non dico, quod ego solus, scilicet rogabo, sed volo vos quoque orare*, id est, Vos estis pavidi, anxii, fugitantes, ego oro, et ita oro, ut velim vos quoque orare.

Est obiurgatio fugitantium, non nolentium accedere, cum sit mandatum, ut accedamus cum fiducia: sicut Paulus dicit: *Habentes talem Pontificem, accedamus cum fiducia ad thronum gratiae.* Ipse Filius Dei perpetuo orat, sed non vult solus orare; Vult nos quoque accedere, vult, ut nos vera fide sustentemus. Expetamus auxilium, non dubitemus nos recipi vera fide.

Ista diligenter legite, meditamini, cogitate, conferte sententias Scripturae, et videbitis, quantae consolationes sint propositae. Scitote autem postulari etiam, ne homines petulanter ruant cum barbarico contemptu Dei: quia non potest esse

invocatio, quando mens est alien ab omnia cogitatione de Deo.

DECLARATIO UBERIOR

meditationis spiritualis, illustrata exemplis, inprimis vero enarratione historiae De latrone converso.

Spiritualis meditatio comprehendit duo, terrores ac pavores, et consolationem ac vivificationem. Primum est, in illa meditatione spirituali mortificatio, vel poenitentia, vel pavores. Haec omnia unum et idem sunt. Quomodo? Omnia spectacula tristia, in toto genere humano, sunt signa irae Dei adversus peccatum. Mors et multae calamitates aliae, morbi, inopia, exsilia, miseriae publicae, vastationes, dissipationes generis humani, quae certe sunt valde tristes et magnae.

Vos adolescentes nondum estis experti, et tamen necesse est vos utcunque cognoscere. *Vulneribus didicit miles habere metum*, inquit Poeta. Nos seniores plus sumus experti: Magis sentimus miserias, iuniores nondum habuerunt magnos dolores. Ideo ista aetas est adhuc hilarior, minus angitur in calamitatibus.

Philosophia non potest invenire causas, quare genus humanum, illa praestantissima natura, sit subiecta tantis aerumnis. Sed vox divina ostendit causas: Dicit Peccatum et inobedientiam contra Deum, et illam horribilem destructionem in natura hominum, esse causam poenarum. Verum magnitudo irae Dei nulla in re adeo conspicitur, sicut in spectaculo illo, quod Filius Dei pendet in cruce: Necesse est esse magnam et ingentem iram, in illa iustissima essentia divina adversus peccatum; cum non alio modo tollatur ira adversus peccatum, nisi satisfactione Filii.

Haec valde magna sunt, et magnitudo non potest comprehendi. Sed oremus Deum, ut in cordibus nostris accendat veram assensionem, et regat mentes nostras. Tanta est magnitudo istius sapientiae, ut ipsa amplitudo caeli non possit eam capere, non mentes angelicae, non humanae, sine revelatione et gubernatione divina, nisi Deo monstrante et flectente corda.

In isto spectaculo omnium maxime cernimus iram Dei. Cum Deus non voluerit iram suam placari nulla alia re, nisi derivata ira in Filium, necesse est magnam et ingentem iram esse. Ista sunt consideranda.

Sicut autem discimus in exemplo isto agnoscere iram Dei: sic in eodem etiam discimus consolationem, videlicet illum immensum amorem in aeterno Patre, Filio, et Spiritu sancto. Tanta est bonitas Dei, tanta misericordia, tanta dilectio, ut non voluerit nos perire. Sed mittit Filium, et addit iusiurandum, quod velit nos propter ipsum recipere: *Iuravit Dominus, et non poenitebit eum. Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedeck.*

Sic autem donantur nobis beneficia filii, quando fide erigimur in doloribus, et credimus nos recipi propter Filium, et hunc Filium esse salvatorem et redemptorem, et donantem nobis suam iustitiam imputatione; et postea efficientem in nobis iustitiam et vitam aeternam, quae complebuntur post hanc vitam.

Isti motus, isti affectus in corde, pavores et consolatio per fidem sunt meditatio spiritualis. Omnes sancti ita didicerunt historiam, ita meditati sunt.

Abraham quando immolavit filium, intellexit Messiam fore victimam: Bene intellexit suam oblationem esse typum et imaginem alterius oblationis. Postea sensit se propter illum Dominum non solum recipi a Deo in gratiam, sed etiam per eundem Dominum vivificari. Sic etiam Adam sensit se vivificari audita voce: *Semen mulieris conteret caput serpentis*: haec est illa meditatio spiritualis. Sed proponite vobis latronem in cruce. Est valde perspicua et pulchra imago.

Pendent ibi duo latrones, et Christus inter eos, id est, totum genus humanum eodem modo pendet, eodem modo est in miseriis, aerumnis, morte, et horribilibus malis. Omnes pendent: Tu et ego pendemus ibi, sumus destinati morti. Item, sumus onerati aliis magnis miseriis: pendet autem ibi simul Christus, qui etiam est destinatus morti, sed alio modo quam nos, non pro suo peccato, sed propter nos: Tamen pendet ibi, et ita pendet, ut pars generis humani salvetur per ipsum, alia parte pereunte in peccatis suis.

Latro impius, unus ex malefactoribus, blasphemabat. Textus singulari consilio usus est duro et atroci verbo, *blasphemare.* Tale est illud genus impium, quod adversatur Evangelio, blasphemum, contumeliosum contra Deum, sicut ille latro adhuc ludit et iocatur in extrema calamitate, et vestibulo mortis. Ridet Sardonium risum. Quod proverbium usurpatur de iis, qui in miseriis suis petulantes sunt, ut apud Homerum, cum procivident eclipsin Solis et spectra, rident, donec interficiantur. Ibi inquit Homerus. *Rident Sardonium, γέλωτα Σαρδόνιον.* Ita impius ille latro ridet risum Sardonium.

Prophetae de illis, qui nihil moventur poenis, dicunt, *quod habeant frontem aeneam.* Item: *Populus non conversus est ad percutientem se.* Item: *Dorsum eorum fuit incurvatum.* Impii fiunt in poenis petulantiores. De isto furore dicunt Medici: *Cum mens aegrotat, malum est*, id est, quando

aliquis non sentit morbum, *Und sagt er sey nit kranck, und ist doch kranck:* propemodum omnes tales sumus. Certe magnitudinem miseriarum nostrarum non cernimus, non sentimus. Verum est, Deus etiam vult tectam esse aliqua ex parte; quia non possemus sustinere, et cum aliquo modo incipimus cernere, nisi vivificaremur divinitus, succumberemus. Nam illi, qui non vivificantur, merguntur in interitum et desperationem. Haec est ergo una pars generis humani. Sicut iste latro in summis sceleribus et cruciatibus delitiatur et ludit: sic faciunt alii homines innumerabiles.

Verum alter latro conversus, obiurgat illum impium: quia oportet aliquos esse conversos. *Tu, cum in eadem damnatione*, inquit, *sis, non metuis Deum?* id est, poena tua debebat te commonefacere de tuo peccato: tu interea rides, ludis, delitiaris. Non bene facis. Postea addit confessionem: *Nos iuste plectimur: hic autem quid fecit?* Dat testimonium Christo, et fatetur proprium peccatum. Idem oportet in nobis fieri. Is qui convertitur, debet fateri peccatum, sive corde, sive ore. Ubi est in corde, ibi erumpit etiam in os. Haec confessio est necessaria; aliud est autem loqui de enumeratione. Cor istius latronis convertitur, et hoc confitetur, quod ipse et alter iuste puniantur.

Sic nos omnes in toto genere humano debemus agnoscere iudicium Dei iustum, sicut multae sunt tales confessiones, ut in Daniele: *Tibi Domine iustitia: nobis confusio faciei*, etc. *Omnia quae fecisti, Domine, in vero iudicio fecisti.* Item: *Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.* Sicut Mauritius imperator dixit, cum ante ipsum fuerunt interfecti filii et filia. Ipse stat mutus, nihil loquitur: postea cum ventum est ad coniugem, filiam Imperatoris Heraclii, non potuit diutius ferre magnitudinem doloris tacitus; dixit: *Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.* Profecto fuit magna confessio. Fuit singularis lux Filii Dei in eo, quod potuit tribuere iustitiam Deo in tanta calamitate. Nos nullam tantam Tragoediam nostris temporibus habemus. Et quamquam in Constantinopoli multa magna mala acciderunt, tamen tale exemplum non accidit, quale hoc est, ut spectante Imperatore claro et potente, et domino interfectoris, interfecti sint filii, filia, et coniunx in conspectu ipsius. Tamen non fremit adversus Deum, sed inquit: *Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.* Hoc vere est *humiliari sub potenti manu Dei:* potenti ad deprimendum, et potenti ad sanandum. Talem oportet esse nostram contritionem et confessionem.

Videtis ergo discrimen inter illos duos: sed nondum de toto discrimine dictum est. Posteaquam sunt in latrone dolores, pavores, contritio, agnoscit se iuste puniri, dolet de suo peccato, est in poenis, quae poenae commonefaciunt eum, ut David inquit: *Bonum est mihi, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.* Habet iam principia poenitentiae in istis doloribus: venit ad alteram partem verae conversionis, cum inquit: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Videte, qualis sit ista vox? Ille latro iam est factus Apostolus. Apostolis fugientibus, aut certe tacentibus et trepidantibus, incipit latro in cruce concionari. Ita Deus subinde instaurat Ecclesiam.

Sed non solum editur ab illo confessio vel testificatio de Filio Dei, sed ipse re vera fit membrum Ecclesiae vivae, et sanctificatur, renovatur, vivificatur: Quia ista est vox fidei. Intelligit eum esse Messiam, et scit eum regnaturum, quamquam iam morientem. Cogitate, qualis lux in corde fuerit, cum videt eum iam fere expirare, tamen alloquitur Christum, et facit mentionem regni. Habet intellectum, quod Dominus sit regnaturus, ut donet aeternam sapientiam, iustitiam, lucem, et vitam aeternam. Scit restare aliam vitam, scit eum esse datorem vitae, et salvatorem.

Spiritus sanctus in eo multa monstrat, etiamsi nondum satis explicate omnia tenet. Ipse fuit in isto populo, scivit aliquid de doctrina. Hic Spiritus sanctus eum erudiit, huius Domini fore aeternum regnum. Fieri etiam potest, ut sit motus signis: Audivit terrae motum: vidit solem obscurari: scivit fortasse etiam aliquid de prioribus miraculis.

Hic habetis imaginem in latrone isto, hominis qui convertitur, et habetis doctrinam, quomodo salvemur. Habetis testimonium, quod instauretur Ecclesia, in extrema solitudine. Est copiosissimum exemplum.

Posteaquam ipse dixit suam precationem, et ostendit fidem in illis verbis: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum:* ibi audit vicissim vocem Evangelii: *Hodi mecum eris in paradiso:* id est, eris mecum in tali statu: in quo laetaberis, in quo erit iustitia, et vita. Dicit restare vitam, et illum esse in transitu, seu in itinere ad vitam, et fore statim in illa iustitia et vita.

Quid significat vocabulum Paradisus?

Significat pulchrum hortum: per metaphoram transfertur ad illum statum, in quo est iustitia, sapientia, et vita sine morte: sicut homo collocatus in paradisum, habuisset sapientiam, iustitiam, et vitam; fuisset templum Dei, vixisset sine morte. Inde sumitur illa metaphora: *Hodie mecum eris in paradiso.* Latro audit hanc vocem, quod sit in tali statu futurus, non in tantis miseriis, ut nunc

est, sed in aeterna iustitia et vita, quae vita fruetur bonitate et conspectu Dei. Ita vivificatur cor intus, et illa nova vita est initium vitae aeternae. Ita Dominus moriens vivificat vivificat in ipsa morte.

Suntne bona opera in latrone?

Ita. Quae? Aliqui dicunt, non sunt necessaria bona opera: quia latro fuit salvatus non habens bona opera. Haec est valde crassa oratio. Ipse accipit remissionem peccatorum, donatur iustitia et vita aeterna gratis: Non propter praecedentia sua opera, quia fuit latro, neque propter illa opera, quae sequuntur, donatur remissione peccatorum et vita aeterna. Proposita est nobis imago ista, ut sciamus, dari gratis, fide, propter filium Dei remissionem peccatorum, et vitam aeternam: Quia omnes oportet salvos fieri, sicut salvatus fuit iste latro. Sed postquam convertitur, sunt in eo multa bona opera et multae virtutes. Est in eo *poenitentia*, id est, dolor, quod peccaverit: est in eo *fides*, quae agnoscit istum Dominum, quem postea etiam *invocat*. Haec sunt certe bona opera; quia etiam virtutes vocantur opera. Item est in eo *patientia:* Cogitat: ego iuste plector; Deus ordinavit has poenas; vult eas esse signa, quae ostendant, quod ipse vere irascatur peccato. Ista intellexit latro, et subiecit se voluntati Dei in hac poena. Ista obedientia est etiam virtus: quia patientia est obedientia, in qua tribuimus Deo hunc honorem, quod propter ipsum velimus pati, et interea petimus, ut ipse mitiget poenas. Deus sine ulla dubitatione lenit calamitates invocantibus: Cumulat calamitates, si homines pergunt frontes aeneas habere, si pergunt furere, et ridere Sardonium, sicut ille alter latro, sic etiam Christus dicit: *Si non egeritis poenitentiam, omnes simul peribitis.*

Est in latrone nova vita: Ergo omnes virtutes inchoantur, quia nova vita est realiter illae ipsae virtutes novae, nova sapientia, nova lux, dilectio Dei talis, quae est conformis Spiritui sancto, qui efficit has novas virtutes, et novos motus similes ipsi: talia operatur, qualis est ipse. Ignis calefacit, aqua humectat; sic aeternus Pater et Filius spirantes Spiritum sanctum in tuum cor, faciunt tales motus, ipso Spiritu sancto.

Qualis est Spiritus sanctus? qualis est agitator ille?

Est sapiens, noscens Patrem et Filium, et sese, est iustus, habens motus, quales describuntur in Lege Dei, id est, congruentes iustitiae Dei, et normae in mente divina. Ergo sunt in latrone omnes virtutes inchoatae, sicut vita aeterna est inchoata. Haec omnia sunt opera bona. Videtis excellentem *confessionem* in obiurgando altero. Item in sua precatione: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Ita iam conversus, habet bona opera.

Haec ergo est meditatio passionis Spiritualis: quando ita expavescimus veris doloribus, et rursus erigimur, sustentamur vera consolatione, et vivificamur, quando agnoscimus hunc Dominum, non tantum ut Socratem, ut Palamedem patientem, sed ut datorem vitae, placatorem et propitiatorem, ut Paulus inquit: *Quem posuit propitiatorem per sanguinem ipsius:* sciamus ipsum nobis donatum esse, ut nobis remittatur peccatum propter ipsum, ut ipsius iustitia donemur, et ut ipse nobis sit vivificator et sanctificator.

POSTREMAE DUAE CONCIUNCULAE DN. PHILIPPI MELANTHONIS

in morbo febrili, habitae paulo ante mortem.

PENULTIMA LECTIO PHILIPPI MELANTONIS, DIE VIRIDIUM.

Anno Christi 1560.

Tempora debent nobis esse commonefactiones de patefactionibus, et operibus divinis. Ideo hoc anni tempore repetitur narratio de illo mirando Dei opere, quod scilicet filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, est factus pro nobis victima, ac est redemptor Ecclesiae. In qua cogitatione primum omnium debemus agere gratias Deo, quod nos vocavit ad societatem Ecclesiae, atque ita ad societatem fructus istius tanti beneficii. Deinde debemus cogitare, quod sit discrimen Ecclesiae, et aliarum gentium, et quid mundus senserit de eo, quando dicitur, *Filium Dei debere tollere peccatum et mortem*, quae fuerint distractiones opinionum, et quomodo tamen Deus servaverit suam Ecclesiam.

De hac doctrina commonefacit nos initium precationis filii Dei: *Haec est vita aeterna, ut agnoscant te verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum.* Ita construite: ut *Christus*, ponatur loco praedicati, et declarative, tamquam nomen officii.

Iesus est nomen personae, Christus nomen officii; Iesum esse Messiam.

Hic cogitate omnia mundi tempora. Quae fuit impietas Cain, cum discessit a patre. Pater docuit eum, Filium Dei venturum, et aboliturum mortem et peccatum ex dicto: *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Filius Abel credidit, placuit Deo; Cain superbe contempsit: cogitavit esse fabulam. Postea post praedicatum Evangelium, factio Mahometica est multitudo generis humani maior, quam quae nominatur Christiana. Mahometistae habent magna imperia. Hodie Persicum regnum est magnum, quod gerit bellum cum Turcico regno. Ipsum Turcicum regnum est Mahometicum. Tota Africa est Mahometica, magna pars Asiae, iam etiam magna pars Europae est Mahometica.

Qua in re discedunt?

Habent etiam legalia, severe exercent politica officia praecepti: *Non occides.* Item, *Non furtum facies.*

Quid peccant?

Negant Filium Dei, et dupliciter negant. Negant in eo esse duas naturas: deinde officium penitus tollunt; Cogitant esse fabulam, dicere: *Peccata hominum redimi sanguine alicuius hominis.* Negant istum articulum, quod Filius Dei sit Christus, cui opponendum hoc dictum: *Haec est vita aeterna, ut agnoscant te verum Deum, et Iesum, quem misisti, esse Christum.* Item: *Qui non honorat Filium, neque Patrem honorat, qui misit eum.*

Confirmate vos contra furores eorum, qui contradicunt, ut Mahometus expresse contradicit.

Quomodo Papistae contradicunt?

Retinent symbola, sive credant, sive non credant, recitant tamen. Deinde retinent historiam: sed de applicatione errant. Relinquunt beneficium Christi, et somniant se esse iustos propter propriam obedientiam legis, propter disciplinam.

Mahometistae, imaginantur se esse iustos, quia servent suum Alcoranum, sint fortes bellatores, sint benefici. Illa summa est Alcorani. Directa est illa legis latio ad Laconicam formam. Bene considerate, quid profiteatur Ecclesia, et quae sit Ecclesia iuxta dictum hoc: *Haec est vita aeterna,* etc. Et non erremus neque de historia, neque de applicatione.

Mahometistae dicunt omnino fabulam esse, quod alicuius sanguine et supplicio sint redempti homines: postea numerant ipsi praestantes homines, qui ceciderunt in acie: Illam mortem iudicant esse magis gloriosam, quam Christi. Papistae, etsi retinent doctrinam, quod passio Christi aperuerit ianuam merendi, tamen amittunt hoc, quod obedientia sit pretium pro nobis, et sic accipi remissionem peccatorum, et non aliter. Ibi iam discernite sanctorum supplicia et neces a Christi supplicio.

Quando legis, Iohannem Baptistam interfectum esse, quid inde discis?

Discis exemplum: id est, sicut Ioannes in praedicatione veritatis passus est, ita nos oportet esse paratos ad mortem.

An passio Ioannis tibi profuit ad remissionem peccatorum?

Nihil omnino. Nullius Sancti passio prodest nobis ad remissionem peccatorum? Exempla tantum sunt, Christi passio intuenda est, non ut exemplum, sed ut donum, seu beneficium nobis donatum. Haec est vera meditatio passionis Christi. Meditatio passionis Christi debet talis esse, ut agnoscamus, eum esse beneficium nobis donatum, non tantum debet esse exemplum; postea etiam potest poni ut exemplum. Passio Ioannis, Laurentii, Esaiae, Ieremiae, et omnium sanctorum sunt nobis exempla: *μαρτύρια*, testimonia non sunt *λύτρα*. Christi passio est *λύτρον*.

Haec debetis cogitare iam, et Deo gratias agere, quod vocavit nos ad Ecclesiam et disiunxit a blasphemiis impiis, Mahometicis et Papisticis: et debetis toto pectore gratias agere, quamquam alias semper, tamen iam maiore intentione: Ago tibi gratias omnipotens Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator coeli et terrae et hominum, et omnium creaturarum, una cum Filio et Spiritu sancto, quod misisti Filium, ut esset redemptor; et ago tibi gratias Domine Iesu Christe, quod es factus redemptor noster, et credo me esse iustum imputata iustitia propter tuam obedientiam; et oro, ut me doceas et gubernes.

Istam precationem debetis saepe repetere his diebus in colloquiis vestris, lectis, ambulationibus,

templo. Ad hanc rem requiritur modestia morum; quia illi, qui latronum more currunt, et vagantur, ut hauriant sanguinem, non possunt recte cogitare. Heri vidimus triste exemplum poenarum. Ille miser homo interfecit miseram mulierem, plane impulsus Diabolico impetu. Postea ipse dedit poenas. Deus vult nos agnoscere, quid eiusmodi vita et securitas mali afferat. Imo mementote vocem, quam dixit Christus ante agonem: *Orate, ne intretis in tentationem:* id est, ne oprimamini in tentatione. *Diabolus expetivit vos, ut cribraret vos: Es heist* poposcit, provocavit vos, evocavit. Diabolus non cessat, insidiatur hominibus; sed Filius Dei rogavit pro vobis, sicut ibi dicit: *Ego pro te oravi.* Estque haec solennis precatio, quae semper cogitanda est. Redeo ad meditationem de passione.

In meditatione passionis necesse est primo cogitare historiam, deinde causas, et postea applicationem. Cras, Deo iuvante, in capite Esaiae dicemus de applicatione.

In causis quid est considerandum? Immensa, et inenarrabilis misericordia Dei, et immensus amor in ipso Filio. Deus est *πρῶτον αἴτιον.* Tota divinitas auctor est huius totius consilii: Mahometistae, item Epicuraei habent pro fabulis. Habeant sane: nos clamemus ad hunc ipsum Filium Dei, quidam ardenter clamat. Non existimemus ullam fuisse ardentiorem vocem auditam in coelo et terra, quam fuit haec precatio Filii Dei.

Causa finalis, est salus generis humani. Quae est applicatio? Filius Dei ipse nobis applicat per precationem, ipse est sacerdos applicans nobis per precationem suum sacrificium, et nos illam applicationem apprehendimus fide. Sunt insani homines iam, qui vocem apprehendendi tamdiu in ista causa usurpatam, incipiunt improbare; quia videatur significari meritum. Non propterea tribuitur aliquid dignitati hominis, vel meritis, cum dicimus: Oportet te audire et accipere, quoties Paulus sic loquitur. Monstrosa ingenia sunt. Ista insulsa Sophistica crescit propter inscitiam, et propter malitiam: quia hoc saepe fit, *ἡ γὰρ μωρία μάλιστα ἀδελφὴ τῆς πονηρίας ἔφυ.* Est usitatum malum in vita, quod nominatur malitia coniuncta cum stultitia. Graeci dicunt *μωρόκακοι:* Germani vocant *die bosen narren.* Distinguunt *die bosen narren*, ab aliis stolidis: Quia plerumque melancholiae est mixta corrupta bilis, quae facit malitiam cum stultitia: *das sein nur μωρόκακοι*, reprehendere, quae necessario, et sanctissime dicuntur.

Filius Dei applicat nobis sua precatione officium sacerdotis, est applicare sacrificium, deinde vestrum est apprehendere. Papistae errant de apprehensione. Dicunt Christum aperuisse ianuam merendi: Sed non dicunt habere se remissionem peccatorum, quia Christi obedientia ipsis sit pretium, seu iustitia ipsis donata. Pugnant cum illo dicto: *Iustificati sanguine ipsius.* Tam Mahometistae, quam Papistae errant de hoc dicto: *Sanguis Christi purificat nos ab omni peccato.* Has amplissimas consolationes infigite animis. Ita excitabitur in vobis lux fidei, et Deus servabit et gubernabit vos.

Primum ponamus definitionem summi sacerdotis. Quis est summus sacerdos? Est filius Dei, immediate ordinatus ab aeterno Patre, ut proferat Evangelium ex sinu aeterni Patris, fiat pro nobis victima, habens promissionem, quod exaudiatur, et deprecans pro nobis. Sacerdos debet sacrificium applicare. Ita stat Christus iam accessurus ad sacrificium, et initio applicat sacrificium, precatur de sese, precatur postea de tota Ecclesia.

Repetit initio doctrinam. Quae est? *Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum, et Iesum, quem misisti, esse Christum.* Qualis est praedicatio? Est praedicatio causae formalis. Hoc ipsum est vita aeterna, lux illa, quae agnoscit Deum, et apprehendit Deum; oportet me uti hoc verbo; quae intuetur verum Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, distinctum ab omnibus commenticiis numinibus, ab Ethnicorum diis, a Mahometistarum Deo, et omnibus idolis; non quod excludatur Filius, imo filius includitur. *Et quem*] id est, quem divinitas misit, qui totius divinitatis consilio missus est. *Hunc esse Christum*] id est, qui est filius Dei natura et redemptor. Vocabulum, Christus, comprehendit et personae proprietates et officium, *das ist* repetitio doctrinae brevis.

Postea petit, ut glorificetur gloria, quam habuit ante dies mundi, ut in isto agone inenarrabili sustentetur, *darnach kompt* precatio pro Ecclesia.

Pater tuus moriens quid precabatur? nonne haec? ut esset familia, et ut essetis concordes, et ut ita viveretis, ut perveniretis ad vitam aeternam. Talem videtis sapientissimam hanc precationem Christi, quam cogitare saepe, quia sic precatur nunc quoque. Orat autem hoc modo pro singulis, sicut inquit: *Rogo non tantum pro illis, sed pro omnibus qui credituri sunt per verbum eorum.* Christus his verbis applicat tibi sacrificium et precationem suam.

Haec autem petit ordine. 1. Petit, ut sit Ecclesia: *Pater, serva eos in nomine tuo*] id est, in agnitione tui, et in potentia tua. *Sanctificetur nomen tuum.*] id est, agnitio tui sit sancta. Nomen significat agnitionem; postea etiam saepe potentiam, propter invocationem. *In nomine*] id est, sit Ecclesia, te invocans et agnoscens, et tu serva eam tua potentia.

Secundo petit. Qualis debeat esse Ecclesia? *Sanctifica eos in veritate tua: Sermo tuus est veritas.* Quae, et ubi est Ecclesia? Quae retinet ser-

monem Dei, et ibi est Ecclesia, ubi est ille sermo incorruptus. Diligenter meditemini totam precationem. Est praecipua testificatio de salute vestra: Filius stat coram aeterno patre, et pro nobis precatur. Et hoc tantum beneficium non vultis considerare? *Was ists doch für ein barbarey:* Non simus Epicuraei. Credamus illa vera esse, quae profitemur. Non cogitate virtutem esse, semper esse ebrium.

Filius Dei precatur, ut sit Ecclesia; et ut talis sit, scilicet retinens veritatem. *Sermo tuus veritas est.* Sic nominat hanc doctrinam, quam tradidit, ut dicit: *Illi sermonem meum servaverunt.* Scitis, quomodo hoc sit intelligendum. Hic rursus sunt exclusae omnes sectae, quae lacerant simplicem doctrinam Evangelii, aut prorsus abiiciunt, ut Anabaptistae, Mahometistae: Anabaptismus est quaedam monstrosa dissolutio politiarum et tetra barbaries, et impossibilis: quia est contra legem naturalem: *Non furtum facies.*

Quia vero precatur, ut sit aliquis coetus retinens sermonem: Ergo erit aliqua Ecclesia. Hic fundatus est articulus: *Credo Ecclesiam. Ego sum vobiscum usque ad consummationem seculi.* Item: *Sedet ad dextram, dans dona hominibus.* Erit aliqua Ecclesia, etiamsi est angusta, et circumdata ingenti multitudine impiorum, Mahometicis regnis et pontificiis. Est magnum scandalum, sed tamen simus muniti contra scandala, et petamus, sicut Christus rogat pro nobis, ne deficiat fides nostra, cum inquit: *Diabolus expetivit te, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.*

Tertio petit de concordia, *ut unum simus in ipso.* Simus igitur et nos studiosi concordiae. Aeternus pater faciat, ut verae Ecclesiae concordia aliqua maneat; singuli tamen debent etiam adhibere studium coniunctionis. *Qui non colligit mecum, dispergit:* id est, qui quaerit causas dilacerationis ambitione, avaritia, malitia, et aliis modis, sicut multa talia fiunt, illi viderint. Debemus nos adiungere verae Ecclesiae, sicut saepe praecipitur: *Ubicunque sunt duo, aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum.*

Quarta petitio, quae est finalis et ultima; petit, ut simus salvi: Sicut ipse resuscitabitur ad aeternam laetitiam, sic petit, ut nos quoque resuscitemur ad societatem in coelesti sapientia, iustitia, etc. *Ubi ego sum, volo, ut illi sint.* Ita mementote summam huius precationis.

Cogitate singuli de parentibus vestris: Ego moriturus peto, ut liberi mei sint Deinde ut sint membra Ecclesiae, et sint unum cum Ecclesia, et inter se habeant agnitionem Dei. Denique ut etiam fiant salvi in aeterna salute. Haec memini meum patrem dicere, cum mihi valediceret ante mortem. Diligenter legite hanc petitionem: Facit hoc, ut pro nobis oret, ut sacerdos.

Sacerdotis est sacrificare, et addere applicationem. Hic clare dicit: *Ego me sanctifico*] id est, sacrifico; ego offero me ad obedientiam, ut moriar pro ipsis, id est, exhibeo me, ut sim hostia, pretium pro eis. *Ego sanctifico me pro eis:* et addit: *Ego rogo non tantum pro illis,* id est, Apostolis, *sed etiam pro Ecclesia.* Pro qua Ecclesia? credente per verbum Apostolorum, id est, non voco Ecclesiam, qui sunt hostes. Sic dicit in Psalmo: *Conserva me Deus: pro sanctis et mirabilibus offero me: sed qui currunt post alium, horum libationes non assumam,* id est, ego pro Ecclesia precor, non pro idololatris impiis, qui non volunt converti, non pro blasphemis precor.

Applicat suam passionem pro vobis credentibus. Ista est valde necessaria doctrina, quam ipse consecravit suo sanguine: ideo inculcare eam voluit, dicens hanc solennem precationem in magno coetu. Cogitate gestum et stantem eum, et dicentem ista alta voce: *non tantum pro illis, sed etiam pro nobis.*

Ista pertinent ad meditationem passionis. Est sciendum, quid differat passio Christi ab aliorum sanctorum passione; et considerandum discrimen inter Ecclesiam et alias gentes omnes, quae cogitant esse prodigiosum commentum, unum hominem mori pro aliis, esse gloriosius mori in acie. Nos agnoscamus veritatem Evangelii, ut confirmemus nos hic dictis: *Sanguis Christi purificat nos ab omni peccato.* Item: *Iustificati sanguine eius,* agamus Deo gratias, et sustentemus nos consolatione huius precationis, et accensa fides postea ostendat etiam gratitudinem. Satis est.

ULTIMA LECTIO PHILIPPI MELANTHONIS EX CAPITE 53. ESAIAE, IN DIE PARASCEUES PRAECEDENTIS PASCHA,

Anni Christi 1560.

Hoc caput saepe repetitum esse in Ecclesia ostendit conversio Eunuchi Aethiopici, de quo est in Actis, quomodo ille sedens in curru legerit hoc caput, et orta sit inde disputatio, de quo loqueretur: sicut ego quoque cum Iudaeo disputavi de hoc ipso textu. Ille fingebat duos Messias. Unum, qui esset passus, alium, qui esset gloriosus.

Heri dixi, debere vos Deo gratias agere, quod vocati estis ad verae Ecclesiae societatem, ut tribuatis Filio Dei honorem debitum: quia scriptum est: *Qui non honorat Filium, non honorat patrem.*

Mahometistae detrahunt divinitatem personae, et officium prorsus negant. Putant fabulosum esse, omnes homines liberari morte unius miseri hominis. Si ulla mors esset gloriosa, potius constituta esset mors bellatoris alicuius, qui cecidisset in acie.

Scitis etiam Papistas, quamquam retinent historiam, tamen de applicatione eius non recte docere.

Hoc caput tam perspicuum, et plenum est illustrium et gravissimorum verborum, ut, si esset a Paulo post passionem Christi scriptum, non posset planius scribi.

Primum autem est asseveratio, quod ille sit Messias, qui sit futurus salvator, de quo in prioribus capitibus multa dixit: *Ipse asperget Gentes.* Certum est eum de Messia loqui, sed postea intexit hanc narrationem de passione. *Quis credet auditui nostro.*] id est, sermoni, *sie reden also.* Maxima multitudo gentium dicit esse fabulam, *wie ihr sehet.* Omnibus temporibus fuerunt, sunt, et erunt homines *ἄθεοι*, qui dicent haec esse fabulosa. Nos ista cogitantes, veris gemitibus petamus, ut Filius Dei ipse corda nostra confirmet. Sed iam in festo debet maior esse intentio. Sic igitur dicit Esaias: Magnam multitudinem non credituram.

Brachium.] significat potentiam. *Ascendet,* scilicet illud brachium, id est, *es geht auff wie ein gewechs in deserto,* ubi non est spes, fore ut nascatur arbor, et nascitur tamen, in loco horrido et arido. *Non est species.*] Descriptio passionis. Ista sunt historica, quae subinde repetit postea.

Vere.] Iam accedit ad causam finalem, et tamen miscet simul historica; id est, quod ille patitur, patitur propter nos. Hoc debemus scire, passionem huius Domini, esse pretium pro nobis, nos iustos esse hac obedientia Filii Dei nobis data. Citatur hoc etiam a Petro, quod ostendit magni fecisse Apostolos hunc locum, et delectatos esse testimoniis huius loci.

Percussum a Deo.] Aliud est percuti ab hominibus, aliud est percuti a Deo. Percuti a Deo, est videri sic reiectum, ut Deus abominetur: hoc est longe maius, quam cum patimur aliquid ab hominibus. Sicut potestis vos iudicare in vobis ipsis. Quando fit vobis iniuria, et vestra conscientia est recta, et non saucia, tranquillioribus animis fertis. *Est aliquid magnis crimen abesse malis.* Sed quando conscientia iudicat homines, ista est miserabilis carnificina. Tunc cor et totus homo iacet. Quando cor adhuc est erectum bona conscientia, tunc patitur aliquis aequiori animo. Bonitas conscientiae est dimidium mali: etiamsi aliquis patitur, patitur minore dolore.

Nos igitur *intuiti sumus,* inquit Propheta, *Christum patientem ita, ut existimaremus eum esse a Deo abiectum. Das ist ein grausam ding.* Videtis iam quoque multis hoc accidere. Multi sancti homines interficiuntur crudeliter in aliis regnis. Sapientes cogitant: si illa essent a Deo, quae docent, non abiicerentur ab eo. Sed venient poenae, sicut venerunt Iudaeis. Singularis amplificatio est, *percussum a Deo.*

Ipse.] Repetitio causae est.

Disciplina pacis.] id est, poena nobis afferens pacem. *Die straff ligt auff ihm, das wir dargegen nicht gestrafft werden,* id est, Poena est derivata in Filium Dei, quam oportebat nos sentire. Disciplina pacis ponitur pro poena, quae nobis pacem adfert, id est, reddit iustitiam et vitam aeternam.

Omnes nos.] *Nun kompt* concio poenitentiae universalis; *merckt die* universalitatem in utraque parte: id est, in accusatione peccati, et postea in promissione. Primum dicit: *Omnes aberravimus a Deo;* et postea addit, *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum.* Praedicatio poenitentiae est universalis: Promissio etiam est universalis, quod bene consideretur. Nemo glorietur in sua obedientia. Praedicatio poenitentiae accusat omnes: Promissio omnibus offert remissionem, etiamsi non omnes accipiunt, non volunt, sed contemnunt; sicut non volunt etiam argui peccatum multi.

Valde bene considerentur universalitates istae, praesertim in consolatione, quam oportet niti promissione: *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, ego reficiam vos.* Hac universalitate erigamus nos. Sciamus ad nos pertinere beneficia: Non ita cogitemus, sicut Enthusiastici, Fanatici, Stenckfeldiani; Deus habet certorum hominum catalogum signatum. Hoc non dubium est, Deus praevidet et ordinat omnia: sed ego non debeo haerere in illis speculationibus de electione, sed debeo me sustentare promissione. Hoc cum facio, sine dubio Deus est efficax. Consolatio habet initium per verbum. Deus est efficax per suam promissionem. Hanc voluntatem verbo suo patefecit, sicut postea dicitur: *Agnitio servi iustificabit multos*: ubi dicitur de applicatione. *Nun das ist noch* de praedicatione poenitentiae et promissione.

Oblatus est.] Redit ad historiam.

De angustia.] Ista sunt verba de resurrectione. Quamquam interficietur, tamen liberabitur: Ergo resurget

Generationem.] Posteritatem, id est, habebit magnam Ecclesiam.

Abscissus.] Repetit, dicit clare, sicut postea etiam Daniel inquit: *Messias interficietur, et tamen regnabit: Ergo resurget.*

Propter scelus.] Est repetita causa: id est, Ego constitui hanc victimam, et in eum derivaretur ira.

Et dabit impios.] Vel, *dabit eum impiis,* id est,

morietur sicut latrones; postea tamen impii dabunt poenas.

Dominus eum voluit conterere.] Est emphasis in istis verbis: *Dominus voluit.* Item in verbo *conterendi.* Deus effundit ingentem verbum iram in ipsum.

Quia ponet.] declaret. Hebraice significantius est, *Ponet animam suam peccatum*: quamquam recte vertit Latinus scriptor, *pro peccato. Es ist das* dictum: *Eum, qui non novit peccatum, fecit peccatum, ut fieremus iustitia Dei in ipso.* Construe. *Deus fecit ipsum peccatum.* Transitiva regunt duos accusativos, alterum personae, alterum rei. Non est Appositio, sicut illud quoque: *Doceo et Grammaticam,* non est Appositio. Tu non es Grammatica.

Fecit eum peccatum.] id est, fecit eum quiddam reum, hostiam pro peccato. Latini nominarunt *piaculum*, id est, sacrificium, quo Deus rursus fit propitius. Fecit eum peccatum. *Peccatum* in quo Praedicamento? Relationis; significat tantum terminum, id est, quiddam reum. Antea cum dicitur: *Eum, qui non novit peccatum,* etiam est in Relatione, sed ibi significat fundamentum et terminum: id est, qui non habuit pravas inclinationes, non habuit peccata actualia, non peccata ulla contra Legem Dei; atque ideo prorsus non est reus. In Psalmo scriptum est de Christo: *Lex Dei in medio cordis mei.* Ego non habet aliquid contra Legem Dei. Ibi videtis opus esse distinctione vocabulorum. Quando accommodas ad Dialecticam, proprietas est perspicua.

Non novit peccatum.] significat *ἀνομίαν*, *fecit peccatum,* id est, quiddam reum. *So stehet hie auch: ponit animam suam peccatum*, id est, hostiam. Iste locus est interpretatio in totum Moisen de hostiis. Illa hostia placavit iram Dei, non sanguis taurorum. Videtur absurditas, quod hominis morte tollatur peccatum in genere humano, *hats hart mussen disputieren.*

Voluntas Domini.] *das sind* consolationes.

Videbit.] Si videbit: ergo resurget, regnabit, colliget aeternam Ecclesiam, quam videbit et laetabitur in illa.

Voluntas Domini.] id est, illa quae placent, perficientur per ipsum, colligetur Ecclesia, recte invocans Deum, placens Deo; et colligetur per ipsum. *In manu eius dirigetur.*] id est, illa quae placent Deo, *wie wir beten*: *Fiat voluntas tua*: id est, illa quae tibi placent, quae approbas. Non placet Deo furor Turcicus, idololatria Papistica horribilis; sed illa placent Deo, quae per istum Filium fiunt in vera Ecclesia, ut fiat vera invocatio. *Offerte hostias acceptas per Iesum Christum.*

Quando dicis precationem tuam in vera fide, in agnitione patris, et fiducia mediatoris Domini nostri Iesu Christi, tunc recte invocas, et hoc placet Deo, et hoc opus dirigitur in manu Filii. Accommodate ad vos ipsos. Non cogitate de mirabilibus speculationibus. Haec est sententia: Deus colligit aeternam Ecclesiam. Illa aeterna Ecclesia faciet grata Deo, ut inquit textus: *Deus qui dat nobis velle, dabit perficere, ut fiant aliqua ipsi grata.* Iam sequitur illa memorabilis sententia de applicatione.

Quomodo consequemur illa beneficia?

Sic inquit: *Agnitio servi mei iusti, iustificabit multos*, id est, *wenn man ihn kennen lernt*, passive. Iudaei exponunt, *scientia*, id est, in Lege; quia Messias praedicabit Legem, et postea multi ei obedient. Sed Esaias dicit de notitia personae. *Agnitio servi mei iustificabit multos.* Illa agnitio revera est fides, qua Christum agnoscimus, et accipimus eius beneficia; assentimur ei, et credimus, quod propter ipsum sumus recepti. Est plane id ipsum, *Iustificati fide pacem habemus*, quae doctrina tradita est a Paulo ad Romanos.

Removere Iudaicas expositiones, qui fingunt Messiam eis lecturum esse capitula Moisi, et quando illa lecta sunt, coget eos obedire, quia erit magnus Dominus. Habent Mahometisticum somnium. Retinere proprietates verborum. Videtis, quantum referat Grammatica enarratio.

Iniquitates.] Mox exponit, quare iustificet multos. *Quia ipse iniquitates ipsorum portat.* Verba illa refutant Iudaeos in Cantico: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.*

Quid significat *tollit*?

Sunt duo verba apud Hebraeos: alterum significat gestare, alterum auferre. *Ist zweierley, tragen, und wegnemen: Es kan einer wol etwas tragen, und dasselb darnach hinweg werfen: Aber wegnemen* est aliud. *Es kan einer wol eine lange kranckheit tragen, nimbt sie doch nicht hinweg.* Ergo aliud est *eine kranckheit tragen:* aliud vero *widerumb gesunt machen.*

Nun stehet hie: Iniquitates eorum ipse pertulit. Est verbum *Sabal, das heist tragen.* In Cantico: *Ecce agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Tollit* ibi significat utrumque, gestare, et auferre: *und hie stehet widerumb:* peccata eorum tulit. *das heist Nasa*, id est, abstulit. Christus et gestat et aufert: *hie ist das* verbum *Sabal, das heist* proprie portare. *Tradidit.*] id est, Effudit animam in mortem, *heist es hier.* Et est magna emphasis, id est, vere

moritur; Sed tamen regnabit: Ergo resurget. *Dividet.*] id est, multas gentes sibi adiunget, colliget Ecclesiam ex multis gentibus, fortibus Regibus, Principibus, nationibus. *Et ipse tulit.*] *Das heist* Nasa, id est, abstulit: Christus non solum gestat nostra peccata, sed etiam aufert, et reddit nobis iustitiam et vitam aeternam.

Pro transgressoribus.] Doctrina de sacerdotio Christi.

Partes sacerdotis huius quae sunt?

1. *Ponet animam peccatum,* offeret se. 2. Rogabit pro eis. Officium sacerdotis summi est, sese offerre, et applicare nobis sacrificium. Precatur pro nobis, ut sacrificium suum nobis prosit. Videre, ut relegatis istud caput, ut sit vobis tota narratio prophetae familiarissime nota, sicut debet esse in Ecclesia omnibus notissima.

DIE PASCHATIS.

Evangelium Marci ultimo.

Cum transisset Sabbatum, etc.

Ex praelectione Anni Christi 1551.

Unde venit Ostern?

Ab *vrstehen*, quod per Syncopen est *vfferstehung.* Ego memini valde insulsas etymologias huius appellationis: sed ista est vera. Vos scitis, hoc opus esse inter omnium maxime mirabilia, quae ostensa sunt generi humano, videlicet, resuscitationem ex morte.

Filius Dei est primogenitus ex mortuis, sicut Paulus inquit: id est, propter ipsum et alii resuscitantur, et per ipsum: etiam qui sunt antea resuscitati, sunt resuscitati per eum, et propter eum. Dicitur etiam primogenitus ex mortuis; quia alii ante eum resuscitati, non sunt resuscitati ad novam illam et spiritualem vitam.

Lazarus resuscitatus, postea vixit illa vita corporali, *ψυχικῇ*, comedit, bibit, fuit mortalis rursus. Sic etiam excitati ab Helisaeo et Elia comederunt, biberunt, et vixerunt in natura mortali, *ψυχικῇ*. Christus autem surrexit vere quidem cum corpore illo, quod antea mortale fuerat: sed quod iam amplius non mortale est, non corruptibile, non *ψυχικόν*. Est enim corpus illud postea non subiectum mutationibus elementaribus, id est, alterationibus, aut corruptionibus, sed vivit nova quadam vita aeterna, non alitur potu aut cibo: quamvis ipse etiam comedit, quod statim est mutatum in aliam naturam: sicut quando exigua guttula aquae cadit in vas vini, statim absorbetur, ac vertitur in naturam vini. Sed hoc factum est extraordinarie.

Deinde etiam hoc considerate. Ut scirent Apostoli, hunc Dominum resuscitatum, non fuisse spectrum; ipse totos dies 40 vixit apud eos, conversatus est cum eis. Cogitate, nullo tempore in omnibus aetatibus mundi tale aliquid fuisse. Per istos 40 dies collocutus est cum eis familiarissime; docuit eos multa. Et tamen tanta adhuc fuit infirmitas eorum, ut haberent somnia de regno mundano, cum viderent eum resurrexisse, non ad hanc vitam, sed ad novam gloriam.

Nec dubito, quin una conversati sint per hoc tempus etiam multi sancti, qui resuscitati sunt. Ipse Dominus quando resurrexit, resuscitavit multos; et haec dicitur prima resurrectio: quamvis non volo movere curiosas quaestiones. Christus praedicavit in illis congressibus, et fuerunt una sancti resuscitati, haud dubie primi patres. Eva cum Maria confabulata est amanter, dixit de miseriis suae aetatis, quas sustinuit in hac vita, dixit de mirandis liberationibus. Fuerunt una Rachel, Sara, et aliae sanctae matronae, et illi ipsi patres, Adam, Seth, Noë et alii, Quia manifestum est, quod textus dicit, *corpora sanctorum conspecta esse.*

Apostoli breviter illa voluerunt indicare piis, non voluerunt prolixe proponere Ethnicis subsannatoribus: Quia videtis statim, quando aliquid dicitur, quod paulum modo movet curiosos homines, tum movent infinitas quaestiones. Illas urgent, in eas incumbunt, caetera necessaria omittunt.

Vos cogitate hoc mirandum opus Dei, quod videlicet Filius Dei factus est victima pro nobis, et illa obedientia placavit iram aeterni Patris: sicuti his diebus dictum est, et sicut quotidie auditis et legitis, et quod ex morte iterum revixit.

Quare eum resurgere oportuerit?

Quia promissum est isti Domino regnum.

An non potuit regnare etiam sine corpore, non resuscitatus?

Non. Proba. *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Item, *Semini Abrahae fuit regnum pro-*

missum. Item, *Semini Davidis: Ergo oportuit ipsum resurgere.* Ille Messias verus homo et verus Deus, est ille Rex in sua Ecclesia, gubernans, custodiens, et sanctificans nos spiritu suo: ut postea dicemus de effectu resurrectionis.

Non debetis imaginari: Christus est sibi resuscitatus, et postea vult regnare otiosus. Omittamus ista tetra et prophana somnia. Christus non tantum sibi resurrexit, sed nobis etiam. Volumus autem, priusquam de fructu resurrectionis, vel de effectu, vel de regno Christi resuscitati dicamus, quaedam puerilia tractare.

EXPLICATIO EPISTOLAE DOMINICALIS.

Paulus inquit 1. Corinth. 5. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.* Est hic omissa in Latina versione particula maximi momenti, quam credo incuria seu negligentia scribarum omissam esse. *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.* Haec particula, ὑπὲρ ὑμῶν, maximi est momenti, quamquam alias saepe est posita. Sed cur hic omitteremus, cum sit posita in ipso textu? Hanc sententiam primum tractare volumus; quia est commonefactio de celebratione festi, imo de illo toto perpetuo festo, quod debet Ecclesia agere, et celebrare in omni aeternitate: id est, quod hic inchoandum est, ut postea in omni aeternitate celebretur. *Nun sagt er zum ersten: Expurgate vetus fermentum.*

Quid significat fermentum?

Nos vocamus *Saurteig.* Alludit ad ritum, de quo heri diximus. Oportuit vesci Israelitas panibus *azymis,* id est, *non fermentatis,* non mixtis: *Es solt ein rein* farina *seyn,* non mixtura. Huc igitur alludit, et ostendit, quid ille typus significaverit. Sicut panes non debent esse mixti, ita vos non debetis esse contaminati. Atqui mixtura iam antea est in nobis. Ideo addit: *Expurgate fermentum:* id est, malas opiniones et cupiditates. Comprehendit hic duo simul: Mala in intellectu, id est, errores, et Mala in voluntate: id est, pravos affectus. Postea addit: *Sicut estis azymi, ut sitis nova conspersio.*

Quid est conspersio? in quo praedicamento?

Conspersio hic non significat actionem, ut si dicam lavatio, quae est in praedicamento Actionis: sed sumitur pro massa ipsa imbuta novis qualitatibus. Loquitur de novis potentiis, de nova natura, in qua est illa novitas, quae est lux nova, et novae inclinationes bonae. In summa, ponitur pro materiali, non pro actione. Sitis ista nova massa, in qua nova massa est lux divina, et in qua nova massa sunt impetus et motus accensi per Spiritum sanctum. Hoc vero pertinet ad effectum Resurrectionis. Christus regnans facit nos novas massas. Sed vos adolescentes observate iam, quae ad Grammaticam spectant. Conspersio non significat actionem, sicut Latine sonat: sed ponitur pro materiali, seu pro Subiecto. Graece ponitur φύραμα, quod significat *ein teig.* Scitis *Teig* esse nomen materiae sic praeparatae, non actionis. Iam tractabo vulgare argumentum:

Non habens fermentum, non indiget expurgatione:
Vos estis azymi:
Ergo non indigetis expurgatione.

Quare igitur Paulus dicit?

Expurgate et estis azymi, videntur pugnare. Hoc argumentum statim commonefacit nos de tota doctrina iustificationis. De qua qui non sunt recte instituti, non possunt hoc argumentum solvere.

Maior transeat. Respondeo ad Minorem: *Tu es azymus,* imputatione et inchoatione, nondum consummatione: Et haec est vera solutio: Quia persona est iusta imputatione propter Filium Dei, sine ulla dubitatione: sicut clare dicitur: *Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iustitiam*: id est, est acceptus fide propter Filium Dei. Alibi inquit Paulus: *In Christo consummati estis:* videlicet, imputatione. Postea sequitur inchoatio, seu effectio novitatis Spiritualis: quae consummabitur in vita aeterna, iuxta dictum: *Nos spem iustitiae exspectamus fide.*

Sumus igitur azymi: scilicet imputatione, quamquam sumus adhuc valde imbecilles. Videte Apostolos, in hoc ipso textu. Ista, quae dicebantur, erant iis tamquam fabulae. Erat in illis magna infirmitas, ignorantia, magni errores in re magna: Sic in nobis sunt magnae infirmitates. Si quis ita insanit, ut putet se iam integre esse renatum, ille plane furit, non videt, quanta sit infirmitas. Scrutare te ipsum, aspice tuum cor, quanta sit infirmitas fidei, quam variae flammae, quales aestus malarum cupiditatum, quam parum timoris Dei, quantum diffidentiae.

Ista misera natura est adhuc plena sordium in hac vita. Ideo dicitur: *Non iustificabitur in con-*

spectu tuo omnis vivens. Tanta tamen est bonitas et misericordia Dei, ut nos recipiat propter istum Filium suum. Hic dominus regnans est umbraculum nostrum, assidue interpellat pro nobis apud aeternum Patrem, et vestimur ac donamur ipsius iustitia, imputatione; postea vero etiam effectione: Quia remittitur peccatum, non ut maneat, sed ut aboleatur, et restituatur in nobis iustitia et vita aeterna: et haec inchoantur in hac vita. Ideo Paulus iubet perpetuo *expurgare vetus fermentum;* significans superesse semper aliquid reliquiarum, et quidem multum reliquiarum peccati.

Quid faciunt omnes sancti aliud, nisi quod assidue clamant: *Non intres in iudicium cum servo tuo?* Item: *Dominator, Domine Deus, iuste, misericors: Coram te innocens non est innocens,* ut inquit Moises, scilicet iudicio humano. Etsi non habet aliquis tale peccatum, quod ipse vel alii iudicare possunt, tamen non est innocens: id est, non est sine peccato, etiam non habens peccata contra conscientiam. Sic et Paulus ait: *Nihil mihi conscius sum; sed in hoc non iustificatus sum: sed iustificatus sum propter Filium Dei:* Reputor iustus, sum acceptus, recipior in gratiam propter Christum. Tanta est amplitudo misericordiae Dei, ut recipiat nos indignos propter Filium, qui est umbraculum, qui nostras sordes tegit. Ideo Psalmo 32. dicitur: *Beati, quorum remissa sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Imo quotidie in Symbolo confitemur: *Credo remissionem peccatorum:* id est, credo, quod mihi peccata remittantur, et quod sim acceptus propter filium.

Quid significat vocabulum Azymi?

Azymus est, qui est sine fermento. ζύμη est a ζέω, quod est *ferveo.* Fermentum ideo additur farinae, ut fiat rarefactio, *das es nit zu dick auf ein ander lige: das dicke, grobe, feste brodt ist unlieblich: man kan es nicht wol backen, noch verdauwen.* Regulariter panis fermentatus est salubrior, quam infermentatus.

Iam sequitur: *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.* Retineatur haec lectio ὑπὲρ ὑμῶν: Est enim significanter hoc dictum a Paulo: *Pro nobis,* id est, ad nostri liberationem et vivificationem.

Pascha nostrum, immolatus est Christus: Estne oratio congrua? Ordina, et dic regulam. Est Appositio: *Christus, Pascha nostrum immolatus est.* Sic, Otium pernicies iuvenum, est fugiendum.

Quid significat pascha hoc loco?

Significat *agnum,* alibi significat *transitum,* et tunc est in praedicamento Actionis: interdum significat *agnum,* et est in praedicamento Relationis. Interdum *diem festum,* et est in praedicamento Quando. Haec negligere, est tetra et rustica barbaries. Christus est agnus, videlicet ille agnus, quem Iohannes appellat *agnum Dei.* Non est agnus quadrupes Aaronis, sed est significatus agnus.

Omnes typi propositi sunt, ut essent significationes de venturo Domino. Cum in Psalmo dicitur: *Asperges me hyssopo Domine,* idem est, ac si dixisset, sanguine tuo Iesu Christe, qui est sanguis ille significatus, conspersione hyssopi. Sic ipsum Dominum, nominamus saepe agnum. Sed hic est Dei agnus.

Quare dicis: *immolatus est,* et non *immolatum est?*

Respondeo: Verbum vel adiectivum debet respondere digniori in genere et numero. Venit puella, meae delitiae. Interdum propiori respondet.

Immolatus unde componitur?

Ab *in,* et *mola.* Mola *ein kuche,* placenta. Multa verba veniunt a nominibus: ut inaurare; exarmare: sic libatio est a libum. Immolare *heist einen kuchen opffern:* sicut libare est fundere.

Aulai in medio libabant pocula Bacchi: id est, fundebant ritu sacro. Semper antequam cibus caperetur, usurpati fuerunt certi ritus. Stetit aliquis in medio coetu, et fudit aliquid in ignem, vel oleum, vel vinum, id nominabatur *libatio.*

Fuerunt differentiae rituum: Alias mactabantur victimae, alias offerebantur panes, et infundebatur vinum vel oleum, illa fusio vocabatur *libatio.* Offerre placentas vel panes, vocabatur *immolare.* Mactatio aliud fuit, videlicet *σφάττειν*, vel *θύειν:* *θύειν* significat *mactare:* *θυσία* sacrificium, mactatum aliquid.

Oportuit agnum illum mactari propter significationem: Quia Christus est interfectus. Ideo etiam ille agnus interficiebatur et assabatur. Interfectio significabat passionem externam, seu dolores externos: assatio significat horribiles dolores interiores. Tunc assatus est, quando percussus est

a Deo. Paulus hic utitur verbo ἐτύθη, *mactatus est.* Nostrum Pascha est iam perpetuum: Ergo debemus expurgare vetus fermentum, esse azymi.

Itaque epulemur.

Est imperativi modi, quamquam vox mutuo sumpta est a coniunctivo modo: In Graeco est ἑορτάζωμεν, id est, festum celebremus. Id aliud est, quam epulemur; sed tamen Germani nostri sic celebrant festa sua, ut tribuant illa epulis, et Iudaei toto die Sabbati ducunt choraeas. ἑορτὴ est, ut ego existimo, a ῥέζω, id est, *sacrifico:* ἑορτὴ, *sacrificatio* ab ἔοργα, *sacrificavi.* Quamquam saepe cogitavi esse ab ὅρω, a congregatione, coitione, seu coniunctione. Sed retineo priorem Etymologiam. Hoc igitur vult Paulus: *celebremus festum,* non dicit: epulemur: debemus perpetuo celebrare hoc festum. Quia sumus vocati ad novam et aeternam vitam: Debet illa natura infecta et demersa in peccatum, mortificari, et eminere et vincere vita spiritualis.

Quid est festum celebrare? *Heists zum wein gehen, einander schlahen, vol und tol sein, umblauffen?* Estne festum celebrare, indulgere vino, helluari, vagari in plateis, insanire? Celebrare festum, est sanctificare sabbatum, sicut dicitur: Septimum diem sanctifices.

Quid est hoc: *Sanctificare sabbatum?*

Est convenire ad coetus publicos, audire vocem Evangelii, addere invocationem, precationem, gratiarum actionem, confessionem; quamquam tota vita nostra debet esse confessio.

Haec omnia simul complectitur verbum *sanctificare,* videlicet, audire verbum Dei, agere gratias, petere omnia neccessaria, agnoscere istum dominum regnantem, efficacem, volentem opitulari, stantem coram aeterno Patre, interpellantem pro nobis, et simul conterentem caput Diaboli.

Eadem comprehenduntur, cum dicitur de celebratione festi, quae debet esse assidua. Id monet vox Graeca. Nam ἑορτὴ est sanctae rei operatio. Inde ἑορτάζειν facere opera sacra, audire vocem Evangelii, accendi luce et sensu poenitentiae, et fide accipere remissionem peccatorum; addere invocationes, gratiarum actiones, petere necessaria vitae privatae et publicae; considerare illas magnas ruinas huius saeculi, et petere defensionem.

Cum addit Paulus: *Non in fermento veteri;* hoc dicit: ne maneatis, quales antea fuistis, in malis opinionibus et cupiditatibus. *Neque, in fermento malitiae.* κακὸν καὶ πονηρὸν quid differunt? κακὸν, significat ignavum et malum, peccatum omissionis et commissionis: ut, Honorius est κακὸς, *ein faul Man, thut nichts:* habet peccata omissionis, est ignavus in gubernatione. Domitianus est πονηρὸς, *ein Heidnischer listiger schalck.* Non dicam de Nerone, Caligula, qui non possunt satis describi his vocabulis.

Paulus vult nos expurgari, ne simus κακοὶ, mali et ignavi; etiam ne simus πονηροὶ: id est, ut habeamus delicta contra conscientiam, seu ut delectemur sceleribus contra conscientiam. κακὸς potest esse is, qui non habet delicta contra conscientiam, quamquam affectata omissio etiam est contra conscientiam.

Ἀλλὰ ἐν ἀζύμοις.] vult nos celebrare festum *in azymis sinceritatis et veritatis.*

Quid vocat *azymos veritatis?*

Ita vocat veram doctrinam, oppositam falsis opinionibus. Veritas est vera notitia, opposita falsis opinionibus. Vult dicere: Vos habuistis prius phantasias, quod sint multi dii, alius Venerem, alius Martem, alius Iunonem coluit; sicut nostri homines, alius Annam, ut fieret dives: alius Barbaram, fortassis, quia amabat puellam isto nomine: alius Georgium, ut esset felix in militia. Deponite ergo istos furores. Sic de caeteris erroribus; singuli habemus multum errorum. Illos paulatim debemus deponere.

Quaeramus fontes doctrinae de Filio Dei, agnoscamus hunc filium, et sciamus, quomodo Deus sit invocandus, quomodo velit coli a nobis.

Azymos sinceritatis, εἰλικρίνειαι vocat, non infectum esse malis cupiditatibus. Sinceritas est idem, quod sinceri affectus: *Sit dilectio Dei sincera:* id est, inchoata sinceritas, sit dilectio proximi vera: id est, non sint doli, non sint fraudes, non insidiae, non sint turpitudines, non sint libidines. Illa omnia opponuntur sinceritati, puritati, et castitati.

Discite hanc sententiam intelligere Grammatice.

Comprehendit doctrinam, de beneficiis Filii Dei, et de effectu resurrectionis: oportet haec discere in scholis. Paulus ista tria coniungit ad Ephesios: *Audivistis Evangelium, credidistis, obsignati estis Spiritu sancto.* Iste est processus, oportet audire; oportet etiam credere. Cum credimus, fit obsignatio per Spiritum sanctum, corda accenduntur, ut vere agglutinentur Deo. Ista festa ordinata sunt, ut haec discamus. Ut autem discatis res ipsas, oportet vos vocabula intelligere.

Panes fermentati significant opiniones Pharisaicas et affectus pravos; Panes non fermentati seu azymi, sunt typus doctrinae incorruptae, et

cultus non vitiati humanis opinionibus et affectibus.

Sicut fermentum inflat massam; ita humanae opiniones inflant animum. Quando aliquis est inflatus opinione, *So geht er herein als were ihm der kopf noch so gros:* incedit, quasi capite multo grandiore sit praeditus, seu quasi vertice coelum tangat. Affectus sunt similes ventis. Etsi vetustas usa est hac imagine etiam de opinionibus; ut dicitur: Utriculum ventus, sic inflat opinio mentem.

Iam dicemus de testimoniis resurrectionis, quae tradita sunt in Prophetis, et simul de regno Christi resuscitati; quia ideo resuscitatus est, ut regnet; non ut sit otiosus.

Quae sunt testimonia illustria in Prophetis de Resurrectione Christi?

Christus et discipuli in Emaus euntes, de his disputant. Illa disputatio facta est hoc die. In Moise est: *Conteret caput serpentis.* In eodem Moise est *de mactatione victimarum*, quae significabant mortem Messiae. Huc pertinet totum caput 53. Esaiae. Item illustre testimonium est Psalmo 16. *Conserva me Domine:* de quo alias.

Iam dicemus de ista sententia Esaiae: *In die illa stabit radix Iesse, qui erit signum populis.*

Construe. Est constructio ad intellectum referenda; *qui*, id est, Christus, seu Messias natus ex Iesse: Is autem fuit pater Davidis. Qui ad radicem respicit, sed constructio est referenda ad intellectum, quae propago orta ex Iesse: vel, qui ortus est ex Iesse, stabit. Est vaticinium de resurrectione: Et ego credo, hoc non esse Esaiae dictum, sed vetustioris alicuius, sicut prophetae usurpant talia dicta sumpta a prioribus. Fortassis fuit auditum vel ex Elia, vel ex Heliseo: Esaias potuit audire ab Heliseo, vel a multo vetustiori aliquo.

Quum dicitur de regnis, *stabit*, tum dicitur florere, et esse invictum. In Daniele est: *Deus, tu facis stare regna:* et postea: *tres reges Persarum stabunt:* Ibi indocti Iudaei dicunt, tantum tres Reges Persarum fuisse. Non fuerunt tantum tres, sed regnum stetit in flore sub tribus Regibus: Cyro, Dario Assvero, et Artaxerxe, sub illis tribus stetit. Ita Messias stabit, erit invictus, habebit regnum, *stabit, ut sit signum populorum.* Vexillum eriget. Vexillum est praedicatio verbi.

Ad eum gentes confugient. Dicit, quale sit regnum. Graecus reddidit sententiam, sicut Paulus citat: *Gentes in eo sperabunt.*

Alludit haud dubie ad illud dictum in Genesi: *Veniet Siloh, et ad eum congregabuntur populi:* vel, *ad eum erit congregatio populorum.* Ille solus Dominus congregabit Ecclesiam: ἀνακεφαλαιώσει, rediget Ecclesiam ad caput, Deum; colliget et servabit Ecclesiam congregatam et restitutam Deo.

Gentes ad eum confugient in summis malis, ut liberentur ab ira Dei, et aeterna morte, ut habeant ducem et custodem in omni aeternitate: sicut inquit: *Nemo rapiet eas ex manibus meis.* De hac summa consolatione loquitur: ideo necesse fuit eum resurgere: Quia oportet hoc semen regnare, et oportet ad hoc semen mulieris fieri concursum: etiam gentes oportet confugere ad illum. Ipse sic regnat, ut sit custos Ecclesiae suae, colligat Ecclesiam sibi in genere humano inter illas ruinas et confusiones imperiorum.

Sicut autem colligit Ecclesiam, ita servat ministerium, sanctificat credentes per vocem Evangelii, dato Spiritu sancto, conterit caput serpentis, reprimit Diabolum: non sinit eum horribiliter grassari, sicut vellet: sicut recens in Bohemia Diabolus quinque hominibus prophanis et furentibus in convivio fregit collum.

Hoc exemplum, et multa alia similia nos commonefaciant de potentia Diaboli, et protectione Filii Dei. Si non defenderemur potentia huius Regis, Diabolus saeviret horribiliter in omnes. Si posset Diabolus uno momento evertere totum genus humanum, libenter faceret. Nos adversus Diabolum habemus constitutum hunc Dominum, reprimentem potentiam Diaboli, conservantem Ecclesiam in hac vita, dantem remissionem peccatorum, et Spiritum sanctum, et postea dantem aeternam vitam.

Ergo debemus invocare hunc Dominum, ut ipse adsit nobis, ut per eum, et propter eum, aeternus Pater misereatur nostri, servet nos, non sinat nos ruere in tetras calamitates, non opprimi tetris calamitatibus, neque sinat nos ruere in aeterna mala.

Sequitur: *Et erit requies eius gloria.*] Requies eius est mors. Ex hac cum resurget, apparebit eius gloria. Latinus textus habet: *sepultura eius*, quod ita interpretationis causa dicitur. Gloria Alexandri una cum ipso interit. Ipse nihil facit amplius, tantum fama rerum antea gestarum manet, quam etiam vocamus quoquo modo *gloriam*: sed est misera gloria, cum ipse iaceat sepultus, et non fruatur ista gloria.

Gloria in quo praedicamento?

Est in praedicamento Relationis. Gloria est opinio honesta de alio, vel celebratio potentiae, sapientiae, virtutum alterius, et quidem tunc vere sunt illa, gloria, quando sunt. Alexander mortuus

non habet potentiam, sapientiam; est iam pridem redactus in cinerem, sed Messias habebit veram gloriam, non umbratilem. *Eius requies est gloria*] id est, eius mors est gloriosa. Ipse ex morte reviviscet, et incipiet regnare tunc, cum existimabitur esse extinctus. Illud semen mulieris incipiet regnare post mortem: Cum iam revixerit, aderit in Ecclesia, sanctificabit eam, exaudiet, salvabit.

Ergo discamus, resurrectionem eius non esse otiosam: non resurgere Christum ad otiosum regnum, ut ipse sibi sit beatus, sed resurgere eum, ut regnet, et ut sit nobis iste Dux, qui invocandus est, et *in quo nos speremus,* sicut Apostolus recitat hoc dictum. Si regnat, ut velit invocari, velit adesse invocatus, velit nos custodire, velit nos gestare, sicut pastor gestat agnos recens editos, ut ipse dicit in Esaia.

Postea discamus applicationem, quia fide ista beneficia apprehendenda sunt. Oremus autem hunc ipsum Dominum, ut Spiritus sanctus inflammet corda, ut possimus ista credere, quae procul sunt posita extra cogitationem et captum humanum.

Deus, inquit Paulus, *qui facit, ut velitis, idem dabit etiam, ut perficiatis;* id est, vos habetis scintillulam aliquam: videte ergo, ut non repugnetis, sed petatis, ut dicit: *Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.*

Haec est doctrina de regno non otioso, sed de tali, in quo Christus sit efficax. Observate, quod congruant istae sententiae: *Ad eum confugient omnes gentes.* Et Genes 49. *Ad eum erit congregatio gentium. Siloh* significat foetum virginis, item significat idem quod faustus, felix. Existimo istas voces Latinas: *Salve, salus,* esse ab Hebraico *Silo*; sicut alia multa in nostra et in Latina lingua ab illa prima sunt sumpta.

EXCERPTA EX ALIORUM ANNORUM RHAPSODIIS.

Resurrectio Filii Dei est testimonium nostrae resurrectionis, quod videlicet nos similiter resurrecturi simus; sed non tantum testimonium est, ut cum multi alii resurrexerunt, qui etiam testes sunt, sed haec persona resuscitata, quae est Filius Dei, est immediate illa persona, quae nos resuscitabit, sicut inde ab initio est persona regnans in Ecclesia et caput Ecclesiae.

Quandocunque ergo de resurrectione Christi cogitamus, utrumque cogitandum est, de regno eius, et de resurrectione nostri.

Primum, quaeramus definitionem regni Christi; quia resurrectio eius est inchoatio regni in assumpta natura glorificata.

Coepitne regnum Christi cum resurrectione?

Cogita regnum Christi non primum coepisse post resurrectionem, sed fuisse inde usque ab initio a prima promissione, antequam Filius Dei assumeret humanam naturam.

Quid est ergo regnum Christi?

Est Filium Dei missum esse statim ab initio, ut proferat ex sinu aeterni patris promissionem, et ut voce huius promissionis seu Evangelii, colligat Ecclesiam, et sit in ea efficax; vivificet corda credentium, et sanctificet dato Spiritu sancto, ut deinceps servet et protegat Ecclesiam, sit Emanuel, adsit ei, et depellat diabolos et organa eorum, et sit utrumque, redemptor est salvator, et post mortem nos resuscitet, et vestiat munda natura, ut Deus in tota aeternitate habitet in nobis, et sit omnia in omnibus.

Quid est regnum Regis Gallici?

Nomino hoc regnum, quia regna aliarum nationum habent plus confusionum. Nulla est legum auctoritas, nulla concordia; Gallicum aliquo modo est ordinatum. Est ergo regnum Gallicum, unum Principem et dominum in illa gente potestatem exercendi, iudicia habere secundum leges suas, et faciendi executionem. Sed illa potestas est tantum administratio externa in rebus corporalibus. Tale non est regnum Christi, ut Iudaei imaginabantur, et adhuc imaginantur Messiam venturum, qui sit partiturus provincias, recturus genus humanum externa forma, ut Moises. Sed longe aberrant.

Quia regnum Christi est regnum aeternum, dans bona hominibus aeterna, quod administratur isto modo, scilicet per verbum: misso Filio, ut inde usque ab initio proferat Evangelium ex sinu patris, colligat Ecclesiam voce Evangelii, et ipse sit efficax per ministerium et vivificet corda, et sanctificet credentes, et servet Ecclesiam. Haec Filius Dei semper facit, etiam antequam assumpsit humanam naturam, idem est λόγος, qui adest verbo vocali, et qui servat et protegit Ecclesiam; et perficit omnia in omnibus membris, videlicet bona. Filius Dei texit et servavit Noe in diluvio: Idem adfuit Eliae servans eius ministerium. Idem nunc in ministerio sic est efficax, ut depellat Diabolos: quia regnum Christi est oppositum regno Diaboli.

Propterea in Diabolo talis furor est, quia scit se vinci, postea se damnatum esse in tota aeternitate. Idem Filius resuscitabit nos, ut vestiat nos munda natura, et ut in nobis habitet divinitas, et sit omnia in omnibus.

Non debetis imaginari, quod regnum Christi inchoandum sit in nobis post hanc demum vitam, sed cogitate, quod hic inchoetur, et quod adsit nobis Filius Dei etiam in hac vita. Paulus discernit Regnum Christi et Regnum Dei: Quia, etsi re ipsa unum est regnum Patris et Filii, et sicut Filius est efficax, sic Pater quoque: iuxta dictum: *Pater meus adhuc operatur, et ego operor*: tamen sunt modi diversi. In hac vita, ubi fit collectio Ecclesiae per verbum, dicitur esse regnum Christi: Post hanc vitam, ubi cessabit ministerium, nominatur regnum Dei, et sic dicitur: *Tradet Christus regnum Deo Patri.* Sic argumentor:

Paulus dicit: *Tradet regnum patri*:

Ergo ipse postea non regnabit.

Respondeo: Debes distinguere; Christus est Rex et manet Rex in tota aeternitate, ut dicit textus: *cuius regni non erit finis*: Sed modus regnandi est diversus. In hac vita modus est, Christum regnare per ministerium Evangelii. Ita vere est efficax inde usque ab initio: quia vivificat Adam et Evam, cum essent mersi in mortem: Fuit tunc efficax, sicut in te est efficax, et inserit te regno suo, et regnat in te. Hoc fit voce doctrinae, cum qua ipse est efficax. Hoc regnum tradet Patri: id est, populum ministerio collectum adducet ad Patrem. In novissimo die Diaboli et damnati non videbunt Patrem, sed Christum, et plangent: Ideo dicitur: *Omne iudicium*, scilicet visibile, *dedit Filio*; Filius se ostendet omnibus creaturis rationalibus, Angelis, Diabolis et damnatis hominibus, et terrore sententiae promulgatae abiiciet Diabolos et damnatos in horribiles cruciatus: Ostendet omnibus angelis et hominibus malitiam Diabolorum: qua detecta et patefacta, erit ingens ira adversus Diabolos, in omnibus angelis et hominibus. Turpitudo Diaboli conspicietur, et cogetur fateri, quod veritate sit victum mendacium. Nam sicut Diabolus vicit Adam et Evam mendacio: sic Christus vincit Diabolum veritate et potentia; et veritate ostensa, abiiciet eum potenter in aeternos cruciatus. Omnes electos adducet ad aeternum Patrem, ostendet eis Patrem, ubi visibiliter cernent Patrem de facie ad faciem.

Ideo autem hoc dicitur regnum Dei, item regnum Patris; quia Deus immediate, non per externum ministerium, conspicietur tunc de facie ad faciem: Non ibi Filius voce tantum se ostendet, ut cum consolatus est Adam et Evam; item quando Davidem per Nathan consolatus est: dicens: *Dominus abstulit peccatum tuum*: aut sicut se voce ostendit meretrici, cum ad eam dicit: *Vade, fides tua salvam te fecit.* Item, quando consolatur latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Sed ostendet tunc Filius Patrem coram, non voce externa. Deus mirabili luce ostendet se nobis, et in illa luce colloquemur in tota aeternitate cum Patre et Filio et Spiritu sancto. Et tamen ille Filius etiam tunc erit caput Ecclesiae beatorum, secundum utramque naturam, per quem fatebimur nos liberatos et salvatos: Erit autem Deus omnia in omnibus; agnoscetur de facie ad faciem, et ita agnoscetur, ut non sit peccatum in nobis. Nunc est adhuc peccatum; Tunc erimus iusti iustitia essentiali: nunc sumus iusti propter obedientiam Filii, purificati sanguine eius recipimur propter ipsum, et simul incipit vivificatio. Haec debetis hodie meditari ad accendendam invocationem.

Scitote, quod Christus in hac vita colligat Ecclesiam: et quod postea adducet nos ad Patrem: quod tunc regnum Dei erit visibile. Iam est regnum Christi in ministerio: In hoc lucet potentia Filii colligentis, defendentis, et salvantis Ecclesiam. Post hanc vitam regnum erit non in ministerio, sed Deus visibiliter erit omnia in omnibus: Non erit peccatum in natura, sed erit beatorum hominum natura plena luce, sapientia, et iustitia divina.

Populus plerumque habet hanc imaginationem, ut regnum Christi cogitet esse illum laetum et gloriosum statum, hanc vitam: sed status proprius regni Christi est in ministerio, quo est efficax in hac vita, et colligit Ecclesiam. De isto regno concionantur prophetae, ut in Psalmo: *Dixit Dominus Domino meo*, dicitur *dominare in medio inimicorum tuorum in hac vita*: id est, resurges, et regnabis in medio inimicorum tuorum in hac vita: et ita, ut colligas Ecclesiam aeternam, furentibus et invitis Diabolis. Ita in Psalmo: *Conserva me Deus*, dicitur, *funes ceciderunt mihi in praeclaris.* Loquitur de collectione Ecclesiae.

Dixi autem, quod haec eadem persona, quae est Filius Dei et Christus, est redemptrix et salvatrix. Eundem Regem oportet redemptorum et salvatorum esse, ut Psalmus dicit: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. De torrente*: id est, in hac vita patietur aerumnas, morietur. *Exaltabit caput*: id est, post obedientiam, quam Patri praestitit, glorificabitur Christus.

Etiam Ecclesiae species in hac vita est miserabilis: Ecclesia videtur longe esse imbecillior et languidior regnis mundi; et tamen mirabilis est potentia Filii Dei colligentis, et servantis Ecclesiam in illa infirmitate. Tu, ego, et alii sumus membra Ecclesiae, servamur potentia Filii Dei, protegentis, adiuvantis, et servantis nos in tantis confusionibus. Hanc praesentiam Filii Dei agno-

scamus in Ecclesia, de qua ipse Dominus inquit: *Ego ero vobiscum usque ad consummationem saeculi.* Item, *Ubicunque duo aut tres in meo nomine congregati sunt, ibi ero in medio ipsorum.*

In Prophetis saepe pingitur conservatio Ecclesiae hac figura: *Ego gestabo vos etiam in senecta.* Item: *Ego gestabo vos ut pastor tenellos agnos editos in campo.* Tenelli agni non possunt incedere; sed pastor eos fovet in gremio, et in sinum ponit: Sic Christus nos ponit in suum gremium, et servat nos invitis Diabolis et organis Diabolorum. Servat autem nos non tantum, donec huius vitae cursum conficiamus, sed etiam in morte, donec ad vitam aeternam transferamur. Paulus conservatur in morte, quando interficitur a Nerone; et sic servatur, ut sentiat se transferri ad vitam aeternam.

Antithesis doctrinae Ecclesiae et philosophicarum sententiarum de resurrectione, iudicia futuro et vita aeterna.

Articulus de resurrectione mortuorum inprimis illustre discrimen facit inter omnes impios, et inter veram Ecclesiam Dei: Quia sola Ecclesia profitetur non solum victuras esse animas post mortem corporum, sed totum genus humanum esse resuscitandum et vocandum in iudicium, ac postea Ecclesiam esse ornandam aeterna gloria, et victuram in aeterna consuetudine cum Deo, et impios abiiciendos in aeternas poenas.

Haec doctrina, quia posita est extra conspectum rationis, non minus quam doctrina de tota redemptione generis humani, patefacta est divinitus, et semper fuit nota in Ecclesia. Statim in prima promissione tradita est haec doctrina: *Semen mulieris conteret caput serpentis*, id est, destruet peccatum et mortem. Et de iudicio venturo dictum est in concione ad Cain: *Peccatum tuum quiescet, donec revelabitur*: id est, Deus iudicaturus est, etiamsi differtur iudicium. Sed est simul descriptio horribilis securitatis in genere humano. Mundus non adficitur, secure indulget suis furoribus, donec veniunt poenae, sed hae tantum sunt inchoatio iudicii futuri. Ita Salomon inquit: *Omnia proferet ad iudicium.* In epistola Iudae citatur concio Enoch.

Sed in Prophetis magis perspicua sunt testimonia: *Absorpta est mors in victoria,* inquit Esaias: Et apud Oseam est sententia maxime illustris: *Mors ero mors tua.* Dominus ipse in psalmo dicit: *Non relinques animam meam in inferno.* Item: *Vivent corda eorum in saeculum.* Prophetae clare praedixerunt, quod Messias venturus sit, quod passurus sit et resurrecturus ex morte, et futurus iudex bonorum et malorum. Postquam igitur resurrexit, haec ipsa resurrectio eius est illustre testimonium, imo et causa nostrae resurrectionis; Et quidem resurrexit ipse non solus, sed multa millia simul, sicut Apostoli voluerunt breviter significare, cum dicunt, *Visos esse sanctos.* Non cogitetis fuisse spectra, imo propterea Christus mansit 40 dies apud discipulos, ut certo agnoscerent, neque ipsum, neque caeteros fuisse spectra.

His testimoniis confirmare debetis fidem vestram de resurrectione, quae quidem confirmata est et aliis illustribus testimoniis divinis. Ideo enim Filius Dei resuscitavit Lazarum, ut esset testimonium, hunc Filium esse Dominum et victorem mortis, et restituturum aliam vitam. Ideo etiam Enoch ante diluvium translatus est vivus in coelum, et Elias post diluvium, ut esset illustre testimonium immortalitatis et futurae vitae. Ego non dubito, quin Moses etiam post mortem translatus sit cum corpore in coelum: quia postea colloquuntur cum Christo Moses et Elias.

Cum essemus Ratisbonae in colloquio, Gropperus disputans de Sanctis, quod haberent curam nostri, volebant hoc probare longa commemoratione ex Augustino et aliis: Dixi ei: Imo volo vos docere illustrius testimonium: Quia Moses et Elias colloquuntur de rebus, quae eventurae erant, Lucae 9. Ille respondit: Etiam mihi hoc valde placet, hoc volebam. Putabat se iam vicisse, quod Sancti essent invocandi, sed non sequitur hinc invocationem faciendam esse ad ullam creaturam, aut homines mortuos. Illud sequitur, quod alia sit vita post hanc vitam.

Ut autem intelligatis, hunc articulum esse propriam vocem Ecclesiae, conferte iudicia sapientum extra Ecclesiam, et considerate, quousque procedat ratio. Repetam igitur ista paulo altius.

In homine philosopho, ut Platone, Xenophonte, et aliis doctis, et bene moratis hominibus, quae fuit cogitatio de Deo? sentiuntne aliquid esse Deum?

Ita. Omnino statuunt esse Deum. Qua re convincuntur? ipsa mente hominis; postea etiam consideratione totius opificii mundi. Scitis in philosophia tradi argumenta, quae convincunt, quod natura rerum non exstiterit casu, sed quod sit

mens aeterna, conditrix, et quidem una, sicut Aristoteles citat versum Homeri:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω.

De illa mente aeterna dat testimonium mens nostra, quae etiam ostendit, qualis sit Deus.

Nonne ita cogitat Xenophon, qui fuit valde religiosus, et religiosissime loquitur, ut nullus alius, Deus est talis, qualem illum describunt leges in mente: quia ideo Deus hominem condidit talem, ut ipse homo sit testimonium, quod sit Deus, et quod talis sit, videlicet cognatos nostros diligens, (nam Deus diligit homines, sicut parentes diligunt natos). Item, Deus iustus vult conservare naturam, benefacit recte facientibus, punit sontes; est amans castitatis; est verax et amans veritatis; sic de caeteris iuxta ordinem praeceptorum Decalogi, quorum notitia aliqua est naturalis. Hoc igitur agnoscit Xenophon, cum videt impressas notitias homini, primum cogitat esse Deum, et esse talem. Et sic necesse est eum ita cogitare; quia sine ulla dubitatione, Deus est talis, qualem se expressit effusis radiis lucis suae in mentes nostras.

Quid cogitat Xenophon praeterea?

Intelligit, si homines non obtemperarent illis notitiis, quod frustra essent insitae (loquor nunc tantum philosophice de externa obedientia) inde sequitur: Ergo mens illa aeterna requirit obedientiam iuxta illas notitias. Hoc argumentum videt confirmari ab experientia: Quia universale est, quod Deus punit atrocia delicta atrocibus poenis. Hoc est certissimum. Nemo aliter sibi persuadere debet, iuxta illud: *Qui gladium acceperit, gladio peribit;* loquitur de hac vita, quia dicit: *gladio peribit.* Item, *Honora Patrem, ut sis longaevus super terram.* Item, *Scortatores et adulteros iudicabit Dominus.* Xenophon videt vere puniri scelera.

Hic vero incidit quaestio: Aliqua scelera non puniuntur: ut quidam tyranni, quamquam pauci perveniunt ad tranquillum et placidum finem: Quid ergo hic sentit Xenophon? Intelligit illa exempla esse irregularia. Interea retinet sententiam illam, istas leges non frustra inditas esse mentibus nostris, et Deum vindicem esse et punire scelera.

Sed quid sentit de immortalitate animorum, sentitne homines reviviscere cum corporibus? Hoc vero prorsus est extra omnium hominum sensum ac iudicium. Quomodo possumus cogitare revicturos esse homines, dissipata materia in infinitas varietates, ut materia, quae fuit Iulii vel Alexandri, ubi nunc est? Alexandro est conditum sepulchrum magnificentissimum et sumptuosissimum, est ductus ad sepulturam in aurea sella, in curru argenteo inaurato: ubi nunc est illud cadaver? Non potest igitur philosophia cogitare aliquid de restitutione corporum.

Sapientes tamen de animabus sentiunt, eas vivere, postquam discesserunt; etsi de hac quoque re varie disputarunt. Stoici dixerunt animas vivere multis seculis post corpora, tamen non esse aliquid perpetuum: Dicunt esse naturas igneas, et diutius durare quam corpora, sed postea tamen resolvi. Alii imaginati sunt animas esse flatus coelestes; et postquam evolitarunt ex corporibus, finxerunt migrare illas ex uno corpore in aliud.

Quibus argumentis moventur saniores Philosophi, ut sentiant immortalitatem animarum?

Sunt duo vere pulchra argumenta. Primum est: *Quod non est ortum ab elementis, non est corruptibile: Anima non est orta ab elementis: Ergo non est corruptibilis.* Hoc argumentum manifeste exstat apud Platonem: et, nisi esset odiosum, dicerem esse demonstrationem. Minorem probat; quia in anima nascuntur notitiae: anima adfert secum notitias non traditas; id quod est elementare, non habet insitas notitias. Hoc pulchre est cogitatum: sed non ita movet rudiores, sicut hoc alterum argumentum, quod est Ciceronis, et deducit nos aliquo modo etiam ad doctrinam Ecclesiae.

Non est consentaneum, praestantissimam naturam tantum ad miserias conditam esse. Si non esset immortalitas animae, praestantissima natura esset tantum condita ad miserias. Nonne Socrates iniuste interficitur? vel, sumite exempla, quae sunt nota in Ecclesia. Abel habet testimonium manifestum a Deo, quod sit ei curae, et tamen interficitur a fratre. Iam quaestio est, *An Deus negligat Abel.*

Paulus etiam sic argumentatur: *Si non esset resurrectio, essemus miserrimi omnium hominum;* Est argumentum per reductionem ad impossibile. A principio generis humani calamitates, et afflictiones Ecclesiae, et mortes Sanctorum fuerunt testimonia resurrectionis.

Sic igitur argumentatur aliquid Cicero et Xenophon de immortalitate, et recte inquit Cicero: *Est quidam sensus in animis nostris sperans immortalitatem; Cur enim frangeremur contentionibus, et obiiceremus nos morti; nisi esset spes et exspectatio, quod fruituri simus illa virtute postea.*

Haec sunt argumenta philosophica, ex quibus alterum hoc facilius intelligi potest etiam a rudio-

ribus. Ecclesia est subiecta cruci in hac vita: Abel iniuste interficitur, cui Deus testimonium dederat, quod eum curaret. Paulus interficitur ab illo monstro Nerone; Ergo necesse est restare aliam vitam, in qua discrimen sit bonorum et malorum. Alioqui hoc discrimen esset naturae frustra inditum.

Hucusque procedit Philosophia; aliquid auguratur, et habet coniecturam aliquam de immortalitate, quantulamcunque et qualemcunque. Sed homines feri, prophani, cyclopici derident illa, excutiunt ex mentibus stolido impetu vel potius furore.

Ecclesia igitur habet doctrinam certiorem, non solum de immortalitate animarum, sed etiam de resurrectione hominum mortuorum, postquam rursus fiet copulatio animarum cum suis, non cum alienis corporibus.

De immortalitate animae hoc valde illustre testimonium est in doctrina de Ecclesia; quando Christus dicit: *Deus est Deus vivorum, Deus est Deus Abraham, Isaac, Iacob: Ergo Abraham, Isaac, Iacob vivunt.*

De resurrectione corporum dicit Christus: *Ego sum resurrectio et vita*: et quamquam magnum est miraculum, illas partes varie dissolutas restituere, et quomodo hoc fiat, Deo commendandum est. Tamen Paulus pulchre dicit: *Stulte, quod seminas, non adfert fructum, priusquam cadat in terram et emoriatur.* Sic videmus ex parvo granulo nasci integram arborem. Has imagines in natura rerum propositas iubet nos Paulus intueri, ut statuamus, Deo facile esse ex una particula exstruere et instaurare totam massam.

Allegoria quarundam partium historiae Samsonis.

Samson est Christi typus. Significatum est, quod Deus servabit Ecclesiam, et liberabit, sicut tunc istum populum liberavit misso Samsone victorioso, qui aliquantisper protegeret istum populum. *Samson*, id est, sol eius. Fuit sol huius populi, id est, liberator, restituit solem, lucem, consolationem.

Scribitur dimicasse cum hostibus, et occidisse mille vivos mandibula asini. *Mandibula* significat ministerium verbi; *Asinus*, significat populum legis, et significatur Ecclesiam colligi doctrina illius populi, in quo fuerunt prophetae, sicut alias dicitur: *Benedicite Domino de fontibus Israel:* id est, ista sola est Ecclesia, quae habet verbum Propheticum et Apostolicum. Aliae gentes non sunt Ecclesia, ubi non sunt fontes isti Israel.

Alio tempore occidit Samson leonem, ex cuius cadavere vidit postea enata esse examina apum. Hinc orta est quaestio illa convivalis, quam Samson proposuit convivis nuptialibus. Quia olim fuit consuetudo, cum sedebant in conviviis, non certabant poculis, sed bonis et iucundis sermonibus, ut exstant *convivales quaestiones* veterum, Plutarchi, Athenaei, Platonis et Xenophontis: Nec proponebant veteres saltem quaestiones quasdam, sed etiam certabant deposito munere; Sic Samson suis sociis proposuit aenigma: *De comedente exivit cibus, et de forti exivit dulcedo.* Fuit physica quaestio, et fuissent boni physici, si potuissent solvere.

Plutarchus dicit *Ex cadavere hominis nasci serpentes*; quando putrefit cadaver hominis, ex ea putredine nascitur serpens. Hoc saepe deprehensum est, quando homicidae acti sunt in crucem, aut positi sunt in rotas, tum ex medulla spinae dorsi nati sunt serpentes. Rursus ex putrefacto bove, atque ita etiam ex putrefacto leone nascuntur apes. Hoc Deus ostendit per Aristaeum et Samsonem: *Ex asini corpore putrefacto nascuntur scarabaei, ex equi cadavere crabrones.* Sunt pulchri typi.

Quare ex hominis cadavere nascuntur serpentes?

Quia homo est afflatus veneno serpentis in paradiso. Diabolus vere assumpsit formam serpentis. Hodie adhuc in Asia circumferuntur serpentes, in quibus habitat Diabolus: Bonum est, adolescentes hoc scire. Sunt quidam praestigiatores in Asia, qui circumeunt per totas insulas, et gestant serpentes, quibus saltantibus putant purgari domos sic, ut nulli serpentes intrent aut inficiant eas aedes (audivi ista a bonis et honestis viris, qui viderunt). Ita autem agere illi solent: Gestant serpentes in vase cupreo unum atque alterum, et cum veniunt in domum, aperiunt illud vas, et incipiunt ludere tympanis, tunc paulatim assurgit serpens, et aperit rictum oris, ex quo post incantationem prodit caput facie virginea pulcherrima. Est imaguncula similis capiti virginis: tandem iterata incantatione sensim retrahit serpens et abdit caput intra os. Ipse vero serpens fit languidus, et quasi exanimatus recidit: quia Diabolus cruciat eum. Haec non sunt fabulosa, et sic Diabolus transformavit se in serpentem, quando decepit Adam et Evam.

Ex homine igitur putrefacto nascuntur serpentes, ut significetur origo et foeditas nostri peccati.

Quid significat, quod ex bove nascuntur apes?

Bos fuit ordinatus ad sacrificia: ideo significat Christum, qui factus est victima. Nam ex Christo mortuo nascitur Ecclesia, Christus reviviscit et gignit examen apum, id est, Ecclesiam. Idem significat typus leonis mortui, ex quo vidit Samson nasci apes.

Quae est significatio, quod ex mulis nascuntur scarabaei?

Muli significant Monachos. Ex his fiunt pessimi hypocritae: sicut videtis, quam illi sint infesti verae doctrinae. Multi Monachi olim in prima Ecclesia fuerunt viri sancti, sed nunc degeneres isti et cornuti scarabaei pungunt recte docentes, sunt inquisitores, et parricidae multorum sanctorum.

Ex equis nascuntur crabrones?

Equus est animal generosum et bellicosum. Significatur ex vera nobilitate nasci crabrones. Hi sunt illa degenerans nobilitas, ut thrasones tumultuatores. Multi filii praestantissimorum nobilium sunt crabrones, praedantur, latrocinantur, vexant miseros homines: non est in eis virtus.

Ex hac igitur physica consideratione sumpta est quaestio convivalis, quam proposuit Samson, *de comedente*, id est, leone rapaci egressus est cibus. Leo est animal rapax, et tamen abstinet ab humana carne, nisi sit valde famelicus, imprimis autem venatur lupos, ut est apud Virgilium: *Torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam.* Apud Theocritum est: *Ἁ αἶξ τὸν κύτισον, χ' ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει.* Vergilius suo modo vertit hunc versum.

Leones edunt lupos, quae est allegoria?

Fortes, magnanimi viri, et Principes boni debent tollere latrunculos. Officium boni Principis est, devorare lupos, insidiatores, latrones, fures. Christus est leo, et destruit regnum lupi: id est, Diaboli, idem nominatur et fortis, et talem se ostendit Christus resurgens ex morte.

Quo tempore vixit Samson?

Saepe auditis, tempora mundi congruunt cum tribus potentiis animae: Prima aetas habuit homines sapientissimos, et studia sapientiae. Inventae sunt tunc artes: Homines certarunt inter se sapientia: Quia regnavit tunc *ἡγημονικόν*.

2. Secunda aetas excelluit *θυμικῷ*, fuit aetas heroica. In illa aetate fuerunt bellatores: Samson fuit Herculi coaetaneus ante regnum Israel. Fuerunt tunc multi praestantes viri. Non solus Hercules fuit vir fortis suo tempore. Fuerunt etiam tunc duo illi fratres, Telamon et Peleus, et alii multi ex Graecia, longe praestantiores aliis hominibus: etiam iis, qui nunc sunt praestantissimi. Sic in Iudaea, in Palaestina fuerunt viri praestantes; ut Gigantes, Goliath, Samson, cuius fuit excellens robur. Samsone fuit aliquanto minor aetate David, et eius duces. David fuit coaetaneus Achilli. Non fuerunt tunc ita ignavi; addo etiam, non sic infirmi, et imbecilles, ut in hac senecta nostra.

3. Iam regnat *ἐπιθυμητικόν*. Quando homines senescunt, quaerunt tranquillitatem et voluptates, sicut Homerus dicit:

— — — ἐπεὶ λούσαιτο φάγοι τε,
εὐδέμεναι μαλακῶς· ἣ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων.

id est, *Postquam laverit, comedat, et molliter dormiat, et sit sine cruciatibus animi.* Ita in hac aetate mundi, quae est similis senectae, homines sunt infirmi, delabuntur ad voluptates; non est illa praestantia virtutis. Nostri homines non possunt sustinere labores, quos olim Romani sustinuerunt.

Redeo ad *θυμικόν*, ad aetatem heroicam. Samson missus est, ut liberaret populum. Omnes autem illae corporales liberationes fiebant, ut Ecclesia colligeretur, quia ille locus fuit hospitium Ecclesiae.

De dicto Esaiae 11.

Gentes ad eum confugient.

In hoc dicto, quod Paulus his verbis recitat, *Gentes in eum sperabunt*, inclusa est dulcissima doctrina. Dicit Ecclesiam colligendam esse ex gentibus; et docet, qualis sit cultus in hac Ecclesia, videlicet talis, qui significatur nomine spei, seu fidei. Hoc autem nomine comprehendimus veram agnitionem, invocationem, et conversionem, ut alibi dicitur: *Omnis qui invocabit nomen Domini, salvus erit.* Non significatur cultus Leviticus, ut mactatio victimarum, et aliae externae ceremoniae, sed cultus cordis, quo credentes exspectant et ac-

cipiunt omnia bona, defensionem, et protectionem ab hoc Domino.

Quomodo conveniunt in dicto Esaiae, *mori* et *stare*?

Noster textus apud Esaiam dicit: *Sepulchrum eius erit gloriosum.* Hoc detorserunt ad gloriam sepulchri Christi, per *καιάχρησιν*, quod videlicet nostri Principes tamquam alteri Argonautae in Palaestinam profecti fuerunt ad recuperandum sepulchrum Christi. Illae res gestae dignae fuerunt laude, quod tam procul quaesiverunt hostem barbaricum, et expulerunt eum ex Asia: Nos non possumus eum depellere a vestibulo Germaniae. *Es ist besser ein pferdt an ein frembden zaun binden, denn das ers an den unsern binde.* Fuit illa gloriosissima expeditio, quod isti Principes profecti sunt ad reprimendos barbaros, Saracenos et Turcas. Godefridus capitaneus fuit Henrici IV.; et cum esset Romae vulneratus, fecit votum, quod non vellet amplius in civilibus bellis militare. Vir fuit magnae auctoritatis, et robustus. Uno ictu potuit praecidere collum cameli. Is caeteros Principes invitavit ad societatem belli Hierosolymitani. Imposita fuit spinea corona Godofrido post victorias in margine sepulchri Christi. Nam aureum coronam non voluit admittere. Pii Principes debent gestare coronam spineam Christi: id est, gerere bellum pro corona Christi et pro sepulchro eius, id est, pro Ecclesia, et eam defendere.

FERIA II. PASCHATIS.

Lucae ultimo.

Ecce duo ex illis ibant illa die in Emmahus, etc.

Est valde dulcis historia; multas, magnas et gravissimas materias continet: Sed principales partes vel membra sunt, 1. Colloquium de testimoniis Prophetarum; quod oportuit Christum pati, et sic ingredi in gloriam. Cum nos disputamus cum Iudaeis, illae quaestiones sunt praecipuae: An Iesus ille Nazarenus, fuerit Messias; et, an Messiam pati oportuerit: et, an habeat regnum spirituale: Item, an sit in Messia natura divina. Haec illi negant. Est autem haec principalis materia in hoc textu, videlicet, Testimonia de Messia, de Passione et Resurrectione eius.

Postea sequitur secundus locus, de infirmitate Apostolorum. Tertius locus, est magnifica commendatio studii, meditationum, colloquiorum piorum, auscultationis, lectionis: Videlicet quod oporteat audire, cognoscere, legere: et, quod efficax sit Deus per istam meditationem, sicut Paulus praecipit: *Sermo Christi habitet in vobis abunde. Habitet inter vos*, inquit, id est, sit vobis familiarissimus. Saepe cogitetur, saepe audiatur: sint sermones de doctrina crebri et multi. Familiariter habitent vobiscum Prophetae, colloquimini cum eis, tamquam cum amicis et sociis: Sic nobiscum ipse habitabit Deus, quia, ubicunque habitat Spiritus sanctus, qui est efficax tali cogitatione, ibi certe habitant Pater, Filius, et Spiritus sanctus, iuxta dictum: *Veniemus ad eum*, etc. Ideo debemus eo esse diligentiores, et magis amare lectionem, meditationem, colloquia.

Sunt hic tria verba, *ὁμιλεῖν*, *συζητεῖν*, et *ἀντιβάλλειν λόγους.*

Ὁμιλίαι significant conversationes, et colloquia. Unde componitur? Non est a *λαλεῖν*, sed ab *εἴλη*, *turba*, *coetus*: *ὁμιλεῖν*, esse in coetu, esse in congregatione, *In der geselschafft*: sed per Metalepsin ponitur pro colloquio. Est versus Aeschyli [Sept. 581.]. *εν παντὶ πράγει ὁμιλίαι κακῆς κάκιον οὐδέν*: In omni negotio, sodalitate mala nihil peius, *da stehts für geselschafft.* Est gravissime dictum. Exstat in Tragoedia *ἑπτὰ πρὸς Θήβας.* Multae bonae naturae, multa membra Christi corrumpuntur pravis sodalitiis.

Olim in Ecclesia nominatae sunt *ὁμιλίαι*, conciones: sicut nos dicimus *sermones* aut *colloquia.* In principio fuit hic ordo, ut aliqui colloquerentur, seu per vices aliquid dicerent: Ita colloquia vocabantur *ὁμιλίαι.*

Tempore Caroli Magni adhuc fuit consuetudo, ut in festis ipse Caesar cum Principibus veniret in templum, et canerent lectiones: Carolus ipse distribuit *ὁμιλίας* Principibus; distribuit materias lectionum, in quibus taxarentur quaedam vitia, ut eos moneret ac emendaret. *Man hat gelesen zur Metten* homiliam beati Gregorii, homiliam beati Augustini et similia.

Quot sunt versus apud Paulum?

Duo: Primus est *Iambicus*, 1. Corinth. 15. *Φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί*, *Corrumpunt bonos mores sodalitates et colloquia prava.* Alter est *heroicus.* Tit. 1. *Κρῆτες ἀεὶ ψευσταί, κακὰ θήρια γάστερες ἀργαί.* In Actis citatur hoc hemistichium ex Arato: *τοῦ γὰρ καὶ γένος ἔσμεν.*

Quid est *συζητεῖν*?

Coeperunt inter se disputare, *συζήτησις* in Philosophia magni momenti est, inquit Cicero: quando multi inter se conferunt, et de aliqua re quaerunt, quomodo tu hoc intelligis? quae sunt tuae rationes? Non debebetis cogitare, hominem solitarium non posse multipliciter hallucinari: Etiamsi studet ac proficit, tamen habet suas quasdam opiniones: et quando cum aliis non confert, discedit a communi et recta via, aut certe facile aberrat.

Omnino necessaria est in studiis, *συζήτησις*, collatio sententiarum cum aliis: Ideo dictum est in Euripide: *ὁμιλία τέχνας ἔ τεκε: Conversatio, seu collatio peperit artes.* Est valde pulchrum dictum: Quando homines conveniunt, et inter se conferunt, multa inveniuntur.

Magna est autem haec commendatio studii, quod, dum colloquuntur, venit Dominus et incipit cum eis disputare, et ipsi fatentur postea: *Nonne corda nostra ardebant in nobis?* Spiritus sanctus est efficax per verbum: oportet sic accendi corda. Oportet cognosci doctrinam.

Tertio usurpatur hic locutio *ἀντιβάλλειν λόγους: Das einer den andern horet.* Tu non debes ita insanire, ut neminem audire velis, sicut multi sunt tales, qui cogitant: Quando tu aliquid dixisti, aut invenisti, nemo tibi debet contradicere: Sed omnes proni debent adorare tua somnia. *Das soll nicht sein.* Debes etiam audire alios. Paulus inquit: *Si sedenti revelatum fuerit, taceat prior.* Vult esse iudicia, vult priorem tacere, si posterior aliquid melius iudicio auditorum dixerit: *Omnia probate; quod bonum est, tenete.* Quid est homini familiarius quam labi et falli? Etiam de bonis, non de malis, non de contemtoribus loquor: Boni quoque habent magnas infirmitates. Non est opus procul exempla quaerere.

Habetis hic istos duos praestantissimos viros, ex quibus unus *Cleophas* hic nominatur, alter dicitur fuisse *Lucas*: sed Cleophas fuit maritus sororis Mariae, et illa praestantissima mulier haud dubie fuit una ex firmiter credentibus. In marito non fuit tantum firmitatis. Affuit illa sorori matri Christi: Eam consolata est; sustinuit dolores in isto tristi spectaculo: credo fuisse excelso animo. Quamquam et in Maria magna lux fidei fuit, tamen fuit simul maternus dolor. Illa aliquantulum a materno affectu abfuit, ideo fuit animo fortiori. Illius maritus fuit Cleophas, id est, totus pulcher, Cal laphan. *Er wird ein schoner man sein gewesen.* De locis doctrinae postea dicemus. Volumus prius alia quaedam Grammatica et historica tractare.

Isti duo eunt in castellum, in vicum, *κώμην. In ein dorflein, das heist Emmaus:* sunt tres syllabae. Sed non possumus scire, quomodo scriptum sit Hebraice. Vos scitis esse *Mausin* in Daniele: ibi significat arcem, castellum, *ein schlos oder clausen,* munitio. Potest etiam esse nomen Emmaes: id est, mater veritatis: vel est simpliciter vocabulum *Emeth*, veritas. Sed quaecunque est Etymologia, est pictura vel imago Ecclesiae. Eunt ad Ecclesiam, audiunt Christum, intersunt concioni, et ibi editur testimonium. Veritas quaerenda est in Ecclesia.

Textus dicit: *distabat* 60 *stadiis.* Quantum igitur fuit spatium? quam procul abfuit a Hierosolymis? Octo stadia. *Μίλιον* inquit Plutarchus: Intelligite miliare Italicum; *ein virteil meil.* Si computemus 4 miliaria Italica pro uno Germanico, 60 stadia conficient duo miliaria Germanica: *Etwas weiter als von hinnen bis gen Kembergk.* 64 stadia faciunt praecise duo miliaria: sed textus dicit *circiter* 60 *stadia.* Locorum spatia sunt consideranda ab his, qui discunt in scholis.

Dum ita colloquuntur, venit Dominus et interrogat, de quibus rebus loquantur: Respondent, *se loqui de Iesu, qui fuerit vir clarus:* Mirantur etiam illi historiam esse ignotam. Quaerunt, an non noverit eum, sicut solet fieri in primis congressibus. *Tu solus peregrinus es in Hierosolymis*, id est, an tu solitarius habitas in Hierosolymis, ut haec ignores? *wonestu allein? kompstu nicht zu den leuten, das du nichts von dem weissest?*

Παροικεῖν significat simpliciter *bey einem wohnen*, habitare iuxta aliquem. Inde est nomen *parochiae*, quod est corruptum ex *παροικία*. Discite vocabula, quorum usus in Ecclesia est. *Παροικία heist* vicinalis conventus, *πάροικοι, die beysammen wohnen.*

Iureconsulti recentes habent differentiam inter *μετοίκους καὶ παροίκους. Μέτοικοι haben geheisen* Athenis *inquilini*, sed non eodem iure ibi habitantes: ut, nos sumus hic *μέτοικοι*, inquilini, et tamen non eodem iure cum civibus aliis vivimus: *Wir haben nicht burgerschafft hie.* Athenis *haben sie viel zu thun gehabt* propter *μετοίκους*, sicut solet fieri: Ubi sunt quasi duo corpora in una urbe, ibi plus est altercationum.

Sed *πάροικοι* sunt proprie inquilini, qui eodem iure habitant, *παροικία* autem generaliter significat *conventum vicinalem*: Et pulchre quadrat ad Ecclesiam, quae est *παροικία*, id est, coetus undique collectorum ex diversis gentibus et ordinibus hominum, et tamen in una invocatione et confessione consentientium, et idem ius habentium, caeteris paribus.

Antequam fuerunt templa, conveniebatur in loco certo ex diversis pagis vel oppidis: quia non omnes in una urbe profitebantur eandem religionem non omnes erant Christiani, plures erant Ethnici. Conveniebant die dominica ex hoc vico duo vel tres, ex alio pago duo vel tres; item ex

urbe aliqua vel suburbio duo vel tres. Ille conventus vicinalis vocabatur *παροικία*.

Christus satis duriter principio eos increpat: *O stulti corde.* Nec tamen prius agnoscunt, quam cum postea in coena frangit panem. Non volo disputare, nec movere rixas. Dicant hic exhibitum esse ritum Coenae Domini: alii dicunt, *frangere panem* simpliciter significat *distributionem.* Nolo contendere. Sed Patres de ritu Coenae sacrae intelligunt. Nec mihi hoc displicet.

Verum quod Papistae inde argumentantur: *Ergo tantum una parte Sacramenti utendum est.* Id nimis puerile est, sicut omnia argumenta Papistarum plena sunt stultissimorum sophismatum.

Est usitata Synecdoche apud Hebraeos, dicere fractionem panis, pro *comedere* et *bibere simul.*

Post fractionem, inquit Evangelista, quod discesserit Christus. Ita vero non solvit hospiti, dicat aliquis.

Non solvens, est iniustus:
Christus ibi discedens, non solvit:
Ergo est iniustus.

Hoc argumentum, vos adolescentes debetis meminisse, quia continet pulchram doctrinam: Primum cogitate de maiore. Maior vera est: quia sancita est in praecepto: *Non furtum facies.* Deus ordinavit et praecipit iustitiam; quia vult intelligi virtutes, ut sciamus, qualis ipse sit. Ipse est iustus, id est, horribiliter odit, quae fiunt contra ipsius mentem et voluntatem; quae est talis, qualis expressa est in lege. Dicere aliquid esse contra legem Dei, et esse contra mentem et voluntatem Dei, idem est. Vult Deus exerceri hanc virtutem, quae est iustitia particularis: vult singulos reddere suum cuique, non laedere alios, non furtum facere, quae sunt opera propria iustitiae particularis: Non vult nos esse Tyrannicos, atque ita superbos, ut velimus nobis sumere licentiam perdendi alios, laedendi aut corrumpendi res aliorum.

Debet esse consociatum genus humanum dilectione et multis officiis, non iniuriis et violentia grassari. Haec est voluntas Dei, et ipse etiam in genere humano retinet ista; horribiliter homicidas rapit ad supplicium; iuxta dictum: *Qui gladium accipit, gladio peribit.* Sic fures punit, *Vae qui spolias, quia spoliaberis*: etiamsi magistratus non punit, ipse punit: Quia vult agnosci se esse iustum, aequalem, diligentem genus humanum. Deus est aequalis omnibus, in omnibus detestatur peccatum: Ignoscit omnibus confugientibus ad Filium.

Maior igitur vera est: *Qui non solvit, est iniustus.* Peccat, qui facit contra voluntatem Dei, praesertim qui facit malitiose: sicut ex studiosis multi discedunt, non solventes debita, quae contraxerunt. Hoc iniustum est. Sed minor est prorsus neganda. Christus benefecit istis auditoribus, et dedit eis munus amplissimum; Nihil est maius, nihil est melius communicatione doctrinae. Cogitet unusquisque de sese, quantum velit dare, si posset audire illam concionem Christi.

Legimus quidem summam huius concionis scriptam, sed multum refert audire vivam vocem alicuius, vivum sermonem, vivam expositionem. Dedit igitur eis munus amplissimum; quia impertivit doctrinam, erudiit eos; et docenti rursus debetur victus, et *δίδακτρον*. Discipulus debet Doctori non illam mercedem, quam pendit Nero Senecae: non mercedem, quam pendit cuculus suae nutrici, hypolaïdi, currucae, *der grasmucken.*

Cuculus natura est valde timidus. Recte autem Plutarchus ait: *πᾶν δειλὸν φονικόν:* Omnis timidus est homicida: *was so ein perversum timorem hat, ist heimisch und mördisch.* Talis est igitur cuculus, est timidus, et simul ignavus, et est tamen molestus clamator, sicut coccysmis eius offendimur omnes. Non facit nidum, sed ova collocat vel in nidum cassitae, *In eines lerchen nest,* vel in nidum currucae. Haec excludit ova illa: et, quia cuculus est grandis, multum devorat etiam: interea pulli currucae moriuntur fame, et postea ille grandis cuculus devorat altricem suam.

Est autem avicula parva curruca, et est imago Ecclesiae: Graeci vocant *ὑπολαΐδα:* quia sub saxis iacet, inter saepes et lapides: Sic iacet Ecclesia in humili loco inter saxa: premitur saxis, id est, multis calamitatibus, et tamen tegitur a Christo. Alit cuculos, multos ingratos, Arrium et Pelagium, et alios malos homines: sicut videtis, quid nobis omnibus accidat: quia gratitudo est rara virtus. Ecclesia alit multos, qui postea fiunt ingrati, et hostes Ecclesiae. Quam multos vidimus, qui in nostris Ecclesiis sunt educati, postea intulerunt bellum his ipsis Ecclesiis, ut Vicelius, Campanus, et alii multi similes. Vicelius erat exul, seu profugus, est amantissime a nobis tractatus: vixit hic alieno beneficio: postea est ei data bona parochia (ut vocant) ibi diu vixit, collegit aliquid viatici, tandem discedens, bellum his ipsis Ecclesiis intulit; *das ist ein* cuculus devorans matrem. Hoc non debebat fieri.

Auditores debent gratitudinem, item victum suis pastoribus, sicut alias usi sumus similitudine de halcyone, quae etiam est imago Ecclesiae: Nidificat in scopulis marinis, et quidem excludit pullos in ipsa bruma: et Deus dat tranquillitatem mari, ubi nidificat. Inde nominantur *halcyonia:* id est, breve intervallum tranquillum.

Gestat autem Halcyon senem maritum Ceyca in humeris aquatum. Nam aqua maris est salsa. Volucres, sicut homines, quaerunt aquam dulcem: sic Ecclesia senes pastores amanter debet tractare, non debet esse crudelis adversus eos. Verum est,

quod Respublica debeat nobis omnibus, docentibus et discentibus mercedem. Sed quia Respublicae saepe non dant, Deus excitat aliquos, qui benefaciant pauperibus scholasticis et doctoribus: semper ita Ecclesia collecta est. Deus illi mirabiliter prospicit, ut dicitur: *Ego sum haereditas vestra:* curat ipse ut habeamus victum: sed tamen Ecclesia debet victum doctoribus; hoc est, omnibus qui conferunt operam et studium ad conservationem doctrinae.

Ita videtis, vos moneri solutione huius argumenti de beneficentia: item, de iustitia. Iustum est, non laedere alios; quia Deus vult esse aequalitatem: vult ita consociatum esse genus humanum. Etiam ratio naturalis iudicat esse necessariam istam iustitiam, quia non potest esse durabilis vita sine iustitia.

Est autem hic et argumentum aliud, quod lucem affert textui:

Simulatio est mendacium; seu, *est quiddam malum:*
Christus hic simulat:
Ergo male facit.

Considerate primum hic, quod in textu non sit *ἐψεύσατο, mentitus est;* neque *ὑπεκρίνετο*, quod significat proprie *simulare*, sed *προσεποιεῖτο*, quod significat, gestum seu figuram hanc prae se ferebat; *er stellet sich also.* Est duplex simulatio, alia figurata et officiosa; alia insidiosa, quae fit animo nocendi. Multum autem differt a simulatione et dissimulatione mendacium. Occultare aliquid, quod non necesse est dici, non est mendacium. Igitur Maior est neganda: quia mendacium est dicere aliquid contrarium veritati, vel occultare hoc, quod necesse erat dicere.

Lucas ipse est usus valde eleganti verbo *προσεποιεῖτο*, id est, *induit talem gestum;* Graecum verbum non potest una voce Latina reddi. *οὐδὲν πάσχεις κακὸν, ἂν μὴ προσποιῇ:* Nihil patieris mali, *wenn du dich nichts annimbst.*

Occultare aliquid, quod non necesse est dicere, non est mendacium, ut, Raab cum negabat speculatores adesse. Haec est figurata simulatio: sicut Medicus addit aliquid gratum sumenti potionem, cum tamen nihil pertineat ad medicationem; sed admiscet, ut minus nauseet, seu minus abhorreat a medicamento. Alia est simulatio insidiosa, dissimulare hoc, quod est necesse dici, vel contra veritatem aliquid dicere. Haec est mendacium, et est peccatum.

Considerate in hoc textu etiam illa verba discipulorum: *Mane nobiscum Domine, quia advesperascit.* Haec est vox Ecclesiae clamantis idem hoc postremo tempore mundi. Postrema aeta serit imbecillior, sicut manifeste dictum est a Daniele: *Erit tale tempus, quale non fuit.* Christus idem dicit clarissime in hanc sententiam: *Erunt persecutiones et oppressiones gentium; et multi surgent qui dicent: Hic est Christus: Ibi est Christus.* Significat futuras esse maiores confusiones, ac perturbationes Ecclesiae et imperiorum, quam ante fuerunt. Etiamsi singulae aetates habent sua mala, tamen extrema aetas erit squalidior. Haec scire debemus, ut simus ardentiores in precando: quia Dominus ipse praecipit: *Orate, ut possitis effugere mala ista.*

Clamemus igitur, ut isti dicunt: *Mane nobiscum Domine.* Loquitur in istis Spiritus sanctus, est fatidicus in ipsis: Etiamsi isti de postremis temporibus non cogitant, tamen Spiritus sanctus hoc significat. Debetis serio cogitare de istis postremis miseriis mundi, ut ardentius invocetis, sicut est mandatum a Christo, et simul promissa mitigatio. Nam comminationes non sunt Stoicae: sed simul promittitur mitigatio agentibus poenitentiam et vere invocantibus.

De cavillatione Papistarum, quam sumunt ex fractione panis, antea dictum est. Sed talia sunt pleraque ipsorum argumenta, quae rectius possunt nominari calumniae indignissimae, non solum doctis, sed omnibus hominibus. Tale est et hoc argumentum, quod ad explicationem doctrinae pertinet, quam heri tractavimus de expurgatione fermenti:

Omnia opera Dei sunt perfecta:
Iustificatio et regeneratio est opus Dei:
Ergo est perfecta.

Respondeo. Omnia opera Dei sunt perfecta, scilicet suo ordine, *wie er es geordnet hat.* Est cuiuslibet rei sua perfectio in quolibet genere, suo gradu et ordine. Foetus in utero est opus Dei, estne perfectum opus? Est perfectum suo ordine, sed habet gradus suos. Radicula fit suo tempore ingens arbor: sed non sequitur: Radicula est opus Dei: ergo iam etiam est grandis arbor. Videte, tam insulsae cavillationes quaeruntur ad irridendam veritatem, non ad evertendam. Sunt Ironiae Diabolicae.

Iam ad Minorem. Haud dubie iustificatio et regeneratio sunt opus perfectum, sed suo ordine, quando scilicet misera natura transferetur aliquando ad illam coelestem sedem, ut fruatur sapientia et bonitate Dei. Sed oportet prius aboleri illam massam infectam peccato: Oportet prius peccatum deleri per mortem in nobis. Deus istum ordinem instituit, ut in hac vita inchoetur istud opus Dei. Qui non hic inchoant, isti postea non salvabuntur: quia *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Item: *Esto fidelis usque ad mortem.* Item: *Reddent rationem eorum, quae gesserunt in corpore.*

Hic ordo est divinitus institutus, ut fiat inchoatio in hac vita. Hoc ordine Deus naturam lapsam vult reparari, ut postea integra iustificatio et regeneratio sit opus perfectissimum. Absint calumniae et cavillationes in rebus tantis. Addemus aliquid de locis doctrinae in hoc textu.

De infirmitate discipulorum.

De hac non prolixe dicam. Tota Scriptura ostendit gemitus et querelas sanctorum, qui deplorant suam infirmitatem: Et habere hanc imaginationem, quod simus iusti nostra novitate, quod simus perfecti, simus sine peccato, est insania. Sic dicit Iohannes: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, mendaces sumus.* Omnes sentimus multiplicem et horrendam infirmitatem in cordibus nostris, magnam dubitationem et multa vitia: Ideo oportet nos tenere hanc doctrinam, quod simus iusti propter Filium Dei, imputata et donata nobis ipsius iustitia. Cum hac imputatione ipse semper simul est efficax, sed tamen persona misera et immunda placet propter Filium Dei (qui est umbraculum) deprecantem pro nobis, et tegentem nostra delicta: ut dicitur: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates.*

Hic rursus cogitate de argumento:

Iustificatio est opus Dei:
Ergo est opus perfectum.

Respondeo. Verum est de imputatione: sed novitas est tantum inchoata, et perficietur suo ordine ac tempore. Quando habetis concinnam explicationem argumentorum, postea tota doctrina fit illustrior.

Teneamus hanc anchoram, quod propter Filium Dei simus accepti, etiamsi sumus immundi: ideo enim dicitur: *Fide iustificati, pacem habemus.* Item: *Nulla damnatio iis, qui in Christo Iesu ambulant.* Est igitur persona iusta imputatione, et simul fit in ea novitas: sed ea adhuc est languida.

Nostra corda intueantur Filium Dei interpellantem pro nobis apud aeternum Patrem, et tegentem peccata: ipse vestit nos sua iustitia, quae nobis fide accipientibus gratis imputatur.

Discamus autem agnoscere nostras miserias, agamus poenitentiam; doleamus, non confirmemus istam infirmitatem securitate carnali: Sed cogitemus: *Qui iustus est, iustificetur adhuc:* id est, debet in nobis crescere novitas. Item: *Habenti dabitur.*

Cum exercentur dona Dei, tunc crescunt. Est bonum dictum Augustini, cum recte intelligitur, *Dilectio meretur augeri dilectione:* id est, exercitia virtutum auget virtutes.

Vidi ego quassatas mota face crescere flammas;
Et vidi nullo concutiente, mori.

Sunt boni versiculi Ovidii, quos ipse etiam probavit: Quando homo exercet habitum aliquem, ille habitus crescit usu; et cum non exercetur, negligentia vel ignavia amittitur, quod aderat antea, *wenn man eine kunst nicht vbet, so vergist mans* paulatim. Ars non translata ad usum, aboletur, vel exolescit in animis. Deus vult exerceri istos habitus, et in illis exercitiis ipse accendit lucem magis magisque in mentibus. *Habenti dabitur,* dicitur de negotiantibus.

De ignavis dictum est: *Invenit Diabolus domum otiosam, et assumens alios Spiritus nequiores, facit, ut novissima fiant deteriora prioribus.* Quando homo accepit initia, et gustavit dona coelestia, ut dicitur in Epistola ad Hebraeos, et tamen postea fit otiosus, et prolabitur, tum homo fit miserior, quam antea fuit. Illa ignavia est magnum et horribile malum. Sic igitur dico, agnoscamus infirmitatem, non confirmemus eam, non indulgeamus cupiditatibus carnalibus; et tamen teneamus consolationem, quod propter Filium Dei simus iusti, et quod ista mendica et sordida obedientia placeat.

Contra: *Fide sumus iusti:*
Nemo scit se credere:
Ergo nemo scit se esse iustum.

Minor est neganda. Augustinus habet dictum, quod mementote: *Credens scit se credere.* Hoc referatur ad vera exercitia fidei non ad somnia, et otiosas cogitationes. Nonne David scit in dolore, se dolere? ita sentit certe dolorem: Nonne cum erigitur fide, scit leniri illum dolorem, et sentit consolationem? Ergo scit se credere. Sed multum est infirmitatis. Sit ita sane: Est lucta perpetua, sed in illa lucta vincit fides; neque homo est iustus propter fidei magnitudinem. Sed propter Filium Dei. Est in omnibus infirmitas, tamen sumus iusti propter Filium Dei; non quia tanta in nobis est nostra qualitas: Si esset fides perfecta in summo gradu, esset extinctum et absorptum totum peccatum; nulla prorsus esset dubitatio, nulla lucta. Haec considerate in illa doctrina de infirmitate Apostolorum.

De commendatione studii.

De hoc loco etiam antea dixi. Discipuli illi colloquebantur, disputabant pro, et contra; alius dicebat aliud, per vices conferebant sententias suas.

Haud dubie Cleophas dixit: *Mea coniunx omnino*

affirmat eum resurrexisse, Ergo nondum finis est rerum nostrorum. Alter dixit: *Non possunt ista esse de nihilo, ipse antea resuscitavit mortuos, adhuc fiet aliquid.* Illae disputationes significant desiderium, significant motus Spiritus sancti, qui pro ipsis interpellat gemitibus inenarrabilibus; plus credunt, quam ipsi sciunt, vel intelligunt: habent quandam scintillam, sed adhuc inexplicatam: postea Dominus opem fert isti imbecillitati; sicut dicitur: *Calamum quassatum non confringet:* id est, ipse vult infirmos recipere: sicut Paulus etiam dicit de infirmo: *Dominus recepit eum.*

Est insania, imaginari, non debere nos accedere ad Deum, nisi adferamus ad eum illam Stoicam perfectionem, vel illam Pythagoricam *παλιγγενεσίαν*; vel, sicut Lucianus ludit, quod Stoicus sit purus ab omnibus affectibus, sicut Hercules deposuit omnem mortalitatem in rogo.

Ita ridet Stoicos, qui fingunt, quod ita sint excocti, ut deposuerint omnes affectus. Haec sunt paradoxa Stoica, qualia defenderunt olim Cathari. Verum semper manet in sanctis in hac vita multiplex infirmitas, sed istam agnoscamus: et ut eam paulatim corrigamus, debet in nobis esse studium doctrinae, et debet accedere precatio. Illa precatione accenditur nova lux, et impetrantur dona maiora Spiritus sancti; sicut scriptum est: *Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.* Sic illi hic dicunt: *Nonne cor nostrum ardebat?* sentiebant se credere, etiamsi adhuc erat caligo et obscuritas. Sentimus singuli, nos esse infirmos, et libenter vellemus esse firmiores, ideo clamemus: *Confirma hoc Deus, quod in nobis operatus es.* Est communis preccatio, et vox omnium Sanctorum in Ecclesia. Haec cogitate de commendatione studii, ut vos etiam eo magis ametis studia. De testimoniis, Deo dante, cras dicemus.

EXCERPTA EX RHAPSODIIS ALIORUM ANNORUM.

Naturaliter favemus illis, qui in solicitudine sunt, et in aliqua angustia, et laetamur, cum videmus, quomodo ex dubitatione, vel consternatione, et doloribus erigantur. Haec consideratio facit hanc narrationem dulciorem. sicut nos omnes in veris doloribus quaerimus consolationes et levationem dolorum: sic quando videmus alios erigi rursus, qui erant anxii, tunc laetamur et gratulamur ipsis.

Experimur etiam, quod in maestitia collocutio et conversatio cum amicis, qui adferunt aliquid opis et consilii, sit gratissima. Sunt multa dicta optima in hanc sententiam, ut Graecum dictum: *Λειπουμένου γὰρ μῦθος εὐμενὴς φίλου: Maesto*, seu, *tristi grata est*, vel, *dulcis et blanda amici oratio.* Item: *ψυχῆς νοσούσης φάρμακον φίλου λόγος: Animae dolentis pharmacum est amici colloquium* vel *sermo.* Item: *εἰς ὄμμα εὔνου ἀνδρὸς εἰσβλέπειν, γλυκύ. Quam dulce est intueri vultum amici*

Inprimis magnum bonum est in controversiis religionis mederi dubitationi: Quia dubitatio de aliqua parte doctrinae, est, carnificina saeva et exitiosa, affert vel prophanitatem, vel desperationem. Paulus ad Romanos inquit: *Unusquisque sit certus in sua mente:* id est, non est indulgendum dubitationi, non relinquenda est mens in dubitatione, sed quaerenda est certitudo.

Emmaus.] Potest fieri, ut nihil aliud significet, quam castellum. Scribunt, postea dictum esse hunc locum *Nicopolin.* Id nomen fortassis est interpretatio Etymologiae Hebraicae, si vox deducatur a *maos*, quod significat *robur*, vel *munitionem.* Alii *consilium* interpretantur, a *Iaes.* In priore Etymologia scribitur *Emmaus* per *s*, pro *fortitudine:* in altera scribitur per *z*, pro *consilio.* Etiam *em* vel scribitur cum *aleph*, et tum idem significat quod *mater:* vel per *ajin*, et significat *populum.* Sed mihi magis placet mater consilii, quam populus roboris. Ecclesia vere est mater consilii, sicut Samson inquit: *Si non arassetis, vitula mea non invenissetis.* Si vis discere, eas ad Ecclesiam. Ea est custos doctrinae. In Homero non disces fidem in Christum, nec in Alcorano. Isti discipuli eunt ad Emmaus, et Christus erudit eos in via, id est, tunc recte discitur, quando Dominus ipse docet, aut dat doctores idoneos.

Miliare.] *μίλιον* habet nomen a mille passibus. 4 miliaria Italica, faciunt unum miliare Germanicum: aliquando 5, prout regiones sunt fertiles aut minus fertiles: vel prout civitates sunt plures aut pauciores: *Wo gut landt ist und die flecklein nahe beysammen liegen, macht man kurtze meilen, als draussen am Rein.* Contrarium est in Westphalia. Persae habuerunt nostrum morem. Quod nobis est miliare, est Persis *parasanga.* Habemus multa a Persis, quia nostri homines fuerunt vicini Persarum: et Herodotus dicit: aliqua pars Persiae dicitur *Carmania.* Parasanga fuit miliare Germanicum.

Tunc solus es peregrinus?] Debebat esse: an tu es vicinus solitarius? vel, num tu habitas hic tamquam solitarius? Nomen, *Peregrinus*, mihi hoc loco non placet: quia, si quis peregrinatur, tunc non est mirum, si quid ignoret. Peregrini non debent esse curiosi. *Hospitem decet tacere, non vociferari.* Cicero inquit: *Hospes non debet esse curiosus in aliena Republica.* Est versus aulicus:

Da, capias, quaeras plurima, pauca, nihil

Et Horatius inquit de curiosis:

Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.

In Graeco est πάροικος, quod significat vicinum. Inde est παροικία, id est, vicinalis conventus. Qui regebat eiusmodi conventus, dicebatur *Paroecianus.* Postea in Ecclesiam invecta sunt alia vocabula. Pro παροικία dixerunt Parochia: Unde est Germanicum vocabulum *Pfar.* Item *Parochum* dixerunt, *einen Pfarher:* sed Graecum vocabulum πάροχος, aliud quiddam significat. Sic enim nominabant promos et condos in nuptiis: Item oeconomos in villis, a praebendo et exhibendo. Germani vocant *einen hoffmeister, oder voit.* Et nomen *voit,* est a *voiden,* vel *fuiden,* quod est pascere: unde etiam est appellatio feudi.

Unde est nomen Cleophas?

Vocabulum Cleophas, est haud dubie Graecum, a κλεόπατρος factum, sed mutilatum: quamquam etiam Etymologia Hebraica tradi possit: sed simus contenti Etymologia Graeca, κλεόπατρος, id est, ex glorioso patre, vel gloria patris, sicut ἄντιπας, pro ἀντίπατρος, id est, vice patris. Vetustas usa est honestis appellationibus: ἄντιπας fuit Macedonicum nomen, ut et κλεόπας: et cum illo imperio propagata sunt ad alias gentes. Non fingatis insulsas et inconcinnas etymologias; ut cum aliqui dicunt *Bartholomaeus,* id est, Filius suspendentis aquam, a *manim* et *tola:* sed est a *Bar,* id est, *Filius,* et *Ptolomaeus.*

Utilitas colloquiorum.

Colloquia exsuscitant quaerentes aliquid. *Einer gibt den andern* occasionem *zu disputieren.* Multae sunt commonefactiones, quas saepe etiam suggerunt ineruditi: Amanda igitur est collocutio et doctrina candida, non insidiosa. Christus accedit ad istos discipulos, quando colloquuntur de doctrina, *das heist* esurientes implevit bonis.

Adhortatio ad legendum et meditandum verbum Dei.

Filius Dei sic adest, cum discimus, meditamur, et cogitamus verbum Dei; ideo simus diligentes in legendo, cogitando, et perpendendo verbo Dei. Multi ita sunt barbari et negligentes, ut nec textus Bibliorum legant. Saepe vobis dixi, ut mane et vesperi caput unum atque alterum in Bibliis legatis. Hunc honorem Deo praestare debebatis. Nescio, qualis haec sit aetas: mihi puero fuit notus textus Bibliorum, et avidius legebam, quam nunc fit a pueris: quae fuit aetas magis studiosa: iam nihil putatur pulchrum, nisi sit efferum et Cyclopicum: et nominatur tamen haec libertas Christiana: igitur non cogitate, quod Spiritus sit in vobis efficax sine lectione. Deus non est efficax in homine negligente lectionem, auditionem, et vocem doctrinae. *Sapientia antevertit expetentes eam,* id est, sapientiam. Item: *Dabit Spiritum sanctum petentibus.* Item: *Ad legem et testimonium.* Primus Psalmus et tota Scriptura plena est talium adhortationum. *In lege Christi voluntas eius.* Sed sumamus dictum Pauli: *Sermo Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia: et docete et arguite vos mutuo.*

Hoc dicto volumus esse contenti. Primum dicit: *Sermo Christi.*] quasi dicat, ille sermo discatur, qui est divinitus traditus, quem Filius protulit ex sinu aeterni Patris. Totus propheticus sermo est, quem Filius protulit ex sinu Patris, et ipse Filius locutus est in prophetis. Postea dicit: *habitet in vobis:* quid est, esse cohabitatorem? Cuius rei est antithesis? Peregrini: Sermo Christi non sit peregrinus hospes. In Plauto dicitur: *Homo homini ignotus lupus est:* et ita fit in nostris hisce regionibus: In aliis locis non est item. Homines sedent in conviviis: non loquuntur, etiam cum datur occasio colloquii: tantum intenti sunt in eum, qui loquitur, et tamquam insidiatores animadvertunt, an possint aliquid arripere, quod postea male interpretando depravent. Saepe hoc video, cum sedeo inter peregrinos, ut et nuper mihi accidit. Aliqui putant esse sapientiam. Est inhumanitas, et barbaries. Est hoc, quod Plautus dicit: *Homo homini lupus est, cum ignotus est. Saepe tacens odii semina vultus habet.* Est pulcherrimum dictum apud Xenophontem in conviviis: Amatis convivia, amate etiam sapientum eleganter dicta de conviviis. Socrates in Symposio Xenophontis dicit alicui: Dic mihi: quid est παροινία, id est, *sich nicht recht halten* in convivio? Respondet illi: *Quid sit non possum dicere, sed quid mihi videatur, dicam.* Hoc civiliter est dictum: quia saepe aliquid alicui videtur, quod tamen non est. Postea inquit Socrates: *Dicas igitur, quid videtur tibi?* Subiicit ille: *Est molestia afficere convivas: λυπεῖν τοὺς συμπότας.* Talia convivia confert conviviis vulpis et gruis. Est apud Aesopum: cum vulpes gruem invitat, et pultem instruit in orbe plano. Vulpes lingit, grus vero non potest apprehendere: deinde grus iterum invitat vulpem, et apponit cibum in profundo et angusto cantharo: vulpes non poterat inserere col-

lum, ut grus suum rostrum. Cogebatur igitur vulpes discedere famelica. Talia sunt convivia non colloquentium, non salutantium, non quaerentium suavem et convenientem temporibus sermonem. Decet aliquid dicere suave, sumptum vel ex eruditione, vel ex commemoratione praesentium negotiorum. Deinde addit Socrates: *Hoc tu facis, quia tacendo nobis omnibus es molestus: σὺ δὲ λυπεῖς τοὺς συμπότας σιγῶν.* Est autem et illud eleganter dictum a Plutarcho Non debent esse vociferationes promiscuae, quales sunt rusticorum compotationes; aliqui sint vocales, aliqui sint consonantes: id est, aliqui sint, qui praecipue loquantur; aliqui audiant, et tamen ipsi quoque aliquid proferant; non sint muti plane, illa sunt dulcia. Quid est vita sine conversationis mutuae consideratione? si vultis esse homines, vivite ut homines. Irenaeus ait, Polycarpum solitum recitare verba Iohannis, qui dixerit, quanta fuerit suavitas in sermone Christi cum hominibus, ut hoc Evangelium est plenum suavitatis, et tamen mixta est gravitas obiurgationis. Sic igitur dico: Paulus ait, *Sermo Christi habitet in vobis:* id est, sit vobis familiarissime notus, ut cohabitator, non ignotus, non peregrinus, torvo vel tragico aspectu aliquem intuens. Ego studeo esse comis, non delector illa immanitate: scio saepe accidisse, quod res magnae sint discussae per huiusmodi comitatem: ubi autem habitat sermo Christi in corde, ibi habitat Deus ipse. Quando serio cogitatur verbum Dei, non est dubium, quin ibi habitet Deus, ut dicit, *Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.* Id videtis hoc loco, adest Christus, cum illi colloquuntur de doctrina. Sed addit: *opulenter, πλουσίως.* Ergo debetis saepe legere, cogitare: et quidem in omni sapientia, non ad cavillandum, ludendum, dilacerandum, ut haeretici et impii legunt sacros libros ad cavillandum. Politianus Canonicus Florentinus interrogatus, an etiam legeret Biblia? respondit: *Semel perlegi illum librum, et nunquam collocari peius ullum tempus.* Nos, qui volumus esse Christiani, non cogitemus ut Politianus, sed amemus historiam et lectionem Biblicam, non ita iocose agamus. Debetis autem recte intelligere doctrinam; id Paulus vocat: *in omni sapientia:* non ut Anabaptistae legunt ad corrumpendum. Videamus, ubi de lege, ubi de peccato, ubi de Evangelio agatur, sicut Epiphanius ait, in *θεωρίᾳ* opus est et sensu. Praeterea et hoc addit Paulus: *Docete vos, et docendo emendate* (νουθετεῖτε) *emendate erroneas opiniones mutuo.* Eo ipso autem postulat velle audire. Alioqui fit hoc, quod dicitur, *Fundit acetum super nitrum, qui canit carmen malo cordi.* Nitrum quid est? *Salpeter*, unde conficitur pulvis tormentarius. Est sal, et habet vim maximam dissipandi; et quando contraria res, ut acetum, infunditur, tunc res illa calida intenditur et dissipatur. Sic hypocrita odio concipit falsam opinionem, et defendit eam. Si illi dicas, tu erras, rectius faceres, si considerares fontes illius doctrinae, tum redditur insanus. Ergo ad correctionem et emendationem opus est auditu, et docili mente. Ubi non est auditus, ibi non est sermo. Illa considerate, ut eo sitis diligentiores in lectione, cogitatione, et collatione doctrinae.

O stulti et tardi corde!] Christus obiurgat discipulos satis duriter, obiicit eis stultitiam et tarditatem in credendo. Utrumque reprehendit, et quod non didicerint Scripturas, et deinde, quod non credant. Vos neque didicistis Scripturas, inquit, neque credidistis; primum arguit, postea etiam docet. Cum praeceptor tantum virgis caedit, non docet, non satisfacit suo muneri. Etsi autem dura est haec obiurgatio, tamen proficiscitur ex amico corde. *Vulnera amici sunt dulciora, quam oscula inimici,* dicitur apud Salomonem: Est amici obiurgare alterum. Deinde in Ecclesia oportet primum argui peccatum, ut dicitur: *Spiritus sanctus arguet mundum de peccato.* Praedicatio poenitentiae antecedit consolationem, ita statim in paradiso inquit Dominus ad Adamum lapsum: *Ah quid fecisti?* Est in nobis singulis opinio antecepta de controversiis religionis, quam oportet taxari, ut locum habeat apud nos veritas. Omnes volunt habere Christum, sed talem, qualem sibi quisque somniat. Ita Iudaei volebant habere Christum locupletem, et expetebant voluptates suas: sed quia talem non inveniunt, refugiunt. Veritas est talis, ut sit grata iis, qui non volunt taxari suas phantasias. In initio harum disputationum cum doctrina magis expeteretur, et serperet latius disputatio, dixit Monachus quidam in Belgio: Vos estis cupidi novae doctrinae. Ego dicam vobis pro prima concione. Convenit magna multitudo praeter morem: sed ille nihil aliud quam antea dixit. Tandem subiicit: Pene eram oblitus, quod promiseram: Dicam igitur vobis veritatem. Veritas est similis aquae lustrali: Omnes accederetis ad aquam lustralem, sed quando aliquis conspergitur, tum refugiant et aversantur. Discamus agnoscere nostram imbecillitatem, et simus dociles: Quia, qui pertinaciter retinent errores, non sunt infirmi, sed pervicaces hypocritae: *Es sol ihm einer sagen lassen, und horen.* Multum in singulis adhuc haeret sordium. Deus habet patientiam, si tantum simus dociles. Infirmi possunt esse membra Ecclesiae, sed sint dociles. Discipuli illi non fuerunt blasphemi, sed in consternatione fuerunt: fuit aliqua scintilla fidei; non defecerunt a Christo ad impios: fuerunt infirmi, sed dociles. Tales infirmos dociles Deus sanat: *Calamum quassatum non franget, et linum fumigans non extinguet:* q. d. propheta:

Christus vult sanare contritiones nostras. Linum nominat lychnum, adhuc aliquid habentem lucis, qui nondum extinctus est; *das man anblasen kan.* Talem lychnum fumigantem non vult delere, sed vult eum accendere: vult ζωπυρεῖν rursus flammam istius lychni. Cogitate vos quoque esse infirmos, et petite, ut Deus vos exuscitet, iuvet, sanet, et accendat flammam suae lucis. Cogitate Ecclesiam esse infirmam, sed docilem, non rabiosam, non manifeste contradicentem veritati, ut multi faciunt, qui tamen gloriantur se esse Ecclesiam. Deus reprimat furentes et sanet errantes.

Oportebat Christum pati et resurgere.] Non moveamus fatuas quaestiones. *Oportebat*: quia Deus sua voluntate liberrima sic decreverat, et ordinaverat immensa bonitate et misericordia et inenarrabili sapientia, quam discemus in tota aeternitate. Omittamus Stoicas disputationes.

Quid significat Verbum προςποιεῖν et προςποιεῖςθαι?

Respondeo. Non potest inveniri Latinum vocabulum satis conveniens: Apud Lucianum inquit Momus ad Iovem: *Οὐδεν πάσχεις κακὸν, ἂν μὴ προςποιῇ. N hil pateris mali, wenn du dich dessen nicht annimbst*; ut, si quis multa convicia in te iacit, et tu ea nihili facis, et vis perferre, et cogitas: Fortasse ipse se emendabit, tunc in ipsum redibunt: Si iam velles pugnare, plus mali accerseres, et tibi et illi: *Nihil paticris mali, si non afficiare*: vel, *si non prae te feras.* Hoc verbum, prae se ferre, *ist am nechsten dem* προςποιεῖν: et sic quoque potest in hoc textu reddi: *prae se tulit, er stelt sich also.* προςποιεῖτο, id est, talem gestum sumebat. Neque verbum simulandi, neque fingendi exprimit naturam verbi Graeci.

Dion de M. Antonino Philosopho Imperatore usus est eodem verbo: quod dictum mementote, quia est maxima laus uniuscuiusque viri boni, et maxime principis: *Ὅμοιος ἦν ἑαυτῷ διὰ παντὲς, ἦν δε ἀγαθὸς, καὶ οὐδεν ἦν εν αὐτῷ προςποιητόν*, id est, *Nihil erat in eo arte accersitum, fictum, simulatum; erat nativa bonitas, non hypocrisis.* Seneca ait: *Difficile est unum hominem agere.* Sicut videtis, hodie multi sunt Lutherani, cras Papistae, paulo post Osiandrici; postea Anabaptistae. Est igitur pulchra laus Antonini; quam sapientes possunt intelligere. Saepe dixi: Oportet adolescentem esse instructum copioso thesauro exemplorum bonorum et sententiarum.

Estne simulatio res pulchra?

Respondeo. Ironia et simulatio insidiosa pugnat cum veritate, et opponitur ingenuitati, quae perspicue, manifeste et explicate aliquid dicit. Euripides inquit: *τὸ ἐσθλὸν σαφές: Bona natura est aperta et ingenua.* Occultatores nunquam integra oratione utuntur. Germani tales vocant *dockmeuser*: quia omnia audiunt, et observant; cum aliis assident, et nihil ipsi dicunt. *Dockmeuser* significat dolose mussitare, *βαυκοπανουργεῖν.* Valde ingratum est, esse apud occultatores eiusmodi animi, voluntatis, benevolentiae. *Man weis nicht, wie man dran ist, wenn man bey solchen leuten sitzt, ob man feindt oder freunt sey.*

Multo etiam insuavius est, quando efferuntur per tales illa, quae dicta sunt inter amicos. Nam in convivio multa dicuntur hilariter, quae non sunt efferenda omnia: *Μισῶ μνήμονα συμπότην: Odi memorem compotorem.*

In magnis negotiis ironiae insidiosae non tantum vitiosae sunt, sed etiam perniciosae; ut nunc fit in controversiis dogmatum, ubi multi moliuntur turbationes, consusurrant, faciunt practicas, fabricant pericula aliis, et tamen insidiose dissimulant, quid rerum moliantur.

In aulis etiam plurima exempla se offerunt insidiosarum occultationum: Quando tyranni maxime abblandiuntur, tunc plurimum ab eis est periculi: Imo ars quaedam aulica habetur, bona dicere, et mala struere in mente.

Tales simulationes execrantur ingenuae naturae. Est autem aliud prorsus genus simulationum vel dissimulationum, quae sunt figurae, quibus aliquando magis perducimur ad rem, et veritatem ipsam; et sunt alicuius boni gestus assumptio, vel mitigatio alicuius acerbitatis. Non fiunt nocendi causa; sed propter utilitatem aliquam insignem. Sumite exemplum a medicationibus, in quibus saepe medicus fallit aegrotum, ut sumat potionem, a qua alioqui abhorrere videbatur.

Dicam vobis commune remedium contra pleuritidem, quo curavimus multos. Quando aliquis sentit principia pleuritidos, *das stechen in der seiten*, sumatur stercus equinum, et exprimatur succus: ad fallendum autem aegrotum, infundatur aliquid de aqua Endiviae, (Endivia est ab Intybo) item addatur aliquid saccari: Quia, quamquam avena et foenum non sunt res malae: tamen homines agrestes et delicati potionem ex succo stercoris equini non biberent libenter: et est tamen bonum, et praesens remedium.

Sic Chirurgi aliquando officiose simulant et abblandiuntur pueris, cum luxata reponunt. In bellis nominantur Stratagemata, *reuterstucklein*: quando capitaneus ad decipiendum adversarium

ostendit aliam speciem exercitus, aliam occultat. Hannibal mittit in silvas boves cum facibus, et interea ipse aufugit ex manibus Fabii. Inter amantes nihil usitatius est quam ostendere gestum talem, ac si velint discedere, cum tamen hoc non agant, sed illa ipsa simulatione accendant desiderium mutuum. Haec non sunt mendacia, sed figurae utilitatis causa usurpatae.

Mendacium est contraria veritati dicere, facere, aut ostendere, quoquo modo, ex vanitate, vel nocendi studio: ut Thraso in Comoediae ait: *Fudi uno die duas legiones, alteram in Sicilia, alteram, in Macedonia.* Haec est vanitas, non congruens bonae naturae, etiam si non noceat.

Mane nobiscum Domine, quia advesperascit.] Est omnino aliquid significatum de fine mundi in hoc dicto: Finis mundi erit perturbatior quam aliae aetates. Quia natura paulatim fit languidior, ideo confusiones fiunt maiores. Diabolus etiam fit rabiosior. Ideo debemus esse vigilantiores et ardentiores in precando. Sic precatur ipse Christus in cruce, et David in Psalmo: *Domine, ne deficiat virtus mea in senecta.* Quo deformior, languidior, et squalidior est Ecclesia, nunc sub finem mundi, eo magis clamemus cum discipulis: *Ah Domine, mane nobiscum.*

Vespera iam venit, nobiscum Christe maneto;
Extingui lucem nec patiare tuam.

Debemus orare Filium Dei, ut miserrimas confusiones Ecclesiae sanet: quia nullum est humanum consilium: *Der iammer ist zu gros, nun Gott helff uns.* Non potest magnitudo doloris etiam in mediocribus hominibus satis dici, quem adfert illa tristissima forma Ecclesiae.

Quid differunt vesper, vespera, et Hesperus?

Unde venit vesper? ab ἕσπερος *v* et *h* aspiratio, saepe permutantur, ut Heneti, Veneti. Unde venit ἕσπερος? Ab ἐς et πέρας, quasi ad finem, seu metam: Lucifer est ἑωςφόρος, lucem ferens. Unde est ἕως? Est simpliciter Hebraeum *osch*, et significat auroram, vel stellas matutinas. Sicut literae sunt tres apud Graecos: sic sunt tres apud Hebraeos: Vocatur etiam φωςφόρος, stella adferens lucem. In Aristotele est οὐδὲ ἕως, οὐδὲ ἕσπερος, οὕτω καλὸς ἐστι: id est, *eque Lucifer, neque Hesperus tam formosus est ut iustitia.* Stella Veneris est valde conspicua.

Ab ἕσπερος dicta est ἑσπέρα, et Latini veteres retinuerunt *vespera* genere foeminino, postea dixerunt *vesper* in genere masculino. *Nescis, quid serus vesper vehat.* Est dictum Varronis. Quid significat? Est commonefactio de mutabilitate fortunae et subitis mutationibus rerum humanarum.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo;
Et subito casu quae valuere, ruunt.

Una dies, vel unum momentum potest hominem opprimere. Quoties hic vidistis interfici adolescentes vesperi, cum toto die fuissent hilares, et nihil tale metuissent vel cogitassent? Dictum Varronis proverbialiter usurpatum est; quamquam sine dubio ante Varronem in usu fuit.

Aliqui putant esse idem nomen, seu ab eadem origine esse ἕςπερος et ἑωςφόρος: Quia ἕσπερος deducunt ab ἑωςφόρος. Sed ἑωςφόρος mane dicitur, et ἕσπερος vesperi: una tamen et eadem est stella.

Quae sunt vices Stellae Veneris?

Semper per unum semestre, etsi non integrum, praecedit solem, per alterum semestre sequitur solem. Aliquo tempore latet: iam sequitur solem, ut fere tota aestate sequetur. Hieme autem magna parte antecedet solem. Est eadem stella, sed non eodem tempore mane, et vesperi conspicitur. Quod nos dicimus ἑωςφόρος, in Iob dicitur *osch.*

Multae similitudines sumuntur ab hac stella. Ideo considerate Grammaticam, et simul cogitate, quam sit mirabile et pulchrum opus Dei, quod ordinavit vices dierum et noctium; et quam grata, quam dulcis sit quies corporibus humanis. Cogitate hoc etiam, nos similes esse ambulantibus, sive iter facientibus noctu. Tales cum vident matutinum ruborem aurorae, laetantur. Postea cum sol prodiit, multo magis laetantur. Mihi nihil est tam taediosum, quam noctu iter facere; ideo valde laetor, cum video auroram ostendentem lucem. Ita nunc sumus in caligine, et bonae mentes ambulant tamquam accedentes ad auroram. Videmus aliquam particulam lucis. Sed expectamus veram lucem, et multo magis laetabimur videntes solem exortum, id est, Filium Dei in tota aeternitate. De magnis rebus interdum hic loquimur, de aeternitate, de providentia, et mirabilibus consiliis Dei, de fabricatione hominis. Sed quid loquimur? Verba utcunque sonamus, quasi homo in nocte iter faciens.

Christus rogatus manet cum discipulis.] Pulchrum ἦθος est, quod Evangelista narrat de Christo: quod cum prius prae se tulisset abitum, ut accenderet eorum animos, et ipsi iam peterent ab eo, ut diutius secum maneret; non gravatim eis sit gratificatus. Manet enim cum eis, ingreditur una diversorium, assidet cum eis ad mensam. Est officiosus, et cum suavitate quadam fit socius eiusdem convivii.

Nostri homines non nisi gravatim obtemperant petentibus. Quanda rogantur, ut maneant, reluctantur, *werffen einander beynahe umb, und machen grobe* soloecismos *und* barbarismos, et tamen putant has esse elegantias. Scitis historiam: Cum legatus Romanus fuit iturus in Germaniam, dixit ad quendam Germanum: Ego iam debeo proficisci in Germaniam, audio vestros habere multas ceremonias in assidendo et discedendo: quaeso te, doceas me aliquid, ne videar rusticus. Germanus dixit: Dabo tibi unam regulam: Quicquid dixerint, tu ne facito. Sed profecto est maxima insulsitas.

Contrarium exemplum vobis dicam: Cum essemus in conventu Augustano, dux Bavariae Wilhelmus invitaverat quendam: Marschallus voluit eum collocare ad mensam, ille renuit aliquoties. Monuit eum Marschallus: ille non obtemperavit. Ibi Marschallus dat ei baculum, et dixit: *Sis ergo tu meo loco Marschallus*: quasi dicat, qualis asinus es, quod non vis obtemperare mihi, cum hoc sit mearum partium? Fuit facetissimum, quod eum hoc gestu monuit. Christus non est ita insulsus, sed est suavis ac comis in doctrina et gestibus; ivit cum eis, et haud dubie in colloquio fuit dulcissimus.

Quomodo est intelligendum, quod Paulus dicit de praemiis docentium: *Hoc ordinavit Dominus, ut, qui Evangelium docent, etiam de Evangelio vivant*?

Videtur esse duriter dictum: sed voluit ita loqui consulto. Non vult quidem Evangelium esse docendum quaestus et culinae causa, sed vult tamen dari mercedem docentibus. Debetis reverentiam recte docentibus, ut alibi Paulus inquit: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur*; id est, reverentia, vel obedientia, et mercede.

Nonne ardebat cor nostrum?] Hic est effectus verbi, de quo et Paulus inquit, *Evangelium est potentia Dei ad salutem*, etc. *Fides ex auditu*, etc. Quando audimus verbum Dei, simul est efficax Filius Dei; illustrat mentem, auget intelligentiam, ac simul vivificat: flectit, movet, afflat cor Spiritu sancto: illa sic fiunt: Ideo amemus lectionem, et legamus ad doctrinam et consolationem, non ad cavillationem. Non simus ita prophani, ut aspernemur praedicationem verbi in concionibus publicis. Saepe unum verbum penetrat cor tuum, ut sentias motum Spiritus sancti. Quam saepe unum dictum movet animum, quod prius cogitatum non movit!

Contradicit Stenckfeldius:

Unus est mediator:

Ergo non est opus medio, quo Deus nobiscum agat.

Eiusmodi monstrosa non venirent homini sano in mentem.

Respondeo. Aliud est loqui de persona Mediatoris, aliud de verbo, quo fit applicatio beneficiorum Mediatoris fide, ut inquit Esaia 53.: *Notitia servi mei iusti iustificabit multos.*

Sed citat Stenckfeldius et Cyrillum:

Deus dat se immediate sine creatura:

Ergo non cum verbo, quod est exercitium externi hominis.

Antecedens hoc sensu est verum. Non dat se per magias, seu res inventas ab hominibus.

Explicatio dicti:

Amicorum sunt communia omnia:

Ergo licet facultatibus amicorum frui pro nostra libidine.

Respondeo ad Maiorem. *Omnia*: scilicet communicabilia, iuxta legem Dei. Deinde communia sunt illa, scilicet non obligatione civili, sed obligatione naturali, vel voluntaria communicatione. Non debeo dare amico omnes meas res, aut coniugem. Et in communicatione mutua earum rerum, quae possunt communicari, manet distinctio rerum, quae sancita est in praecepto: *Non furtum facies.*

FERIA III. PASCHATIS.

Enarratio Psalmi 16.

Conserva me Domine, quoniam, etc.

Heri audivistis Dominum recitare testimonia de passione Messiae et resurrectione, quod ibi dicitur: *Incipiens a Moise et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant.* Est magna quaestio hodie, quando cum Iudaeis disserimus, an Scriptura dicat Messiam passurum et interficiendum esse? Illa testimonia de passione Messiae mirabiliter corrumpunt Iudaei. Fingunt duos Messias: alterum, qui patiatur, alterum, qui regnet; Multa Sophistice corrumpunt et depravant, quae nolo recitare.

Deus ipse testimonia dedit Evangelio, quod iste sit Messias, qui natus est ex Maria: Dedit testimonia ipsi Deus, quando resuscitarit mortuos et ipsum resurrexisse postea tota Ecclesia testa-

tur. Paulus dicit, *quod sit visus semel a 500 fratribus.* His testimoniis nos confirmemus, et omittamus alias inanes quaestiones et disputationes, et oremus Deum, ut ipse in nobis assensionem et fidem confirmet: Quia verum est, quod fides non est tantum humana assensio, sed oportet corda confirmari divinitus, et oportet hoc fieri isto modo: audiendo, legendo, meditando verbum. Nos etiam debemus flectere nostras mentes ad assensionem: Non oportet nos immorari furenter et pertinaciter Epicureis opinionibus et aliis praestigiis, quibus veritas labefactari aut opprimi possit, sicut ista certamina sunt multiplicia in mundo.

Quae sunt testimonia in Moise de Passione et Resurrectione Messiae?

In prima concione habetis manifestam prophetiam de passione: *Serpens mordebit calcaneum eius.* Quamquam ista tecte dicta sunt principio, et breviter, tamen postea magis explicata et intellecta sunt

Cum Abel interfectus est, didicit Adam Messiam passurum esse, Ecclesiam non fore in deliciis; didicit istam vocem Dei, et vidit insigne exemplum illius: *Ponam inimicitiam inter te, et semen mulieris.* Postea omnes afflictiones Sanctorum et victimae in Moise, sunt testimonia passionis: econtra, testimonium Resurrectionis est in ipsa promissione: *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Postea rursus: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quin etiam tota lex est testimonium Resurrectionis Christi: Quia oportet legem Dei fieri in natura humana: sed ista praesens natura non est iusta lege, non implet legem.

Clament alii, quantum volunt, tamen verum est, nos non esse iustos lege. Oportet autem naturam humanam esse talem, id est, congruentem cum iustitia legis. Non dico iam novitatem esse iustitiam legis, qualis erit in futura vita. Loquor de inchoata obedientia legis, de qua dicitur: *Dabo legem meam in corda eorum.* Sed quia haec nondum est illa perfecta obedientia legi debita, ipsa lex est testimonium, quod haec natura humana sit renovanda: Renovatur autem per illud semen, de quo dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Illud semen abolebit peccatum et mortem: igitur illud semen oportet reviviscere ex morte. Haec sunt in Moise.

Postea sunt testimonia illustria in prophetis, ut in Osea [cap. 13.]: *O mors, ero mors tua, et pestis tua, o inferne* Est valde pulchrum testimonium, breve quidem, sed tamen comprehendens res magnas. Dicit Messiam tollere mortem, et liberare ex inferno. In Zacharia cap. 9.: *Educes vinctos tuos e lacu, in quo non est aqua.* Insignis est emphasis in voce, *tuos*: Messias educit vinctos, non omnes; non educit diabolos, non alios destinatos ad mortem et damnationem, blasphemos; sed educit *vinctos suos*, id est, electos; qui quamquam sunt electi, tamen fuerunt oppressi morte et peccato: erant iam vincti, sed vincti Dei erant. *De lacu, in quo non est aqua, educet*, id est, ex inferis. Est descriptio inferorum.

Inter caetera testimonia ipsi Apostoli hunc Psalmum recitant, nec volumus disputare iam, an David loquatur de passione Christi, vel de persona sua: sequamur Apostolos. Etsi quaedam congruunt etiam ad Davidem, tamen Apostoli interpretantur de Christo, de quo et nos interpretabimur: Quia continet quaedam singularia, quae non ad alium accommodari possunt, aut certe primum; ac principaliter non possunt accommodari ad alium: sed per, ac propter Messiam ipsi etiam Davidi contigit liberatio.

Est autem Psalmi istius Titulus: *Monile Davidis*, id est, ornamentum, torques, cingulum, amuletum: Quia voluit esse vaticinium ornatum insigni titulo, sicut vocamus *Idyllia, imagunculas.* Interdum ponit in titulis rosam, vel tale aliquid. In primis vetustas suis carminibus tribuit tales appellationes singulares, et hic titulus significat eminentiam prae caeteris Psalmis.

Quamquam est vaticinium, tamen est transformata prophetia in precationem, et gratiarum actionem. Totus Psalmus est primum precatio, ut, liberetur, ut sustentetur in illa afflictione, in passione. Mox accedit causa, quare patiatur iste precans: postea est gratiarum actio de liberatione, et expositio modi liberationis. Ita distribuite simplicissime, tunc videbitis recte cohaerere: Amate in omnibus partibus studiorum simplicitatem. Non quaerite quomodo possitis conturbare simplices sententias, quod est facile; sed quaerite simplicem sententiam, et in ea acquiescite. Loquamur in Ecclesia reverenter, sequamur Apostolos, non sinamus labefactari cavillationibus, quod facile fieri potest.

Principium est precatio; ipse Deum precatur: *Serva me Domine, quia sperari in te.* Est autem repetitio: *Dixi Domino: Deus meus es tu.*

Postea sequitur haec particula: *Non est mihi bene apud te*, vel, *non est mihi bene propter te.* De hac particula disputant: ego nihil disputo: si quis habet venustiorem interpretationem, quam istam, retineat eam. Ego sic expono: Ego affligor, sum percussus a te, et sum percussus propter te: Ego Deo praesto hanc obedientiam. Congruit cum illo:

In principio libri scriptum est, ut faciam voluntatem tuam: id est, totus liber, tota revelatio tradita divinitus, per omnes prophetas de me loquitur: affirmat Messiam hunc mitti, ut faciat voluntatem aeterni Patris. Ad ista respicit: verum vero consonat. Est invocatio ad verum Deum, quem ipse praedicat: Tu es Deus meus, scilicet, quem praedicavi, qui dedisti testimonium meo Evangelio, te invoco, a te peto, ut me sustentes. Hoc est principium precationis.

Postea sequitur causa finalis: *Sanctis qui sunt in terra et mirabilibus*, vel, *eximiis*: *Omnis voluntas mea in eis*: id est, pro sanctis ego patior, et eis delector, hos amo, hos volo. Facit ibi distinctionem verae Ecclesiae et omnium aliarum impiarum congregationum. Non est, quod ad Iudaeos tantum referantur quae sequuntur: *Multa sunt idola eorum:* vel, *Multiplicantur dolores illorum, qui accelerant ad alios.* Hoc vult dicere in summa: Ego patior pro sanctis: hoc est, mea passio proderit electae Ecclesia, et hos volo; pro istis precor, sicut Iohan. 17. *Precor pro istis; et non pro istis tantum, sed pro omnibus credituris per verbum eorum in nomen meum.* Plane sunt hic verba eadem de applicatione passionis Christi. *Pro his*, inquit, *ego patior*, hos tibi commendo. Haec est applicatio passionis. Haec est precatio pro nobis omnibus. Ideo diligenter est consideranda. Dominus noster Iesus Christus precatur in his verbis pro nobis, et commendat nos aeterno patri, et haec est precatio, et vox Filii inde usque a principio, a lapsu Adae usque ad resurrectionem mortuorum: *Voluntas mea in eis*, etc. Hos volo, pro his precor, hos tibi commendo. Ita retinete simplicissimam sententiam, quae est vere nativa. Non fingamus Protea, non transformemus unum versum in infinitas sententias, vel potius corruptelas.

Iam discernit hanc veram Ecclesiam ab altera congregatione impiorum; *Multa idola eorum*, vel, *multi dolores sunt eorum, qui post alium currunt.* Multae sunt aliae impiae congregationes, sicut videtis, quantae fuerint confusiones in idololatriis gentium; alii Venerem, alii Priapum, alii Bacchum adoraverunt; fecerunt numina multiplicia, horrendis furoribus. Postea videte Philosophos: alii dixerunt nihil esse Deum, sicut Democritus, Diagoras. Melius alii dixerunt, aliquid esse Deum, sed non curare res humanas, ut Epicurei: alii alligarunt Deum causis secundis: alii sapientes dixerunt esse dubitandum. Ita Philosophia, quae est sapientia quaedam, non est omnino stulta: quaerit rationes aliquas: tamen est plena caliginis et errorum de Deo.

Sic universaliter in cultibus, in toto genere humano tales furores vagantur. Semper manent idololatrici cultus, etiamsi alias vocantur aliter: quia nihil interest inter cultum Bacchi et Sanctorum invocationem. Praeterea in mente humana semper manent dubitationes Academicae. Multi sunt, qui habent phantasias Stoicas, postea maxiam multitudo est Epicureorum, et Cyclopum.

De istis omnibus dicit, quicunque perseverant in istis furoribus: *Multa idola eorum, qui post alium Deum currunt.* Ego te Deum invoco, qui te patefecisti in Evangelio, qui praebuisti mihi testimonia. Sed multa sunt idola, vel dolores, vel furores aliarum congregationum; quales sunt furores Mahometici, Ethnici, idololatrici, etiam in ea parte, quae vocatur Ecclesia, sicut Papa se nominat Ecclesiam, et qui addicti sunt ei. Omnes isti, quomodocunque se nominent, currunt non ad istum Deum, qui se patefecit, et sicut se patefecit. Non currunt post meam vocem, sed properant et confugiunt ad aliud numen, quaerunt aliam consolationem, alia praesidia.

Ut igitur antea precatus est pro Ecclesia, sic iam maledicit blasphemis. Et est valde tristis maledictio, sicut superior precatio est valde dulcis: *Omnis voluntas mea in eis*: id est, illi sunt deliciae meae, *ich hab dran lust und frewde.* Hic econtra dicit: *Non libabo libamina eorum de sanguine: et non sumam nomina eorum super labia mea.* Tristis vox est, pro ipsis non peto, neque recipio eorum sacrificia. Quamquam habent magnos et splendidos cultus, aliqui etiam dura exercitia; tamen, inquit, non curo istas ineptias. Multi praestantes viri sunt inter Mahometistas, qui habent suos cultus, nec tamen propterea placent Deo. Sic de caeteris.

Non dico iam de ostentatione tantum, sicut Romae unus ex imperatoribus, (quamquam credo saepe factum esse) sacrificavit centum leones, centum aquilas, et centum boves; fuit ἑκατόμβη, sed triplicata: fuit stulta pompa, non pietas: Etiam Plato inquit: *Deus vult coli vero honore, non σχήμασι*: id est, veris sententiis, postea veris affectibus, non externo tantum gestu. Et lex Zaleuci ait, *Deum esse colendum iustitia et veritate, non tragoediis et spectaculis.* Quando Pontifex nunc celebrat Missam, sunt magna spectacula, magna species offunditur hominum oculis.

Haec omnia comprehendit, quando dicit: *Non libabo libamina eorum*: id est, non recipiam eorum sacrificia. *Libare* est, quando funditur poculum sive vini, sive sanguinis, sive aquae in victimam, vel quamcunque rem, quae offerebatur.

Hinc redit ad suam Ecclesiam, et asseverat, servandam esse Ecclesiam, et servari propter ipsum. *Dominus pars sortis, sive haereditatis meae, et calicis mei.* Discatis vos adolescentuli, appellationem calicis pro demenso, vel pro attributa certa parte sumi; ut *Potestisne calicem meum bibere?* id

est, attributam partem, demensum, *Mein sonderliches bescheiden teil*: Usurpatur in bonam et malam partem; saepius in malam: hic in bonam sumitur. *Dominus pars sortis et calicis mei*: id est, illa pars, quae mihi est attributa, est curae Domino: sic enim declarat se postea: *Tu Deus sustentas sortem meam*: id est, tu sustentas Ecclesiam. Hic sors etiam significat illam assignatam partem: Est enim Metalepsis, et significatur id, quod sorte obvenit. Sic alibi dicitur: *Omnes quos dedisti mihi, servavi in tuo nomine: Non perdidi ex eis quemquam*: sunt eadem cum verbis Psalmi.

Talia testimonia meminerimus, quae manifeste dicunt, Ecclesiam servari in omni aeternitate. Quo pertinet etiam, quod ait: *Mea passio non est irrita, sed fit propter Ecclesiam, et propter salutem Ecclesiae.*

Funes ceciderunt mihi in praeclaris.] Funes nominat sortes, quia funiculis fiebant agrorum dimensiones seu distributiones. *Funes ceciderunt mihi in praeclaris*: id est, mea pars est praeclara: ita enim se mox declarat. Valde usitatum est in Psalmis, primum ponere Metaphoram aliquam, postea illam ipsam Metaphoram propriis verbis interpretari, ut Psalm. 68. *Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuae.* Est Metaphora, sequitur: *dabis verbum Evangelizantium.* Animadverti hoc potest in plurimis Psalmis, quamquam in Prophetis etiam est usitatum, recitari aliquid figurate primum, et postea idem repeti propriis verbis: ut, *Sonuerunt et turbatae sunt aquae; conturbati sunt montes in fortitudine eius:* Hoc est grande, et figuratum: sequitur postea: *conturbatae sunt gentes, inclinata sunt regna*, etc. Quae dicta sunt primum figurate, dicuntur etiam proprie: Scitis enim orationem debere constare maxima ex parte proprio sermone.

Est magna elegantia in Psalmis dextre iudicanti. Non sunt barbaricae confusiones, ut homines male sentientes de doctrina pronuntiant. Sunt sententiae optime ordinatae, et ornatae summo nitore et elegantia. Sic igitur in hoc Psalmo figurate dicitur: *Funes*, id est, meae sortes, *mea pars est opulenta.* Mox sequitur: *Haereditas, praeclara est mihi:* id est, Ego habeo egregiam haereditatem, habeo certam Ecclesiam in genere humano tamquam florem generis humani, excerpam ex genere humano aliquam partem. Cogitemus, quantum bonum sit esse vocatum ad societatem Ecclesiae. Magna res est et inenarrabilis. Atque haec est prima pars Psalmi, Precatio cum recitatione causae, cur patiatur, et pro quibus precetur. Sequitur secunda pars, quae est gratiarum actio, cum expositione modi liberationis.

Agit gratias, quod liberatus sit, sicut in Psalmis saepe ita miscentur precationes et gratiarum actiones; quia Psalmi facti sunt post liberationem, seu post exhibitionem liberationis. *Benedicam Domino, qui consuluit mihi*: vel, *qui fuit mihi consiliarius*: id est, agam gratias Domino, laudabo eum, asseverabo, quod sim servatus potentia divina.

Gratias agere est fateri mente et ore, quod beneficium aliunde acceperis, et illi tribuere honorem, quod sit illius munus: non sibi arrogare, quod est alienum. Iustitia est suum cuique tribuere: Gratitudo est quaedam iustitia: Ergo tribuit beneficium illi unde accipit: Et intellectum gratitudinis et ingratitudinis indidit generi humano Deus; quia vult conspici istam iustitiam et exerceri.

Gratitudo est species iustitiae, tribuens acceptum beneficium illi, a quo est profectum, et simul obligans se vicissim ad officia aliqua. Filii debent agnoscere, se habere vitam beneficio Dei, et postea magnis laboribus et magnis miseriis parentum. Quis est, qui possit cogitare tantum; quantus sit labor matris; in primis tribus iam annis, et non solum quanti labores, sed quanti affectus cordis et solicitudines in istis laboribus. Contemnere autem illos labores, et affectus, quanta est immanitas, quam tetra res! Sic igitur dico: Deus indidit hominibus intellectum et sensum gratitudinis et ingratitudinis. Omnes offendimur ingratitudine, et omnes sumus ingrati: tamen considerate ordinem divinum, Deus vult agnosci, unde sit profectum beneficium.

In omni gratitudine comprehensae sunt duae virtutes, veritas et iustitia; veritas fatetur beneficium alterius esse, iustitia obligat, ut vicissim aliquid reddas. Ita debebat fieri. Sic igitur inquit Psalmus: *Benedicam Domino:* id est, laudabo eum: dicam beneficium esse ipsius, dicam me ab ipso divina potentia esse sustentatum. Messias ille, nisi esset Deus, non potuisset perferre istam passionem, quia nulla creatura creata, potest sustinere iram Dei.

Qui consuluit mihi: vel, *qui mihi fuit consiliarius*, qui rexit meam mentem consilio, et confirmavit me; sicut saepe auditis, Verba notitiae comprehendunt affectus. Consultor confirmat, erigit, iuvat. Vult dicere: Ipse retinuit in me fiduciam et agnitionem Dei, et in hac mihi dedit robur, ut non deficerem a Deo, non irascerer Deo. Loquamur de nostris tentationibus, quae sunt minores. Sumamus Davidem. David pellitur ex regno, sauciata est conscientia eius horribiliter peccato. Interfecerat virum optimum, rapuerat eius coniugem, praebuerat occasionem tot scandalis: item seditioni, quam multa magna mala secuta erant, constupratae fuerunt eius coniuges, nihil potest dici tam tragicum, quod non acciderit tunc. In illis magnis calamitatibus tamen Deus consulit ei, id est, ipse habet consolationem, retinet fidem, cor eius non deficit a Deo: Deus confirmat eum, ut retineat fi-

dem, non abiiciat eam, corroborat cor eius, ut non irascatur Deo, non fiat blasphemus contra Deum, sicut Saul, qui non habet consilium et corroborationem.

Discamus nos quoque petere hoc consilium, et corroborationem in nostris aerumnis. Psalm. 3. dicitur: *Multi dicunt animae meae, non est ei salus in Deo.* Quam tristis querela est ista! et tamen inquit: *non deficiam.* Vel, sicut Hiob inquit: *Etiamsi me occiderit Dominus, tamen sperabo in eo.* Hoc ergo est consilium, de quo hic dicitur.

Etiam nocte increpuerunt me renes mei. Saepe usurpatur haec figura loquendi: *probasti renes meos,* et hoc loco, *Renes mei punguntur.* Non intelligite tantum illas duas carnes, quas vocamus *renes*, sed intelligite omnia interiora: sed ideo nominat renes, vel lumbos, quando hic dicit de doloribus suis: quia ibi sentiuntur dolores, qui propterea vocantur *hypochondrii.* Sunt magni dolores, quibus laceratur illa tota regio hypochondriorum.

Quando cor est affectum molestia, tunc naturali ordine cietur atra bilis in splene, et effunditur. Inde turbantur actiones naturales in vicinis partibus; quod omnes norunt, qui aliquando senserunt moestitiam paulo maiorem. Aliqui mirantur, unde sint illi dolores in sinistra sede hypochondrii: sed si est magna moestitia, circumfunditur humor in vicinas partes: meatus obstruitur, qui est ad epar, vel ab epate ad splenem, impeditur egestio, item coctio epatis, et tandem homo extinguitur.

Illos magnos dolores hic intelligit, et simul complectitur interiora omnia, id est, cor, et omnia quae moventur motu cordis: sicut hypochondrium movetur, in qua parte sentimus dolorem praecipue.

Addit autem, *nocte.* In illa tentatione seu passione, per noctem castigarunt me renes mei: id est, sensi ingentes dolores, illam infirmitatem naturae humanae, ut pene extingueret. Totum hoc complectitur brevissime.

Verum in illis magnis doloribus, inquit, *Posui Dominum in conspectu meo semper:* tamen interea inquit, invocavi te: retinui assensionem et fidem. Loquamur iterum de nobis: David in suis magnis aerumnis intuetur Deum, retinet fidem, et ita sustentatur.

Postea dicit de liberatione: *propter hoc laetatum est cor meum*, sensi consolationem et vivificationem. Laetitia cordis est vita; moestitia est labefactio, qua homo paulatim consumitur. Omnis homo tantisper vivit, dum habet aliquam laetitiam; quando moestitia opprimit cor, est aditus ad mortem. *Laetatum est cor meum*] id est, vivificatum, *et exultat gloria mea*: id est, ego laetor propter illam liberationem, et lingua mea celebro hoc tuum beneficium.

Insuper et caro mea requiescat in spe.] Haec proprie ad Messiae personam pertinent, postea ad reliquam Ecclesiam, sed propter ipsum. *Mea caro requiescet*: Dicit proprie de natura humana, cuius mentio inclusa est illis dictis: *Semen mulieris conteret caput serpentis; In semine tuo benedicentur omnes gentes. Requiescet in spe.*] id est, caro mea reviviscet. Oportet illud semen vivere, superabit ergo mortem.

Non relinquet animam meam in inferno.] Nihil volo movere disputationum: Dolores inferni significant illos ingentes et horribiles dolores, in quibus est sensus iudicii Dei; sicut alibi dicitur: *Dolores inferni circumdederunt me.* Non relinques ergo animam meam in illis doloribus. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*] Hic clare dicit futurum, ut Messiae corpus non dissolvatur, ut alia corpora dissolvuntur. Eius corpus vivificabitur statim, et mox resurget.

Notam mihi fecisti semitam vitae.] Iam agit gratias, quod ei non solum restituta sit vita, sed quod ista vita sit futura aeterna laetitia. *Notam mihi facis semitam vitae:* ostendis et reddis mihi vitam, *et reddis mihi abundantiam laetitiae,* seu, *laetitiam abundantem:* Tu saturabis me laetitia. *In vultu.*] id est, in conspectu tuo. Describit, quae sit vita aeterna. Aeterna vita est illa familiaris consuetudo cum Deo, in qua coram et ipse fruitur et nos fruemur aeterno conspectu et bonitate Dei: Transfundetur in nos lux divina, sapientia et iustitia divina, quae longe superat omnium creaturarum cogitationem. Haec sunt illa ingentia bona, quae promissa sunt Ecclesiae, et restituuntur nobis per Filium. Addit amplius de aeternitate.

Delectationes ad dextram tuam usque ad finem.] Ego fruar illa laetitia in omni aeternitate, et quidem *ad dexteram tuam.* Ille Dominus est potens, potentia divina colligit sibi aeternam Ecclesiam, de qua prius dixit: *Funes ceciderunt mihi;* id est, meae sortes, *in praeclaris:* mea pars attributa est praeclara. Hoc erit illud bonum, quo in omni aeternitate fruetur Ecclesia; quod videlicet in conspectu Dei fruetur eius sapientia, bonitate, iustitia, laetitia: Ita videtis esse comprehensam pene summam doctrinae Ecclesiae in isto brevi poemate. Videte, ut relegatis, et discatis Grammatice interpretari.

EX ALIIS RHAPSODIIS EXCERPTA.

Quae est differentia inter vocabula Psalmus, et ᾠδή?

Respondeo. Ὠιδὴ est canticum (Latini non ita

abundant vocabulis ut Graeci) quod homo canit naturali sua voce, *Das da heist,* proprie *ein gesang.* ψαλμὸς est canticum, quod est formatio, vel imitatio vocis humanae in instrumentis, vel quod imitatur humanam vocem per sonorum gradus ac distinctiones in instrumentis.

Quot sunt differentiae Psalmorum?

Sicut in Rhetoricis quaeritur: quot sunt genera causarum? sic etiam hic quaeritur distinctio Psalmorum: quae ideo proponitur, ut commonefaciat scriptorem, aut dicentem de materia, ut consideret, qualis sit materia, de qua vult dicere, et quis sit exitus, quis finis, quo tendat, quid velit efficere.

Alii sunt generis demonstrativi, alii sunt narrationes simplicissimae: Vel propheticae, vel vaticinales, sive de praeteritis, sive de futuris. Alii sunt didascalici: item generis deliberativi. Illa genera etiam miscentur nonnunquam. Asini sunt, qui cogitant non esse eloquentiam in libris Propheticis: etiamsi versiones vel interpretes aliquando discedunt a Grammatica: tamen in fontibus est excellens eloquentia et suavitas. Non cogitemus Spiritum sanctum delectari barbarie, sicuti sunt insulsa iudicia multorum.

Psalmus secundus pertinet ad genus propheticum, quando dicit Christum venturum esse, et habiturum regnum: postea additur narratio. Scitis autem narrationes non esse otiosas, sed referendas ad aliquem finem: ut, quando Prophetae narrant poenas populorum in deserto, ideo narrant, ut addatur commonefactio. Sic, quando narratur historia Iosephi, ideo narratur, ut addatur commonefactio de praecepto: *Non moechaberis.*

Illa Grammatica expositio de fine narrationum, quae sit intentio scriptoris, quid velit docere, vel efficere, plus luminis addit quam magna commentaria. Non cogitate multum prodesse ad lucem, magnam illam molem commentariorum. In illa mole et amplitudine amittitur simplicitas sententiae. In pictura melius totum corpus coniunctum contemplari potest, quam disiuncti corporis singula membra. Sic integri Psalmi sunt intuendi. Est dulcissima Psalmorum doctrina homini simpliciter intelligenti et cogitanti. Vetustas fuit sapiens et pauciloqua: sicut omnes sapientes sunt pauciloqui. Verum est, paucis omnia comprehensa esse, tamen in illa brevitate res maximae et pulcherrimae continentur.

Psalmus 110. ad quod genus pertinet?

Etiam est prophetia de persona et regno Christi, de sacerdotio, passione, et glorificatione (ubi tamen narrationi non sunt additae admonitiones, sicut in Psalmo 2.). In Psalmo *Eructavit,* etiam est talis descriptio venturi Messiae.

Psalmus: *Nisi Dominus aedificaverit domum,* est didascalicus: pertinet ad genus didascalicon: docet de articulo creationis, et praesentia Dei in conservatione rerum omnium: Nisi Deus sit custos tuae vitae, non durat. Pertinet ad articulum: *Sine me, nihil potestis facere.* Et loquitur generaliter de conservatione conditi operis, et de auxilio.

Consolationes, obiurgationes, admonitiones, et deprecationes sunt generis suasorii, ut Psalmus 51., 130. Psalmus 51. est petitio remissionis peccatorum: et interim tamen docet nos suo exemplo. Hic Psalmus 16. re ipsa est vaticinium de passione et resurrectione Christi. Iudaei corrumpunt Psalmos, qui simplicissime loquuntur de Christo: secundum Psalmum accommodant ad Salomonem: 110. ad Abraham: corrumpunt nugacissime, vel potius furenter et diabolice.

Eloquentia in Psalmis.

Ubicunque est sapientia, ibi etiam est eloquentio. *Nihil non ornate dicitur, quod honeste dicitur,* inquit Quintilianus. Pulchritudo orationis oritur ex pulchritudine rerum. Magna est Eloquentia sacrarum literarum. Quod autem interpretationes Psalmorum, qui sunt transfusi in peregrinas linguas, aliquando sunt obscuriores, id non est mirum.

Si quis debet amare Psalmos, debet etiam legere et considerare Quia *Ignoti nulla cupido.* Papa ante biennium movit bellum satis triste, in quo ipsemet afflictus est. Misit regi Galliae pulcherrimam puellam, et gladium aureum: Eam ego non amo, quia non vidi. Ita si Psalmi debent amari, debent etiam diligenter et saepe legi.

Papa Paulus IIII. solitus est ambulare in cubiculo. Nihil ibi fuit librorum, nisi codex Homericus, in quo se recreabat, sapientiam tanti poetae admiratus. Ego memini Pontanum senem redire ad Virgilium: dicebat se mirari illam sapientiam, et imaginem vitae, et gubernationis. Augustus fuit fortunatus et felix in gubernatione, sed non fuit fortis bellator. Eum descripsit Virgilius in exemplo Aeneae. Aliqui exagitant poetas, quia in eis sit multum fabularum. Sedebamus hic in coena, D. Hieronymus Schurfius, D. Martinus, ego, et alii, cum hospes esset Ambsdorfius, qui dicebat: Ego

emi heri versionem Odysseae Homericae: *Man sagt, es sei gros ding darinnen: Ich hab mein tag nerrischer ding nicht gesehen.* Antiqua poemata sunt involucra fabularum; fabulae involucra historiarum. Aeneas non amavit Didonem, neque venit ad eam: Etiamsi habet Virgilius fabulas interdum, tamen summa rerum est historia.

Commentarii non debent esse longi.

Nihil est dulcius lectione Psalmorum, quando simpliciter leguntur. Est apud Herodotum: Cum Asiaticus orator missus esset ad Lacedaemonios, et valde longam orationem habuisset, quidam in senatu Laconico, qui iussus erat respondere, dixit: *Priorum ob prolixitatem orationis obliti sumus, et posteriora non intelligimus.* Est pulchra reprehensio prolixitatis, quae et insuavitatem et obscuritatem parit. Oportet esse modum in interpretationibus. Non opus est ullis commentariis, quando simpliciter leguntur.

Quid significat Commentarius?

Graece dicitur *ὑπόμνημα, Erinnerung;* ut hoc est commentarius, quando breviter dico argumentum et partes Psalmi. Non cogitate enarrationes esse longos commentarios; sed legite textus: et ordo, contextus, et consensus orationis, erit nobis commentarius optimus.

Vis Musicae.

Deus voluit propagare doctrinam per Musicam, ideo veteres sunt delectati cantionibus. Cum Israelitae ex Aegypto exirent, componitur canticum de interitu Pharaonis. Ita David habuit suam Musicam, sua poemata in Psalmis. Est mirabilis res Musica, et est singulare aliquid, animam in corpoream delectari Musica. Cerebrum afficitur mirabiliter harmonia Musica, et rursus laeditur, quando est dissonantia. Non potest reddi ratio, nisi quod Deus naturam talem condidit. Olim in sacris fuerunt Musica et Poetica usitatissima. Nostra aetate plurimi poetae vim ingenii et eloquentiae suae laudabiliter exercuerunt in reddendis Psalmis eleganti carmine. Papa hoc anno refodit Flaminium, et combussit eius cadaver, qui multos Psalmos eleganter reddidit: sed carmina sunt meliora, quam ille commentarius, quem scripsit in Psalmos.

De argumento Psalmi 16.

Psalmus 16. est precatio et gratiarum actio, quam dicit David in persona Christi. Est proprie et principaliter oratio Christi; postea etiam ad nos potest accommodari: Quia nos sumus membra Christi, et propter eum recuscitamur et vivificamur, sicut ipse est resuscitatus. Idem enim beneficium communicatur nobis omnibus. Liberamur ex morte, donamur iustitia et vita aeterna. Hoc beneficium, quod in hoc Psalmo praedicat Christus, impertit omnibus suis membris.

Prophetae ideo sunt missi, ut vaticinentur, et non in id solum, sed etiam multa et magna patiantur. In illis passionibus sentiunt consolationem divinam; sicut iste Psalmus de Christo praedicat tamquam capite Ecclesiae.

Precationi inserta est descriptio Ecclesiae, et distinctio ab aliis sectis. Non est magni laboris ostendere ordinem et seriem textus: et quando ea sunt nota, tum rectius leguntur scripta. In enarrationibus hoc inprimis agendum est, ut verba considerentur, et ordo monstretur, ut his cognitis, constituat lector de intentione cuiusque scripti.

Monile David.

Significatur ornamentum, *ein kleinoth oder geschmuck, wie ein Ritter tregt eine ketten,* quod est ornamentum militare. Est vetus dictum: *Theologus annulatus aut est fatuus, aut praelatus.* Cum essem puer, quidam Sacerdos in mea patria gestabat annulos aureos, scribebatur in eius sede, id est, ubi solebat sedere in templo, hic versus, quem ego ibi primum didici. Multo minus decent theologos torques aurei: *Man sol sie daran hencken.* Quidam concionabatur de veste Franciscana: Sandalia, id est, *ihr holtzschuch,* dicebat facta esse ex arbore scientiae boni et mali. De fune dicebat, *ist ein kostlich dingk, aber nicht am rechten ort.*

Hic Psalmus describit Filium Dei, *der ist der Ritter, der dis* ornamentum *hat.*

De Propositione Primae partis.

Propositio primae partis est precatio. Ita precatur David, ita Christus, nos simul debemus precari. Vetus textus habet: *spero,* sed *confido,* est melius. Eo verbo utitur 2. Psalmus: *Beati omnes, qui confidunt in eo.*

Conserva me.] Dominus requirit cultum pre-

cationis praecipue in necessitatibus. Ratio sumpta est ex duobus obiectis: 1. quod est Deus, 2. quod est passio. *Wenn einer kranck ist, thut ihm wehe, saget er zum* Medico, O Domine Doctor, *gebt mir einen guten rath*; respicit personam Doctoris, et suum morbum. Ita Paulus inquit: Desertus ab omnibus creaturis, non habeo auxilium praeter te. *Dominus liberat pauperem, cui non erat adiutor.* Filia principis Landtgravii Agnes, nupta Mauricio, et postea Iohanni Friderico ducibus Saxoniae, cum scripsisset ad patrem paulo ante mortem, et rogasset, ut ad se veniret: Pater, fortassis suo quodam iudicio, non accessit. Cum litterae rursus afferentur, et illa audivisset, patrem non venire, convertit se ad parietem: et nihil dixit aliud, quam *Pater et mater dereliquerunt me: Dominus autem suscepit me. Es kompt gar offt, das man* omni humano praesidio *destituiret wirt.*

Non est mihi bene propter te.] id est, ego patior in causa iusta. Sancti etiamsi habent peccata, tamen cum patiuntur persecutionem propter confessionem doctrinae, patiuntur propter gloriam Dei. Aliud est pati in causa iusta, aliud propter suum delictum pati. Quamquam etiam latro non debet desperare, qui etiam patitur propter gloriam et iustitiam Dei.

Memini, cum Capitaneus Tubingensis decollaretur: Erat senex septuagenarius, vir sapiens, cum duceretur ad supplicium, non potuit flectere genua, ita erat in tortura laesus. Ibi sublevatis oculis ad coelum, dicebat: *Illam mortem, qua hodie defungi debeo, multoties merui aliis meis peccatis, sed tu Deus, seis in hac causa, propter quam interficior, me innocentem esse.*

Quod si haec verbo ad Christum referas, tum singulare aliquid significatur, estque *πάθος* insigne, et explicatio causae, cur Christus affligatur. Iuva me Deus patientem propter te. *Non est mihi bene propter te:* id est, Ego horribilia patior, quia tibi obedio, sum missus ad hanc obedientiam, ut in me derivetur illa ingens ira Dei adversus genus humanum, *das konnen wir nicht verstehen*: quia etiam parva guttula irae Dei et scintilla extingueret nos: *wie ihr sehet, das es zu gehet* in doloribus conscientiae. *Deus ignis consumens est.* Item: *Si iniquitates observaveris.* Item: *Non faciam furorem irae meae: quia Deus sum, non homo.*

Cur hoc dicit? 1. quia homo non potest sustinere iram Dei; 2. ex proprietate Dei, qui non spectat (ut homines vindictae cupidi,) interitum eorum, quos punit: Ideo non accendit totam iram, sed mitigat poenas. Si puniret ex merito nostro, uno momento totum genus humanum deleret: Sed differt propter misericordiam, sicut Paulus habet pulchram concionem, quare differat poenas, Rom. 2. Et Christus dicit de ficu: nolo excindere, expectabo adhuc fructus. Deus nobis clementissime dat spatium ad poenitentiam.

Applicatio passionis Christi.

Sicut Iohan. 17. inquit Christus: *Sanctifico me pro eis*: ita in hoc Psalmo Christus precatur pro Ecclesia. Item ut in Iohanne dicit: *Non oro pro mundo:* ita hic quoque facit discrimen. Sed textus non est bene redditus, debebat esse: *Erga sanctos qui sunt in terra, et praecipuos omnis mea voluptas et voluntas est.*

Quod in fine versus repetitur, *in eis:* est Pleonasmus, quales multi sunt apud Hebraeos. *Hominibus dedit bona eis.* Item: *Cuius participatio eius in id ipsum:* ibi etiam abundat, *eius.* In Psalmis discenda est Grammatica. Sententia est: Ego delector sanctis, qui sunt in terra, et totum hoc, quod sustineo, pro illis sustineo.

Primum pro se precatur, deinde pro Ecclesia: sicut etiam in horto et in Iohanne cap. 17. Postea est Antithesis: Ego patior propter sanctos. Illos volo servare, sed non proderit mea passio impiis perseverantibus in impietate. *Non oro pro sectantibus idola, pro pertinacibus*: detestor idololatras blasphemos.

Multa sunt idola eorum, qui relinquunt Deum: accelerant post alium: id est, qui te non quaerunt, illi colunt idola, non invocant verum Deum. Discernit veram Ecclesiam a falsa. Idem est, quod inquit Paulus: *Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit.* Item: *Qui non audit verbum Dei, non est ex Deo.* Et consolatio nobis esse debet: nos habere iustissimam causam, cur nos seiungamus a Papistis, qui colunt idola, et non obediunt veritati.

Dolendum est, quod mundus nunquam sit sine idololatria. Horribile malum est, et omnibus temporibus floret. Apud Ethnicos fuit recepta mactatio humanarum hostiarum. Item, Adoratio bestiarum, felium, canum, ciconiarum. Cohorresco, quando cogito, quomodo ipse accesserim ad statuas in Papatu. Et quid est circumgestatio et adoratio panis, nisi horribiles idololatriae?

Dominus portio, seu pars mea.] Descriptio Ecclesiae. Affirmat esse et mansuram Ecclesiam; et quod sit servanda divinitus, non humanis praesidiis. Veteres Principes *haben gut gemeint*, quod fundarunt scholas *in den Stifften*, sed postea degenerarunt, et factae sunt colluvies pessimorum hominum.

Dominus haereditas mea.] id est, Dominus dat mihi haereditatem. Causalis praedicatio. Calix et

portio idem est, quod choenix: quod verbum est in Apocalypsi.

Funes.] id est, pars quae dimetiendo mihi concessa est: *wann man misset acker, so zeucht man ein schnur, oder legt* perticas, *stangen.* Igitur funiculi ponuntur hic pro sorte, vel pro ipsa re admensa, per Metonymiam. Nominatur autem Ecclesia *praeclara haereditas:* Quia Ecclesia est pulchra coram Deo, etiamsi est deformis, misera, et proculcata, subiecta cruci; tamen est pulchra, speciosa coram Deo, quantumcunque ab impiis conculcetur. Ecclesia est haereditas Filii Dei, et nos, qui sumus in Ecclesia, sumus membra et haereditas Filii Dei.

Propositio alterius partis.

Gratiarum actio est, in qua simul est prophetia de resurrectione. In gratiarum actione praecipuum est, quando serio pectore dicimus: Hoc beneficium a te accepi. *Dancken*, venit a *dencken*, meminisse. Sic Graeci dicunt *οἶδα χάριν*. *Χάρις*, est a *χαρὰ*, id est, a laetitia, quia beneficium est dandum et accipiendum hilari animo.

Sic igitur hic dicit: *Benedico*, id est, laudo et celebro Deum, affirmo, quod Deus dederit mihi consilium; scivi praedictum esse me passurum, et ipse me in agone erexit; sicut scitis, quod angelus consolatus sit eum. Tantus fuit agon, ut non potuerit se erigere sine singulari modo. Nos non possumus comprehendere magnitudinem doloris Christi, nec potuisset ullus hominum perferre tantos dolores. Hominum vires non fuissent pares magnitudini dolorum. Laurentius non potuisset ferre: sed ideo Christus fert, ne Laurentius ferat. Est vulgaris versus:

Et miseros cum spe consiliumque fugit.

Et Seneca inquit: *Aeger animus semper errat.* Sed Psalmus dicit: *Tibi habeo gratiam, quod mihi non defuit consilium.* Est autem consilium illud haud dubie verbum Dei. Igitur debemus manere in verbo, et petere, ut per hoc Deus sit efficax in nostris cordibus. Quaedam honesta mulier nuper dicebat ad me: *Medici mihi promittunt longiorem vitam, sed ego sentio meas imbecillitates. Nihil autem magis precor, quam ut Deus in corde meo conservet consolationem verbi sui.*

Cur dicit: *Renes mei castigaverunt me*?

Hoc dicit propter spinam dorsi, quae in magnis doloribus languefit: *gleich als wann einer wolte zerbrechen*: quando languefit virtus cordis, tum spina dorsi non amplius facit officium, et spiritus in nervis extinguuntur et arefiunt. Vult igitur dicere, *alle meine krafft und sterck ist mir hinweggangen.*

In nocte.] id est, calamitatibus. Non dicit de libidine, sicut indocti interpretes dixerunt. Sed loquitur de magnis doloribus, qui sentiuntur in corde, et in locis vicinis, ubi est concursus nervorum. Alludit etiam ad dolores hypochondricos.

Dominus mihi a dextris.] id est, ego vidi Dominum praesentem in verbo. Ipse sustentat me retinentem verbum. *Laetata est gloria mea: id est,* fui laetus; dixi laeta, ostendi iubilo meam laetitiam: exulto laetus victoria. Causa posita est pro effectu.

Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.] Hoc est singulare in Christo. Homines caeteri putrefiunt, sed non eodem modo caro Filii Dei. Christi corpus non sentiet putrefactionem, non dissolutionem, sicut aliorum hominum corpora. Non solum non manebit in morte, sed etiam manebit integrum. Nostra corpora redacta in nihilum, rursus colligentur in Christo, et habebunt resurrectionem.

Non derelinques animam meam in inferno.] Hic est disputatio de descensu ad inferos. Libenter omitto illam disputationem: et sum hortator, ut omnes fugiant disputationes non necessarias: sed illud non dubito, quin Christus ostenderit se resuscitatum diabolis, et incusserit illis terrorem, ut viderent se non posse exercere talem saevitiam, qualem cuperent: item, ostenderit suam potentiam. Haec credo gloriose facta, et ita gloriose, ut tremuerint et fugerint Diaboli. Credo magnam pugnam fuisse. Haec etiam placuerunt Luthero, cum colloqueremur de his rebus in familiaribus colloquiis: noluit tamen illa publice agitari. Evangelistae voluerunt ista paucis significare, et reliquerunt cogitanda piis.

Apud Oseam 13. dicitur: *O mors, ero mors tua, et inferne, ero pestis tua:* id est, filius Dei destruet regnum inferorum, et languefaciet potentiam Diaboli. Postea in totum opprimet eius potentiam. Vocabulum, *inferni,* significat locum mortuorum, et praecipue damnatorum. Iudaei exponunt *locum sepulchri.* Sed ego credo significari aliquid praeter sepulchrum: ut cum dicitur, Lucae 16. de epulone: *Mortuus est dives, et sepultus est.* Et additur postea: *In inferno elevans oculos suos*, etc. ibi est distinctum sepulchrum ab inferno. Non dico haec contendendi causa: sicut aliqui faciunt: rapiunt sermunculos, *machen einen lermen, das viel* gentes *darmit zu thun kriegen. Als jetzunder sagen etliche tropffen,* Bona opera non retinent dona Dei, sed mala effundunt. Item, sunt perniciosa ad salutem. Est cavillatio. Non excluditur Deus: Deus retinet dona in sanctis, et quidem in talibus, qui non ruunt contra conscientiam. Quod mala

opera effundant dona, hoc concedunt, sed prius non, *das ist, wie man sagt, 4 hosen eines tuchs.* **Hoc dico propter tetram et diabolicam sophisticam,** *das man also zwacket.* Ego retineo hanc sententiam: *Christus ostendit suam victoriam Diabolis, descendens ad inferos:* sed quomodo factus sit ille triumphus, nos non scrutemur.

Reddes mihi vitam, et implebis me laetitia.] Est descriptio salutis et vitae aeternae. Impii etiam vivunt, sed in miserrimis cruciatibus. Ego autem sic vivam, ut habeam in te aeternam laetitiam.

Vultum hic nominat agnitionem Dei, seu conspectum visibilem, et recte hinc sumitur definitio vitae aeternae: quod sit laetari conspectu Dei, sicut est in versu: *Vivit conspectu mens, fruiturque Dei.* Ipsa agnitio, qua videbimus Deum coram, et perfundemur eius laetitia, est vita aeterna. Quando Christus Ioh. 17. inquit: *Haec est vita aeterna, ut agnoscant te,* loquitur de inchoatione et consummatione vitae aeternae.

Dextera Dei significat potentiam eius. Solus Filius sedet ad dextram Dei, id est, regnat pari potentia cum Patre: Sed tamen et nos habebimus per dextram seu potentiam Dei, qui se nobis communicabit, et erit omnia in omnibus, *Delicias.*] laetitiam in omnem aeternitatem. Illam laetitiam vitae aeternae intueamur, et ea nos consolemur, et sustentemus. Cogitemus nos fore socios eorum bonorum, quae Christus accepit nostra causa, et agamus gratias Deo, pro hac consolatione: de qua etiam Iesaias dicit: *Salvasti me salute aeterna.*

DOMINICA QUASIMODO GENITI.

Evangelium Ioan. 20.

Cum ergo sero esset die illo, etc.

Multas magnas res complectitur haec narratio: sed nos praecipuos locos excerpemus: Quorum primus complectitur Testimonia resurrectionis Christi: Quia describuntur hic duae apparitiones, vel duo congressus, quorum unus fuit eodem die, quo facta est resurrectio; alter fuit octavo die post.

Secundus locus, est doctrina de Spiritu sancto: Quia hic dicitur de Christo: *Afflavit eos, et dixit: Accipite Spiritum sanctum.*

Tertius locus, est de ministerio Evangelii, de institutione huius, de discrimine politiarum, et ministerii, de efficacia ministerii, de remissione peccatorum, de publica Evangelii annuntiatione, et absolutione privata.

Quartus locus, est exemplum magnae imbecillitatis in Thoma, qui tamen confirmatus a Christo, exclamat postea: *Dominus meus et Deus meus:* ubi simul est doctrina de vera invocatione.

Postremus locus, est consolatio dulcissima de verbo et de fide contra Stenckfeldium et phantasias Enthusiasticas, in dicto: *Beati qui, cum non videant, credunt.* Horum locorum tanta est amplitudo, ut nulla sapientia humana exhauriri possint. Sed ut saepe dicimus, pia cogitatione res tantae intuendae ac considerandae sunt. Debemus quotidie recitare, articulos, Symboli, in quo nullus est articulus vel minimus, quem ulla creatura comprehendere possit. Agnoscamus autem nostram infirmitatem, et petamus nos confirmari a Deo.

De primo loco.

Cum dicitur in textu: *Una Sabbatorum:* intelligatur prima dies, quam nos vocamus *diem Dominicam.* Nam *unus,* saepe idem significat, quod *primus.* Facta est igitur ostensio prima die, quo Christus resurrexit, et quidem vespere.

Sciamus autem Christum, 40 illis diebus, quibus post resurrectionem mansit in terris ante ascensionem, saepe congressum esse cum Apostolis et caeteris discipulis, quibus Dominus familiariter se ostendere voluit, ut certo scirent eum vere resurrexisse, Ac ne putaretur esse spectrum, non ab uno et altero, sed a multis voluit conspici et contrectari, familiariter colloqui, assidere, una comedere, una versari. Sistamus autem et nos cogitatione nostra in istos coetus. Cogitemus singuli, nos versari in illis congressibus, et tam certo credamus, resurrectionem Domini, quam si una cum Apostolis spectatores essemus eorum, quae facta sunt in talibus congressibus. Cogitemus, quanta fuerit laetitia Mariae et Apostolorum, et aliorum sanctorum: Sicut hic dicitur: *Gavisi sunt discipuli viso Domino.* Talis laetititia sit in nobis quoque: et quia magna est nostra infirmitas, oremus Deum, ut ipse exuscitet in nobis assensionem, et fidem, et efficiat, ut ista subeant cor nostrum.

Est autem cum articulo fidei de resurrectione Christi coniuncta certitudo etiam nostrae resurrectionis. Apostoli et discipuli, qui viderunt Christum resuscitatum, fuerunt testes utriusque rei, et quod Christus ex morte resurrexisset, et quod certo futura sit resuscitatio totius generis humani. Hic articulus magni momenti est. Est enim supra omnium hominum, imo omnium creaturarum cogitationem et captum, hominem mortuum redire in vitam, et omnibus mortuis vitam restituendam esse. Ideo voluit Dominus Apostolos clarissimis et indubitatis testimoniis confirmatos esse, et propterea multos mortuos secum ex sepulchris excitavit, qui

interfuerunt solennibus illis congressibus, quos postea etiam in triumpho secum evexit in coelum.

De secundo loco.

Christus ingressus, salutat auditores suos, his verbis: *Pax vobis.* Lutherus verterat: *habt friede.* Emserus calumniatus est: *meinstu, das sie sich geschlagen haben?* an putas pugnas inter eos fuisse, ut opus fuerit eis mandari pacem? Sic enim dicere solemus ad tumultuantes: *halt friede.* Reprimite vos: estote tranquilli, ne tumultuemini. Sed non voluit hoc Lutherus. Ideo ad cavillationem istam vitandam, postea reddidit, *friede sey mit euch*: quod non est imperantis, de re a nobis facienda, sed optantis.

Hebraei generaliter usi sunt hac forma verborum: *Pax vobis*; sicut nos dicimus; *Salvete*; id est, Deus det vobis omnia bona, fausta, et felicia. Pax apud Hebraeos dicitur a perfectione: *schalom*, significat perfectionem et pacem; et pacis nomine comprehenduntur omnis generis bona, *Das es wohl vmb einen stehe*, ut sint omnia integra et salva.

Vocabulum *salus, salvum, salvere*, puto esse ab Hebraeo *schalah*, quod significat securum et felicem esse; unde est etiam nomen *schiloh*, fortunatus, faustus, cui omnia prospere succedunt. Certum est in Graeca, Latina, Germanica, et aliis linguis multa esse vocabula orta a vocibus Hebraicis, quia Hebraica lingua est prima, et antiquissima lingua.

Est igitur salutatio optantis omnia salva: *Pax vobis*, id est, sint vobis omnia fausta et felicia.

Sequitur postea de flatu Christi. Afflat Christus illos suo Spiritu, vel suo afflatu transfundit in illos Spiritum sanctum.

Quaero, an fuerit flatus corporalis?

Respondeo. Fuit corporalis et sensibilis flatus, et cum hoc flatu, quo Christus sensibiliter sufflavit in Apostolos, simul fuit Spiritus sanctus.

Qualis est praedicatio? *Iste flatus Christi est Spiritus sanctus?*

Respondeo. Figurata. Est enim Synecdoche, quia cum illo flatu corporali verissime fuit Spiritus sanctus, id est, flatu illo sensibili datus est Apostolis Spiritus sanctus, sicut cum specie flammarum in die Pentecostes fuit Spiritus sanctus: Item, cum specie columbae in Baptismo Christi. Ideo figurate, et tamen verissime dicimus: Flamma ignea conspecta in Apostolis: Item, species columbae pandentis alas suas super caput Christi, est Spiritus sanctus. Sunt praedicationes Synecdochicae.

Hic multa significantur de essentia Spiritus sancti, et de divinitate Filii.

Solius omnipotentis naturae est mittere Spiritum:
Filius mittit Spiritum:
Ergo Filius est omnipotentis naturae.

In Actis Apostolorum claris verbis idem est expressum: *Accepit promissum Spiritum a Patre, et effudit hoc, quod videtis et auditis:* Et sicut Patre et Filio mittitur Spiritus, ita etiam procedit a Patre et Filio. Est una essentia divina, videlicet aeternus Pater, et Filius λόγος, et Spiritus sanctus. Hae personae discernuntur proprietatibus. Patris proprietas est, ab aeterno gignere Filium: Proprietas Filii est, nasci. Proprietas Spiritus sancti, est procedere ab utroque, et a Patre et Filio.

Pulchre autem significatur per imaginem flatus, qualis sit Spiritus sanctus, qui dicitur motor et agitator. Sicut ipsum etiam vocabulum *spiritus*, significat agitationem et motum. Apud Graecos duo sunt vocabula, quorum significatio est eadem. Unum est πνέω, *spiro*, unde est πνεῦμα, *Spiritus:* alterum est φυσάω, quod significat *flare*, *blasen*. Eo verbo usus est hoc loco Evangelista, ἐνεφύσησε. Saepe occurrit in Graecis scriptoribus φυσᾶν. Homerus eo utitur, loquens de follibus Vulcani. Nam folles inflantur, quando concipiunt auras.

Sunt autem reverenter cogitanda arcana illa discrimina Personarum divinitatis; et tamen, quia Deus utitur nostris vocabulis, vult nos aliquo modo intelligere, quae vocabulis istis significantur. Et vocabula sumpta sunt a natura hominis, quia homo conditus est ad imaginem et similitudinem Dei. Et si natura nostra mansisset integra, magis perspicua essent vestigia divinitatis in natura hominum. Cogitemus igitur umbras tantarum rerum in nobis ipsis: sicut antiquitas quando declarat, quod homo sit imago Dei, ostendit potentias, seu proprietates praecipuas animae, et has confert cum proprietatibus Personarum in Deo.

In anima rationali sunt distinctae potentiae, cognoscens, et volens seu appetens. Cognoscens potentia cogitando format imagines: ut, si quis cogitet de homine noto, format imaginem eius in mente. Quomodo hoc fiat, ignoramus; et est profecto res admirabilis, formatio illa imaginis, quae fit cogitando. Potentia volens seu appetens habet motus suos et agitationes, quales sunt in laetitia,

spe, amore, tristitia, metu, ira, etc. Hoc rursus valde est mirabile, quod cum volumus aliquid, mox sentimus motum vel prosequentem vel fugientem obiectum monstratum a mente seu intellectu: ac motus cerebri in homine adiuvat formationem imaginum: Cor autem servit voluntati: et, si natura esset integra, semper esset vera copulatia cordis et voluntatis; item congruentia appetitionis et cognitionis. Nunc sunt dissidia, ut dicitur: *Mens aliud suadet, aliudque cupido.*

In cerebro sunt spiritus animales, et horum vibratione fit in cerebro cognitio. In corde autem gignuntur spiritus vitales, qui sunt instrumenta affectuum. Est autem hoc rursus mirabile, quod cor, cum sit quiddam brutum, movetur cognitione: quia idem Spiritus animalis, quo fit cognitio in cerebro, vibrat cor, et transmittit cognitionem ad cor. In quo mox, adminiculo spirituum vitalium excitantur affectus congruentes cognitioni.

Hoc mirabile opificium debemus saepe cogitare: Quod si penitius intelligeremus, magis essemus admiraturi opera Dei in natura nostra: imo velut attoniti sederemus coram Deo, et celebraremus eum. Profecto nihil est admirabilius proprietatibus animae in nobis, de quibus cum cogitamus, valde confirmamur contra Atheos. Etsi enim Deum non vides, tamen Deus est: sicut animam esse necesse est, etiamsi eam non videas.

Confirmatur etiam hac consideratione, sententia de immortalitate animae, et de secutura alia vita. Nos nunc non novimus nos ipsos, non intelligimus, quomodo oculi videant, quomodo lingua formet articulatam vocem, quomodo cerebrum formet imagines, et retineat memoriam plurimarum rerum, quomodo cor cieat motus affectuum dissimiles.

Haec, et multa alia mirabilia non satis intelligimus in hac vita. Ergo oportet esse aliam vitam: quia homo non est frustra conditus, sed ad cognitionem sui ipsius et Dei. Quomodo et ex lege argumentamur: *Lex non est frustra data: Oportet eam in nobis impleri: sed in hac vita non impletur: Ergo necesse est restare aliam vitam.* Sed nunc consideremus potissimum umbras illas, quibus aliquo modo deducimur ad considerationem discriminis personarum in Deo, et discimus utcunque intelligere vocabula, quibus Scriptura de singulis personis utitur.

Sic igitur dico: In homine sunt haec tria praecipua: Mens; Cogitatio vel Sermo; et Affectus. Ista tria contulit antiquitas ad Divinitatem. Aeternus Pater habet se, sicut mens. Est enim prima Persona, non nata, non aliunde orta. Gignit autem mens cogitationem et sermonem: et sermo est ipsa cogitatio explicata voce: Ita aeternus Pater gignit Filium, qui est imago et *λόγος* Patris. Sed nostra mens gignit imagines evanescentes. Aeternus Pater gignit imaginem substantialem.

Filius est imago integra, et substantialis aeterni Patris, sed genita, totum in se Patrem repraesentans. Et ut sermo explicat cogitationem mentis, ita Filius, qui est imago illa substantialis Patris, est missus, ut ostendat Patrem, patefaciat voluntatem Dei, proferat decretum arcanum de salvatione hominum.

Spiritus sanctus est instar motus seu agitationis: Est enim amor mutuus, quo Pater complectitur Filium, et Filius Patrem. Et quando datur seu effunditur Spiritus sanctus in corda hominum, est in eis motor et agitator, accendens fidem, pacem, laetitiam, dilectionem, et caeteras virtutes: Hi sunt effectus Spiritus sancti in nobis, et propter hos effectus petendus est Spiritus sanctus.

Huc pertinent Epitheta, quae tribuit Scriptura Spiritui sancto. Nominatur *Spiritus gratiae;* quia confirmat assensionem et fidem, quod simus in gratia, et hac fide laetificat cor: ut, David cum audit concionem Nathan: *Non morieris:* movetur a Spiritu sancto, ut assentiatur huic dicto. Post hanc fiduciam sequitur consolatio et laetitia, cum qua est invocatio, dilectio, spes, et aliae virtutes. Ideo vocatur etiam *Spiritus precum.* Sic in latrone converso confirmat Spiritus sanctus assensionem, et efficit in eo fiduciam, id est, motum talem, quo cor acquiescit in Deo, postea laetitiam et tranquillitatem conscientiae, quae est initium vitae aeternae. Sequitur invocatio et ceterae virtutes, quae et ipsae sunt motus Spiritus sancti, quia Spiritus sanctus, sicut est motus substantialis, procedens a Patre et Filio, ita revera est motor accendens, et efficiens in nobis omnes virtutes.

Iam cogitemus immensam bonitatem Dei. In creatione Deus transfudit in nos ea, quae habebat summa et optima: ut potentiam cognoscentem, quae antecellit Soli, Lunae, et omnibus rebus praestantibus, quae inter creaturas visibiles nominari possunt: Transfudit in mentes nostras sapientiam suam, notitiam legis, et notitias numerorum: Deinde potentiam volentem, et quidem liberam; quod est unum ex praestantissimis donis; voluntatem ipsam fecit rectam, et congruentem cum sua lege; hoc est, transfudit in nos iustitiam suam.

Haec bona sunt testimonia immensae bonitatis Dei, qui simul habitasset in nobis tamquam in templo suo, et confirmasset illa bona. Sed haec tanta bona abiecerunt et effuderunt ingratitudine sua, et horribili lapsu primi homines.

Nec tamen extinguitur bonitas Dei. Filius fit deprecator pro genere humano, et donatur nobis, ut fiat victima. Postea rursus adduntur illa priora dona: sapientia et iustitia dato Spiritu sancto. Per hunc quasi effundunt se iterum in nos Pater

et Filius. Sicut dicitur in Propheta: *Effundam de Spiritu meo.* Ubi Emphasis est in voce: *Meus spiritus:* significat se loqui de Spiritu consubstantiali. Per hunc copulat nos sibi Deus mirabiliter: Cuius rei imaginem sumamus ex sensu osculi, in quo transfunditur Spiritus vitalis ex corde osculantis.

Osculum est quaedam transfusio Spiritus. Ideo Scriptura saepe hanc imaginem transfert ad Deum, ut in Canticis: *Osculetur me osculo oris sui:* Significatur Deum transfundere in nos Spiritum suum, et sic accendere in nobis amorem Dei, et laetitiam.

Aspiciamus naturam, et cogitemus de mirandis operibus Dei in nobis, et simul commonefiamus de spiritualibus Dei beneficiis erga nos.

Sensus osculi est mirabilis, et est in sola natura humana. Alit amorem, imo transfundit amorem una cum spiritibus: sicut etiam multa venena sic transferuntur. Apud Theocritum est hic versus:

Φεῦγε κακὸν τὸ φίλημα, τὰ χείλεα φάρμακον ἐντί.
Fuge malum osculum, labra venenum in se habent.

Ita Venus loquitur de Cupidine. Sed nos de Deo cogitemus, quod Iohannes inquit: *Deus dilectio est:* id est, vere et serio nos diligit, et transfundit in nos spiritum seu flatum, qui est velut flamma, seu incendium, vicissim accendens dilectionem in nobis erga Deum.

De his tantis rebus moneat nos narratio ista Evangelii: *Christus insufflavit eis, et dixit: Accipite Spiritum sanctum.* Hinc recte exstruuntur hae consequentiae: *Christus inflat Spiritum sanctum: Ergo est verus Deus;* quia solius omnipotentis naturae est spirare, et mittere Spiritum sanctum. Item, *Spiritus sanctus datur per Christum: Ergo ubi non est agnitio Christi, ibi non est Spiritus sanctus.* Item, *Sicut Christus hic afflat discipulos Spiritu sancto: Sic omnibus temporibus sustentans Ecclesiam afflat eam Spiritu sancto.* Item: Datur hic Spiritus sanctus cum afflatu. Significatur igitur, quod Spiritus sanctus sit motor et agitator, videlicet amor et laetitia substantialis in Deo, et flamma amorem et laetitiam in nobis accendens.

Discernamus autem Spiritum sanctum, qui est ὑφιστάμενον a motibus creatis. Item discernamus motus creatos in Ethnicis, et in aliis, qui sunt vere renati. Non debemus contendere Spiritum sanctum esse tantum agitationem creatam in homine, sicut Naboth ille faciebat, qui erat in familia Lutheri. Hunc Lutherus acerrime obiurgabat. Et recte, quia non potest hoc dici sine blasphemia. Deinde est in Alexandro ingens et ardens impetus: sed non est nominandus motus Spiritus sancti. Sic fortitudo Iulii non est motus Spiritus sancti: quia in quocunque est Spiritus sanctus, in eo simul est agnitio vera Dei, et copulatio cum Deo. Non est autem in Alexandro et Iulio lux agnoscens verum Deum. Fortitudo in Davide, quando aggreditur Goliath, est motus Spiritus sancti, quia lucet in mente Davidis agnitio veri Dei. Robur Herculis est quidem divinum aliquid, sed Hercules non propterea est templum Spiritus sancti.

Athanasius bene dicit: *Quandocunque dicitur in homine esse Spiritus sanctus, est ibi per verbum*, id est, per Filium. Petamus igitur per Filium dari nobis Spiritum sanctum: et perpetuo in ore habeamus precationem Psalmi: *Cor mundum crea in me, o Deus,* id est, purificatum fide, qua accipitur Remissio peccatorum, *et spiritum firmum innova in visceribus meis;* id est, rectum, stabilem, non dubitantem, non Academicum: *Ne proiicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Ideo autem nominatur *Sanctus*, quia non solum per se talis est, sed etiam sanctificat nos, et accendit virtutes congruentes cum Deo. *Redde mihi laetitiam salutaris tui*: haec laetitia etiam est effectus Spiritus sancti. *Et spiritu principali sustenta me.* In Hebraeo est *spontaneus*, id est, hilariter obtemperans in afflictionibus.

Consolemur etiam nos in invocatione illa dulcissima promissione: *Quanto magis pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus*; et exerceamus dona Spiritus, sicut Paulus inquit: *Accepistis Spiritum non timiditatis, sed roboris, dilectionis, et castificationis.* Praestemus constantiam et robur in confessione; vera laetitia acquiescamus in Deo, repugnemus furoribus irae, incendiis libidinum; tueamur castos mores, et simus moderati in omnibus motibus. Nam hoc significat vox σωφροσύνη, quae ibi est posita. Non significat tantum castitatem, sed generaliter transfertur ad moderationem, ne vincamur libidinibus, aut ira, aut aliis quibuscunque distortis affectibus. Non est Spiritus sanctus in iis, qui ruunt in peccata contra conscientiam, et in his perseverant; quia, ubi est Spiritus sanctus, ibi est flatus efficax, et accendit tales, motus, qualis est ipse.

De tertio loco.

Christus afflans Apostolos et dans Spiritum sanctum, simul instituit ministerium Evangelii. Hoc est testimonium, quod in Ecclesia simul sint haec duo: Praedicatio Evangelii, et donatio Spiritus sancti. Ubicunque est Ecclesia, ibi oportet esse ministerium vocis Evangelii, et Spiritum sanctum: et ubi est vox Evangelii, ibi sine ulla dubitatione sunt aliqui habentes Spiritum sanctum. Huc per-

tinent dicta: *Evangelium, est ministerium Spiritus.* Item, *Hoc est foedus meum cum eis: Spiritus meus qui est in te, et verbum quod est in ore tuo, non recedent abs te, neque a semine tuo.*

Exprimuntur autem hic verba formalia institutionis ministerii: *Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos*; et, *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Nullus Iurisconsultus potest mandatum procuratorium meliori forma conficere, quam Christus summo artificio tradit hic formalia legationis. In instructione, quando Princeps aut Dominus aliquis mittit legatum cum certis mandatis, primum nominatur is, a quo mittitur legatus: postea subiicitur, quid praestare debeat legatus. Ita Christus hic, ut sapiens Iurisconsultus, orditur ab autore ministerii.

Sicut Ecclesia non est condita humanis consiliis, sed Deus immensa bonitate fecit decretum deliberando genere humano per Filium: Ita ministerium, per quod colligitur Ecclesia, non humano consilio conditum est. Sed Filius Dei primum missus est in Paradiso, ut proferret vocem Evangelii ex sinu aeterni Patris. Hanc vocem commendavit Patribus, Patriarchis, Prophetis, et addidit ingentia testimonia, ut constaret ministerium huius vocis, constitutum esse autoritate summa aeterni Patris: ut, Adam eripitur ex morte: Enoch transfertur in coelum; Noe servatur in diluvio; Ignis de coelo accendit victimas: (quod Scriptura dicit: *Odoratus est Dominus odorem suavitatis*) factae sunt resuscitationes mortuorum.

Haec et similia miracula fuerunt testimonia, quod ministerium sit divinitus institutum. Illius ministerii ἔξαρχος fuit ipse Filius Dei, et hic subinde excitavit doctores, tamquam ministros suos: Ideo dicit hoc loco ad Apostolos: *Sicut misit me Pater: ita ego mitto vos*: id est, ego habeo testimonia mei ministerii, sic vestrum ministerium sciatis opus esse divinum. Idem Paulus postea dicit de Christo gloriose regnante: *Dedit alios Prophetas, alios Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores, alios Doctores.*

Hoc igitur primum consideretur hic, in institutione ministerii, quod videlicet allegatur autoritas summae personae, quae est autor ministerii; sicut in mandatis oportet allegari personam, quae habeat auctoritatem: quia non paretur peregrino Domino ius dicenti.

Hinc vero sequitur consolatio de efficacia ministerii Evangelii: affirmat Filius Dei se fore efficacem in ministerio, sicut Pater per ipsum fuit efficax: *Sicut misit me Pater*, scilicet cum efficacia: *ita ego mitto vos:* id est, volo esse efficax per verbum et ministerium vestrum: Item, Servabo ministerium vestrum, donec revertar ad iudicium Tribuit sibi divinam potentiam cum Patre; et ostendit ministerium non esse inane murmur, et nunquam penitus eversum iri in mundo.

Pertinet autem haec consolatio non tantum ad Doctores, sed etiam ad auditores. Quando legis; vel audis, vel discis Evangelium, scias Filium Dei vere velle efficacem esse in corde tuo. Ames igitur ministerium, venereris, et audias vocem sonantem in ministerio. Haec sciamus singuli, vere hanc esse voluntatem Dei, colligere Filio Ecclesiam per ministerium, et velle Deum, ut ministerium servetur in genere humano, et ut audiatur, et singuli fide sustentent corda iuxta vocem ministerii. Sciamus sic vere Deum agnosci, et apprehendi, quando audimus vocem ministerii, et quod Deus instituerit hunc modum, quo det nobis bona aeterna per ministerium.

Postea accommodemus haec verba: *Sicut misit me Pater meus, ita ego mitto vos*: etiam ad declarationem certi mandati. Discernit Christus ministerium a regno politico. Sicut ipse non est missus ad regnum politicum, ita non vult Apostolos praetextu ministerii arripere regna. Et loquitur hic Christus de se, tamquam de concionatore. Ait enim hic de missione ad praedicandum Evangelium.

Alioqui habet Filius propriam quandam functionem de qua hic non loquitur. Nam Filius Dei solus est victima et Salvator, Apostoli non sunt victima et salvatores. De solo Christo dicitur: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Item, *Ex plenitudine eius omnes accepimus.* Hoc discrimen praesupponi debet, ut servetur Filio sua praerogativa, quod ipse solus sit propitiator, vivificator, et salvator. Loquitur autem hic de missione ad praedicandum, de qua dicitur apud Esaiam: *Spiritus Domini super me, ut annuntiem afflictis Evangelium*, etc.

Quod ergo ad hoc ministerium attinet, dicit se mittere Apostolos similiter ad praedicandum. Dat igitur eis mandatum, ut sonent Evangelium, sicut alias dicit: *Ite et praedicate Evangelium omni creaturae.* Diligenter ergo consideretur particula *sicut*; ut sciamus, Apostolos et caeteros Doctores non mitti ad constituenda imperia, non mitti ut Reges, non ut mundi Principes, sed ut sonent vocem Evangelii, et patiantur propter confessionem doctrinae.

Non debuerunt ergo Apostoli habere exercitus: non praetextu doctrinae, debuerunt occupare regna, sicut assentatores Pontificum scripserunt, Petrum et huius successores habere summum mandatum docendi, et summam auctoritatem ordinandi regna; ideoque cum regnum aliquod est vacuum, dicunt summum Pontificem habere ius constituendi Regem, quem ipse velit. Hic est magnus et perniciosus error, et tetrum mendacium; et hoc vere est *Coronare Christum spinis.* Et tamen saepe superioribus saeculis ausi sunt Pontifices adimere et

conferre imperium, et regna, quibus voluerunt, sicut Papa ille Hildebrandus contra Imperatorem Henricum IIII. excitavit Rudolphum Ducem Saxoniae et Sueviae, qui fuit alioqui bonus Princeps et potens: habuit sub se duas nationes, quarum fuit magnum robur, et tunc fuit maius, quando exercebantur, et habebant caput seu ducem bellicosum.

Huic Rudolpho misit Papa coronam, cui fuit inscriptus versus:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Id est, Christus dedit Imperium Pontifici, et Pontifex dedit Rudolpho. Voluit ostendere se habere potestatem faciendi Imperatores, et Reges quos velit. Rudolphus in proelio prope *Mersberg* amisit dextram, qua antea iuraverat fidem Imperatori; et est mortuus ac sepultus in *Mersburg*.

Fuerunt illis temporibus et postea, magnae contentiones de potestate Papae. Nescio, an homines tam stulti fuerint, ut probarent illam audaciam Pontificum. Nam quia error tam crassus et palpabilis est, fortassis illi ipsi, qui disputarunt de potestate Papae, magis assentandi studio illam exaggerarunt, quam quod re ipsa sic sentirent. Potest tamen fieri, ut aliquorum tanta fuerit caecitas, ut amisso discrimine inter regna politica, et regnum Christi, crediderint Pontificem recte sibi arrogare hoc ius: sicut legentes scripta illorum temporum, deprehendimus tenebras tantas, ut non possimus non mirari tam densam caliginem in crassissimis rebus.

Videmus, quid adhuc hodie disputent Pontificii, *Papam esse vicarium Christi; habere potestatem condendi nova decreta: et haec decreta habenda esse pro articulis fidei.* Quemadmodum Panormitanus quoque aperte scribit: *Non bene consuluisset Deus Ecclesiae, nisi reliquisset pontificiae auctoritati potestatem addendi et diminuendi Scripturam.*

Hanc potestatem cum arrogarunt Pontifici, postea allegant dicta illa de obedientia debita ministerio: *In cathedra Mosis sedent Scribae et Pharisaei, quicquid dixerint vobis facite: Obedite praepositis vestris.* Verum haec est solutio ad omnia ista dicta: Debetur obedientia pastoribus in his, quae sunt mandata a Deo. Tu debes obedientiam Pastori sonanti vocem Evangelii, et manenti intra metas illorum mandatorum, quae praescripta sunt a Filio Dei. Nam sententiae illae de obedientia non constituunt regnum Papae extra Evangelium.

Nec Christus misit Apostolos cum libera, ut loquuntur iurisconsulti, qui docent legatos dupliciter mitti, vel cum speciali mandato, seu cum restrictione, vel cum libera, scilicet potestate agendi.

Pontanus scribit se habuisse duos Dominos, Reges Neapolitanos, Ferdinandum patrem, et Alphonsum filium. Ferdinandus semper misit legatos cum libera, id est, dedit potestatem consiliariis discedendi a mandatis, prout illis videretur. Dixit: committo vestrae fidei et prudentiae, ut mutetis aliquid in mandatis, aut faciatis quaedam, quae res postulabit, etiamsi non sint illa expressa in mandato, seu instructione. Sic non mittuntur Apostoli cum libera potestate, sed mittuntur cum mandato certo et limitato.

Alphonsus filius Ferdinandi, quoties misit legatos, dedit semper expressa et limitata mandata: quia comperit, quod consiliarii patris saepe mutassent aliquid, quod non profuisset. Ideo solitus est dicere ad legatos; *Nolo vos discedere a meis mandatis: agite hoc, quod vobis mando, non aliud.*

Recitavi vobis alias historiam, quae accidit in Ducatu Wirtenbergensi. Eam saepe audivi ex Doctore iuris, viro bono et sapiente, qui ei rei interfuerat. Erant missi a duce Wirtenbergensi tres legati ad quendam Principem, apud quem debebant exponere, et expedire, quae habebant in mandatis a suo Domino. Unus erat eques auratus: alter Doctor ille, qui mihi ipse haec narravit: tertius, senex nobilis, non tamen eques auratus. In itinere coeperunt disputare de mandatis sui Domini; quia innotuerant eis aliquae circumstantiae, quae videbantur requirere aliquam mutationem. Eques auratus primum dixit suam sententiam, et ut erat ingeniosus et facundus, disputavit, mandata, quae accepissent, non congruere ad praesentes circumstantias, oportere illa mutari. Secundus, cum esset Doctor, ut ostenderet se quoque non pauciora dicere posse, quam miles dixisset, disputavit pro et contra, non esse discedendum omnino a mandato Domini, et tamen moderandum esse mandatum. Perventum est ad tertium, senem nobilem. Hic, audivi, inquit, disputationes vestras, et video rem totam sapienter a vobis cogitatam, et disceptatam esse. Sed audite, quaeso, quid mihi videatur faciendum esse. Noster Princeps habet tres gradus consiliariorum. Primus gradus est summorum, qui pro sua sapientia vident, ubi sit aliquid mutandum, et habent simul autoritatem, ut possint defendere eam mutationem, et manere in gratia Principis. Tales sunt Cancellarius noster, et Marschalcus. Secundus gradus est eorum, qui etiam sunt sapientes; possunt iudicare de rebus, et moderari aliquid pro sua sapientia, sed non habent autoritatem mutandi, quia non sunt ita potentes, ideo non facile audent discedere a mandatis. Talis est in aula nostra praefectus quaestorum, et scriba provincialis, *Rentmeister und Landschreiber.* Tertius gradus est illorum, qui neque sapientes, neque potentes habentur. Sunt primum adsciti ad consilia Principis, non habent autoritatem magnam, ideo rectissimum est tales

facere, quod iussit Princeps, nihil diminuere vel addere mandato, nisi Principe conscio. Ex isto gradu sumus etiam nos; ideo exequamur mandata Principis, nec quicquam mutemus. Hanc sententiam secuti sunt reliqui.

Talia exempla sunt observanda; ut, si qui accessuri sunt aliquando ad Rempublicam, discant distinctionem legatorum, et assuefaciant se, ut maneant intra metas mandatorum, quae acceperunt a suis Dominis: Et multo magis, ut hi, qui ad ministerium Ecclesiae sunt accessuri, discant non sua, non aliena, sed Christi mandata exponere aliis.

Memini etiam, quid acciderit in his terris. Dux Georgius miserat Doctorem Breidenbach, expediendi certi mandati causa. Breidenbach erat homo doctus et ingeniosus, et valebat autoritate apud Principem. Reperit occasiones alias ad negotium conficiendum; discessit a mandatis Principis, et egit alio modo pro suo arbitrio. Cum rediisset domum re bene expedita, commemoravit Principi, quomodo negotia omnia reperisset constituta, et quid ipse, et quomodo egisset. Ibi princeps Georgius sedit, tacens aliquamdiu: tandem dixit: D. Breidenbach, Vos bene expedivistis, sum contentus hoc tempore: sed nolite hoc facere amplius, ut discedatis a meis mandatis. *Ihr habts wol gnug verrichtet, ihr seid aber meinem befehl nicht nachkommen, thut mirs nicht mehr.* Erat enim severus Princeps; et Doctor ipse inter recitandum illa, quae egerat, metuens iram Principis, nonnihil trepidabat.

Sic igitur differunt mandata legatorum restricta, et libera. Christus dat mandata specialia et restricta. Non vult Apostolos discedere a mandato suo, sicut alibi inquit: *Praedicate Evangelium.* Item, *Praedicate in nomine meo poenitentiam, et remissionem peccatorum.* Item, *Docete eos servare omnia, quae praecepi vobis.*

Hic cogitetur etiam de discrimine legis et Evangelii. Nonne Moses quoque fuit missus a Deo? ita certe. Sed ad quid? Principaliter fuit missus Moses ad constitutionem politiae. Fuit extrema illa functio valde conspicua, et incurrens in oculos hominum: quamquam tota illa politia constituta est propter Ecclesiam, et Moses simul fuit Doctor de Christo, sicut alii Prophetae, Helias, Elisaeus, Daniel, simul fuerunt et gubernatores politici et Doctores de Christo.

Ubi docet Moses de Messia?

Respondeo. Non dicam nunc de promissionibus, quas scribit Moses traditas esse primis parentibus et Abrahae, neque etiam de ritibus sacrificiorum, qui fuerunt typus et figura Christi. Sed ero nunc contentus illa valde illustri concione, quam etiam Apostoli citant in Novo Testamento, cum Deuter. 18. inquit: *Suscitabit vobis Dominus alium Prophetam, ex fratribus vestris, quem qui non audiverit, eius anima eradicabitur ex populo.* Hunc Dominum ipse videt facie ad faciem, et audit eum concionantem: *Videbis novissima mea*: ubi significatum est, Filium Dei suo tandem tempore venturum esse in carnem.

Verum illa externa et conspicua functio Mosis, fuit constitutio politiae et praedicatio legis. Apostoli autem mittuntur a Christo ad praedicandum Evangelium, cuius summa hic traditur: *Quidquid remiseritis, erit remissum in coelo: si retinueritis peccata, erunt retenta in coelo:* Adiungantur huc et reliqua dicta, quae sunt declaratio horum: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: Qui non crediderit, condemnabitur.* Paulus inquit: *Sumus ministri novi Testamenti, non literae, sed Spiritus.* Per ministerium Evangelii datur remissio peccatorum, iustitia et Spiritus sanctus.

Sic igitur mittit hic Dominus Apostolos, ut iubeat eos remittere peccata. Hoc est speciale mandatum, quod datur expressis verbis. Sed habet hoc mandatum etiam adiunctam ratificationem. Christus vult habere ratam remissionem suo et aeterni Patris nomine: et hanc vult obsignare in cordibus, dato Spiritu sancto.

Hoc bene ac diligenter considerandum est de summa Evangelii, et eius ratificatione; item quod cum remissione peccatorum simul detur Spiritus sanctus. Quando homo audit vocem Evangelii, et erigitur; tum in hac ipsa consolatione vere datur Spiritus sanctus. David audiens hanc vocem: *Dominus abstulit peccatum tuum*, et acquiescens in ea, sentit consolationem: et experitur, se obsignari Spiritu sancto; de quo Paulus inquit: *Ipse Spiritus dat testimonium spiritui nostro.* Item: *Accepimus Spiritum, quo clamamus, Abba Pater:* id est, quo confirmamur de remissione peccatorum, et acquiescentes in promissione, incipimus sentire laetitiam; experimur in nobis accendi initia vitae aeternae.

Hoc est ministerium Evangelii, seu novi Testamenti, de quo hic dicitur. Nec sunt miscendae hic futiles illae disputationes de imperiis aut regnis, quas miscent Pontificii. Habent imperia suum locum, et sunt necessaria in genere humano. Sed non est facienda confusio gubernationis politicae, et ministerii Evangelii. Magna res est gubernatio imperiorum, et valde mirabilis, quam ego non intelligo, quamvis sciam communem custodem esse Ecclesiae et imperiorum Deum ipsum.

Sed quomodo Deus ea transferat, nihil ad me, neque ad te pertinet, qui sumus in munere docendi: Ita nihil ad Paulum et Petrum pertinet, quod Nero sedet Romae in Imperio, quo nullus fuit hominum

tetrior, nulla cloaca Diabolorum turpior in genere humano. Sub hoc tamen praedicant Paulus et Petrus. Funguntur suo officio, quod Christus hic imponit Apostolis. Docent Evangelium; remittunt peccata, consolantur et erigunt infirmos, recipiunt credentes, damnant incredulos, reprehendunt sceleratos. Non disputant, cur Deus toleret Neronem in summo fastigio Imperii: non movent adversus eum seditionem. Agunt interim cum suis auditoribus, et Deus testificatur se ratam habere praedicationem illorum in conscientiis eorum, qui credunt iuxta hanc asseverationem: *Quorum remiseritis peccata, remissa erunt.*

Hanc vocem, quae tantum nota est in Ecclesia, non obiter audiamus, sed ut res ipsa magna est, ita diligenter eam infigamus animis, et hinc sumamus definitionem novi Testamenti: Quod est *praedicatio remissionis peccatorum, donatio iustitiae, et Spiritus sancti et vitae aeternae, propter Filium Dei;* quia, cum nominatur *Remissio peccatorum,* simul intelligi debent omnia caetera bona, et simul haec fiunt. Sublato peccato et morte, redditur iustitia et vita aeterna. Haec omnia complectitur mentio remissionis peccatorum.

Tenenda est etiam haec consolatio, quod ministerium annuntiandi remissionem peccatorum sit mandatum a Christo, et debeat esse ratum, sive publice annuntietur multis, sive singulis. Tu debes scire ratam tibi esse vocem annuntiantem tibi remissionem peccatorum, publice et privatim in nomine Christi. Non est ex Ecclesia prorsus tollenda privata absolutio; quia, etiamsi ex publica quoque absolutione petenda est remissio peccatorum, tamen utilis et necessaria est etiam privata absolutio: qua non in genere omnibus, ut fit in praedicatione publica, sed etiam singulis petentibus consolationem applicatur remissio peccatorum, quae accipienda est fide, et quidem propter Filium Dei, non propter nostra aliqua merita.

Ante annos aliquot, Osiander aboleverat Noribergae privatam absolutionem, postea voluit eam restituere; quia videbat non tantum consolationi servire, sed etiam nervum esse disciplinae. Utramque rem egit ad populum acerrimis concionibus. Et sicut prius peccaverat in unam partem abolendo, sic miscebat hyperbolas suas in restituendo. Tandem etiam scriptis actum est. Scribebat Osiander, *Non remitti peccata, nisi per absolutionem,* quod est falsum. Est enim remissio peccatorum per verbum sive auditum, sive lectum, item cogitatum cum fide, vel praedicatum publice. Et confirmatur remissio peccatorum in legitimo usu Sacramentorum, Baptismi et Coenae Domini. D. Martinus, Dominus pastor, et ego cogebamur respondere de illis scriptis, quae erant huc missa a senatu Noribergensi. Ego iussus, componebam formulam, qua sustulimus illas ineptias; agebam leniter adversus eum, quod ipse quoque Osiander agnovit; quia ipse mihi dixit postea: *Bene vidi, quod voluistis mihi parcere.* Si D. Lutherus scripsisset formulam, multo durius eum tractasset.

Privata absolutio si retineatur sine superstitione, est vox Evangelii, instituta a Deo: Non est igitur abolenda. Monet etiam ritus privatae absolutionis, esse in Ecclesia remissionem peccatorum accipiendam fide a singulis credentibus. Et, si in universum aboleretur hic ritus, paulo post homines rudiores amitterent hanc fidem, agentibus poenitentiam impertiendam esse remissionem peccatorum.

Contra:

Solus Deus remittit peccata, sicut dicitur:

> *Ego sum, qui deleo iniquitates propter me:*
> *Ergo non remittunt peccata Apostoli, non caeteri doctores Evangelii.*

Respondeo. Apostoli et doctores remittunt, in quantum ministri, annuntiantes voluntatem Dei, propositam in Evangelio, et per hanc annuntiationem Deus est efficax. Nam Deus sic, et non aliter colligit aeternam Ecclesiam, scilicet per vocem ministerii. Hac voce remittit peccata agentibus poenitentiam, et non remittit, seu retinet peccata impiis, qui non convertuntur.

Haec profecto magna sunt, nec possunt satis explicari verbis. Sicut Filius Dei summus est legatus, ita res etiam sunt maximae, propter quas mittitur Filius Dei: Et sicut aeternus Pater fuit efficax per ministerium Filii: sic exserit suam efficaciam nunc quoque in praedicatione Evangelii. Singuli subsequantur cogitatione pia magnitudinem harum rerum, et ad se quoque applicent: Quod si qui contemnunt, de iis hic dicitur: *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt:* id est, non annuntiatur remissio peccatorum iis, qui perseverant in peccatis, et impietate. *Vivo ego,* inquit Dominus, *nolo mortem peccatoris.* Sed addit: *ut convertatur et vivat.* Item: *Qui non credit in Filium, iam iudicatus est.* Non igitur sit in nobis petulantia, non cogitemus parvam esse iram adversus impietatem.

De quarto loco.

In Thoma describitur copiose et multis verbis dubitatio, quae per se est magnum peccatum. Sed Thomas non habet levem aut exiguam dubitationem. Est in eo propemodum asseveratio pertinax, sicut inquit: *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et mittam digitum meum in vestigium clavorum, et mittam manum meam in latus eius, non credam;* scilicet resurrexisse eum. Certe

debuerat credere verbis Christi antea dictis. Audierat enim aliquoties illum sermonem ex Christo: *Ego tertio die resurgam.* Debuisset etiam credere Ecclesiae asseveranti, id est, caeteris Apostolis praedicantibus resurrectionem. Sed neque in mentem ei venit, quod ipse toties audierat ex Christo, neque fidem adhibet Ecclesiae sonanti vocem Christi, et testificanti de eius resurrectione. Haec est magna caligo, et magnum peccatum. Et tamen peccato illi medetur Dominus, sed ita ut reprehendat eius dubitationem et pertinaciam, et deducat eum ad verbum, et ad testimonia evidentia de articulo isto. Iubet eum inferre digitum, et videre manus suas, et extendere manum, et mittere in latus suum.

Thomas igitur postquam agnoscit Dominum, audita obiurgatione: *Ne sis diffidens, sed crede:* concipit novum motum; quia simul, dum contrectat, est in eo efficax Spiritus sanctus. Ideo exclamat: *Dominus meus, et Deus meus.*

Hic monemur, in sanctis in hac vita remanere quidem magnam imbecillitatem, multum caliginis, errorum, et dubitationum: sed ita tamen, ne pergant post agnitam veritatem pertinaciter adversari; Sint dociles et sanabiles; et commonefacti de sua infirmitate et immundicie, dolentes petant se erudiri, sanari, regi, confirmari divinitus. Talium caligini, dubitationibus, infirmitati, vult succurrere, seu mederi Christus. Haec est utilis et necessaria commonefactio. Cogitemus singuli, nos esse infirmos: et simul cogitemus recipi infirmos: modo patiamur nos moneri; et deducti ad verbum, ac convicti Scripturae testimoniis, emendemur, corrigamur, abiiciamus errores, et excutiamus reliquias stultae caecitatis ac pertinaciae in nobis.

Meminerimus etiam, ut in magnis doloribus confugiamus ad vulnera Christi; ut Thomas hic deducitur ad fixuras clavorum, et vulnus lateris. Sciamus nostra vulnera sanari per vulnera Christi, cum confugimus ad Christum passum pro nobis. Quo pertinet illud Augustini dictum: *Totius fiduciae certitudo est in sanguine Christi.*

Est autem hoc expressum testimonium, quod hic Messias sit Deus, cum inquit Thomas: *Dominus meus, et Deus meus.* Haec profecto est magna vox. Nunquam adhuc in Evangeliis audivistis, quod Apostoli nominarint eum expresse Deum. Sed Thomas loquitur secundum consuetudinem prophetarum. Coniungit in sua confessione et invocatione duo vocabula: *Dominus meus, et Deus meus;* ut profiteatur in agnitione huius Domini resuscitati, quem credit natura Deum et invocandum esse; se verum Deum, patefactum Ecclesiae in populo Israel discernere ab omnibus commenticiis numinibus, et distinguere invocationem veram a falsa. Saepe in Scriptura, praesertim in veteri Testamento, coniunguntur haec duo nomina: ut in Psalmo: *Illi in curribus et equis: Nos autem in nomine Domine Dei nostri invocabimus.*

Dominus, estne proprium vel appellativum nomen?

Est proprium, *Iehova.* Aliud est nomen *Elohim,* et *Adonai.* Iehova non est commune nomen, ut δεσπότης: ut, cum servus aliquis dicit: *Iste est Dominus meus.* Sed est nomen proprium veri Dei. Gentes, quae discesserunt a vero Deo, et a veris cultibus, tribuerunt nomen Dei etiam commenticiis Diis. Vult autem Deus ita agnosci in Ecclesia, ut discernatur verus Deus a commenticiis numinibus. Vult ita invocari a nobis, ut discernatur nostra invocatio ab invocatione Ethnica. Ideo oportet esse nomen proprium, discernens verum Deum a ficticiis numinibus. Ac consentaneum est nomen *Iehovae* idem significare, quod *is quiest*, id est, qui revera est Deus, non est nomen inane, non est Deus commenticius. Hoc igitur nomine usi sunt Patres, cum in cultu suo coniunxerunt nomen Iehovae et nomen Dei. Dixerunt, se invocare Deum Iehovam. Existimo etiam Thomam respexisse ad textum in Exodo, ubi cum quaereret Moses: *Quid dicam, Quod est nomen tuum? Dicas,* inquit Dominus, *Qui est, misit me:* id est, qui est revera Deus. In textu tamen Hebraeo ibi est: *Qui erit,* id est, qui veniet ad vos; hoc est, qui erit Messias vester, quem exspectatis: ille misit me ad vos. Mihi non displicet, quod aliqui speculati sunt, Iehova interposita litera *schin*, fieri *Iesum iehoschia*, *et ieschua.* Illa litera *schin*, significat hoc ipsum, Qui, *welcher.* Agnoscit igitur, Messiam quoque esse substantialem illum Deum, qui est revera Deus, et non est commenticium numen. Significat Messiam esse Iehovam, illum verum Deum, qui eduxit populum ex Aegypto, sicut Esaias inquit: *Tu eduxisti Mosen brachio forti per mare rubrum.* Quae verba simul continent pulchram hypotyposin illius mirandi operis divini, videlicet eductionis ex Aegypto.

Oportet autem nos cogitare ista, ut ad eundem modum discernamus nostram invocationem ab invocatione Ethnica.

Nonne Ethnici quoque sciunt aliquid de invocatione?

Sciunt sane, ut apud Homerum dicitur: *Orate,*

omnes enim homines indigent Deo. Ratio videt, imbecillitatem humanam, et cogitat esse aliquod numen, quod servet genus humanum. Sic Plato de culto Dei loquitur in hoc pulcherrimo dicto: *Nemo nobis persuadeat maiorem virtutem esse generi mortali, pietate. Μεῖζον ἀρετῆς μηδείς ποτε ἡμᾶς πειδη τῆς εὐσεβείας εἶναι τῷ θνητῷ γένει.* Agnitionem Dei, et assensionem, quod sit Deus, quod sit providentia, quod Deus benefaciat bonis, et sit vindex scelerum: Item, quod metuendus, quod colendus sit Deus, id philosophi vocarunt *εὐσέβειαν.* Et addit Plato: *Debemus Deum colere οὐ σχήμασι τεχνάζοντας, ἀλλ' ἀληθείᾳ τιμῶντας τὴν ἀρετήν:* id est, *non gestibus artificiose aliquid facientes, sed in veritate colentes seu exercentes virtutem.* Est idem, quod in versibus Catonis dicitur:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi praecipue sit pura mente colendus.

Uterque significat Deum colendum esse non externa hypocrisi, sed bona voluntate, bonis moribus. Magna pars hominum negligit obedientiam moralem, et tantum ceremoniis studet. Sumite exempla Hispanica, quamquam ubique reperiuntur etiam apud nos. Quando est tempus passionis Christi, seu ieiunii, Hispani congregantur magno numero, et se flagellant, ita ut sanguis erumpat: et tamen illi ipsi nebulones, sunt fures, latrones, adulteri, sicarii, pessimi omnium hominum. Putant se Deum colere illo externo gestu. Fingunt se facere illud opus, ad promerendam remissionem peccatorum. Quam multi sunt sacrificuli, qui cogitant, quod colant Deum, si unam Missam quotidie celebrent: interim sunt scortatores, cynaedi, moechi, mali homines! Tales sunt multi ex nostris, qui sunt hypocritae. Volunt esse Christiani, et prophane vivunt. Fallunt se et alios, ut dicitur in poemate: *Da mihi fallere: Da iustum sanctumque vocari.* Id improbat etiam Plato, inquiens, *Deum non esse colendum gestibus.* Eousque pervenit ratio. Et sic in lege Zaleuci quoque dictum est: Quod Deus sit colendus non Tragoediis captivorum, seu Tragicis gestibus, sed virtute et proposito iustorum et honestorum operum.

Quaero: An satis sit dictum? Non. Christus plura complectitur, cum dicit Ioh. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate. In spiritu*, id est, motibus excitatis a Spiritu sancto. *In veritate*, hoc est, in vera agnitione Dei. Non satis est gestu, ceremoniis, aut etiam virtutibus civilibus colere Deum, sed oportet esse motus seu affectus spirituales, timorem Dei, et fiduciam erga Deum. Et oportet praecedere lucem illam agnoscentem verum Deum, sicut se patefecit, et notitiam promissionis, quod velit nos exaudire propter Filium. Sed nunc non dicemus de affectibus, qui tum demum accenduntur in pectoribus, quando lucet vera agnitio Dei et voluntatis eius in nostris mentibus. Dicemus iam tantum de doctrina, ex qua oritur illa agnitio.

Quae sunt ergo differentiae invocationis Ecclesiae, et aliarum invocationum extra Ecclesiam?

Duo sunt praecipua discrimina: unum est, agnitio essentiae: alterum, agnitio voluntatis Dei. Quandocunque incipitis precationem, cogitate, quem alloquamini, et an, ac cur exaudiamini. De utraque re Deus dedit patefactiones in verbo suo, ad quas nos alligavit. Has oportet cogitare inter precandum. Vetustas dixit, *Precationem esse omnium operum difficillimum.* Id verum est: Quia precantem oportet intentum esse in cogitationem patefactionum divinarum, praeterquam quod alia multa impedimenta sunt, quae nos avocant, aut turbant in precando. Quando sine cogitatione murmurantur preces, ut faciant Nonnae, aut sacrificuli, ea non est vera precatio: quamquam multorum tanta est prophanitas, ut etiam ludibrio habeant preces: sicut sacerdos ille, cum neglexisset recitare horas Canonicas, colligebat literas A, B, C, et recensebat totum alphabetum, et dicebat: *Mi Deus, accipe has literas, et fac tibi horas Canonicas.* Est oratio deridentis pietatem et invocationem. Adulti, qui vere pii sunt, debent adhibere in precatione cogitationem seriam de discrimine inter veram et falsam invocationem. Non debent orare, ut infantes, qui nondum intelligunt, nec cogitant verba, quae recitant in precibus. In adultis debet exuscitari cogitatio et accendi fides. Deus regit infantes suo modo. Sanctificat eos, et saepe mirabiles motus in eis excitat. Spiritus sanctus vere in illis etiam orat, sicut scriptum est: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.* Mea filiola componebat cantiunculam: *Lieben kinderchen seid ihr from, so kompt ihr in den Himmel; Seid ihr aber nicht from, so kompt ihr in die Helle.* Spiritus sanctus mirabiliter est efficax etiam in infantibus, qui efficax fuit etiam in Iohanne, cum adhuc esset in utero matris. Sed loquor iam de adultis: Hi debent addere cogitationem.

Sit ergo haec prima cogitatio. Discernamus nostram invocationem ab Ethnica, quoad essentiam. Ethnici negant illum esse verum Deum, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi: negant Filium esse consubstantialem Patri: negant Spiritum

sanctum procedere a Patre et Filio: Nos autem cogitemus nos alloqui verum Deum, conditorem coeli et terrae, patefactum in Ecclesia, datorem legis et promissionis, et dantem testimonia prophetis, qui est Pater aeternus, et Filius, et Spiritus sanctus. Quando dicis: *Pater noster, qui es in coelis:* nomen *Patris*, ponitur essentialiter: Quia alloqueris totam divinitatem, complecteris etiam Filium et Spiritum sanctum. Nam quandocunque fit antithesis divinitatis et creaturarum, tum invocatio directa ad Deum, vel ad Patrem, intelligenda est de tota trinitate. Postea altera cogitatio esse debet, an et quare exaudiaris: Plato, Xenophon, dubitant, an exaudiantur. Tu debes statuere, quod exaudiaris; et quod exaudiaris propter Filium. Ethnici neque ad verum Deum accedunt, neque sciunt, an exaudiantur: Quia sunt sine notitia patefactionum Dei, et carent notitia Mediatoris, et promissionis gratiae. Ideo videtis in poematis, quomodo inchoent suas precationes cum dubitatione: ut Hiarbas apud Virgilium:

— An te genitor cum fulmina torques
Nec quidquam horremus, caecique in nubibus ignes
Terrificant animos, et inania murmura miscent?

Est postea addit: *famamque fovemus inanem.* Vere inanis fama est, Mentio Dei, non credenti et manenti in dubitatione. Nobis autem non sit inanis fama, sed sciamus vere et esse Deum, et eum ipsum esse, qui se nobis patefecit in verbo suo. Item, vere Filium Dei missum esse ad nos, apparuisse in carne, crucifixum esse, resurrexisse, et versatum esse cum Apostolis post resurrectionem, ut testaretur se vivere; et hunc sedere ad dexteram patris, esse mediatorem, regere et salvare Ecclesiam. Haec doctrina debet omnibus esse notissima, ut exerceatur in invocatione quotidiana. Ideo libenter et crebro eam repeto, ubicunque se occasiones offerunt; ut hic est exemplum verae invocationis, cum Thomas inquit: *Dominus meus, et Deus meus.* Appellatio *Domini Dei* deducit nos ad verum Deum. Particula *Meus* facit applicationem promissionis gratiae.

De quinto loco.

Natura hominum est avida intuitivae notitiae. Omnes cuperemus apprehendere Deum visibiliter: vellemus libenter coram videre Deum, ut dicit Philippus: *Ostende nobis patrem.* Sed Christus tradit contrariam regulam. *Beati qui non vident, et credunt.* Contuitus externus, aut contrectatio externa tantum, non iuvat, ut Iudaei viderunt coram patefactiones Dei, spectarunt illa magna miracula, quae Deus edidit, et tamen non crediderunt. Multi etiam viderunt Christum oculis corporeis, nec tamen inde salvati sunt. Non sufficit igitur visio corporalis: Quia non subit mentem, sine Spiritu sancto. Deus vult apprehendi a nobis in hac vita fide. Hac apprehensione debemus contenti esse, et acquiescere in Deo apprehenso per fidem; et certo statuere, quod simus ei accepti, quod exaudiamur, quod habituri simus vitam aeternam. Sic alibi quoque dicitur: *Iustus fide sua vivit.* Et, *Iustificati fide, pacem habemus cum Deo.*

Deinde, ne aberret fides a vero Deo: sciamus nos hoc ipso dicto Christi alligari ad verbum Dei. *Beati*, inquit, *qui credunt*, scilicet verbo Dei, ad credendum nobis tradito; sicut Ioh. 17. iubet nos credere testimonio Apostolorum, cum inquit: *Oro pro credituris per verbum eorum in me.* Non vult nos quaerere novas illuminationes, aut revelationes extra verbum Ecclesiae traditum. Est igitur refutatio Schwenckfeldii, qui dicit, quod *Deus se communicet et infundat hominibus immediate:* et deducit homines ad sensibiles motus, *zur empfintlichkeit*: et relinquit in dubitatione, si qui non habent illustres motus, aut raptus Enthusiasticos. Impugnat huc, quod Deus sit efficax in nobis verbo vocali, et quod in magnis tentationibus sit iudicandum ex verbo, non ex iis, quae in nobis fiunt, quae saepe experimur esse valde languida.

Tota Scriptura in exercitiis fidei deducit nos ad verbum. Hoc iubet audire, huic vult nos credere, et assentiri, non aliter quam si esset vox peculiariter nobis data de coelo inter magna miracula. Per hoc verbum affirmat Deum se communicare nobis, ut dicitur: *Prope est verbum in ore tuo*: Et, *habentes spem per consolationem Scripturarum.* Item: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*: Et, *Anima mea speravit in Domino, speravit in verbo eius. Qui non dixerit iuxta hoc verbum, non erit ei lux matutina. Habent Mosen et Prophetas: illos audiant. Si illis non credunt, ne quidem credituri sunt, si quis ex mortuis mitteretur ad eos.* Est igitur amanda doctrina verbi, legenda, cogitanda, et saepe repetenda, ut Paulus dicit: *Habitet sermo Dei in vobis abundanter cum omni sapientia.* Item: *Haec est consolatio mea in afflictione mea, verbum tuum, quo vivificasti me.*

Nec vero sine magno agone, ac certamine fit, ut animus fide acquiescat in verbo. Quando haeremus in miseriis, sumus deserti ab omnibus creaturis: cum Deus ipse videtur nobis adversari, non sine ingenti lucta acquiescimus in voce Evangelii de remissione peccatorum, de praesentia Dei in nostris aerumnis, de liberatione aut mitigatione calamitatum, de haereditate vitae aeternae.

In tali agone et lucta discitur, quanta vis sit huius dicti. *Beati qui non vident, et tamen credunt.* Non videt David se recipi in gratiam, cum expellitur in exilium: cum Filius contaminat eius coniuges, cum adversus patrem capit arma. Haec horrenda spectacula fides superat, et statuit sibi remitti peccata, et exspectat mitigationem poenarum: Quia erigit se verbo, et credit huic promissioni: *Dominus transtulit peccatum tuum.* Et hic considerentur diversa itinera certitudinis in philosophia et in consolatione, quae fit fide. Philosophia procedit ab experientia et sensu ad assensionem. Medicus dicit zinzibere calefieri ventriculum, corrigi cruditates, quando expertus est hanc vim esse zinziberis. Puer non credit ignem urere, donec admota manu sentiat ustionem. Sic in rebus naturalibus universaliter praecedit experientia assensionem. Consolatio autem quae fide fit, habet contrarium processum. Primum oportet nos audire verbum Dei, et assentiri huic. Id cum facimus, tum demum sentimus consolationem. Fides antecedit experientiam: et consolationis sensus sequitur assensionem, iuxta dicta: *Si quis vult facere voluntatem Patris mei, et credit in eum, qui misit me, is intelligit de doctrina.* Et, *Credite Domino Deo vestro, et securi eritis.* 2. Paral. 20., id est, primum credite iuxta verbum per Prophetas traditum: postea videbitis eventus. Oportet fide amplecti promissionem divinam. Tum sequetur experientia, et animus confirmabitur sensu laetitiae et auxilii divini.

DOMINICA MISERICORDIAE DOMINI.

Evangelium Ioh. 10.

Ego sum pastor bonus, etc.

Ista concio estne legalis vel Evangelica?

Respondeo. Non est legalis. Non agit de praeceptis moralibus: sed est Evangelica concio; quia est doctrina, seu narratio de Filio Dei, seu de Messia, quis sit et quod sit eius officium, quid agat, quae sint eius beneficia. Docet, quod Messias sit redemptor et restitutor generis humani. Haec diligentia necessaria est in Ecclesia, quaerere principalem materiam in qualibet concione. Deinde discernere legalia a voce Evangelii, seu a promissione de Christo.

Quo tempore et loco habita sit ista concio.

Primum autem historica recitanda sunt de tempore, in quo ista concio habita est a Christo. Nam mox in sequenti textu fit mentio festi Encaeniorum, quod non fuit institutum a Mose, sed a Iuda Maccabaeo, cum pulsis et frugatis ex Ierosolyma praesidiis Antiochi Epiphanis, recuperasset templum, quod fuerat prophanatum idolis, et multis teterrimis flagitiis et sceleribus Ethnicorum. Ibi enim instituit hoc solenne festum, ut ageret gratias Deo pro victoria, et memoriam repurgati templi commendaret posteris.

Nomen Encaeniorum est, quasi dicas, *renovalia.* Dicitur a *καινὸν, novum.* Aristoteles inquit, *Πολλὰ ἐν πολέμῳ καινά, καὶ κενά. In bello multa sunt nova et vana.* Isocrates hacet hoc dictum, quod est etiam usurpatum a Philostrato: *τὰ κοῖνα καινῶς, καὶ τὰ καινὰ κοινῶς. Communia sunt dicenda novo modo, et nova communi modo. Was gemein ist, dem soll man ein gestalt geben, als sey es new.* Ut fit in Epithalamiis, in quibus doctrina de coniugio repetitur nova aliqua forma: contra, quae sunt nova et difficilia, sunt dicenda, quasi sint nota, et usitata, et facilia. *Was schwer ist, sol man furgeben, als sei es leicht.*

Haec non est parva dexteritas, quamquam etiam in rebus sacris et theologicis magna est virtus posse dicere, *κοῖνα κοινῶς*, id est, inculcare easdem materias, ut sint et maneant communes et familiares omnibus: inde est nomen *ἐγκαίνια*, a renovatione.

Apud Germanos est usitatum vocabulum *Kirchweihe.* Rustici nominant, *Kirchmessen.* Fuit hic mos olim, et adhuc est, ubi regnant Episcopi: quando templum novum est conditum, Episcopus vocatus unxit parietes, et aspersit aqua lustrali. Id nominarunt *Weihen.* Quae vox sine dubio est a *μύειν*, id est, initiare. Est enim cognatio inter has literas *m* et *w.* Et est apud Paulum *ἀμύητος, non initiatus. Μύητος* idem est, quod *Henoch* apud Hebraeos. *Ein geweiheter,* consecratus Deo.

Quare *μύειν* est initiare?

Hoc fit per Metonymiam: quia *μύειν* est velare, *decken.* Sacerdotes, quando stabant in sacris, stabant velati cum magna reverentia: sicut apud Virgilium sacerdos est velatus, unde etiam *μυστήρια* dicuntur, *a μύω*, id est, *tego.* Mysteria sunt tegumenta, seu velamenta; item res ipsae, quae tecte dicuntur et aguntur. Iudaei post Iudam Maccabaeum quotannis celebrarunt hoc festum in

memoriam repurgati templi a Iuda Maccabaeo, post eiectum idolum, quod ibi Antiochus collocaverat. Steterat idolum toto triennio in illo templo, quod erat unicum templum veri Dei in toto genere humano, et fuerat defensum armis et praesidiis, donec tandem divina ope per Maccabaeum eiiceretur, recuperato templo aliquot victoriis, et expulsis defensoribus. Deus coepit nunc quoque tollere idola ex Ecclesiis, ut cultum Sanctorum, et multas abominationes Missarum, et semper erunt Ecclesiae aliquae, quae eiicient idola illa, etsi non ubique tolluntur; quia non omnes volunt accipere Evangelium.

Iudas instituit hoc festum in hieme, eo ipso die, quo templum est renovatum, seu repurgatum ab idolo, quo Antiochus templum illud prophanaverat. Si mensem *Cisleu* ponamus esse Novembrem, erit dies illius Cisleu, Festum Catharinae, quod in nostris Calendariis sic nominatur. Sed Iudaei habuerunt menses hiemem. Evangelista expresse dicit, fuisse tunc lunares.

Circa hoc igitur tempus festi Encaeniorum habita est concio Christi, cui occasionem praebuit sanatio caeci nati, quem curaverat Christus in Sabbato. Eam curationem atrociter reprehendunt Iudaei, et acriter expostulant cum Christo, et cum ipso sanato. Inde data est Christo occasio disputandi cum Iudaeis de Messia. Sicut ipsi etiam Iudaei concurrunt tandem, et cingunt eum, et quaerunt ex eo: *Dic nobis ingenue, an tu sis Christus.*

Ibi Evangelista facit mentionem etiam loci. Dicit hoc factum esse in *porticu Salomonis.* Non erat autem porticus illa ab ipso Salomone extructa, sed Herodes ad illius similitudinem eam aedificaverat. Sed quia Herodes erat invisus Iudaeis, maluerunt ei tribuere nomen antiquum. In hoc ergo loco compellant Christum. *Dicas nobis ἐν παῤῥησίᾳ*, id est, plane, expresse, confidenter, et sine occultatione, *quis sis?* An sis promissus ille Messias? Hac quaestione considerata, melius intelligitur scopus hodierni textus, et eorum, quae sequuntur, et quae coniungenda sunt cum isto textu.

De discrimine Christi, et aliorum pastorum.

Iudaei non intelligebant officium Messiae. Non putabant eum praestantiorem fore Patribus, Abraham, Mose, et similibus, sicut alibi exclamant: *Num tu maior es patre nostro Abraham?* Ista fuit magna caecitas ut cum superioribus seculis multi ita imaginati sunt, Christum et Mosem utrumque fuisse legislatorem: Sed Mosis leges fuisse paulo rudiores: Christi vero leges esse mitiores, suaviores, perfectiores.

Exstat adhuc liber, in quo scripsit quidam ante multos annos: Moses et Iohannes concesserunt militiam, Christus non concedit; quia leges eius sunt sanctiores, ideoque maiori reverentia accipiendae. Qui non sublimius aliquid sentiunt de Christo, illi horribiliter errant. Nec fuit alia phantasia eorum, ad quod Christus hic loquitur. Cogitabant Messiam fore doctorem, et addebant somnia de regno Messiae corporali: ideo non poterant sibi persuadere, Iesum istum Nazarenum esse Messiam.

Sciebant Mosen constituisse hanc politiam, et edidisse splendida miracula, eduxisse populum Israel ex Aegypto. Stetit ibi mare, et praebuit toti populo viam per aliquot dies. Postea in deserto scopuli percussi a Mose, praebuerunt fontes; coelum praebuit cibos. Ideo obiiciunt alibi Christo: *Quid tu facis simile?* Necesse igitur fuit, Christum ostendere discrimen pastoris Christi ab omnibus aliis pastoribus. Id facit Christus in hac concione, in qua et discernit se, et antefert omnibus aliis prophetis, gubernatoribus, doctoribus.

Docet se unicum esse pastorem, id est, Salvatorem merito et efficacia. De merito inquit: *Ego pono animam meam pro ovibus meis.* De efficacia ait: *Ego vitam aeternam do eis.* Item: *Nemo rapiet eas ex manu mea.* Haec non facit Moses, non Samuel, non Elias, non Elisaeus, etiamsi sunt praestantes prophetae. Haec David etiam non facit, etsi est vigilans, felix, et gloriosus Rex: Multo minus Cyrus, Alexander, et similes, extra Ecclesiam.

Haec est igitur materia principalis huius concionis, videlicet distinctio Christi ab omnibus prophetis, Apostolis, Doctoribus, imo etiam a gubernatoribus politicis. Hanc distinctionem oportet lucere in Ecclesia, et oportet a nobis disci propter gloriam ipsius et propter nostram salutem.

Quod Christus non sit gubernator politicus.

Excitat Deus subinde in genere humano magnos viros, in quibus plerique externum splendorem intuentur. Vident Prophetas docuisse legem: vident reges fuisse custodes, et executores legis, et constituisse Imperia. Haec miratur ratio humana, quae convincitur, ordinationem politicam esse opus Dei, et praestantes viros, qui vel constituunt, vel conservant imperia esse a Deo: sicut revera constitutio imperiorum, sanctiones legum, et harum executio sunt magna opera Dei, et imperia sunt il-

lorum, quibus Deus illa tradit. Iam imperia sunt lacera et squalida, non sunt ita pulchra et aurea, qualia fuerunt vetustis temporibus. Alioqui magis excitaretur admiratio Imperiorum.

Quamquam autem suum locum habet cogitatio rationis de pulchritudine imperiorum, et de excellentia politicorum gubernatorum, tamen tenenda est distinctio Christi ab illis excellentibus viris. Non putandum est, eum similem esse illis, qui constituunt et regunt politias

Quod Christus ita sit Doctor, ut etiam sit Salvator.

Postea cum etiam distinximus Christum a gubernatoribus politicis, et agnoscimus eum fuisse Doctorem: tamen rursus discernendus est hic doctor, qui simul est victima et dator vitae aeternae, ab aliis doctoribus. In doctrina prophetarum, Christi, et Apostolorum, non est discrimen: et falsissima est illa phantasia de tribus legibus, quibus homines diversis temporibus sint iustificati, etsi etiam ex vetustioribus scriptoribus eum aliqui inculcant. Dicunt primam fuisse legem naturae, quae fuerit obscurior; postea fuisse legem Moisi etiam imperfectam; tandem Christum attulisse legem perfectissimam, quae sit lex caritatis. Ceremonias dicunt fuisse oneri miserae plebeculae: legem caritatis multo esse perfectiorem; sicut nunc Anabaptistae, neglecta principali promissione Evangelii, hoc unum urgent, ut homines in magna caritate, habeant omnia inter se communia. Hi ne quidem qualis doctor fuerit Christus, recte intelligunt: Tantum abest, ut principale officium Christi recte assequantur.

Bene ergo meminerimus, hunc scopum esse huius concionis Christi, quod discernat se ab omnibus aliis, non tantum gubernatoribus, sed etiam doctoribus. Nec placet mihi, quod aliqui nimis subtiliter hic Christum a Mose et aliis Prophetis hoc modo discernunt, ut Prophetas faciant mercenarios, qui tamen in suo genere, etiam boni pastores recte possunt nominari. Soleo igitur aliam collationem instituere, quae est accommodatior, et minus subtilis ac tenius. Quia enim nominantur in hoc textu *lupi, fures, latrones, Mercenarii et boni pastores:* generaliter dico significari differentias, seu gradus gubernatorum.

De differentiis seu gradibus gubernatorum in genere.

In omni regimine aliqui gubernatores sunt lupi, aliqui mercenarii, aliqui veri pastores. Has appellationes primum in genere declarabimus. Primus gradus gubernatorum sunt lupi. De hoc gradu non est opus longa declaratione; quia vitia semper sunt conspectiora, quam virtutes: ut, facilius potest intelligi, quid sit ebrietas, quam sobrietas: Morbus est conspectior sanitate. Ita facile potest conspici, qui sint lupi, videlicet, tyranni, quales fuerunt Nero, Caligula, Phalaris, qui interficiunt homines sine causa evidenti, tantum rabido, vel furioso motu incitati.

Omnes historiae, etiam recentes, habent exempla talium tyrannorum. Et sunt horum facta aliqua, quae non possunt, nisi exquisitae malitiae tribui, cum singularis modus crudelitatis in iis conspiciatur; sicut fuit quidam tyrannus Heliacus, qui legatis afferentibus aliquid, quod non erat gratum, solitus est excidere testiculos, et eos praebere comedendos. Item fuit Tyrannus in Rhodo, qui solitus est ludere cum suis sociis, et pacisci coniuges alienas: *Si ego vicero, adduces mihi coniugem illius civis. Si penes te erit victoria, dabitur tibi huius vel illius civis uxor.* In talibus exemplis, quae sunt valde horribilia, facile est cogitare, qui et quales sint aperte tyranni, quorum alii magis, alii minus saevi sunt.

Hodie Turci sunt Tyranni manifeste. Pater Solimanni Selimus interfecit patrem et fratres suos, ut perveniret ad regnum. Recens Imwrebascha est interfectus, qui nihil mali fecerat, in regno Turcico. Scribitur fuisse vir placidus erga suos, et humanus et beneficus erga legatos nostros. Thessalonicae condidit hospitale magnificentissimum. Sed est usitatum in Turcia, ut si quis antecellat virtute, ne nimium crescat, interficiatur. Ita nocuit illi Imwrebascha partim virtus, partim favor, quo complectebantur eum milites. Quando tyrannus Turcicus egressus est ad templum, vel alio equitavit, quo ille etiam ire debuit, plerumque Imwrebascha habuit maiorem comitatum. Praestantissimi quique duces et milites erant apud eum, non apud Imperatorem. Hac specie offensus Imperator, vocavit eum ad se, et in cubiculo iussit interfici.

Secundus gradus est Mercenariorum, qui sunt ignavi: item qui tranquillis temporibus mediocriter faciunt officium, sed in periculis non sunt firmi. Talis fuit in Imperio Romano Honorius, qui non fuit quidem crudelis et saevus in alios, sed indulsit voluptatibus suis, et pavit sese in otio. Cum sederet Ravennae, et nuntiaretur ei captam esse Romam, nugatus est in convivio. Non doluit de

tanto damno publico, et de interfectis tot millibus hominum. Tales sunt similes fucis, qui mella facta ab apibus devorant, et ipsi interim nihil laborant; pascunt sese, et agunt aliquid pro forma, sed ad summam rei et ad publicam utilitatem nihil faciunt. Exempla praesentia non libet mihi commemorare. Videmus, quid fiat, quantum sit rapacitatis, quantae βουλιμίαι in Imperiis. Plerique gubernatores hoc curant, ut exhauriant, imo exsugant et deglubant subditos, non sunt solliciti de religione, de disciplina, de iudiciis.

Tertius gradus est pastorum, qui sunt boni gubernatores, salvatores Reipublicae: Quia Deus semper vocat aliquos, et ornat certis donis, ut aliquamdiu sint Imperia, ne genus humanum pereat. Talis fuit in Imperio Romano Augustus, Imperator sapiens, habens animum paternum in gubernatione, cuius cursus fuit salutaris. Sunt autem pauciores tales omnibus temporibus, sicut Claudius dixit: *Omnium bonorum principum imagines in uno annulo sculpi posse.* Vetustas sculpebat faciem principum: inde usurpatum fuit nomen imaginum.

Sunt singularia Dei dona Principes salutares, qui agunt aliquid, et habent successus et eventus felices. Nec sunt diuturna regimina salutaria. Tenenda est autem regula, *Quod omnia nomina officiorum sint definienda per προαίρεσιν.* Tyrannus est, qui habet προαίρεσιν male et scelerate faciendi, et plerumque scelerate facit, etiamsi interdum aliquid boni faciat; quia, qui sunt in Imperio, eos oportet aliquid saltem bonifacere: nam alioqui Imperium prorsus rueret. Bonus Princeps est, qui habet προαίρεσιν vel studium bene agendi, seu recte faciendi, et ut plurimum recte facit, etsi aliquando cessat et labitur, ut David. Nam humanum est labi, et errare.

Hanc regulam oportet teneri in definitionibus officiorum, quando loquimur de hominibus seu personis, quae praesunt officiis. In quibus cum semper sit aliqua imperfectio propter imbecillitatem humanam, videndum est, quae sit προαίρεσις. *Non est enim iustus in terra, qui faciens bonum, non etiam peccet.* Hoc dictum Salomonis non puto loqui de illa doctrina, quae est in capite 7. ad Roman., ubi Paulus loquitur de lucta carnis et Spiritus: *Non quod volo, hoc facio*; sed iudico loqui Salomonem de diversis actibus.

David, Salomon, Moses plerumque recte faciunt, recte iudicant et regunt: sed aliquando offendunt et habent sua errata. Theognis inquit: *ἀνὴρ ἀνὴρ ἀγαθός ποτε μὲν κακός, ἄλλοτε ἐσθλός*; id est, *etiam bonus vir aliquando est malus, alias bonus.* Nemo est, qui non habeat aliquid vitii. *Nemo sine crimine vivit.*

De Tyrannis dicitur in hoc textu: *Lupus non venit nisi ad dispergendas oves*; quia Tyranni sunt vastatores generis humani. De bonis pastoribus dicitur: *Ponit animam suam pro ovibus;* quia boni Principes anteferunt communem et publicam salutem suae saluti. De mercenariis dicitur: *Veniente lupo aufugiunt.*

Hi gradus etiam in eodem Imperio saepe miscentur: Deus est custos generis humani; sed alias aliter custodit, et saepe propter peccata populi fiunt mutationes regnorum. Plerumque haec concurrunt: Peccata principum sunt causae προκαταρκτικαὶ calamitatum publicarum, ut dicitur: *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.* Sed προηγουμέναι, id est, antecedentes causae, sunt peccata populi. Et quia Ecclesiae hospitia sunt in Imperiis, Deus etiam propter Ecclesiam alias mitiora dat Imperia, alias sinit fieri asperiora.

Cyri Imperium fuit placidum et mite Ecclesiae. Postea secutus est Cambyses, et Darius, qui fuerunt immites erga Ecclesiam; impediverunt edictum, quod proposuerat Cyrus de reditu populi. Et monstrat Herodotus in his ipsis regibus Persicis gradus fere similes cum iis, quos Christus hic nominat: *Pastores, lupos, et mercenarios.* Nam Cyrum vocat Herodotus *Patrem regni Persici*: Cambysen, *Tyrannum*: Darium, *quaestorem.*

In ministris aulicis, imo etiam in familiis sunt similes gradus. Unus et alter consiliarius in aula, qui vere et serio curant salutem patriae, qui negotia necessaria expedit, qui est monitor Principis, qui multa salutaria facit: ut, Nabaman in Syria est salutaris consiliarius: et quando aulae sunt bene constitutae, maximus labor est curiae. *Der Cantzeley.* Dux Fridericus Elector dicebat: *Die Cantzeley ist eines Fürsten hertz*: Cancellaria est cor Principis. Postea sunt alii lupi, incitantes ad saevitiam; item fures et peculatores, saepe etiam proditores. Denique sunt alii, qui pascunt se tantum in aulis, habent aucupia, quibus ditescant: vident, ubi aliqua praefectura, aut feudum aliquod fiat vacuum; assentantur, fugiunt negotia difficilia: curant tantum, quae sunt favorabilia, quando bene est ipsis Dominis, fruuntur commodis: quando autem male, inflectunt se ad latus navis felicius.

Iidem gradus sunt etiam inter Doctores Ecclesiae. Primum lupi sunt in regimine Ecclesiastico mali doctores, qui turbant Ecclesiam novis dogmatis, excogitant novos cultus, abducunt homines a simplicitate et puritate verbi Dei. Deducunt ad falsa et commentitia numina: stabiliunt idola, vel aperte, vel per insidias. Deinde sunt mercenarii, qui non quidem persequuntur veritatem, sed non sunt firmi. Quando venit persecutio, tunc cedunt et deserunt stationem suam. Consulunt suae incolumitati et securitati.

Talis est magna multitudo inter eos, qui in Ecclesia tenent officia et dignitates: Non est eis cura

de ovibus. Alius aliud quaerit: alius quaerit gloriam, alius opes, alius voluptates. Aliqui, etiamsi boni aliquid faciant mediocribus temporibus, tamen fugiunt, cum sunt magna certamina.

Boni pastores sunt pii et constantes Doctores, qui habent studium recte docendi, et consulendi saluti Ecclesiae. Tales sunt prophetae, Apostoli, et qui horum vestigia sequuntur.

Hac simplici accommodatione sum contentus. Non volo disputare Mosen aut prophetas esse mercenarios. Puto Christum simpliciter hoc dicere: Ego non sum tyrannus, non etiam sum ignavus, sed pastor bonus. Et tales quidem sunt etiam caeteri prophetae, imo etiam aliqui ex gubernatoribus politicis. Sed differt Christus a caeteris pastoribus. Quibus rebus? Non tenet gubernationem politicam. Deinde non tantum est Doctor, sed etiam alia habet officia magis principalia, quae non possunt praestare alii pastores. Ideo hic inquit: *Ego animam meam pono pro ovibus*: Item, *Vitam aeternam do eis:* et haec sunt coniungenda, quoties de officio Christi cogitamus.

De beneficiis Christi.

Omnes fortes proeliatores ponunt animam pro patria. Sed Christus morte sua aliter redemit oves, quam Cyrus aut alii heroici gubernatores. Deinde nullus gubernator potest ovibus suis reddere iustitiam et vitam aeternam.

Paulus coniungit aliquot Epitheta, quae declarant officium Christi: *Factus est nobis sapientia,* inquit, *quia Filius profert Evangelium ex sinu Patris, et per eum ostenditur Pater*, sicut dicitur etiam in hoc textu: *Sicut novit me Pater, ita et ego novi Patrem.* Et alibi: *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare.* Deinde factus est nobis Christus iustitia, scilicet quia iustitia eius nobis imputatur, ut nos simus propter ipsum accepti Deo. Praeterea factus est nobis sanctificatio, quia per ipsum inchoatur in nobis dato Spiritu sancto regeneratio, qua assimilamur illi. Denique factus est nobis redemptio: in Graeco est ἀπολύτρωσις, id est, *persolutio poenae* pro nobis. Sed quia saepe generaliter haec vox sumitur: ideo sic interpretor hoc loco, Filius Dei est liberator a morte, et dator vitae aeternae. Singula membra ordine dicta sunt valde diserte et significanter, et sunt metalepses.

Existimo igitur in postremo membro comprehendi non tantum redemptionem, quae potest referri ad iustitiam, sed etiam ad assiduam protectionem Ecclesiae, et finalem liberationem.

Haec omnia pertinent ad declarandum discrimen inter Christum pastorem et alios; quamquam etiam suo genere bonos.

Refutatio erroris de triplici lege.

Et oportet hoc discrimen bene notum esse, ut fugiamus illas phantasias, de quibus ante dixi, quod Christus fuerit tantum legislator; seu quod attulerit tantum legem perfectiorem: Sicut Paulus Riccius, qui incidit in initia emendationis doctrinae, disputavit:

Perfectissimus legislator debet habere perfectissimam legem:
Christus fuit perfectissimus legislator:
Ergo lex Christi, seu lex Evangelica est perfectissima.

Postea contulit inter se leges. Lex per Abraham lata, fuit adhuc rudis, quia Abraham habuit duas uxores. Mosaica lex concessit vindictam. Fuit oneri miseris rusticis, prohibuit edere carnes suillas, cancros, lepores, etc. Sed lex Evangelica, est lex caritatis et humilitatis. Ista sunt prorsus phantastica somnia.

Non intellexit ille, quanta sit sapientia Decalogi, et quod neque ante, neque post Mosen unquam fuerit alia lex moralis: Neque assecutus est, quid sit Evangelium, aut quod sit officium Christi proprium.

Apud Tertullianum est etiam mala confusio, cum ita scribit: *Quare vos Ethnici obiurgatis nos, quod Deum invocemus per Christum, cum tamen toleretis Iudaeos invocantes Deum per Mosen, et non vituperetis Thraces invocantes per Orphea, Graecos per Musaeum?* Haec collatio nihil valet, quia affert hanc falsam opinionem, quasi Christus sit tantum doctor, et quidem talis, qualis Moses, Orpheus, Musaeus.

In Ecclesia oportet genera doctrinarum familiarissime nota esse, et maxime perspicue distincta Orpheus, Musaeus, non sunt tales Doctores, qualis est Moses? et Moses non est talis, qualis est Christus. Moses est tantum Doctor et gubernator, et quidem in munere docendi, sive praedicet legem sive Evangelium; est organum alienae vocis, scilicet Filii Dei, qui habitat in Prophetis, est λόγος loquens in eis et accendens eos Spiritu sancto.

Copiosior declaratio discriminis inter Christum et alios doctores.

Non est autem Moises aut ullus reliquorum Prophetarum Redemptor, et Salvator Ecclesiae.

Christus autem agnoscendus est, non tantum ut Doctor, quamquam etiam Doctor est; quia ipse est, qui protulit ex sinu aeterni Patris arcanam voluntatem Dei, sicut Scriptura vocat eum *angelum magni consilii;* quia est nuntius arcani decreti de redemptione generis humani. Est etiam Doctor, quia ipse conservat ministerium docendi, et per illud est efficax immediate. Sed hoc nondum satis est, agnoscere in Christo: Est etiam deprecator pro nobis, et victima pro peccatis, et dat Spiritum sanctum, reddit iustitiam et vitam aeternam. Talis non modo agnoscendus est, sed etiam apprehendendus fide, ita ut fides nitatur ipso.

Quando audis conciones Moisi, Prophetarum, Apostolorum, quatenus de Christo docent, vel quando pastorem huius Ecclesiae, aut alium concionatorem audis annuntiantem vocem Evangelii, debes scire per hanc vocem efficacem esse, non Moisen, Esaiam, Paulum, pastorem, aut concionatorem, sed ipsum Filium Dei, et fides tua debet accipere et amplecti Evangelium, et ei assentiri, sed niti non debet isto pastore, aut concionatore sonante vocem, sed ipso Filio Dei: et tu debes statuere te recipi in gratiam non propter ullum concionatorem, sed propter ipsum Filium, qui hic loquitur de passione sua, et de effectibus passionis ac resurrectionis: ***Ego pono animam meam pro ovibus, et do eis vitam aeternam.*** Item: ***Ego veni, ut oves meae vitam habeant, et quidem ut abunde habeant.*** Utitur enim voce, *περισσόν*.

Hoc Filio Dei debet niti fides tua, qui est factus victima, et resuscitatus regnat, sanctificat Spiritu sancto, reddit iustitiam et vitam aeternam.

Hoc modo discrimen Christi pastoris et aliorum transferendum est ad usum: et simul cogitandum est de mirabili consilio Dei, quod misit Filium, non tantum ut sit Doctor, multo minus ut novam legem tradat: sicut in illo somnio fingitur, de quo antea dixi: sed ut sit propitiator per sanguinem suum, et derivetur in eum ira Dei, et placetur Deus generi humano, et restituatur iustitia, et vita aeterna inenarrabili sapientia et bonitate Dei, pro quo agamus Deo gratias, et amplectamur beneficium. Nam magnitudinem istarum rerum non possumus intelligere. Longe, longe superant sapientiam omnium creaturarum res istae.

Sed vult tamen Deus, nos haec initia discere, et profiteri contra Diabolum, et testari, quod per Filium Dei simus liberati a peccato et morte aeterna, et quod per eum, et propter eum recepti simus, et restituantur nobis per eum iustitia et vita aeterna. Hac fide et professione vult confundi Diabolos, vult Ecclesiam aeternam colligi, vult accendi in nobis gratitudinem, et obedientiam erga Deum.

Deinde cum meditamur haec initia, cogitemus etiam antithesin. Nemo cogitet se satisfacere legi, aut ullo suo merito esse iustum sine Christo. Minus autem stultarum opinionum esset de merito, si intelligeremus, quanta res sit peccatum. Tota illa imaginatio de nostris meritis inde oritur, quod putamus peccatum esse rem parvam et levem. Imo vero haec duo sunt incomparabilia; hoc est, nulla proportio est inter reatum peccati, et humanas virtutes. Tantum malum est peccatum, ut non possit tolli, nisi infinito merito Filii Dei. Hoc quod homines meritum vocant, nihil prorsus est, si conferatur ad illam immensitatem irae et iustitiae divinae. Contra:

Bona opera merentur praemia:
Ergo est aliquod meritum.

Respondeo. Aliud est loqui de merito legali operum in renatis, seu iustificatis, etsi his quoque beneficia corporalia et spiritualia contingunt ex bonitate Dei, propter Filium Mediatorem proprie ac principaliter: aliud vero est loqui de merito remissionis peccatorum et reconciliationis. Hic non possumus ullo modo dicere, quod homo propriis meritis consequatur remissionem peccatorum, sed oportet nos firmiter consistere in hac consolatione, quod solius Filii Dei passio vel sacrificium, sit aequivalens pretium pro nostris peccatis: Et hic honos Filii Dei non est transferendus in humana opera, seu merita; imo transferre hunc honorem in nostra opera, est sese mergere in inferos.

Adam sentiens vim peccati, vere didicit, nihil esse meritum. Si voluisset niti aliqua sua dignitate, obrutus fuisset, et plane demersus ad inferos: Haerebat enim iam ante in morte propter peccatum, nec potuisset inde eluctari, nisi erectus fuisset promissione Evangelii de beneficio Christi. Fuit in eo sine ulla dubitatione magnus et horrendus agon; quia Deo loquente et arguente contremiscit natura hominis. Non debemus cogitare otiosum poema recitari in historia Adae. Quando homines sentiunt parvas guttulas iudicii divini, quo Deus tangit corda, non possunt iram illam sustinere. Adeo nullum est opus seu meritum humanum, quod possit opponi irae Dei. Sic Adam fuit in morte, sed liberatus est per Filium Dei sonantem hanc vocem: *Semen mulieris conculcabit caput serpentis.* Ille sensit intra se consolationem, sensit se erigi et sustentari, et didicit, quod sit iustus propter venturum Dominum, et quod per illum vivificetur et sanctificetur. In hoc agone agnovit hunc pastorem, quod non tantum futurus esset doctor, sed quod ipse sit causa salutis, sit propitiator iustificans, sit dator vitae aeternae. Agnovit, eum non tantum monstrare, sed etiam dare salutem: plus est enim esse datorem beneficii, quam saltem monstratorem beneficii.

Enarratio textus praecedentis.

Quae est sententia illorum verborum, quae praecedunt hunc textum: *Ego sum ostium: Qui non intrat per ostium, est fur et latro*, et, *Omnes qui ante me venerunt, sunt fures*? Cum inquit: *Ego sum ostium:* idem dicit, quod in illo dicto: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Est enim figurata praedicatio: *Christus est ostium,* id est, ductor, ducens nos ad Patrem, item ad vitam et salutem aeternam: quia profert verbum ex arcano consilio Patris, et fit victima pro nobis, et deprecatur pro nobis. Item, est efficax in nobis, dat Spiritum sanctum, et vitam aeternam. Omnes, quicunque servati sunt unquam, servati sunt agnitione huius Domini: ut, cum Adam amplexus est fide promissionem: *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Et de Abraham inquit hic ipse Dominus: *Vidit diem meum.* Iacob etiam per hunc salvatus est, quem nominat *Angelum illum, qui liberaverit eum ex omni malo.*

Omnes quotquot venerunt ante me, sunt fures: id est, qui venerunt sine me, non praecedente, non praeeunte me. Contra:

> *Particula ante est notatio temporis:*
> *Moises, Elias, Elisaeus praecesserunt Christum tempore:*
> *Ergo sunt fures et latrones.*

Respondeo. *Ante me,* non significat hic, ante hanc corporalem meam in his terris consuetudinem. Ego saepe multumque cogitata hac sententia, omnino existimo, quod in illa particula, *ante me venit,* voluerit Christus notare et pungere Diabolum, qui venit ante Filium Dei in Paradiso, hoc est, evertit Adam et Evam, prius quam revelavit se Filius Dei edita promissione, qua rursus tamquam ex inferis retraxit et vivificavit Adam et Evam. Credo enim Christum collationem facere Diaboli et liberatoris. *Fur non venit, nisi ut furetur: Latro, nisi ut perdat: Diabolus, nisi ut turbet: Christus non venit, nisi ut vitam det et servet.* Est igitur accusatio Diaboli, qui vere est *fur;* quia eripuit Deo hoc, quod erat ipsius proprium, rapuit hominem, qui fuit possessio et domicilium Dei; Idem est *latro,* quia occidit homines.

Sed post Diabolum venit Filius Dei, per quem revelata est promissio. Per hunc Adam ereptus est ex morte. Tunc igitur primum patefacta est missio Filii Dei. Nam etsi missio Filii decreta est ab aeterno, tamen tunc conspecta est in primo actu, sicut actio dicitur incoepisse, quando deducitur ad actum. Ac mansit postea Filius Dei perpetuo apud Ecclesiam. Ideo Moises, Elias, Abraham non veniunt ante Christum, sed Christus venit ante eos. Vocat, movet, regit, et docet eos.

Sicut autem Diabolus tunc venit in paradiso: Ita deinceps venit omnibus temporibus per malos Doctores, impios impostores, qui veniunt non praeeunte Christo. Hi etiam sunt fures et latrones. Moises venit ducente Christo, qui interroganti, quod sit nomen eius, respondit: *Qui erit, misit me. Qui erit,* id est, qui venturus est ad assumendam carnem, imo qui iam etiam adest vobis, est custos Ecclesiae, propter quem, et per quem colligitur omnibus temporibus Ecclesia.

Haec sunt consideranda, ut discamus agnoscere Filium Dei, quod sit missus ad Ecclesiam ab initio: et invocemus eum maiori cum fiducia. Et speremus eum nobis quoque affuturum: Quia hoc debet nobis esse firmissimum, quod Christus adsit nobis, iuxta dictum: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

Quid significat illa pars parabolae: *Huic ianitor aperit, et oves vocem eius audiunt*?

Quis est ianitor ille? Non volo cum quoquam litigare de diversis interpretationibus, sed tamen videtur mihi hoc convenientissimum esse. *Ianitor* cedit isti Domino, id est, mors et lex cedunt Christo. Vel potest etiam sic intelligi: Pater aeternus aperit isti Domino, et sic aperit, ut mors et lex ei cedant.

De vocatione gentium, et unitate Ecclesiae collectae ex Iudaeis et gentibus.

Quorsum pertinent ista verba; *Habeo alias oves, quae non sunt ex hoc ovili*?

Respondeo. Loquitur hic de vocatione gentium, quod sibi velit colligere Ecclesiam, non tantum in populo Israel, sed etiam ex gentibus.

Quid discimus, quando audimus, *Ecclesiam colligi ex gentibus*?

Respondeo. Utrumque discimus, quod remissio peccatorum sit gratuita; et quod promissio sit universalis. Utraque doctrina valde necessaria est; quia, quando incipis invocationem, mox venit tibi in mentem indignitas tua. Cogitas tacite: *Quid invocas, quid speras, cum non satis facias legi?* Hoc est magnum impedimentum invocationis in singulis hominibus: cui opponenda est particula *Gratis.* Alterum impedimentum est, cum cogitas:

Est aliquis electorum numerus: sed quis scit, an tu sis ex eo numero? Hic debes cogitare promissionem esse universalem. Non debes prius de electione tua disputare, quam credas Filio Dei, sicut postea pluribus erit dicendum. Christus inquit: *Venite ad me omnes.* Idem, *Deus dives in omnes invocantes ipsum.* Talibus cogitationibus exuscitemus nos ad invocationem, et repellamus impedimenta. Statuamus, nostram orationem non fore murmur inane.

Sed quomodo hoc congruit: *Erit pastor unus, et ovile unum*?

Videmus, qualis sit in hac vita Ecclesia. Est unus verus pastor Ecclesiae Christus. Sed quam multae tristes sunt dissipationes et discordiae! Quantum est sectarum ubique! Inter illos, qui vocantur Evangelici, qui habent aliquid lucis de puriore doctrina, sunt magna certamina, quae multis sunt scandalo. Inter Papistas alii sunt manifeste idololatrae, alii sunt Epicurei. In summa, ubique locorum, omnia sunt plena confusionum. Interim tamen debemus statuere, quod sit aliqua Ecclesia: sicut profitemur in Symbolo: *Credo Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.*

Hunc articulum, quando recitas, debes cogitare: Quamquam sunt magnae confusiones, tamen verum est, esse Ecclesiam: Et si fide amplecteris corpus doctrinae Evangelii, et non habes errores contra fundamentum, debes sentire, quod sis membrum Ecclesiae. Etsi enim omnes sumus imbecilles, et possumus habere aliquid erroris, tamen discernendae sunt istae stipulae ab errore contra fundamentum. Ita igitur in hac vita inchoatur unum ovile, sed inter magnas confusiones.

Iam venio ad illas dulcissimas sententias: *Oves meae vocem meam audiunt: Et nemo rapiet eas ex manibus meis.* Has sententias semper meminerimus et infigamus animis. Nihil potest dici maius, vel dulcius. Sunt sententiae istae vere verba vitae. In illa prima sententia: *Oves meae vocem meam audiunt*, est doctrina de applicatione. Quomodo enim impertiuntur beneficia Filii Dei, seu quomodo efficimur participes ingentium illorum beneficiorum? Respondeo. Audiendo, sicut hic dicitur: *Oves meae audiunt vocem meam.* Oportet audire Evangelium, et fide acquiescere in Filio Dei, monstrato per Evangelium. Tu si velis salvari, debes audire Evangelium: et in eo agnoscere Filium Dei, et in eo acquiescere, et statuere, quod propter ipsum verissime recipiaris. Debes etiam scire, quod non sit exspectanda alia Enthusiastica illuminatio, de qua dicunt Anabaptistae. Debes manere in sententia illa: *Beati qui, cum non vident, credunt.*

Si quis ducitur ad patibulum, libenter vellet habere sensibilem liberationem. Vellet se coram videre posse Deum, aut Filium Dei, aut Angelos. Cogitat: si viderem Deum, essem certior de receptione. Etsi autem magna est illa lucta in corde: tamen oportet eum fide acquiescere in Filio Dei, monstrato per Evangelium; et certo statuere, quod sit receptus, etiamsi non habeat externum seu visibile signum, quale expetit. Hoc est, quod Paulus dicit: *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* Item: *Evangelium est ministerium Spiritus.* Item: *Spiritus vivificat.*

Haec ita fiunt, cum audimus Evangelium, et fide amplectimur oblatam gratiam in Evangelio. Sed hoc est valde difficile. Natura est admodum infirma et difficulter credit. Libenter vellemus omnes videre, et habere in conspectu consolationem et liberationem. Sed semper discernendum est inter duplicem processum assensionis. Philosophicus, est ab experientia ad fidem. Evangelicus est a fide ad experientiam. Latro in cruce audivit Evangelium; credit hunc esse Filium Dei, exspectat ab ipso consolationem. Ita demum sentit consolationem fide.

Dixi alias de illo Isenacensi, qui interfecerat hospitem suum, bonum senem. Iste cum videret se non posse obtinere vitam, propter atrocitatem facinoris, sedit tamquam attonitus toto triduo. Veniebat ad eum Fridericus Miconius, ut consolaretur eum. Sed non voluit ille initio admittere consolationes. Tandem, cum ad se rediisset, conquestus est, quam duriter tentatus fuisset a Diabolo, ut sibi ipsi consciscеret mortem. Talis est enim homicida Diabolus: coniicit miseros homines per scelera in discrimen vitae: postea conatur eos praecipitare etiam in aeternum exitium. De his tentationibus conquestus, audivit tandem consolationes: Et cum acquiesceret in his, confessus est se sentire efficacem esse istam vocem. Sentire se iam tranquillitatem animae; quia non dubitet amplius, se, quamquam miserum peccatorem, receptum esse propter Christum.

Non quaeramus alias subtiliores disputationes: Maneamus in ordine, qui est nobis praescriptus in hoc dicto: *Oves meae, vocem meam audiunt.* Debemus audire et amplecti hoc verbum: non debemus repugnare verbo Amplectentes vero et assentientes, sentiemus Deum sine ulla dubitatione esse efficacem per hoc verbum: quia assentientes iuvantur a Spiritu sancto et vivificantur. Omittamus alias imaginationes: non cogitemus, sicut medici, prius experiuntur, quis sit remedii effectus, et postea affirmant hoc remedium tale aliquid esse effecturum: Ita ego volo prius sentire illustrem illuminationem et consolationem divinam, postea volo assentiri. Haec est confusio processus Physici et Evangelici. Tu debes prius credere verbo, etiamsi prorsus contrarium videatur rationi.

Sic non debemus cogitare. *Si sum electus,*

salvabor; quia oves sunt tantum electi: Expectabo igitur afflatus et raptus, donec sciam, an sim electus, an pertineam ad oves Christi. Christus ipse seponit hic disputationem illam. Non deducit nos ad electionem arcanam; sed ait: Oves meae sunt, quae vocem meam audiunt. Nos debemus iudicare ex verbo revelato. Sciamus mandatum nobis esse, ut audiamus verbum, sustentemus et erigamus nos verbo, non indulgeamus dubitationi. Deus vult nos salvare hoc modo, ut *Fides sit ex auditu, auditus per verbum Dei.*

Non est etiam cogitandum, homo habet se pure passive: Ergo non est audiendum verbum, non luctandum cum dubitatione, etc. Imo quam diu homo non resistit dubitationi, non potest dici, quod sit factum ullum initium conversionis. Nobis igitur hoc sit persuasissimum, quod audiendo Evangelium, et assentiendo applicentur nobis beneficia; et quod per fidem Filius Dei sit efficax in nobis.

Plane simile est dictum: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et mansionem apud eum faciemus.* Nihil potest dici maius. Quid enim amplius potest dare Deus, quam se ipsum? Serva igitur sermonem, audi, amplectere, dilige Christum, crede in eum. Hoc cum facies, *Pater diliget te,* id est, tu eris iustus, et eris domicilium Dei, erit in te Deus efficax, vivificabit, et sanctificabit te.

Aliae sententiae similes passim recitantur, quae diligenter sunt considerandae, ut discamus ordinem, quo Deus in nobis vult agere. Universaliter tenendum: *Eum esse electum, qui perseverat in fide.* Hoc potest ostendi a posteriore. Sed quando definimus in praesenti, simpliciter dicimus, electos esse eos, qui audiunt verbum, qui credunt, et hunc ordinem praescribimus omnibus, qui volunt certi esse de sui electione.

Iam etiam illa doctrinalia possunt addi; *Oves meae vocem meam audiunt.* Ergo nulla alia est doctrina, per quam Ecclesia colligatur, nisi doctrina Evangelii. Ubi non est vox Filii Dei, ibi non est Ecclesia: Mahometicus coetus non est Ecclesia: coetus Arrianus non est Ecclesia: coetus hominum defendentium idola, et oppugnantium Evangelium non est Ecclesia. Sed Ecclesia est coetus, qui amplectitur Evangelium, in quo sunt aliqui tales, in quibus accensa est vera lux fidei, et qui tales sunt, illi audiunt, non solum auribus corporis, sed etiam auribus cordis, seu animi; id est, assentiuntur et amplectuntur vocem Evangelii.

Observanda est in huiusmodi dictis conversio: *Oves meae vocem meam audiunt: Ergo qui audiunt, sunt oves Christi.* Item: *Oves meae vocem meam audiunt: Ergo coetus ille qui audit vocem Evangelii, est vera Dei Ecclesia.*

Quod additur a Christo: *Ego agnosco oves meas, et ego vitam aeternam do eis:* id pertinet ad officium Christi. Et hanc consolationem inde sumere debemus, quod propter Filium Dei tollatur peccatum et ira Dei, et detur nobis remissio peccatorum, iustitia et vita aeterna, non autem propter dignitatem et merita nostra.

Altera sententia est consolatio contra certamina. *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Utitur verbo rapiendi, ut significet magnum esse certamen, sicut statim initio hoc certamen praedictum est: *Ponam inimicitias inter serpentem et semen mulieris.* Diabolus semper insidiatur Ecclesiae, et singulis credentibus. Vult nos multis modis perdere, et, ut Petrus inquit, *Circumit, tamquam leo rugiens, quaerens quem devoret.* Numquam cessat turbare Imperia, Ecclesiam, oeconomias.

Singuli cogitemus nostras miserias. Consideret quisque suam vitam, vocationem, cursum. Cogita apud te ipsum, ubi Diabolus te implicaverit negotio alicui pernicioso, ubi te vicerit, aut ubi morsu aliquo te laeserit. Cogita de exemplo Davidis: Huic toto vitae tempore insidiatus est, ut eum everteret. Cum impulit eum ad lapsum, non hoc tantum egit, ut David fieret adulter, rapta aliena muliere, et ut interficeret illum praestantem et optimum virum Uriam; sed aliud maius moliebatur. Cogietabat: post illa peccata sequentur poenae: postea poenae eum ad desperationem adducent, sicut factum est de Saule. Conatus ergo est eum implicare laqueis inextricabilibus. Texuit illam longam telam, ut everteret Davidem; sauciat primum conscientiam eius raptu uxoris; postea amplius sauciat nece Uriae, item caede multorum bonorum et sanctorum hominum, qui simul interficiuntur cum Uria. Praeterea sauciat scandalis, quando Filius movet seditionem, in qua multa facta sunt horribilia. Ac profecto humanis viribus non potuisset David illa sustinere. Sed Filius Dei tenuit hanc oviculam suam manibus suis, defendit et servavit eum contra Diabolum, qui conabatur eum perdere.

Hanc consolationem teneamus et nos. Insidiatur Diabolus singulis, ut implicet eos in mala inextricabilia. Sed quamquam saepe implicamur horribiliter, tamen clamemus ad Dominum nostrum Iesum Christum: *Tu nos iuva, ut eluctemur, tu guberna et sustenta nos inter tanta pericula, et inter tam astute cogitatas insidias, et tam multiplices laqueos Diaboli.*

Adolescentes nondum intelligunt ista, antequam sentiant sibi strui tales laqueos; sed quando aetas accedit, et negotiis difficillimis obruimur, tum discimus, quantum opus sit praecatione; de qua Dominus inquit: *Orate, ne intretis in tentationem,* id

est, ne mergamini, ne opprimamini, ne vincamini tentationibus.

In hac vero invocatione teneamus hanc consolationem: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Rapere, significat luctam certantium et pugnantium inter se. Filius Dei tenet nos in complexu suo, comprehensos manibus vel brachiis suis, gestat nos in sinu suo. Diabolus contra vult nos eripere ex sinu et complexu filii Dei. Sed non perficiet. Maior et potentior est filius Dei, quam Diabolus; sicut dicitur: *Maior est, qui in vobis est, quam qui est in mundo.* Item: *Princeps mundi iudicatus est.*

Etiamsi igitur est magna moles peccatorum nostrorum, tamen haec non deterreat nos, quo minus clamemus ad Filium Dei: Tu Domine Iesu Christe dixisti: *Nemo rapiet oves meas.* Ego sum tua ovicula, audio, amplector verbum tuum. Defende me contra insidias, libera me ex laqueis Diaboli. In tali invocatione cum cogitamus de nostris miseriis et doloribus, magis fit perspicua sententia huius dulcissimae consolationis, de qua non potest satis dici ulla ratione.

Christus confirmat certitudinem huius consolationis, insigni testimonio de aequalitate potentiae Patris et Filii. *Ego et pater unum sumus,* sicut in hac tota concione etiam multa alia sunt testimonia de divinitate Christi, ut cum inquit: *Ego vitam aeternam do eis.* Item: *Ego habeo potestatem ponendi animam meam, et iterum accipiendi.* Haec dicta sunt perspicua et plana. Nos tantum cogitemus de applicatione. Non simus ita mersi in coenum, ut non velimus aliquid cogitare de rebus tantis, sed ut cogitatio sit efficacior; faciamus nobis eiusmodi dicta familiarissime nota, et exerceamus in quotidiana invocatione: confugiamus ad filium Dei, et experientia ostendet, has consolationes non esse inanem sonitum verborum. Non vincet Diabolus, sed Dominus vincet in iis, qui sunt oves audientes, non contemnentes, non rabiose et furenter repugnantes.

PICTURA SEU IMAGO GEORGII.

Hesterno die celebrata est memoria Georgii. Pingitur ut eques, qui pugnet contra Draconem terribilem, et eum interficiat, ut liberet puellam, quae pingitur genibus flexis in terra humi prostrata. Credo hanc, et similes alias picturas, quae usitatae fuerunt in Ecclesia, sumptas esse ex Apollinaris poematibus. Is fuit Episcopus, homo eloquens, valuit ingenio, et fuit bonus poeta; sicut inter Christianos multi fuerunt olim excellentes Oratores et poetae. Ego poema Christianorum nullum legi suavius aut dulcius, quam Nonni. Scripsit autem poemata sua Apollinaris, eo tempore, quando Iulianus Apostata prohibuit, ne docerentur filii Christianorum in scholis Ethnicis, neo legerent scripta sapientum scriptorum apud Ethnicos. Vidit enim Christianos instructos eloquentia, posse plures ex Ethnicis ad se attrahere, destitutos eruditione paulatim interituros esse; quia suam doctrinam non possint explicare. Inscitia multum damni affert Ecclesiae. Id manifesta experientia ostendit sic fieri. Necesse igitur fuit contra fraudes Iuliani constituere Christianos propriam scholam. Ibi Apollinaris multa scripsit; reddidit multos Psalmos; composuit Comoedias et Tragoedias. Ex his puto fuisse etiam illam de Georgio et Christophoro. Vobis nota est illa pictura magni Gigantis, qui portat Christum per mare. Eum nominant *Christophorum.* Significat autem doctorem Ecclesiae, seu praedicatorem Evangelii. Ideo plerumque exstat illa pictura in pariete exteriore turrium in templis: quamquam in genere accommodari potest ad quemlibet confessorem. Hunc oportet esse Gigantem, id est, forti et firmo animo: gestare Christum, id est, ostendere Christum populo, doctrinam tradere populo. Circa eum in mari sunt grandes Balenae, quae devorare eum volunt. Illae significant insidias Diaboli, et minas Tyrannorum. Praecedit eum senex in littore, et tenet lucernam; hoc est, ille dirigit inter suum iuxta lucem monstratam in Prophetis.

In Georgii pictura allusit Apollinaris ad fabulam Persei liberantis Andromedam. Georgius significat Principem, seu gubernatorem politicum, *einen Regenten, Fürsten, Graffen, und Herrn.* Ille debet primum esse γεωργὸς, id est, agricola: *sol das land schmücken und zieren:* debet excolere et ornare ditionem suam religione, iustitia, legibus, pace, disciplina. Haec cultura est opposita vastationibus, quas efficiunt Tyranni. Nomen *Turcae* significat vastatorem. Aristoteles dicit, Magistratum esse custodem legis. Sic et Paulus ait: *Magistratus est minister Dei ad vindictam malis, et honorem bonis.* Haec sunt propria opera Magistratus, tueri pacem, et disciplinam. Cum subditi non habent pacem, non possunt colore agros, et augere rem familiarem: Sine disciplina autem mera est barbaries, et confusio ac licentia morum. Ideo coniungit ista Paulus, cum iubet orare pro Magistratu, ut quietam et tranquillam vitam agamus in pietate et honestate. Quies opponitur bellis, tumultibus, seditionibus, latrociniis, vastationibus. Tranquillitas significat *εὐταξίαν*, ordinem, et concinnam connexionem civium, reverentiam mutuam, beneficentiam, et modestiam. Pacis autem finis est, non tantum ut augeatur res familiaris, sed ut exerceatur pietas, id est, propagetur vera

doctrina religionis, tegantur scholae, recte constituantur Ecclesiae; item ut honestas conservetur, id est, mores regantur disciplina honesta.

Tyrannus per metathesin literarum, est *Nemroth*, id est, crudelis Dominus, amarus, asper. Bonus gubernator non debet esse crudelis, sed iustus. *Wenn er unter die leut gehet, das sich die Leutlein freuen. und dencken, der Man schaffet uns fried, helt gerechtigkeit, das wir mit unsern kinderlein sicher seyn;* subditi laetantur conspectu boni gubernatoris, qui nihil differt a bono patre. Cum vident eum ingredientem, cogitant: Hic est vir ille, per quem dat nobis Deus pacem, et tuetur iustitiam, ut agri nostri colantur, ut liberi pie ac honeste educentur, ut simus tuti ab hostibus. *Magnus Draco* est Diabolus, qui insidiatur populis et ipsis principibus, de quo non est dubium. Cogitet quisque, quantum curarum sustineant parentes tantum in oeconomia, in educatione sobolis. Multo maior difficultas est in publicis gubernationibus: Quia difficilius est regere alienos, quam suos. Et Diabolus nunquam quiescit. Insidens ergo Georgius equo, pugnat contra Draconem. Puella est Ecclesia, pro qua praecipue debet dimicare legitimo modo: item, debet dimicare pro iustitia, pro honesto statu.

Alii multa postea addiderunt ad hanc picturam, quam non dubito esse poeticam. Ipse voluerunt esse historiam. Dixerunt fuisse Cappadocem, alii alium. In Legenda eius additur, quod ad extremum propter confessionem sit affectus supplicio. Dicitur inclusus fuisse in dolium, in quo fuerint obversae multae novaculae. In hoc dolio, cum esset inter novaculas, dicitur praecipitatus esse de monte. Sed postquam devolutus esset, et vas aperiretur, prorepsit ex dolio illaesus et integer. Haec etiam puto esse poetica. Significatur, bonos gubernatores, tamquam inclusos in dolium, esse in magnis periculis, non aliter quam si essent novaculis lacerandi.

Bonus Princeps dies noctesque angitur, et exercetur curis variis: et tamen Deus eum custodit. Manet illaesus, quamdiu Deus eum conservat. Sed quia saepe principes habent sua errata, et tristia delicta, experiuntur interdum poenas, ut David, Iosias, Ezechias multum boni faciunt, sed puniuntur etiam propter delicta sua. Felix gubernatio simpliciter est donum Dei; sicut dicitur in Psalmo: *Qui dat salutem regibus*: *Deus transfert et stabilit regna.*

Nomen Georgii gratum est nobilibus: quia fuerit eques. Comites Mansfeldenses in moneta excudunt effigiem equitis Georgii. Maximilianus primus solitus est petere indusium a Bambergensi Capitulo. Habent ibi monumentum, quod dicunt fuisse *thoracem divi Georgii,* cuius ea vis sit, ut, qui eo sit indutus, non possit vulnerari, aut peti ictu globi, vel sagitta.

Tales ineptiae et superstitiones accedunt. Mantuanus inquit: *Ut Latii Martem, sic nos te Dive Georgi, Nunc colimus.* Poemata sunt conversa in idololatrias et impios cultus: Quod olim accidit etiam apud Ethnicos: Quia natura hominum est mersa in tenebras, et facile deficit a vero Deo, et quaerit commenticia numina. Ita Herculem adorarunt Ethnici.

Memini nobis pueris, quam dulce fuerit legere istas fabellas, quae sunt in Legendis sanctorum. Recitabantur illae a concionatoribus in templis: et nos pueri, quando imitabamur domi conciones, recitabamus illas fabellas inter pueros: Postea accedebat mater et famulae, et afferebant aliquid ad altare nostrum, sicut fiebat in templis. Si habuissemus tum doctrinam meliorem, fuisset utilius. Sed tamen pars disciplinae domesticae erat, pueros occupari talibus rebus potius, quam discursationibus in plateis, aut clamoribus agrestibus. Nunc, cum, Dei beneficio, exstat doctrina necessaria, nemo est, qui curet disciplinam: Et multi nominant stultitiam, si pueri assuefiant ad exercitia disciplinae domesticae. *Sie heissens narrenwerck, und sind selbst narren.* Produnt ipsi stultitiam suam, ut saepe stultum aliquis vocat alium, cum ipse multo sit dignior hoc nomine.

Dux Iohannes, filius Georgii, Ducis Saxoniae habebat Medicum, qui, cum illi adhibenda essent cauteria, hoc sermone utebatur ad Principem: *Herr, wir mussen euch den Narren stechen*: Oportet nos minuere fatuitatem vestram. Princeps aegre ferens, respondit: *Stecht euch selbst den narren, ihr seid ein grösser narr, denn ich*: Tu ipse plus habes fatuitatis. Minue tu tuam, quam habes, fatuitatem. Reliqui, qui aderant, increpabant Medicum: verebantur, ne pater Dux Georgius rescisceret.

Paulus inquit: *Cum essem puer, loquebar ut puer:* est aliquid condonandum pueritiae. Tollatur superstitio, et relinquantur assuefactiones ad disciplinam gratae et accommodatae aetati puerili.

Etiam sapientes delectantur ingeniosis picturis; ut Alphonsus rex Neapolitanus solebat uti hoc praeclaro Symbolo. Pingebat pelecanum, et adscribebat: *Pro lege, et pro grege.* Nam pelecanus, quando exclusit pullos, tum fodit suo rostro corpus, atque ita eos alit sanguine suo. Aliqui scribunt, pelecanum hoc modo restituere vitam pullis interfectis morsu serpentis. Ita Christus nos sanguine suo ex Diaboli potestate eripuit. Scribitur et Phoenix renasci post multam senectam, cremans se ipsum. Id quoque ad Christum congruit, qui moritur, ut reviviscat, et nos secum in vitam resuscitet. Utramque imaginem quidam pictor pinxerat in mea patria sub imagine Christi crucifixi. Sed

Alphonsus politicam imaginem inde sumpsit. Princeps debet fundere sanguinem, et adire pericula pro vera doctrina, et in defensione iusta.

Eiusmodi picturae sunt commonefactiones de virtute. Et *Sapiens,* ut est apud Syracidem, *non odit legem.*

Hic ipse dies Dominicus est, quando captus est bonus princeps et bene meritus Dux Iohannes Fridericus primus. *Dass es einem alles gerhaten sol, gehet nicht an.* Non est iustus in terra, qui faciens iusta, non etiam peccet. Nemo etiam hominum est, cui omnia ex animi sententia succedant. Hunc diem debetis meminisse, ut revocetis vobis in memoriam, instabilitatem rerum humanarum, et ardentius Deum invocetis.

DIE PHILIPPI ET IACOBI.

Cras erunt Calendae Maii. In Calendariis adscriptum est nomen Philippi et Iacobi. Retinenda est autem memoria sanctorum in Ecclesia sine superstitione, ut historia Ecclesiae sit in conspectu. Quando intueris historiam Apostolorum et Prophetarum, unius vel plurimum, et consideras eorum doctrinam, miracula, virtutes, martyria, intueris simul universam Ecclesiam, consideras fontes, et testimonia doctrinae. Philippus Bethsaidae natus, unus fuit ex 12 Apostolis, sicut et Iacobus Maior et Minor. Scribitur praedicasse in Scythia. In Hierapoli tandem interfectus est, quae fuit urbs Phrygiae, celebris et clara in historiis. Plura non habentur de eo, nisi quod fregerit idolum, in quo fuit horribilis draco. Genus caedis ipsius fuit, quod affixus est cruci, et lapidibus obrutus.

Iacobus cognomento dictus est *Iustus.* Vocatur et *Iacobus Minor.* Post ascensionem Domini creatus est Episcopus Hierosolymorum. Dixit sententiam in Synodo Apostolorum Act. 15. Fuit spectator horribilium confusionum: quia tunc ruebat Respublicae Magnae semper perturbationes, magni motus et seditiones sunt in qualibet Republica et propemodum in quolibet corpore, in fine periodi, ante interitum, *wenn es nun fallen sol.* Multae fuerunt Hierosolymis caedes, multae distractiones. Collocata fuerunt idola in templo. Istorum omnium spectator fuit Iacobus. Concionatus est annis triginta. Ab hostibus Evangelii lapidibus primum impetitus: postea in altissimum templi locum ductus est, et inde praecipitatus. Confractis cruribus, semivivus iacuit in terra, tendens manus in coelum, tandem fuste fullonis capite eius graviter percusso, exspiravit. Legite apud Eusebium sub finem libri secundi plura de caede Iacobi ex Clemente et Hegesippo.

DOMINICA IUBILATE.

Evangelium Ioann. 6.

Modicum videbitis me, etc.

Haec lectio est exiguum fragmentum concionis Christi ante agonem, sicut etiam sequentium Dominicarum aliquot lectiones inde desumptae sunt. Sed nec iusto ordine, nec integre recitantur. Saepe sunt excerpta membra quaedam, omissis sententiis cohaerentibus, quae non debuissent avelli.

Non igitur mutilatae tantum lectiones istae, sed tota concio, quae est habita in postrema coena, intuenda est, et saepe legenda ac relegenda; quia continet summam doctrinae, quae est propria Evangelii: Item doctrinam de regno Christi, et collectione Ecclesiae Novi Testamenti: Item, commonefactiones de ministerio, per quod Ecclesia colligitur: de forma Ecclesiae: de persecutione, et cruce; de consolatione in afflictionibus. Sunt etiam insertae promissiones multae de missione Spiritus sancti, et huius beneficiis, de effectu precationis, de praesentia et auxilio Dei, ut videatur Christus habuisse illam concionem ad discipulos, quasi testamentum conditurus. Nec potest ulla voluptas esse dulcior bonis mentibus, quam intueri integrum, corpus istius concionis.

Huius vero lectionis materia propria est doctrina de cruce Ecclesiae; cui additur particula de consolatione: quia necesse est haec coniungi, doctrinam de cruce, et doctrinam de consolatione.

Praedicit Christus se abiturum esse; ideoque fore, ut paulisper eum non videant; Sed quamquam mundus gaudebit, et ipsi tristes futuri sunt: tamen, ait, eos rursus gavisuros esse, et hoc gaudium futurum esse perpetuum.

Haec opposita sunt imaginationibus, et ingenti infirmitati Apostolorum, qui toties audiverant eum antea quoque praedicentem passionem et resurrectionem suam. Sed ipsi cogitabant fore Monarcham, et regem florentissimum omnium in mundo, et sperabant se fore istius fortunae socios, habituros provincias, et dominaturos in magna opulentia.

Ideo non subibant animos eorum praedictiones de passione et morte Christi: quemadmodum in hac etiam lectione videntur eis obscura, quae Christus de suo abitu loquebatur. Quorsum ista pertinent, inquiunt, *Modicum videbitis me, et modicum non videbitis me?* Habent animos peregrinantes. Nec assequuntur sententiam verborum Christi propter suas imaginationes; quales non omnes circumferimus, de regno Christi, et de Ecclesia.

Omnes somniamus nobis aureos montes; ex-

petimus suavitatem, honores, opes; Non volumus esse subiecti cruci. Interrogabam nuper adolescentem, quare disceret? Respondebat mihi: *Ut perveniam ad summos honores.* Tales sunt nostrae imaginationes. Non volumus esse afflicti aut miseri. Denique multiplex est in nobis omnibus ignorantia et infirmitas.

In Philosophia praecipua quaestio est, quomodo homo fiat beatus: et Aristoteles concludens, addit hanc restrictionem, quae est magna extenuatio: *Dicit beatitudinem hominis definiendam esse, ut hominis;* quasi dicat, homo est miser: ideo non cadit in eum beatitudo perfecta.

Sed agamus nunc de principali materia hodierna lectionis. Saepe auditis, diligenter consideranda esse genera doctrinarum philosophicam, et doctrinam propriam Ecclesiae Dei.

Plato inquit, *Philosophiam esse meditationem mortis.* Vult significare proponi in philosophia considerationem miseriarum humanarum; idque hoc fine, ut homo sit modestior, et, quantum fieri potest, quaerat mitigationem istarum miseriarum.

Mirantur etiam alii sapientes omnes extra Ecclesiam, quomodo fiat, quod haec praestantissima natura sit in maximis calamitatibus. Homerus dicit non esse ullum animal magis miserum, vel aerumnosius homine. Idem oportet nos fateri etiam in Ecclesia; quia omnes homines sunt obnoxii calamitatibus innumerabilibus, sive sint sancti, sive alieni a Deo. Quantus vir est Iulius? Gessit res magnas: Fuit occupatus bellis asperrimis: Sunt interfecta undecies centena millia hominum sub ipso: postea vix septem aut octo menses vixit in aliqua tranquillitate; constituit Imperium; et miserabiliter interfectus est ab illis ipsis, quos servaverat.

In Ecclesia nullus fuit vir pulchrior, nec gloriosior coram mundo, quam David, qui antecelluit non solum posteris, sed etiam multis prioribus: et tamen implicatur magnis malis, quae erant humano consilio inextricabilia. Denique inspiciantur omnium temporum exempla. Cogitemus singuli de nostris miseriis.

Hinc igitur nascitur quaestio de causis miseriarum humanarum, de quibus longe aliter cogitat Philosophia, quam sicut docemur divina voce.

Philosophice loquendo, duo genera sunt malorum humanorum. Aliud physicum est, ut morbi, et mors: aliud est accersitum nostra voluntate. De quo Homerus inquit: *Irus stultus habet attractum malum.* Et Menander: *Plura sunt accersita mala voluntate nostra, quam naturalia.* Hic ergo consideremus, quid Philosophia dicat de causis bonorum et malorum.

Quae sunt causae bonorum homini secundum Philosophiam, cum loquimur de vita, et bona valetudine, et de rebus secundis?

Respondeo. Principaliter Philosophia causas bonorum ponit naturam, vel materiam, et voluntatem humanam; ut, quod homo habet vitam, Philosophia dicit fieri ordine naturae; item, quod habet bonam valetudinem, dicit esse ex materia, seu ex temperamento bono. Postea, quod aliquis fruitur tranquillitate, id tribuit Philosophia voluntati. Dicit homines, bonis moribus posse utcunque retinere tranquillitatem: sicut est in vita Pomponii Attici hoc dictum: *Sui cuique mores fortunam fingunt:* id est, homines modesti habent cursum placidiorem.

Rursus: Quae sunt causae malorum secundum Philosophiam?

Respondeo. Eaedem: Materia, et voluntas humana: ut, quod homo est imbecilli valetudine, quod putrescit ut pomum, causam dicunt esse in materia; quod inquieti accersunt sibi exitium, dicunt esse ex voluntate. Antonius non vult quiescere, donec ruat.

Οἷα τ᾽ ἀνὴρ ἔρξει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.

Qualia vir fecit, talis manet exitus illum.

Wie mans treibt, so gehts.

Haec non falso dicunt Philosophi de causa propinqua. Verum est, quod materia, ex qua nunc nascimur, est causa mortis et morborum. Materia corrupta in corpore, est causa morborum; ut quando redundat humor biliosus, fit febris, quando redundat phlegma, et virtus expulsiva in cerebro non est fortis, ut possit expellere, fit catarrhus, delabens in pectus.

Aristoteles subtilius disputat, quam Medici: Dicit materiam primam, quam substernit elementis, habere assiduas vices, vagari ex alia forma ni aliam: unde et privationem posuit inter principia, ut ostenderet aliquo modo fluxum illum materiae vagantis, nec diu retinentis unam et eandem formam. Medici crassius loquuntur: dicunt *ex humoribus valere, et aegrotare hominem.*

Semper in valetudinis gubernatione necessaria est diligentia, considerans materiam morborum. Crudus abstineat postero die a cibo et potu, ut natura vincere possit cruditatem: sicut utilissimum est dictum Celsi: *Quiete et abstinentia curantur*

multi magni morbi. In senibus natura paulatim languefit; mutationes et alterationes fluunt in deterius.

Sic voluntates hominum sunt causa proxima multorum eventuum infelicium. Antonius volens sibi accersit exitium, quando movet bellum, plane non necessarium. Si non movisset bellum illud, potuisset esse Dominus istius pulcherrimae partis Imperii Romani, Asiae, Aegypti, et Syriae: ita postea volens sibi mortem consciscit. Potuisset abstinere ab illa caede, ne se interficeret.

Non potest autem dicere Philosophia de causis principalibus, quae nominantur *πρῶτα αἴτια.* Idem est enim *πρῶτον αἴτιον*, et causa principalis. Quando stant multi asseres, et ultimus asser cadit, pulsus a penultimo; hic penultimus asser, non est causa principalis lapsus ultimi asseris, sed *πρῶτον αἴτιον* est lapsus primae tabulae. Aliqui impulsionem illam penultimi asseris vocant *causam per accidens*; sed est *per se causa*, verum minus principalis. Non est causa per accidens. *Πρῶτον αἴτιον* est impulsio primi asseris impellens simul sequentes, atque ita etiam penultimum asserem.

Consideretur igitur discrimen doctrinae Philosophicae et doctrinae Christianae. Sola doctrina Ecclesiae ostendit *πρῶτα αἴτια*, causas principales, seu primos fontes.

Philosophi cogitant, quia homo est ex tali materia, qualis est materia pecudum, pomorum, florum; ideo hominem interire similiter, sicut flosculi intereunt. Utrobique enim ponunt materiam obnoxiam corruptioni.

Sed quamquam materia corporum humanorum talis est, qualis est pecudum; tamen, quia homo conditus est ad maiora, quam pecudes, vel poma, mirantur Philosophi ipsi, quare sit similis.

Sic vident homines esse tales, ut saepe errent in consiliis, et voluntas sit prava, instabilis, indomita, contumax: sed unde hoc sit, mirantur Philosophi, et causam principalem ignorant. Nam quod dicunt, voluntates fieri vitiosas, quando accedunt pravae inclinationes in materia, seu in temperamentis, id quoque nondum satis est. Ergo ex doctrina Ecclesiae adiungenda est accuratior explicatio.

Quae est igitur causa principalis omnium bonorum secundum Theologiam?

Respondeo. *Κύριον αἴτιον* est Deus, qui facit materiam bonam: sicut initio condidit homines sine morte. Et, si natura mansisset integra, rexisset Deus hominem, ne vel mens aberraret, vel voluntas appeteret malum.

Hominum natura vixisset perpetuo, si mansisset in obedientia, quam praestare Deo debebat: quia etsi materia corporum erat Elementaris, tamen Deus servasset naturam hominis incolumem, et ex hac vita, in qua homo alitur cibo et potu, transtulisset in vitam coelestem.

Sic nulli fuissent errores, nulla vitia et scelera, si imago Dei, ad quam homo erat conditus, mansisset integra: quia tunc Deus rexisset naturam sua luce.

Saepe cogitemus, qualis praestantia fuerit, quam homo amisit; qui fuit conditus ad imaginem Dei. Erat in mente firma notitia, et assensio de Deo, et in voluntate iustitia, conversio ad Deum, seu obedientia, qua copulata erat voluntas hominis cum Deo, et in corde harmonia et consensus motuum, seu affectuum cum mente et voluntate: Erat etiam libertas voluntatis non impedita.

Haec fuerunt maxima bona in homine, sicut in Deo sunt res optimae: sapientia, iustitia, et libertas: quarum similitudinem cum transfuderit Deus in homines, necesse est nos agnoscere ingentem amorem Dei fuisse erga homines, et magnam fuisse praestantiam, et nobilitatem naturae hominum, quamdiu fuit integra.

Nos nimis sumus ignavi, et negligentes, et inordinate vivimus. Non cogitamus in ista vita fera et turbulenta magnitudinem istarum rerum; aut cum leviter ac tenuiter aliquid discimus de tantis rebus, insolescimus, et efferimus nos superbe. Sed angeli intuentes ista, exsultant gratiarum actione, et abiiciunt se, ut serviant nobis, etiam postquam ex tanta praesentia excidimus.

Praeterquam autem quod fuisset in homine similitudo Dei, etiam Deus habitasset in homine, et vivificasset hominum naturam. Ita fuisset in homine vita, non mors, vivificante et regente ipsum Deo.

Postquam autem Adam lapsus est, Quae est causa malorum, secundum doctrinam Ecclesiae?

Respondeo. Peccatum, quo admisso, secutae sunt poenae. Sicut dicitur: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum, mors.* Natura mersa in peccatum non vivificatur, non regitur a Deo amplius, ut antea: Inde fit, quod natura iam est dissimilis, postquam est deserta a divinitate. Hinc est, quod Psalmus dicit: *Homo cum in honore esset, non intellexit; iumento similis factus*

est. Moritur ergo homo propter materiam infectam peccato, et quia desertus est a Deo.

Haec est vera causa et principalis, cur morbi et mors accidant homini, sicut pecudibus, pomis, graminibus. Item, quod errent homines in consiliis, et incidant in scelera, quorum causa non est Deus, sicut dicitur: *Non Deus volens impietatem, tu es.*

Funccius de iustitia nostra sic argumentatur:

Quicquid impellit hominem, ut recte faciat, id est iustitia:
Deus impellit hominem ad iuste agendum:
Ergo Deus est nostra iustitia.

Respondeo. Est argumentum legale: Sed deest nobis, quod non sumus tales, id est, quod in hac vita non efficit Deus in nobis conformitatem cum sua lege. Ideo quam diu natura manet corrupta, semper manet illa quaestio, quomodo placeamus Deo. Idem sic argumentatur:

Iustitia est perpetua et constans voluntas, suum unicuique tribuens:
Solus Deus est talis:
Erga solus Deus est iustitia nostra.

Respondeo. Concedo totum. Sed quaestio est, an nos simus tales; seu, an in nobis efficiatur nunc a Deo constans illa et perpetua voluntas.

Quaero, an verum sit, quod malae inclinationes ortae ex temperamentis, sint causae vitiorum; et, quod inclinationes illae varient secundum effectus stellarum, sicut disputant Astrologi?

Respondeo. Non pertinent haec ad causam principalem malorum in genere humano: quia nec inclinationes vitiosae, nec stellae sunt causae vitiosarum actionum principales et totales, sed tantum partiales: Et inclinationes quidem sunt causae propinquae: stellarum effectiones agentes aliquid in materiam elementarem (ex qua constant corpora) et variantes temperamenta, *inclinant*, ut vulgo dicitur, *sed non necessitant.*

Basilius contendit, ne quidem inclinationes malas oriri a stellis, hoc nimirum argumento:

Si stellae essent causae malarum inclinationum, Deus causa esset vitiorum, et autor peccati: quia stellae sunt a Deo conditae:

Sed non est Deus causa peccati:

Ergo stellae non sunt causae malarum inclinationum.

Respondeo. Stellae sunt conditae bonae, et habuissent effectiones convenientes in materia non corrupta. Sed peccati poena est in natura hominum, mutatio materiae: ideo sequitur dissimilis effectio stellarum in materiam corruptam. Si obiectum, in quod agunt stellae, recte se haberet, et tale esset, quale fuit conditum, nulla fieret inclinatio ad malum. Sed natura hominum iam est corrupta. Ideo in materia contaminata, alios nunc effectus habent stellae, quam habuissent in natura integra.

Videmus vinum sua natura bonum, habere bonas effectiones in corporibus sanis; Idem tamen vinum auget morbos in febricitantibus, et hydropicis.

Item, si homo non esset lapsus, habuisset rectorem potentiorem tota natura, videlicet Deum ipsum. Fuissent igitur tunc omnes motus animi et corporis recti et incontaminati. Sed nunc desiit homo esse templum Dei, et lux ac rectitudo illa amissa est.

Hanc depravationem naturae humanae ignorant Philosophi. Ideo vagantur cogitationibus mirabiliter, quando intuentur tantam confusionem in natura hominum; id est, mortalitatem, et varias calamitates, et ipsam imbecillitatem hominum in regendis actionibus suis.

Non igitur ex Philosophia tantum discendae sunt causae miseriarum humanarum, sed omnium maxime aspicienda est haec principalis causa: *Lapsus primorum hominum*, quem secuta est corruptio naturae, quam non cernit, nec iudicat ratio.

Accedit autem ad naturae corruptionem *furor et odium Diaboli*, qui naturam miseram et desertam impellit in gravissima mala, et scelera, quae sunt contra ipsam naturam, in quantum adhuc reliquum est opus Dei in natura; ut, saepe accidit, quod matres interficiunt infantes; patres interficiunt natos: Nati interficiunt parentes: Homines, inter quos nunquam odia fuerunt, furenter ruunt in mutuas caedes. Haec non fiunt humanitus, quia natura si aliquo modo esset sana, non faceret talia.

Has causas, quas non cernunt homines sine revelatione divina, cum magno dolore viderunt et experti sunt primi parentes in se, et posteris suis, ut cum viderent Abel interfici a fratre. Scriptura etiam plena est testimoniorum de his causis, propter quas totum genus humanum subiectum est tot ac tantis calamitatibus.

Sed hic sequitur alia quaestio:

Quare Ecclesia magis sit subiecta calamitatibus, quam reliqua multitudo generis humani?

Sancti maioribus aerumnis exercentur, quam caeteri homines, cum tamen Ecclesia videatur libera esse debere ab eiusmodi malis; Sic enim argumentor:

Ecclesia est liberata a peccato, et tyrannide Diaboli:
Ergo etiam liberata est a morte et caeteris miseriis.

Hoc argumentum sumitur ex doctrina de libertate Christiana, de qua dicitur: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Item: *O mors, ero mors tua*: ubi dicit Filius Dei se velle tollere mortem: Et apud Esaiam inquit: *Quod velit involvere mortem linteis, sicut cadaver, et praecipitare de monte.* Item in Michaea dicit, se velle *abiicere peccata nostra in abyssos maris.* Hoc transtulerunt quidam ad baptismum, nec est inconcinna allusio: sed textus hoc dicit, quod Filius Dei velit prorsus tollere, et funditus delere peccatum.

Respondeo autem ad argumentum: Sumus liberati a peccato in hac vita, scilicet, imputatione et inchoatione. Liberati etiam sumus a tyrannide Diaboli, per defensionem, scilicet quod defendimur a Filio Dei. Non, quia ille non oppugnet; sed quia non vincat, iuxta dictum: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.*

Quod ergo in conclusione dicitur: *Sumus liberati a miseriis:* Respondeo, Essemus liberati a miseriis, si essemus consummatione liberati a peccato; et sic certe liberabimur aliquando plene et integre. Manent autem in hac vita mors et miseria; quia manet peccatum in sanctis, in carne eorum, et hoc oportet paulatim aboleri: Sicut Paulus inquit: *Corpus mortuum est propter peccatum*: id est, obnoxium est morti, seu. est mortale, propter peccatum inhaerens. Non enim loquitur de factis praeteritis, quemadmodum aliqui exposuerunt: sed quia in hac carne adhuc est peccatum, ideo oportet aboleri et expurgari, ut postea novitas restituatur.

Similis responsio est et ad hanc obiectionem:

Ordini iustitiae convenit, ut iustis melius sit, quam impiis:
At Ecclesia est iusta:
Ergo debebat ei melius esse in hac vita, quam aliis hominibus iniustis, quorum multi florent et suaviter vivunt.

Respondeo ad Maiorem: *Iustis debet bene esse,* scilicet iuxta declarationem Evangelii: et servato discrimine inter praemia huius, et futurae vitae. Deinde ad Minorem: *Ecclesia est iusta,* scilicet in hac vita tantum, imputatione et inchoatione: nondum vero consummatione. Cum igitur nondum in hac vita integre sit Ecclesia liberata a peccato: vult Deus singulari consilio praecipua iustitiae praemia, et praecipuas poenas iniustitiae eousque differre, donec abolito prorsus peccato, pii liberentur in glorificatione secutura totaliter a morte et omnibus aliis calamitatibus: ubi hostes in aeternas miserias a Deo abiicientur.

Explicato argumento, iam recitandae sunt causae, quare magis prematur Ecclesia. Prima igitur causa est, ut Ecclesia agnoscat iram Dei contra peccatum haerens etiam in sanctis, quod mundus non agnoscit, nec curat.

Secunda causa est, quia Diabolus rabiosius persequitur Ecclesiam odio Filii Dei.

Tertia causa, quia in Ecclesia sunt multa peccata actualia, propter quae Deus punit et castigat etiam sanctos, ut retrahantur ad poenitentiam, ut David habet magna et atrocia peccata, et horribiliter labitur, rapit coniugem Uriae, interficit maritum, virum optimum, et praestantissimum civem et amicum, ideo punit eum Deus postea horribiliter.

Id exemplum saepe considerare debemus, ne nobis sic blandiamur, ut homines plerumque faciunt, qui dicunt: *Sumus Ecclesiae membra, Ecclesiae erit bene: Faciamus quae lubet, Deus non adeo severe nos puniet.* Ista vana fiducia omnibus temporibus decepit homines: ut, Iudaei indulgebant suis cupiditatibus, erant moechi, foeneratores, exercebant inter se odia, faciebant caedes: Postea dicebant: Nos sumus populus Dei, et Ecclesia, quae conservabitur. Igitur nihil mali nobis accidet. Eodem modo nostri homines blandiuntur sibi, donec publicis calamitatibus opprimantur. Sciamus igitur multas calamitates etiam in Ecclesia esse *τιμωρίας*, id est, poenas peccatorum.

Quarta causa est, ut exerceatur in sensu calamitatum fides, invocatio, et tota novitas spiritualis, quia omnes in rebus secundis sumus negligentiores. Cum abundamus rebus necessariis ad victum, obliviscimur Dei, et reddimur securi. Et haec securitas, quasi ebrietas quaedam est, quae languefacit invocationem, et gratiarum actionem, extinguit timorem Dei. Contra vero sensus malorum excitat timorem Dei, invocationem et fidem; sicut dicitur apud Esaiam: *Angustia clamoris disciplina tua eis.*

Quae est constructio in hoc dicto?

Respondeo. *Tua disciplina*: id est, tua castigatio est eis angustia, ut clament ad te; *wenn du sie züchtigest, so ruffen sie engstiglich*: hoc est, ideo castigantur, ut clament ad te. Ita David inquit: *Bonum est, Domine, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.* Nam doctrina de invocatione et fide, non discitur rectius, nisi isto modo. Et pertinet huc δοκιμασία, de qua pulchrum dictum habet Augustinus: *Profectus fidelium non agnoscitur nisi in tentatione; nec quisquam sibi innotescit, sine probationis examine.*

Quinta causa est: Deus vult calamitates Ecclesiae esse testimonia de doctrina; ut, quia Paulus antefert Evangelium vitae suae, eo ipso testatur, quod serio sic sentiat, sicut docet. Sic martyres edunt testimonia confessionis suae, cum volunt potius interfici, quam discedere a veritate.

Sexta causa est: Deus vult praecipua lumina Ecclesiae conformia esse imagini Filii sui in cruce et passione, sicut postea etiam in gloria.

Septima causa: Deus vult calamitates Ecclesiae esse testimonia secuturae immortalitatis, et futuri iudicii. Quia enim Deus antea testatus est sibi curae esse Abel, Esaiam, Ieremiam, Paulum, et tamen interfici eos sinit a teterrimis tyrannis: Necesse est, restare iudicium, in quo facturus sit Deus discrimen inter Paulum et Neronem, et ostensurus, se esse iustum, et vindicem suorum.

Octava causa est, ut in ipsis aerumnis Ecclesiae, conspiciatur praesentia Dei in Ecclesia; et inprimis, ut mirandae liberationes sanctorum sint testimonia bonitatis, sapientiae, et potentiae divinae. Vult enim conspici praesentiam suam in Ecclesia. Ideo multa inextricabilia humano consilio sinit accidere Ecclesiae, et in Psalmis passim proponuntur exempla liberationum, ut illis moniti, caeteri quoque agnoscant praesentiam Dei in Ecclesia, et ut illi similiter Deum invocare discant, sicut dicitur Psal. 34.: *Iste pauper clamavit ad Dominum, et Dominus exaudivit eum. Accedite ad eum et illuminamini.*

Nos omnes eodem modo servamur hodie, sicut tres illi viri in camino; nisi quod nos non intelligimus nostra pericula; sed quo quis plus periculorum videt, eo magis experitur, se non humanis viribus subsistere, sed tantum divina ope, et praesidio. Ideo scripsi nuper hanc formulam precationis:

Te semper maneat servante Ecclesia, Christe:
Insertosque ipsi nos tua dextra tegat.
Tres velut in flamma testes Babylonide servas,
Rex ubi praesentem te videt esse Deum.

Hae causae tantum in doctrina Ecclesiae sunt traditae, et debent omnibus familiarissime notae esse. Sunt autem aliquae ex his impulsivae, aliae finales: Ac debemus instructi esse sententiis Scripturae, in quibus fit mentio harum causarum; et has conferre debemus cum hoc textu, in quo dicitur, *Mundus gaudebit: vos autem lamentabimini*: ubi mox additum est exemplum de muliere parturiente, quod sumptum est ex Osaea: *Dolores parturientis venient ei.*

Ego saepe cum doloribus illis confero magnas illas miserias Ecclesiae non tantum in persecutione, sed etiam in confusione opinionum, quae valde excruciat bonas mentes. Esset adhuc tolerabile, pati corporis necem seu trucidationem: Ita enim citius finis esset malorum, sicut factum est temporibus Martyrum; sed multo saevior carnificina est videre tam horribilem confusionem opinionum, et tam obstinatam pertinaciam in defendendis absurdis opinionibus. Nec dubium est ex illa ipsa confusione opinionum nasci calamitates varias et multiplices.

Discernamus autem afflictiones sanctorum a passione Christi, de qua hic ipse textus quoque concionatur, cum inquit Christus: *Modicum non videbitis me, et modicum videbitis me*: id est, ego paulo post moriar, et tamen resurgam.

Cur igitur patitur Christus?

Respondeo. Illius passio est λύτρον. Patitur Christus propter nostrum peccatum. Nos patimur, ut peccata nostra agnoscamus, et cogitemus de liberatore, quomodo per Filium liberemur.

Iam etiam dicendum est de locis consolationum. Hic rursus cogitemus, alias esse consolationes mundanas, et alias consolationes in Ecclesia. Pompeius quando fuit in fuga, venit Mitylenam, ubi erat Cratippus celeberrimus ex professoribus philosophicis. Hunc accersivit ad se, ad leniendum dolorem. Quas igitur consolationes adhibere potuit Cratippus? aut quibus consolationibus alius quicunque Philosophus potest erigere hominem constitutum in miseriis? Respondeo. Sunt quinque aut sex loci consolationum philosophicarum praecipui.

Primus est, *Necessitas*; quia, si velis impatientius ferre, quod mutari non potest, augebis dolorem. Velle repugnare necessitati, nihil aliud est, quam augere sibi dolorem. Cum quis cogitat de morte, et videt se dolendo non posse arcere mortem, is duplicabit sibi malum, si se multum angeret, et quidem frustra se angeret.

Est inter senarios Mimi: *Malum quod mutari non potest, feras.* Et Plautus inquit: *Bonus animus*

in re mala, est dimidium mali. Magna est stultitia *πρὸς κέντρα λακτίζειν, calces attollere contra stimulos:* id est, frustra repugnare adversitatibus.

Haec est communis consolatio; sed non tollit dolorem ex animo, etiamsi utcunque cogit hominem, ut se non subiiciat aliquo modo.

Cum fur educitur ad patibulum, non sentiet magnam consolationem, si quis ei dicat: quid multum te angis? non potest mutari. *Gib dich nur drein, es kan doch nicht anders sein.* Imo vero in homine impatiente magis crescit dolor, cum videt malum mutari non posse.

Secundus locus est *dignitas virtutis.* Tu non debes propter dolorem facere contra virtutem. Cato non debet sibi consciscere mortem propter adversam fortunam: quia hoc pugnat cum iustitia. In Socrate laude digna est aequabilitas animi, qua etiam moriturus prae se fert moderationem et constantiam. Contra, turpe est, et pugnans cum virtute, cum alii vel manu sibi afferunt vim, vel indulgent dolori.

Haec consolatio aliquanto plus valet, quam illa prior; quia hic ordo, seu iudicium est in mente naturaliter, quod intelligimus virtutem anteferendam esse dolori, et maxime vitandam esse turpitudinem. Affert igitur aliquid patientiae cogitatio de conservatione huius ordinis. Verum in multis non valet, quando magnitudo doloris superat aequitatem et moderationem animi.

Tertius locus est *bona conscientia*, quae vel inprimis facit, ut intus minus doleamus, etiamsi patiamur foris; sicut dicitur: *Est aliquid magnis crimen abesse malis.* Et Nazianzenus inquit: *Οὐδὲν οὕτως εὐφραίνειν ἡμᾶς εἴωθεν, ὥσπερ συνειδὸς καθαρὸς, καὶ ἐλπίδες ἀγαθαί*, id est, *Nihil tam exhilarat nos, quantum conscientia pura et spes bona.* Contra, cum conscientia est saucia, est duplex malum, interius et exterius. Is qui patitur mala conscientia, dupliciter dolet, intus scilicet, et foris. Imo cruciatus conscientiae maior est, quam externa laceratio, ut saepe diximus de illo pistore, qui Viennae veruto affixus, clamavit: *Dolores conscientiae, quos pateretur in corde, cum de voce puellae cogitaret, quam offerentem omnes pupas suas, trucidarat, multo maiores esse, quam omnes cruciatus corporis.*

Quartus locus sunt *exempla.* Est autem Exemplum, causa leniens dolorem; quia, cum videmus praestantiores nobis pati, cogitamus non iniustum esse, nos quoque pati similia. Interfectus est Palamedes, Socrates, pulsus est patria Aristides, et alii multi magni viri passi sunt in causis honestis: Patiaris ergo tu quoque. Sic cum videmus in res adversas incidere omnes alios homines (nemo est enim hominum, cui non accidant multa tristia) cogitamus propter aequalitatem, seu propter iustitiam, nos etiam ferre debere, quod commune est, ne videamur velle excepti esse a communi sorte.

In Scriptura bis est posita haec sententia: 1. Reg. 19. inquit Elias: *Non sum melior, quam Patres mei*: et 1. Maccabaeorum 13. inquit Simon Maccabaeus: *Non sum melior fratribus meis, qui mortui sunt.* Et est vulgare dictum: *Κοινὸν ναυάγιον ἑκάστοις παραμύθιον: Commune naufragium, est singulis consolatio.* Sed hoc nimis ferociter dicitur, et pertinet ad homines feroces. Interim in bonis etiam et moderatis hominibus umbra et imago iustitiae, ad quam exempla nos deducunt, affert aliquid consolationis, quando cogitas: quare tu vis esse extra sortem communem totius generis humani? vis esse Deus? Patiaris aliquid, ut tu et alii agnoscant te esse hominem, tamen illa etiam melioribus acciderunt.

Quintus locus sunt *causae finales*: ut cum aliquis patitur pro Republica, in causa laudabili, aequiore animo vincit dolorem. Miles pugnans pro Republica facilius adit discrimen et periculum vitae, quia scit se cum laude occumbere, ut dicitur:

Pro patria magnum decus est profundere vitam.

Sextus locus est *collatio eventuum*: id est, comparatio commodorum et incommodorum: ut, cum cogitat aliquis: Si ista tibi non accidissent, potuissent deteriora accidere. Pompeio fuisset melius mori ante bellum civile, cum valde aegrotaret, quam postea tam miserabiliter interfici. Item, cum aliquis potest sperare maiora commoda, facilius fert praesentia incommoda.

Hae sunt consolationes philosophicae, et eaedem concurrunt in consolationibus Ecclesiae, quia sunt legales. Sunt enim duplices consolationes in Ecclesia. Aliae sunt legales, aliae Evangelicae.

Suntne plenae consolationes Philosophicae?

Respondeo. Etiamsi utcunque leniunt dolorem, tamen non tollunt, neque ostendunt exitum ex omnibus malis: Sunt *palliativae curae*, ut medici loquuntur. Relinquunt hominem in morte et miseriis. In Cicerone et Socrate qualiscunque moderatio animi, est umbra tantum, non est gaudium cordis: Sed in Baptista, in Paulo, qui tenet consolationes, non tantum legales, sed etiam Evangelicas, sunt initia vitae aeternae: sicut Christus hic inquit: *Ut gaudium vestrum sit plenum.*

Vocat autem consolationem gaudium plenum, non quantitate, id est, cum nihil desit, sed quali-

tate, hoc est, non umbram gaudii, sed verum gaudium. Item consolationem solidam, non hypocriticam.

Quaero, an David in fuga habuerit plenum seu perfectum gaudium?

Respondeo. Ita. Contra.

Fuerunt tunc in Davide magni dolores?

Respondeo. Perfectum, seu plenum, significat solidum, non simulatum; sed, ut vulgo loquuntur, *cordiale gaudium*, quod perfectum est, non numero graduum, sed quatenus oppositum est hypocrisi, seu umbrae externae. Cor in piis sentit initia vitae et laetitiae aeternae; ut duo illi adolescentes recens combusti in Belgio, et ille senex Cantuariensis Episcopus in Anglia, senserunt gaudium perfectum in corde: id est, initia laetitiae, et vitae aeternae, etiamsi simul habuerunt trepidationes, consternationes, profundos gemitus, dolores, etc.

Sumamus Laurentium pro exemplo. Quas consolationes habuit Laurentius? Habuit non tantum philosophicas illas, quae sunt ex doctrina legali, sed etiam Evangelicas, quas non habuit Cicero, Socrates, Palamedes, etc. Primum in Laurentio est consolatio *a necessitate.* Est enim in manibus tyranni, nec potest eventum mutare. Sed accedit in Ecclesia ad necessitatem philosophicam, etiam necessitas obediendi Deo. Non tantum cogitat Laurentius: *Feras, quod mutari non potest*: sed considerat etiam mandatum Dei, cui scit se debere obedire, et tolerare adversa propter Deum. Haec necessitas obediendi Deo flectit Laurentium ad patientiam.

Ita nos, quando scimus obedientiam Deo esse debitam, debemus hoc ipso debito moveri ad tolerantiam; quia scilicet scimus deberi Deo hunc cultum, ut ei obediamus, iuxta illud: *Humiliamini sub potenti manu Dei.*

Fuit mihi notus Dux Franciscus Luneburgensis, ingeniosus et iuvenis Princeps, cui praecisus est pes, et qui cum magno dolore est mortuus. Is saepe se commendans Deo, solebat dicere: *Omnes mei cruciatus non sunt pares meis peccatis*: *Sed quia vult Deus me ei obedire in hac poena, tolero cruciatus istos propter mandatum Dei*; *et ago gratias Deo, quod vocavit me ad agnitionem Evangelii.*

Secundus locus consolationis a virtute, etiam est legalis, et notus Laurentio, et vicinus est priori, sicut nos eum declaramus ex doctrina Ecclesiae. Nam ex mandato Dei promanat consolatio de dignitate virtutis. Debet esse in piis voluntas talis, quae acquiescat in obedientia debita mandato Dei. Non debet vincere fremitus et indignatio adversus Deum, ut in Saule consciscente sibi mortem contra praeceptum: *Non occides.*

Tertio, et in Laurentio *bona conscientia,* quae lenit etiam dolorem in causa iusta. Ita David allegat bonam conscientiam, inquiens: *Iudica me Domine, secundum iustitiam meam,* scilicet particularem in hac causa. Non enim loquitur de iustitia personae. Ita nos magna fiducia petere debemus, ut Deus nos adiuvet, regat et liberet, quando iniusta patimur.

Sed quid si destituaris consolatione illa bonae conscientiae? Hic Philosophia non habet remedium; David eiectus per seditionem ex regno, non habet bonam conscientiam, imo potius habet conscientiam maximorum scelerum. Manasses in exilio non habet bonam conscientiam. Sic nos omnes, quando incidimus in aerumnas, cogitamus aliqua esse nostra peccata, propter quae puniamur. Et hoc confirmat vox divina: *Propter iniquitatem corripis filios hominum.*

In his ergo casibus non sufficit consolatio legalis, sed adiungenda est Evangelica, de qua postea dicam. Ioseph lenius fert suum carcerem; quia non habet malam conscientiam in hoc casu, quo accusabatur tamquam adulter. Sed David habet malam conscientiam: Scit se rapuisse alterius coniugem, et interfecisse virum, et suis peccatis praebuisse occasionem malis istis, in quibus haerebat. Propterea magis dolet, et ita quidem, ut clamet: *Non est pax ossibus meis:* sed tamen tenet consolationem ex Evangelio contra dolorem de mala conscientia, et erigit se fide in maxima lucta, donec eluctetur tandem ex isto magno dolore; quia dictum ei erat: *Dominus transtulit abs te peccatum tuum.*

Quarto: Multum valet etiam locus *ab exemplo*: ut, Christus, Prophetae, Apostoli fuerunt in magnis aerumnis: Ergo tu quoque patiaris aliquid, quod vult Deus te pati, Christus ipse inquit: *Discipulus non est maior magistro.* Sed plus valet hic locus ad consolandum, cum et personas inter se conferimus, et mala ipsa. Cum alii multo praestantiores nobis, maiora sustinuerint: sciamus nos quoque debere aliquid sustinere.

Quinto: *Causae finales* in Ecclesia etiam clarius traduntur: quia homo Christianus intelligit discrimina calamitatum, quarum aliae sunt *τιμωρίαι*, aliae *δοκιμασίαι*, aliae Martyria: ut, calamitas Iobi est *δοκιμασία.* Calamitas Esaiae est *μαρτύριον.* Davidis calamitas est *τιμωρία.* Et tamen haec ipsa poena prodest Davidi, ut augeatur in eo poeni-

tentia, et ut vitet maiori circumspectione peccata similia.

Sexto: *Comparatio commodorum et incommodorum*, complectitur in Ecclesia etiam mitigationes, quas subinde Deus dat in mediis aerumnis, etsi has ipsas mitigationes non tam ex lege, quam ex Evangelio apprehendimus.

Quae sunt igitur propriae consolationes Evangelii?

Respondeo. Tres principales: Prima est *vox remissionis peccatorum et reconciliationis.* Quando scimus nos fide iustos esse et acceptos Deo propter Christum: tum sequitur hoc, quod Paulus dicit, *Iustificati fide pacem habemus.* David quando post lapsum, id est, post factam caedem, et raptam coniugem alienam, audit absolutionem a Nathan, et scit se habere remissionem peccatorum, consolatur se hac ancora, ut statuat, quicquid etiam ipsi accidat, tamen se habere Deum propitium.

Secunda consolatio Evangelii propria, est *asseveratio de praesentia Dei, et de auxilio*: Sicut dicitur: *Sum cum ipso in tribulatione.* Item, *Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me.* Ad hunc locum de agnitione praesentiae Dei, pertinet etiam illud Esaiae: *Ubi habitabo nisi in Spiritu contrito, et trmente sermones meos.* Et, quod Psalmus inquit: *Prope est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* Hoc non docet Philosophia. Cato dubitat, an Deus curet ipsum, et fremit contra Deum, quod vincatur in meliori causa.

Tertia consolatio Evangelica, est *promissio finalis liberationis*; quia caeterae consolationes non essent sufficientes, si semper nobis manendum esset in miseriis et aerumnis. Deus condidit genus humanum, ut sibi aeternam Ecclesiam colligat, et post miserias huius vitae in aeterna consuetudine communicet Ecclesiae suam sapientiam, bonitatem, et laetitiam in omni aeternitate. Ibi igitur erit finis malorum.

Mitigat quidem Deus calamitates invocantibus etiam in hac vita. Item, liberat saepe ex periculis, et afflictionibus: sed tamen veniendum est tandem ad portum, et ad veram quietem. Ideo semper coniungenda est spes et exspectatio, finalis seu ultimae liberationis. Etiamsi hic interficitur Paulus, tamen Ecclesia glorificabitur; ideo et Paulus resurget, et fruetur aeterno conspectu Dei.

Hae consolationes Evangelicae destituunt philosophos. Non sciunt, an placeant Deo, non agnoscunt praesentiam Dei, non habent spem liberationis, Deus relinquit eos, sinit miserabiliter illos perire. Contra, Laurentius in craticula habet consolationem de remissione peccatorum, videt Deum sibi praesentem esse, retinet spem liberationis ultimae. Potest dicere cum Iobo: *Etiamsi occiderit me Dominus, tamen sperabo in eum.* Et cum Davide: *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.* Hae consolationes faciunt verum gaudium in corde, quod est reale, et sensibile gaudium, et quod absorbet mortem.

Hanc collationem locorum, qui in Philosophia et doctrina Ecclesiae flectunt ad patientiam, seu leniunt dolores, et erigunt animos, diligenter et saepe consideremus, ut in quotidianis exercitiis invocationis, item in sensu publicarum calamitatum cogitationes nostras dirigamus ad meditationem tantarum rerum; et ut melius intelligamus discrimina doctrinarum, Philosophiae, Legis, et Evangelii.

Iuvenes, qui sunt adhuc incolumes, non exercentur morbis et aliis malis, levius ista curant; sed tamen doctrinam discere omnes debent, et intueri statum ac conditionem Ecclesiae in hac vita; quia haec est voluntas Dei, ut Ecclesia sit subiecta cruci: ut dicitur apud Ieremiam: *Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius.* Quid potest dici magis patheticum?

Quid nominat animam suam?

Ecclesiam nominat animam; sicut usitate loquimur de re valde dilecta: *Est meus animus, meus oculus, mea voluptas.* Iacob, pater Iosephi potuit dicere de hoc filio suo: *Iste est meus animus:* id est, tam dilectus mihi, quam est vita mea. Hanc igitur animam suam, id est, rem dilectissimam, videlicet Ecclesiam, ait Dominus se dedisse in manum inimicorum eius, scilicet ad tempus. Nam quia est anima, et dilecta Deo: Ergo non deseretur.

Paremus autem nos ad communes miserias, quas partim in conspectu esse videmus, partim futuro tempore metuimus. Singuli etiam de suis et suorum miseriis aliquid cogitent, et petamus, ut Deus leniat publicas et privatas poenas, et servet aliquas Ecclesiae reliquias, ut servavit in mari rubro, in fornace Babylonica; quia semper Ecclesia est in similibus periculis, etiamsi non omnia videmus. Deus mitiget mala propter Filium, et adsit Ecclesiae senescenti.

DOMINICA CANTATE.

Evangelium Ioann. 16.

Nunc autem vado ad eum, qui misit me, etc.

Scopus huius textus Evangelici.

Haec lectio principaliter pertinet ad descriptionem ministerii Evangelici, quam Christus opponit imaginationi discipulorum, qui sperabant Christum habiturum esse regnum corporale, vel mundanum. Sed Christus statim initio huius lectionis ait, *se iturum ad Patrem*, id est, futurum victimam pro peccatis, et resuscitatum ex morte, ascensurum ad coelum, quod Scriptura nominat *thronum Dei*, et ibi regnaturum esse aequali potentia cum Patre. Hoc vero regnum suum docet Spirituale futurum esse: quia consistat in ministerio verbi, per quod Spiritus sanctus sit efficax.

Monstrat etiam summam Evangelii sonantis in Ecclesia per ministerium: quia Spiritus sanctus per illud *arguat mundum de peccato, de iustitia, et de iudicio.*

Grammaticae commonefactiones.

Quae est differentia inter has propositiones: *Arguet mundum de peccato, quia non credunt in me*: et, *Arguet mundum, quod non crediderunt in me*? Haec differentia inter particulas *quia* et *quod*, diligenter est consideranda: quia versiones saepe sunt admodum negligenter factae, et particulae illae: *quod, quia, si, nisi*, etc. plerumque confunduntur. Est autem particula *quia* rationalis, vel *αἰτιολογικὴ*: ut cum dico: Diligo illum, quia mihi benefacit. Sed particula *quod* est restrictiva: ut, Laudo Alexandrum, quod fortis fuerit; non laudo eum, quod ebriosus et vinolentus postea factus est. Hic particula *quod* idem significat, ac si dicat: Laudo Alexandrum eatenus, quod fortis fuit.

Planius est dictum: *Arguet mundum, quod non credit in me,* quam si dicas: *quia non credit in me.* Haec sunt tenuia, et tamen pertinent ad curam Grammaticam, et sunt observanda.

De appellatione Paracleti.

Quid significat vocabulum Paracleti, quod tribuitur in hac concione Spiritui sancto?

Respondeo. Germanicus textus habet: *Der Troster.* Haec versio facta est per figuram, quae nominatur Metalepsis, quando fit permutatio causae et effectus. Sed *παρέκλητος* propria significatione est advocatus, et componitur a *παρὰ*, *ad*, vel *apud*, et *κλητὸς*, *vocatus*, *Ein beystant.*

Quo discrimine nominat Ioannes Christum paracletum, et Dominus hic Spiritum sanctum nominat Paracletum?

Quaero, an sint distinctae personae et officia Christi et Spiritus sancti? Respondeo. Hic decurrendum est ad regulas: *Talia sunt subiecta, qualia a praedicatis esse permittuntur*: id est, circumstantiae et contextus ostendit, de qua persona dicitur, et quo discrimine. Dominus ipse dicit: *Mittam vobis Spiritum paracletum a Patre.* Dicit se missurum Spiritum, quem daturus sit Pater: Ergo Christus non potest esse illa persona, de qua dicit: *ego mittam.* Praeterea Symbolum ostendit discrimina personarum.

Quomodo ergo Filius est Paracletus, et quomodo Spiritus sanctus?

Respondeo. Spiritus sanctus est paracletus, scilicet effectione in nobis. Christus est paracletus intercessione, et applicatione suae obedientiae ad Patrem pro nobis. Nam hoc est intercessoris, in quantum est mediator. Nam mediator significat intercessorem, non tantum orantem pro alio, sed etiam applicantem meritum suum. Petrus etiamsi in hac vita orat pro te, tamen non est mediator. Sed unus est mediator Dei et hominum, homo Iesus Christus: id est, Filius, qui factus est homo, qui applicat obedientiam suam, atque ita intercedit pro te.

Nihil turpius est, quam non observare vocabulorum significationes. Sciamus Filium esse talem paracletum, qui obedientiam suam nobis applicat, et merito suo placat Patrem: Item, per quem datur Spiritus sanctus. Nunquam enim Spiritus sanctus datur sine Filio. Deinde sciamus Spiritum sanctum esse paracletum, seu advocatum effectione in nobis; quia consolatur, et laetificat, accendit et confirmat cor, ut habeat tales motus, qualis est ipse.

Oratne Christus pro nobis?

Respondeo. Ita: Quia scriptum est: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam.* Item: *Ego pro illis oro: et non tantum pro illis, sed pro omnibus credituris per verbum eorum.*

Oratne Spiritus sanctus pro te?

Respondeo. Non. Contra: Paulus inquit: *Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*? Respondeo. Spiritus interpellat, scilicet movens nos ad precandum. Item, quia nemo potest Christum Dominum vocare, nisi per Spiritum sanctum, ideo idem Paulus declarans se ipsum, inquit: *Spiritus adiuvat imbecillitatem nostram.* Est enim *Spiritus gratiae et precum. Gratiae*, quia accendit et confirmat fidem in nobis, et laetificat nos agnitione misericordiae. *Precum,* quia exsuscitat in nobis invocationem.

Cum Stancarus negaret Spiritum orare pro nobis, alius quidam voluit contrarium probare, allegato hoc dicto: *Spiritus interpellat pro nobis.* Sed fuit hoc alienum a re. Spiritus interpellat, scilicet movendo seu impellendo ad invocationem. Invocatio ipsa est opus, quod accenditur movente corda Spiritus sancto: videlicet, quando corda prius edocta sunt verbo, ut agnoscant verum Deum, et quem misit, Iesum Christum. Ideo Christus hic inquit: *Spiritus de meo accipiet*, id est, Spiritus accipit verbum a Filio, et per verbum, ac cum verbo est efficax.

Differuntne patronus et advocatus in lingua Latina?

Respondeo. Patroni dicebantur, qui agebant causas pro aliis, et lingua sua defendebant reos: ut Cicero fuit patronus Milonis, cum egit ipsius causam. Et enim patronus, quasi os rei, *der das Wort furet an stadt des beschuldigten.* Sed advocati erant, qui advocabantur ex summis et auctoritate praeditis viris, ut consilium et defensionem praeberent reo contra violentiam, et confirmarent, seu consolarentur eum. Multi sunt advocati, qui non sunt causidici. Sed interdum generaliter usurpatur nomen advocati, quem propterea sibi reus adiungit, ut adsit, moneat; et, si opus sit, aliquid pro reo dicat.

Quomodo Spiritus sanctus arguat mundum.

Quandocunque autem nos loquimur de officio Spiritus sancti, debent haec duo considerari: primo quid agat in ministerio Evangelii publico: secundo, quae sit efficacia eius in privata sanctificatione singulorum, qui convertuntur ad Deum. Ita hic dici sciamus, primum de publico ministerio, quia Christus docet, quare missurus sit Apostolos, quale ministerium velit instituere, et quomodo colligere velit Ecclesiam: Item qua de re concionatura sit vox sonans in ministerio. Paulus nominat ministerium Evangelii, *ministerium Spiritus*; quia Spiritus sanctus est efficax voce Evangelii, et hoc modo Filius Dei colligit sibi aeternam Ecclesiam.

Annon Filius arguit, cum missus sit, ut sit Doctor? Quomodo ergo hic dicitur: *Spiritus sanctus arguet*, quomodo congruunt ista?

Respondeo. Opera divinitatis ad extra sunt communia tribus personis, sed certo ordine. Pater, Filius, et Spiritus sanctus, arguunt mundum, verum hoc ordine. Filius accipit Evangelium ab aeterno Patre, et revelat illud, et per eum Pater dat Spiritum sanctum, qui arguit, et consolatur publice et privatim.

Publice in ministerio, quod mirabiliter Deus conservat, etiamsi horribilibus furoribus Ecclesia oppugnetur. Nemo hominum potest scire omnes machinas Diaboli, quibus Ecclesiam dissipare conatur. Subinde tentat Diabolus novas vias, et consilia nova ad dissipationes, et distractiones veri consensus. Deus tamen conservat aliquos coetus, et quidem sonantes coetus; quia vox Evangelii est Spiritus sancti vox: quam vult Deus sonare in genere humano ad colligendam Ecclesiam. Non posset autem fieri collectio Ecclesiae, nisi etiam privatim Spiritus sanctus efficax esset in multorum cordibus.

Quid significat arguere?

Respondeo. Significat convincere in conscientia.

Arguitne Spiritus sanctus etiam Sanctos?

Respondeo. Ita: sed simul consolatur eos. Hic dicitur: *arguet mundum:* id est, non unum et alterum, sed totum genus humanum. Deus dat vocem suam, et in ea denuntiat iram suam, et addit poenas horribiles, quibus ostendit iram etiam adversus contemptores vocis divinae. Multi homines vivunt in summa securitate. Aliqui dicunt: Nos sumus Christiani, et tamen indulgent sibi, et ruunt in manifesta scelera.

Saepe autem punit Deus furores in peccatis, aliis novis peccatis et furoribus, ut recens in Helvetia unus pagus qui est Paptisticus, *Zug*, collegit omnia Biblia ex toto oppido et combussit. Qualis hic furor est, et quomodo non veniant poenae? Non multo ante quidam honestus vir domum veniens, deprehendit coniugem in adulterio: cumque adulterum gladio peteret, mulier obiecit suum corpus, et transfossa est. Moechus adhuc est captivus. Tam horribilia fiunt; quia mundus contemnit vocem sonantem in ministerio.

Sunt tamen semper aliqua viva membra Ecclesiae, quae cum sentiunt se argui, dolent propter iram Dei, et emendant se. Caeteri contemnentes hanc vocem, cumulant adversus se iram, et haerent tandem in poenis.

Quid volunt sibi illa:

Arguet mundum de peccato, de iustitia et de iudicio?

Respondeo. Prorsus aliena sunt haec a politicis opinionibus et iudiciis. Propterea etiam hic totus locus mirabiliter est enarratus et contaminatus. Nos erimus contenti simplicissima expositione.

Quid nominat Spiritum sanctum?

Respondeo. Nominat illam tertiam personam divinitatis, quae vere est ὁμοούσιος Patri, et Filio, et est efficax in ministerio, et in cordibus singulorum credentium. Hic Spiritus non est cogitatio; vel, ut Philosophi loquuntur, ratio.

Quid autem facit hic Spiritus?

Respondeo. Arguit, id est, accusat mundum, seu totum genus humanum, sicut Paulus dicit, *ut obstruatur omne os, et reus sit totus mundus coram Deo.* Cum autem additur: *de peccato, de iustitia, et de iudicio,* comprehenditur tota doctrina Evangelii; quasi dicat Christus: Spiritus sanctus afferet doctrinam incognitam mundo et rationi. Sapientia rationis consistit in notitia legis; loquor iam de sapientia, quae est rectrix hominum, non de sapientia Geometrica, aut artium.

Illa rationis sapientia arguit et regit mundum imperiis per disciplinam, seu per locomotivam. Sed Spiritus sanctus arguit alio modo, et de aliis obiectis.

De quo peccato Spiritus sanctus mundum arguat.

Movet corda et accusat primum, praecipuum illud peccatum, *quod mundus non credit in Filium.* Dixi enim antea, rectius dici *quod non credunt,* quam, *quia non credunt in me.* Nam particula *quod* est expositiva. Nominatim Evangelium accusat hoc peccatum, quod genus humanum ignorat et contemnit Filium Dei.

Ratio hoc peccatum non agnoscit; quia nihil intelligit de missione et beneficiis Filii. Sapientia legis arguit latrocinium, furta, adulteria. Sed illud summum et maximum peccatum, *quod mundus non credit in Filium,* tantum Evangelium arguit, ut dicitur: *Omnis qui non credit in Filium, iam iudicatus est, et ira Dei manet super eum.* Et in secundo Psalmo, qui est concio Evangelii summaria, dicitur: *Osculamini Filium, ne quando irascatur, et pereatis in via.* Postea additur: *Beati omnes qui confidunt in eo:* sicut etiam Ioannes addit: *Omnis qui credit in Filium, habet vitam aeternam.*

Utraque vox propria Evangelii est, quod credentes habeant vitam aeternam, et quod non credentes maneant in peccato et morte. Estque dulcis consolatio scire, quod mandatum Dei sit aeternum et immotum, ut credamus in Filium. Cumque sit summum peccatum, non credere in Filium, debemus exuscitare fidem; et quamquam habemus alia peccata, tamen non debemus addere hoc peccatum, ut non credamus in Filium.

Hoc peccato manente, manent omnia caetera peccata damnantia. Aristides non est homicida, non moechus, non fur. Habuit tamen interiora peccata, ignorationem veri Dei; fuit vacuus timoris Dei, et ipse dixit, quod in magnis rebus praestiterit iustitiam, in parvis non semper. Ita Nicodemus fuit vir honestus, sed ante regenerationem nondum habet lucem de Filio, quam debebat habere. Tales profundissime mersi fuerunt in peccata.

Contra, Manasses obrutus est maximis scele-

ribus, sed liberatur a peccato; quia agens poenitentiam credit in Filium. Sic lario in cruce habet hanc consolationem, quod liberetur a peccatis; quia credit in Filium.

Iam consideremus, an recte arguatur mundus de hoc peccato. Intueamur mundum statim post primae Ecclesiae inchoationem. Edita est revelatio de Filio Dei statim in principio, in illa promissione: *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Huius promissionis notitia facit discrimen inter Ecclesiam veram, et alios qui sunt extra Ecclesiam.

Nonne tota posteritas Adae norat legem?

Respondeo. Ita; quia est naturalis notitia; sicut omnes tenent aliquo modo numerationem; quia est notitia naturalis. Sed tenueruntne omnes posteri Adae promissionem? Respondeo. Aliqui semper tenuerunt. Sed maxima multitudo neglexit et contempsit. Cain defecit, derisit promissionem. Postea maxima pars generis humani oblita est promissionis. Mansit autem tantum in illa parte promissio, ubi erat vera Ecclesia, sed alias clarius, alias obscurius.

Post Noe, imo adhuc vivente illo, rursus in oblivionem venit promissio, etsi posteri retinuerunt aliquos ritus Patrum. Postea magis magisque extincta fuit doctrina promissionum, non solum in illa parte, quae dicebatur Ethnica, sed etiam in populo Dei. Saducaei prorsus sustulerunt.

Pharisaei conservarunt nomen Messiae, sed tamen doctrinam ipsam, de persona et beneficiis Messiae prorsus corruperunt. Fuerunt tamen aliqua viva et vera membra Ecclesiae, Zacharias, Simeon, Maria, Hanna, et alii, qui conservarunt verum intellectum promissionum, quia semper oportet aliquam esse Ecclesiam, et ea alias est maior, alias minor: Et in ipsa quoque quantumvis parva Ecclesia, alii plus, alii minus lucis habent.

Hoc ergo horrendum peccatum, quod est ignoratio, neglectio, contemptus Filii Dei in toto genere humano, accusat vox Evangelii; quia in solo Evangelio revelatur, quis sit Filius Dei, et quomodo sit credendum in eum, quod non expresse dicit Lex. Si definias peccatum, quod sit non obedire legi, habes definitionem congruentem doctrinae legis. Sed hic certa species peccati definitur ex Evangelio, scilicet *non credere in Filium Dei.*

Pertinet quidem fides ad primum praeceptum, scilicet si intelligas legem, non qualis per se est, sed quatenus declaretur et illustratur ex promissionibus Evangelii.

Vult Deus agnosci istum Filium, vult ei credi: et quando hic Filius non agnoscitur, manet totum peccatum in natura hominis. Lex etiam non fit, nisi agnito hoc Filio, nec si faciat aliquis, quod congruat cum lege sine hoc Filio, placere Deo potest. Ideo intelligatur peccatum de fundamento et termino. Fundamentum est, non credere in Filium Dei; terminus est, horribiliter reum esse et manere coram Deo.

Quando cogitamus certamina, quae semper fuerunt praecipua in genere humano, agnoscimus praecipue et perpetuo oppugnari hunc articulum de Filio Dei. Apostoli dicunt, hunc Filium esse Messiam, et propter hunc recipi credentes a Deo. Mundus haec, quia supra captum mentis humanae posita sunt, adversatur, indignatur, fremit, conatur delere, interficit propter hanc doctrinam Apostolos. Ita aliis etiam temporibus semper in genere humano manet contemptus Filii Dei.

Et quamquam nos in Ecclesia agnoscimus aliquo modo Christum, tamen hoc ipsum valde est languidum, et assensio concutitur multis dubitationibus, et fiducia non est ardens. Semper igitur oportet argui illud triste peccatum, *non credere in Filium.*

Est autem haec accusatio in singulorum cordibus opponenda multis tentationibus, ut quando cogitas: Agnosco mea peccata et magnas infirmitates; nihil tam vellem, quam scire, mihi placatum esse Deum. Hic cogitandum est, quia peccatum est non credere; ideo etiam consolationem omnium summam esse, quod scimus debere nos credere voci Evangelii, in qua manifeste dicit Filius Dei: *Venite ad me omnes qui laboratis.* Item: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Huic voci debemus assentiri, et eam amplecti. Nam peccatum est non assentiri: et, ubi hoc peccatum manet, ibi etiam caetera manent. Ubi fides est, ibi cedunt peccata caetera.

Haec est prima sententia in hoc dicto: *arguet mundum de peccato.* De quo? *Quod non credunt in me.* Nam *quod* est definitivum, ὁριστικὸν, expositivum, sicut iam saepe dixi. Si legas: *quia non credunt*, erunt duae Propositiones, Antecedens, et Consequens; quasi sit connexio causae et effectus: et erit oratio obscurior. Sed quando dicitur: *quod non credunt in me*, est una propositio, quae hoc modo est resolvenda: *Non credere in me, est peccatum, de quo arguetur mundus.*

Hoc peccatum est praecipuum, et nos omnes sentimus, quantum sit in nobis trepidationis et diffidentiae: ideoque in nobis ipsis quoque agnoscamus argui hoc peccatum. Petamus nos iuvari, et confirmari, et accendi in nobis maiorem flammam fidei. Non potest accusatio huius peccati omitti in praedicatione poenitentiae. Iam sequitur alterum membrum de iustitia.

De qua iustitia Spiritus sanctus mundum arguat.

Spiritus sanctus *arguet mundum de iustitia; quia vado ad Patrem, et non videbitis me amplius.* Hic rursus est opus Grammatica consideratione vocabulorum. Ac primum nota esse debet illa legalis, seu Philosophica partitio. Iustitia alia est universalis, alia particularis.

Universalis, est obedientia secundum omnes leges, vel debita omnibus legibus: hoc est, est rectio locomotivae, secundum omnia praecepta, vel secundum omnes virtutes (Loquor enim nunc Philosophice, non, ut lex Dei requirit, integram conformitatem in omnibus viribus:) ut, cum dico de homine honesto, qui non est moechus, non fur, non homicida, non reus alicuius sceleris: nomino eum iustum, scilicet iustitia universali.

Iustitia particularis, est virtus suum cuique tribuens; ut, Mercator est iustus, qui servat aequalitatem in contractibus. David est iustus iustitia particulari in hac causa, qua accusabatur a Saule seditionis. Ideo inquit: *Iudica me secundum iustitiam meam,* scilicet particularem in hac causa, quod non sum seditiosus. Singuli debent esse iusti iustitia particulari et universali; non quod possimus habere integram legis obedientiam, sed ne faciamus contra conscientiam.

Haec est communis doctrina Philosophica et forensis, ubi saepissime usurpantur vocabula iustitiae et iniuriae. Sed cum dico, Latro pendens in cruce est iustus: Quid hic significat nomen *iustitiae*? Respondeo. Significat acceptationem. Latro est iustus, id est, acceptus Deo ad vitam aeternam. Hoc modo Christus etiam hic loquitur: *Arguet mundum de iustitia:* id est, de acceptatione, quam Deus pronuntiat esse iustitiam, qua coram Deo sumus accepti, seu qua nos iustos, id est, acceptos pronuntiat: Ea vero est, non sicut mundus definit iustitiam legalem, quam utcunque intelligit ratio. Sed est ignota rationi, videlicet transitus Christi ad Patrem.

Haec definitio iustitiae ex Evangelio rursum est aliena a iudiciis humanis, sicut definitio peccati quam antea tradidit. Quando Tarquinius rapit alterius coniugem, id ex lege naturae agnoscitur peccatum esse. Sed quod ignoratio aut contemptus Filii Dei sit peccatum, non est notum naturae. Cum Scipio curat restitui sponsam sponso, est iustitia, naturae seu rationi nota: sed quod credentes recipiantur a Deo propter Filium, et transitum huius ad Patrem, prorsus non agnoscitur natura.

Aristoteles dicit: *Si aliquid curae est Deo, maxime consentaneum est, bonos viros ei curae esse.* Haec est adhuc legalis sententia: sed quando homo debet facere subsumptionem: Tu es talis: ibi non potest non dubitare. Singuli cogitant: *nescio, an ego sim talis.* Video me non carere multis naevis et infirmitatibus. Ideo cum accedunt calamitates, putant homines se negligi a Deo. Est ergo haec nova et incognita generi humano sapientia, quod homo sit iustus, id est, acceptus propter Filium Dei; quia ipse vadit ad Patrem.

Quid significat transitus ille ad Patrem; seu, quas res complectitur?

Respondeo. Haec tria significat. Primum passionem, seu totam obedientiam Christi; seu humiliationem illam Filii Dei, ab incarnatione usque ad resurrectionem et ascensionem gloriosam. Secundo, intercessionem assiduam coram Patre, quae est applicatio meriti et passionis, qua ut mediator, stans coram Patre, applicat credentibus suam obedientiam. Tertio, efficaciam, qua agit in nobis regnans ad dextram Patris, qua fit vivificatio et inchoatio iustitiae seu obedientiae in nobis, quae tamen in hac vita non perficitur, sed consummabitur in vita aeterna.

Loquitur enim de integro beneficio Christi, ut alibi dicitur: *Iehova iustitia nostra.* Interim, quia in hac vita haeret adhuc in nobis peccatum, diligenter discernenda est iustitia *imputata,* quae nititur tantum obedientia Filii, et intercessione eius, et *inchoata,* qua Filius est efficax, et dat Spiritum sanctum, per quem incipit instaurare naturam nostram. Sed hac inchoata iustitia in nobis, non possumus niti coram Deo. Tandem vero consequetur consummata iustitia in vita aeterna, cum Filius resuscitans nos ad vitam aeternam, inchoatam iustitiam absolvet, sicut dicitur: *Expectamus spem iustitiae.*

Osiander deducit nos non ad imputatam iustitiam, sed ad novitatem inchoatam in nobis in agone conscientiae; et utitur sua quadam grandiloquentia. Dicit nos iustos esse in hac vita non obedientia Filii, quae est realis, et perfectissima impletio legis, et satisfactio pro poena debita legi, quam Christus in humiliatione sua pro nobis praestitit: sed iustitia ipsius essentiali, qua ipse ab aeterno iustus est, et qua in nobis efficit novam iustitiam: et huc accommodat illam definitionem iustitiae, quae est apud Clementem, *quod iustitia sit communicatio Dei cum aequalitate.*

Verum in agone conscientiae deprehendimus hanc iustitiam, in nobis inchoatam, nondum satisfacere legi; et obedientia Filii Dei in infinitum an-

teferenda illis effectionibus, etiam quae in nobis fiunt ab ipso Deo. Fides nostra debet niti obedientia Christi, etsi simul fit vivificatio, et cum remissione peccatorum verissime coniuncta est effectio, qua homo fit templum Dei.

Christus hic coniungit passionem et sessionem ad dextram Patris, cum de transitu suo ad Patrem loquitur. Sed quod de integro beneficio Christi dicitur, id tamen, secundum alia Scripturae dicta, quasi suis quibusdam gradibus discernendum est. Nos sumus iusti, propter Christum transeuntem ad Patrem: id est, patientem ac morientem pro nobis, et perpetuo suo sacerdotio intercedentem, et in regno suo efficacem in credentibus. Aliud tamen est remissio peccatorum, et reconciliatio propter meritum passionis eius, et intercessionem pro nobis; aliud est efficacia et sanctificatio nostri. Sicut per eundem Solem illuminatur mundus et calefit, et tamen aliud est illuminatio, aliud calefactio.

Hoc discrimen ut retineatur, simpliciter sic dico: Christi iter, seu transitum, et quidem ad Patrem (nam hac particula Dominus ipse constituit terminum sui transitus, videlicet resurrectionem a morte, ascensionem ad coelos, et sessionem ad dextram Patris) esse iustitiam nostram, scilicet distinctam certo ordine seu gradibus; imputatam, et inchoatam in hac vita, et consummatam in tota aeternitate.

Hanc incognitam generi humano iustitiam praedicat Evangelium, et arguit mundum, *quod non norit hanc iustitiam*, scilicet, quod remittantur peccata, quia hic Filius satisfecit legi, et factus est victima pro nobis: Item, quod hic Filius regnet, et sit efficax, colligat sibi Ecclesiam misso Spiritu sancto, per quem accendit novam lucem, et inchoat virtutes in nobis, quae non sunt tantum rectio locomotivae, id est, cogitatio in cerebro, et qualecunque velle, quod imperat nervis, ne externa membra occidant, ne furentur, ne attingant alienam; sed quae sint intus in ipso corde vivi motus, et quod haec novitas, quamquam sit languida in hac vita, tamen sit tandem perficienda post resurrectionem.

Ratio humana iustitiam imputatam prorsus ignorat, et re ipsa in non credentibus iustitia nihil est aliud, quem disciplina in externis operibus: Quando videlicet homo prohibet externa membra, ne violent legem, ut, cum Achilles, quamvis iratus, tamen cohibet manus, ne stringant gladium, aut strictum reponant in vaginam. Talem disciplinam, id est, diligentiam regendi externos mores, possunt homines utcunque praestare: et in vita communi magnum quiddam est, hominem ita esse bene compositis moribus, ut regat locomotivam. Valde pulchra res est hominem bene moratum esse, et habere gestus, et actiones ordinatas.

Hanc iustitiam homines intelligunt; et, quia magnum decus est coram hominibus, putant satis esse habere talem iustitiam. Sed Evangelium expresse dicit alia iustitia opus esse. Dicit in salvandis oportere esse imputatam iustitiam, qua fide sumus accepti Deo, et habemus remissionem peccatorum. Sicut dicitur: *Beati quorum remissae sunt iniquitates.* Posteo suo ordine dicit oportere in nobis esse initia iustitiae et vitae aeternae, quae accendat in nobis Filius Dei Spiritu sancto, et consummaturus sit in tota aeternitate. Haec non sunt illa misera disciplina externa, quam homines vocant *iustitiam*, et ornant falsis praeconiis supra modum, cum dicunt, opera disciplinae mereri remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Habesne testimonium aliquod illustre in veteri Testamento de iustitia, quae patefit in Evangelio?

Respondeo. Valde insigne est illud apud Esaiam: *Laetatur et exsultat anima mea in Domino: quia vestivit me vestimento iustitiae, et induit me vestimento salutis.* Sed quomodo fit, ut vestiamur hac iustitia Filii Dei? Respondeo. Primum annuntiatur in ministerio Evangelii ira Dei adversus peccatum, ex lege repetita et sancita per Evangelium. Ita exsistit in nobis agnitio peccati, et pavores seu dolor propter peccatum et iram Dei. In hac agnitione peccati mens audit vocem Evangelii de remissione peccatorum: *Crede in Filium Dei, et remittentur tibi peccata.* Ista voce erigitur mens, et cum sic erigitur, accipit remissionem peccatorum fide, et reconciliationem cum Deo, et imputationem iustitiae, et acceptationem ad vitam aeternam. Simul autem fit vivificatio, qua vere existunt in nobis initia novae iustitiae, quae dicitur inchoata in hac vita, quae oportet subinde crescere, donec in vita aeterna fiat consummatio, postquam in morte prorsus abolitum fuerit in nobis peccatum.

Haec sunt discenda in veris exercitiis poenitentiae, nec intelliguntur ab iis, qui vivunt in furoribus, qui horum nihil curant. Item, removenda sunt ab his exercitiis somnia Enthusiastica, quibus multi sic cogitant: Ego exspectabo, donec veniat aliqua illuminatio extra verbum. Si volet me Deus iustificare, rapiet me, et immutabit, cum ei libuerit. Imo vero alligati sumus ad vocem Evangelii, et huic debemus assentiri, et laetari cum pavoribus et dubitatione, et sustentare nos cogitatione promissionis.

Estne haec propositio vera: *Iustificamur per fidem principaliter, et minus principaliter per nostra bona opera*?

Respondeo. Nequaquam, quia vocabulum iustificationis respicit ad acceptationem coram Deo, cum qua etsi coniuncta est donatio Spiritus sancti, tamen retinenda est exclusiva, quod sola fide, id est, fiducia obedientiae Christi simus iusti, seu accepti Deo, et causae sunt gravissimae.

Prima est, quia hic honos soli Christo est tribuendus, quod eius obedientia sit meritum remissionis peccatorum, seu acceptationis coram Deo. II. Causa est, ut conscientiae habeant certam et indubitatam consolationem. Nam si iustitia, id est, acceptatio penderet ex conditione operum, nunquam conscientiae essent certae, quod eiusmodi in nobis virtutes sufficientes sint, propter quas Deus nos recipiat. III. Ut sit discrimen Legis et Evangelii. Lex requirit aliquid in nobis ipsis, propter quod simus iusti. Evangelium deducit nos ad meritum Christi, quod est extra nos, quod tamen accipiendum est fide. IV. Causa est, ut possit fieri vera invocatio, quae impediretur, si in nobis quaerenda esset causa acceptationis coram Deo.

Rectene exponunt aliqui hoc dictum: *Fide sumus iusti:* id est, *nova illuminatione, seu qualitatibus novis a Deo infusis*? Fides hic ponitur correlative. Nam sumus iusti fide in hac vita, coram Deo; non quatenus fides est qualitas in nobis, seu virtus accensa divinitus, sed propter mediatorem, cuius merito confidimus. Quidam Augustae posuerat in sua confessione, posse probari ex Platone hanc propositionem: *Fide iustificamur*, et citabat versiculos Catonis:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt.
Hic tibi praecipue sit pura mente colendus.

Sed haec est confusio legis et Evangelii, et hoc ipsum quaeritur, *An sit in hac vita in nobis puritas mentis, quae satisfaciat legi*? Sic argumentor:

Iustitia est esse sine peccato:
Christiani non sunt sine peccato:
Ergo non sunt iusti.

Respondeo. Maior loquitur de iustitia legali: sed iustitia fidei est acceptatio personae gratuita propter obedientiam, et meritum Christi.

De quo iudicio Spiritus sanctus mundum arguat.

Tertium membrum est: *Arguet Spiritus sanctus de iudicio.* Hic rursus non loquitur de iudicio forensi, seu politico. Generaliter iudicium est cognitio veritatis, et reiectio falsitatis in aliqua controversia. Loquitur autem Christus hic de iudicio mundi, falso iudicantis de Evangelio, et de Ecclesia. Nec tantum intelligatur iudicium de conviciis adversus doctrinam, sed etiam de persecutione. Vult igitur hoc dicere Christus. Postquam in ministerio Evangelii sonuit sententia Dei de peccato et iustitia, et coepit condi seu colligi Ecclesia per agnitionem peccati, et apprehensionem verae iustitiae, sequetur magnum certamen et crux, seu persecutio Ecclesiae. Genus humanum furens et ardens tuebitur errores suos, et persequetur Evangelium: sed Spiritus sanctus damnabit iudicia persequentium Evangelium, et confirmabit Sanctos credentes Evangelio, quamvis sunt trepidi et imbecilles.

Semper maxima pars generis humani furenter persequitur Evangelium; iudicat nos omnes dignos esse, qui deleamur et abradamur ex terra, sicut Paulus conqueritur, Apostolos iudicari *καθάρματα*, et *περιψήματα*. Sed non vult Christus frangi suos, vult eos adversari iudiciis illis, vult eos constanter et fortiter dicere, nihil esse commenticia illa numina, quae colit genus humanum, reiiciendos esse cultus idololatricos, ut apud Ethnicos Dianae, Iovis, Veneris; et apud Papistas, invocationes Sanctorum, et prophanationem coenae Domini.

Haec vero cum damnantur ab Ecclesia, fiunt magni motus, turbantur Respublicae. Ut Romae erat consuetudo, quando Senatores ibant in senatum, singuli accedebant ad aram, dicebant ibi suam quandam precatiunculam, et faciebant suffumigationem thuris, et offerebant aliquid. Postea cum aliqui ex senatoribus facti sunt Christiani, scissus est Senatus. Christiani noluerunt accedere ad aram: ceteri fecerunt decreta non velle se habere in senatu, nisi qui una sacrificent: Inde magni motus in toto Imperio Romano orti sunt, sicut nostro etiam tempore factum est in Camera imperiali. Pontificii non volebant habere in corpore Senatus imperii, nisi qui promitterent se esse Romanae Ecclesiae addictos. Talia propemodum semper fiunt eodem modo.

Non autem vult Christus suos cedere his falsis iudiciis, sed constanter obviam ire impietati, et adversarii impiis cultibus, et dogmatis; et addit consolationem, *quia princeps mundi iudicatus:* id est, *damnatus est.* Ecclesia servabitur inter ago-

nes mundi furentis et tumultuantis adversus Evangelium. Potentia Diaboli non delebit Ecclesiam. Etsi multi interficientur, tamen Diabolus non vincet. Filius Dei, qui est victor Satanae, conservabit Ecclesiam. Quomodo? *Non in arcu, non in robore: sed in Spiritu meo,* inquit Dominus apud Zachariam. Et hic dicitur: *Spiritus sanctus arguet mundum de iudicio:* id est, sonabit vocem doctrinae, damnabit in multorum cordibus idola, et roborabit ac confirmabit suos.

Alibi inquit Christus: *Portae inferorum non praevalebunt.* In ea locutione est Metonymia. Porta veteribus significabat, quod nos vocamus praetorium, *Ein Rathhaus:* quia in portis Principes et Senatores conveniebant. Ideo saepe in Psalmis fit mentio portae: ut, *Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*: id est, in curia, praetorio, arce. Postea ut fasces et arces dicimus pro Imperio, ita etiam portae per translationem significant nonnunquam imperia.

Portae ergo *inferorum non praevalebunt:* id est, quamquam Imperia, in quibus Diabolus est potens, gerent bellum adversus Ecclesiam, ut nunc imperium Turcicum, et in orbe Christiano potentia Pontificum conantur delere Ecclesiam; tamen non poterunt eam delere.

Hanc consolationem habemus praecipuam, et ea freti maneamus in confessione. Deo curae erit, ut Ecclesia habeat hospitia, et nidulos aliquos; et ut sint semper aliqui coetus, quantumvis furentibus omnibus Diabolis. Nam Diabolus est iudicatus, hoc est, condemnatus, addictus poenae, potentia eius fracta est, sunt ei iniecta vincula, sunt metae constitutae, quousque grassaturus sit.

Bonus et pius vir Dominus Plateanus moriturus, praecipue hac sententia se confirmavit ac sustentavit: *Princeps mundi iam iudicatus est, non potest me damnare.* Hanc sententiam aliquoties repetiit.

Haec est igitur concio de ministerio Evangelii, et de summa doctrina, de qua alibi etiam Christus inquit, *quod Apostoli debeant praedicare in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum.* Et quia textus hic utitur voce *arguendi*, et dicit id fieri per Spiritum sanctum, non cogitemus esse quiddam lentum vel otiosum, sed tale aliquid, ut corda sentiant iram Dei, et postea consolationem. Non intelligantur ista de re levi. Certe in iudiciis dissimilibus videmus, quanti sint aestus hominum, et impetus, et quanta certamina.

Enarratio Sententiarum aliquot in fine huius concionis.

In fine adduntur aliae quaedam sententiae, quae pertinent ad doctrinam de Spiritus sancto: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis nunc portare. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, ducet vos in omnem veritatem.* Non volo hic stultam illam, vel potius contumeliosam obiectionem recitare:

> *Spiritus docebit multa:*
> *Ergo Ecclesia habet aliquos articulos, qui non sunt traditi in Evangelio.*

Est inepta, et tamen tetra cavillatio. Docuitne Spiritus sanctus alia, quamquae Christus docuit? Respondeo: Non; quia hic dicitur, *quae audiet, loquetur.* Item, *Rediget vobis in memoriam ea, quae dixi vobis.* Et Paulus inquit: *Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.* Quod si quaeras, quid igitur agit? quid efficit Spiritus sanctus? Respondet Christus: *Ducet vos in omnem veritatem;* id est, declarabit verbum, quod ego tradidi. Item, *Spiritus me glorificabit.* An vero glorificat, qui docet contraria: imo potius talis oppugnat et contumelia afficit.

Ut autem alibi inquit Christus: *Pater, sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas.* Ita Spiritus sanctus, per quem fit sanctificatio, hoc efficit in nobis, ut accendat lucem in mentibus, ut intelligamus hoc ipsum verbum. Tollit velamentum, quo mentes sunt velatae. Amplius etiam flectit corda, ut amplectantur, assentiantur, et credant: Sicut inquit Paulus: *Spiritus sanctus dat testimonium spiritui nostro, ut clament Abba Pater:* id est, ut agnoscamus, nos esse in gratia, et vere nos recipi; Invocemus Deum, subiiciamus nos ei, et serviamus ipsi, retinendo fidem et bonam conscientiam.

Annon habebant iam Spiritum sanctum Apostoli? Cur igitur inquit Christus: *non potestis portare; sed quando dabitur Spiritus, tunc illa intelligetis?* Respondeo. Habebant Spiritum sanctum, et intelligebant aliqua ex parte. Habebant initia seu scintillam fidei, et haec fuit valde languida in passione, et fere extincta in illa ipsa nocte, sed postea rursus excitata et confirmata est. Non cogitemus hominem statim esse perfectum. Dona Spiritus paulatim crescunt, et est assidua precatione opus, ut crescamus in agnitione et proficiamus.

Ita textus isti clare et perspicue docent, unam esse vocem Evangelii traditam a Filio Dei, et ab Apostolis, et Spiritum sanctum nihil afferre pugnans cum doctrina Christi: et quod in nobis oporteat crescere agnitionem peccati, et consolationem, et una cum consolatione debeat in nobis fieri invocatio ardentior et constantior, ut dicamus cum Pau-

lo: *Non me pudet Evangelii.* Hoc robur est a Spiritu sancto, qui est *Arrhabo gratiae:* id est, pignus: ut, cum sponsus dat sponsae annulum, aut cum quis emit aliquid et dat arrham, qua testificatur emptionem certo factam esse.

Arrhabo est simpliciter Hebraeum vocabulum, quod retinuerunt Graeci et Latini, ac congruit cum significatione illius vocabuli Latina vox, *spondeo, sponsus,* et *sponsio,* et quidem sponsiones proprie sunt eiusmodi promissiones, quae ritibus seu ceremoniis sacris confirmatae sunt; sicut σπονδὴ apud Graecos significat *libationem* et *foedus;* quia foedera fiebant cum libationibus. Ita sponsus et sponsa dicuntur, qui spoponderunt sibi invicem legitimum et sacrum foedus coniugii.

Cur Paulus vocat Spiritum sanctum Arrhabonem?

Respondeo. Quia est pignus haereditatis nostrae, et laetitia, quam accendit Spiritus sanctus, est initium vitae aeternae. Quando illi duo adolescentes combusti sunt in Belgio. Item Episcopus Cantuariensis in Anglia, habuerunt Spiritum sanctum arrhabonem in corde, testificantem, quod recte facerent, et confirmantem eos, ut in constanti confessione contemnerent mortem, et fortiter sustinerent supplicium.

Potest fieri, ut aliqui interdum pii habeant suas imbecillitates, sed quando tenent fundamentum, aut etiam prius lapsi infirmitate, erigunt sese et praestant postea constantiam; non debemus eos damnare: Quia tota Ecclesia est infirma: Caput est firmum, id est, Christus. Bambergae comburebantur duae puellae. His, cum ducerentur ad supplicium, imponebantur coronae stramineae. Ibi altera ad alteram dixit: *Cum essemus extra periculum, gerebamus coronas ex pulchris flosculis contextas: nunc impositae sunt nobis stramineae. Pro illis dabit nobis Deus coronas aureas.* Ingenti motu pertulerunt mortem. Irriserant idola Papistica, et dixerant se credere hoc, quod esset in Symbolo. Papistae tamen dixerunt esse Anabaptisticas; et fortassis habuerunt aliquid stipularum, sed tenuerunt tamen fundamentum.

Tales, qui retinent fundamentum, dico non esse damnandos, etiamsi habeant suas quasdam stipulas. Sicut Adolescentes in Belgio etiam habere potuerunt sua quaedam errata, et Episcopus Anglicus pasus fuerat sibi persuaderi subscriptionem quadam infirmitate, postea manu dextra primum admota flammis, dixit: *Tu peccasti: primum igitur senties ustionem.* Postea constantissime sustinuit supplicium ignis in vera invocatione Filii Dei. Talia non possunt fieri sine singulari opere Spiritus sancti. Fiunt autem in his, qui retinent Evangelium de Christo.

DOMINICA VOCEM IUCUNDITATIS.

Evangelium Ioannis 16.

Amen amen dico vobis, Quicquid petieritis patrem, etc.

Pertinet lectio ista ad doctrinam de precatione, vel Invocatione, quae est doctrina propria Ecclesiae, sicut etiam cultus ipse invocationis Ecclesiae est proprius, et non est communis cum aliis gentibus. Sola Ecclesia Dei et intelligit, et praestat hunc cultum Deo, confugiens ad Deum, et compellans eum, quoties petendae sunt res necessariae. Ethnici nec vere intelligunt, nec praestant hunc cultum. Id valde necessarium est scire iuniores: etsi nos senes quoque de nulla re libentius et crebrius cogitare debemus.

Videmus multum esse religionis et invocationum in antiquis poematibus, ut apud Homerum [Odyss. III, v. 48.] dicitur:

Εὔχεσθαι· πάντες δὲ θεοῦ χατέουσ' ἄνθρωποι.

Orate, omnes enim homines indigent Deo. Est legaliter et religiosissime dictum: Non tantum nos pauperes et miseri, sed etiam magni Principes et Reges opus habent Dei auxilio. Ideo ipsi quoque precari debent. Sedet ibi Nestor cum liberis suis in convivio:

Fuit autem antiqua haec consuetudo, ut initio libarent Diis, fundentes aliquid vini in terram, additis precibus: sicut finita mensa, spargebantur linguae victimarum dissectae in ignem. Quae fuerit significatio huius veteris ritus, commendo singulorum cogitationi.

Fortassis petebatur remissio et oblivio, si quid dictum esset, quod aliquam offensionem videbatur pariturum esse: vel etiam significabatur, purificatio linguarum, ne quid loquerentur, quod offenderet. Hunc ritum Homerus aliquoties describit, praesertim in Odyssea, ubi et crebra mentio est libationum, ad quas filius Nestoris Pisistratus exhortatus hospites, inter alia inquit: *Se existimare etiam Telemachum, quem hospitio exceperat Nestor: non abhorrere a piis precationibus: Quia omnes homines Deo indigeant.*

Quaero autem, an sit sufficienter dictum?

Respondeo. Si sufficienter dictum esset, nihil opus esset doctrina Ecclesiae, qualis in hoc dicto traditur: *Amen amen dico vobis: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Haec dicta diligenter discernenda sunt: Quia Homeri dictum est legale tantum. Ethnici etiam sciunt, quod sit Deo tribuendus iste honos, ut ab ipso bona petantur. Sciunt quoque tantam esse infirmitatem generis humani, ut sit nobis opus auxilio divino.

Inde sunt illa vetera dicta: *A Iove principium.* Item: *ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα.* Ac fuit olim antiquitas illa religiosior, quia fuit sapientior, gravior, et honestior, quam ista faex mundi postrema. Omnes virtutes apud illos sapientes veteres fuerunt maiores, quam nunc sunt: Sic fuerunt etiam tunc religiosiores, sicut saepe dicimus *ἡγεμονικὸν* excelluisse in prima aetate mundi, etsi eo ipso *ἡγεμονικῷ* multum peccavit illa aetas. Religio ipsorum degeneravit in superstitionem et idololatriam. Habuerunt studium religionis, sed non intellectum; habuerunt zelum, sed non secundum scientiam.

Non igitur satis est dictum ab Homero, quamquam recte hoc dictum est, scilicet legaliter. Sed non scit Homerus, quis sit verus Deus; qui colendus sit precatione et non potest docere, quomodo fieri debeat vera Dei invocatio. Coguntur sapientes fateri, *Sine Deo nihil esse fortunatum;* sed in calamitatibus mentes fugitant Deum. Putant eum non affici cura nostri. Aristoteles dicit imperfectionem futuram esse in Deo, si angeretur nostris malis.

Sed in dicto Christi, quod mox initio hodiernae lectionis proponitur, multo plura comprehenduntur, quae sunt propria vox Ecclesiae, et non sunt nota Ethnicis, nec ex lege, sed ex Evangelio discuntur: *Amen Amen dico vobis,* inquit Dominus, *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hic promissio ponitur sancita iureiurando, de exauditione precum nostrarum. Nominatim distinguitur invocatio Patris, quae fit fiducia Filii, ab invocatione omnium aliarum gentium.

Amen, est asseveratio iurantis, et credo Graecum *ἠμὴν* esse ab hac voce. Nam et Graeci iurantes praeponunt *ἠμὴν*, vel *ὄμνυμι*. Haec eadem sunt cum illo Hebraeo *Amen.* Grammatici dicunt particulam *ἠμὴν*, esse asseverationem, et passim invenitur in Demosthene, Xenophonte, et Isocrate: sed originem huius vocis non sciunt Graeci.

Est autem haud dubie sumpta a Patribus, et fuit usu recepta in iuramentis. In iuramento Attico dicebatur: *Iuro vere, quod pugnare velim pro sacris solus, et cum aliis.* Ibi est usurpata particula *ἠμὴν*, id est, *vere.* Sic dicebant in foederibus *ὄμνυμι ἠμὴν εἶναι φίλος Ἀθηναίων.* In summa, in omnibus iuramentis Graecis usurpatur illa particula *ἠμήν.* Sed nesciunt Graeci, unde sit. Christus hic bis repetit: *Amen Amen*, ut excitet in nobis fidem: quasi dicat: si non vis credere Deo, crede iuranti.

Nomen *Patris* ponitur hic a Christo, non ut excludat personas caeteras divinitatis, sed commenticios Deos, seu numina Ethnica. Illa autem clausula inserta: *In nomine meo,* id est, nominato Filio, vel praecipue facit discrimen inter doctrinam de invocatione Ethnica, et Christiana. Requiritur enim agnitio Christi, et cogitatio de promissione, sicut Daniel inquit: *Exaudi nos propter Dominum.*

Talis collatio doctrinae Ecclesiae, et cogitationum Ethnicarum de invocatione, magnam affert lucem, et singuli debent esse instructissimi in hac materia. Debemus tenere fundamentalem, simplicem et rectam doctrinam de invocatione. Praecipue vero nos scire debemus: quod ideo versemur in scholis Christianis, ut de hac, et aliis materiis discamus discrimina sapientiae humanae et divinae, item cultuum verae Ecclesiae, et aliarum gentium.

Quae est differentia inter Augustum Imperatorem sapientem et iustum, et Davidem? vel, ut in genere loquar: Quae est differentia inter Christianum, qui vere est membrum Ecclesiae Dei, et Ethnicum?

Respondeo. Hic debet in conspectu esse discrimen legis et Evangelii. Id ostendit discrimen hominum, Ecclesiae, et aliarum sectarum, item ostendit veros Dei cultus et falsos.

In Augusto est excellens virtus, et sapientia, ac moderatio in gubernatione tanta, quanta vix fuit in ullo alio. Manifestas coniurationes contra ipsum factas, potentissimorum hominum refutavit ac repressit tantum verbis. Noluit saevitia uti, ne quidem in eos, qui fecerant coniurationes, quae erant notoriae. Gubernatio eius tunc complexa est totum orbem terrarum. In hac fuit iustus atque ita sedulus, ut nesciam, an quisquam ei fuerit par respondendo, de liberando, scribendo. Composuit decreta, et responsa, sedens in lectica, id est, etiam in itinere fuit occupatus negotiis gubernationis. Haec magna virtus fuit in eo quiddam divinum.

Sed non est Augustus membrum Ecclesiae Dei: et quod ad religionem attinet, est aut Epi-

cureus, aut Academicus. Etsi enim cogitat esse aliquid Deum, tamen vagatur mente, non scit, quid sit statuendum de essentia, aut voluntate Dei, habet dubitationes suas, errores, tenebras. Non igitur a rebus externis sumendum est discrimen inter membrum verae Ecclesiae, et alios homines, sive sint Ethnici, sive Mahometistae, sive etiam Christiani, Ethnice viventes, id est, qui non sunt viva membra Ecclesiae.

Unde est ergo sumenda differentia?

Respondeo. Ethnici habent particulam legis, praesertim de officiis secundae tabulae, primam tabulam delent et corrumpunt. Opponunt vero Deo idola, et alii habent alias opiniones de Deo; alii alios furores seu cultus idololatricos. Magna pars generis humani est Epicurea, maior Academica, quae non vult esse Epicurea et tamen dubitat, quid sit Deus: sicut Hecuba apud Euripidem clamat: *O Iupiter, invoco te, quidquid es, sive hoc coelum, sive mens, quae est in coelo.* Postea addit: *quamquam iam diu ignavos opitulatores invoco.* Dicit se non exaudiri, se negligi. Talia saepe sunt in poematibus expressae. Poetae finxerunt humanas cogitationes.

Sic in Creta fuit Iovis simulacrum sine auribus et oculis. Iste artifex, qui fuit auctor statuae, aut derisit homines, credentes, quod Deus eos respiciat et exaudiat; aut voluit significare, homines non credere, quod Deus eos exaudiat, et res nostras curet, sive aerumnas, sive cultus nostros: sicut mihi quidam semel respondit: *Deus non curat bona opera;* cum eum interrogarem, *an essent necessaria?* certe curat Deus bona opera, et si non esset discrimen bonorum et malorum operum, nihil esset calamitatum.

Christianus homo, ut David, non tantum habet virtutes secundae tabulae, sed etiam primae, scilicet agnitionem veri Dei, veram invocationem, veros cultus in agnitione et fide Mediatoris; quia non tantum habet legem, sed etiam Evangelium, et ex Evangelio sumitur declaratio legis in Ecclesia.

Hoc est ergo discrimen inter Ecclesiam, et alias gentes. Lege declarata ex Evangelio, insigne discrimen faciunt cultus primae tabulae. Inter hos inprimis est invocatio. Nam hic cultus proximus est agnitioni Dei. Deus ideo vult agnosci, ut invocetur. Et hic est finis hominis, ad quem est conditus, et qui instauratur per Filium Dei, et Spritum sanctum.

Cur enim conditus est homo? Respondeo. Ut agnoscat, invocet, et colat Deum. Quare autem vult Deus agnosci, invocari, coli? Respondeo. Ut celebretur. Quare vult celebrari? Respondeo. Ut communicet nobis suam bonitatem, id est, non tantum bona corporis, sed ut se ipsum nobis communicet, sapientiam, lucem, iustitiam, vitam suam. Propter hanc causam vult agnosci, et in agnitione invocari: ideo vult celebrari, ut nobis communicet sua bona.

Aspiciamus autem nos singuli, et deploremus nostram negligentiam, quod non magnifacimus invocationem. Si non esset aliud peccatum in genere humano, quam haec ingratitudo, et segnities in invocatione, vel potius stupor: tamen essemus propterea digni maximis poenis. Nec dubium est nos propterea etiam plecti durius. Veteres nominarunt *ἀκηδίαν*, quam numerarunt inter septem peccata mortalia. Vocabulum ipsum significat incuriam, *unachtsamkeit*, *Trägheit am Gottesdienst.* Contra hanc *ἀκηδίαν* opponamus totam doctrinam de invocatione, quam omnes homines in Ecclesia tenere debent, non tantum ut sciant, sed etiam ut exerceant. Hanc repetemus nunc usitata nostra Methodo. Et quia multum refert, ut diligenter retineatur discrimen invocationis Christianae et Ethnicae; primum volo persequi quaestionem institutam, de differentia invocationis Christianae et Ethnicae. Postea dicam, de quibus rebus necesse sit nos singulos cogitare in invocatione. Omnis nostra salus pendet ab hoc cultu, sicut inquit Salomon: *Turris fortissima, Nomen Domini, ad hanc confugiens iustus, liberabitur.*

Quibus ergo modis differt invocatio Christiana ab Ethnica, Turcica, et omnium aliarum gentium invocatione?

Respondeo. Differunt dupliciter: Primum agnitione essentiae Dei: secundo, agnitione voluntatis Dei. Prius oportet de essentia dici, postea de voluntate.

Quomodo differunt agnitione Essentiae?

Ethnici, Turci, Iudaei impii, et omnes, qui non sunt vera membra Ecclesiae, errant de essentia Dei. Ethnici fingunt multos Deos. Turcae dicunt unum esse Deum, et gloriantur se invocare illum Deum, qui sit conditor coeli et terrae. Sed negant hunc Deum esse Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. Imo horribiliter execrantur Patrem Domini nostri Iesu Christi. Idem faciunt Iudaei

recentes, qui sunt blasphemi. Sic argumentor:

Invocans unum Deum, conditorem coeli et terrae, recte Deum invocat:
Turci et Iudaei invocant unum Deum, conditorem coeli et terrae:
Ergo invocant verum Deum.

Respondeo. Nego Minorem. Non invocant illum verum Deum, conditorem coeli et terrae. Negant enim illum Deum esse, qui se patefecit misso Filio, sed discendentes a verbo, fingunt aliquid esse Deum, quod non est Deus. Nos contra in Ecclesia invocamus illum Deum, qui patefecit se talem, quod sit aeternus Pater, qui ab aeterno genuit Filium, quem postea misit, ut assumeret humanam naturam: et quod Filius sit imago Patris aeterna et substantialis: et quod Spiritus sanctus a Patre et Filio procedat, sicut docet nos institutio Baptismi et Symbolum, quod saepe est recitandum.

Secundo: Omnes sectae extra Ecclesiam errant de voluntate Dei. Ethnici, Turci, Iudaei et alii impii, accedunt ad Deum sine Mediatore. Nihil sciunt de promissione. Dubitant, cur, et quomodo exaudiantur. Ignorant, quod Deus velit remittere peccata, et recipere homines propter Christum. Contra vero nos in Ecclesia debemus statuere, nos iuxta promissionem Evangelii certo exaudire, et recipi propter Filium. Haec duo discrimina saepe et diligenter sunt consideranda.

Qui non sunt recte instituti in doctrina Ecclesiae, et qui non habent exercitia verae invocationis, mirantur, quid desit sapientibus illis viris apud Ethnicos, quo minus recte invocent. Disputant, quid tu magis scis de Deo, quam sciebat filius Nestoris; aut quomodo scis te miserum, invocantem exaudiri; illum vero sapientem fortunatum, et magnum Principem non exaudiri? Christus expresse dicit de invocantibus extra veram Ecclesiam: *Vos nescitis, quid adoretis.* Omnes libri Ethnicorum pleni sunt invocationum, sed sunt invocationes aberrantes a vero Deo, et coniunctae cum dubitatione. Nec est exigua pars doctrinae Catecheticae scire ista.

Multi dicunt ista esse puerilia: verum est, sunt puerilia. Omnes pueri scire ista debent. Et hi quoque pertinent ad Ecclesiam, iuxta dictum: *Smite parvulos venire ad me.* Atque utinam bene discantur ab omnibus puerilia ista et exerceantur. Ego non delector inanibus disputationibus, nec quaero subtilitates in ullo genere doctrinarum: sed quaero realia, et quae utilia sunt in omni vita. Non est sapientia, quaerere praestigias, et excogitare nova, aut occupari disputationibus inutilibus.

Haec dico, ut commendem adolescentibus discrimina verae et falsae invocationis, quae fiunt illustriora, considerata distinctione legis et Evangelii.

Estne verum dictum illud:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt.
Hic tibi praecipue sit pura mente colendus.

Respondeo. Est legale dictum, quod Deus requirat interiorem cultum, seu virtutes interiores, non tantum externam hypocrisin.

Ubi est hoc mandatum in Decalogo, quod Deus requirat interiorem cultum?

Respondeo. In illo praecepto: *Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde*, etc. Hoc mandatum est interpretatio, et quidem explicatio plenior similium dictorum apud Ethnicos, quae sunt legalia; quale est etiam hoc Platonis: *Deus non est colendus gestibus, sed oportet Deum colere vera virtute: οὐ σχήμασι τεχνάζοντας, ἀλλ' ἀληθείᾳ τιμῶντας ἀρετὴν δεῖ Θεὸν θεραπεύειν.* Vult dicere: Deum coli non affectatis gestibus, ut quando speciem Religionis aliqui simulant, prae se ferentes gestus artificiose compositos: sed si in veritate homines virtutem colant.

Quaero, an prorsus damnentur gestus externi? Annon hoc etiam est legale, reverenter componere gestus externos in cultu Dei? Annon infantulos docemus complicare manus inter orandum?

Respondeo Plato loquitur de exclusiva: *Solis gestibus non colitur Deus.* Hypocritae, impii, *ἄθεοι*, et pessimi homines simulant gestus externos, cum sint sine vera pietate. Et utitur Plato vocabulo illo *τεχνάζοντες*: quia aliquorum fuerunt singularia artificia in repraesentandis certis gestibus, sicut Monachi instituerunt suos, ut singulari gestu caput inclinarent ad humeros.

Fere tota religio papistica occupata est tantum externo gestu. Papa (qui non credit Christum esse in coelo) mandat, ut adoretur Christus in pane. Quando proficiscitur, praecedit equus gestans hostiam. Ibi iubet fieri adorationem. Haec

est horribilis idololatria, quae serio debebat reprehendi, non (ut nostri homines faciunt) contentiones perpetuae movendae erant de veste linea. De qua dum litigamus, nemo est, qui idololatriam illam, et alias similes ex veris fundamentis refutare conetur.

Quamquam autem recte dicit Plato, homines non tantum gestu, sed vere amantes virtutem, colere debere Deum, tamen nondum haec est doctrina de invocatione, qualis est in Ecclesia Dei. Oportet enim distingui inter legem et Evangelium.

Cum essemus in conventu Augustano, in quo exhibendae erant confessiones, erat quidam, qui volebat probare articulum iustificationis ex hoc dicto Platonis. Idem etiam allegabat versus illos Catonis: et quod oraculum Apollinis fertur respondisse Atheniensibus. Cum enim quaereretur, *cur exaudirentur Lacedaemonii, qui gallum tantum mactarent, magis quam Athenienses, qui offerrent magnas victimas;* respondit oraculum, *Deum postulare non victimas pecudum, sed humani pectoris.* Talia allegabat ille, et volebat inde confirmare doctrinam de iustitia fidei.

Quaero, an recte allegarit?

Respondeo. Nequaquam. Sunt illa tantum legalia; aliud est autem, loqui de iustitia fidei. Haec saepe commemoro, propter adolescentes, quia sunt manuductiones quaedam, quibus formatur iudicium.

Simile dictum est in legibus Charondae: *Οὐ θεραπεύεται δαπάναις, οὐδὲ τραγῳδίαις τῶν ἁλισκομένων, ἀλλ' ἀρετῇ, καὶ προαιρέσει τῶν καλῶν ἔργων καὶ δικαίων ὅτι ἕκαστον δεῖ ἐς δύναμιν ἀγαθὸν εἶναι, καὶ πράξει, καὶ προαιρέσει, τὸν μέλλοντα εἶναι θεοφιλῆ.* Id est, *Non sumptu, non tragoediis captivorum oportet colere Deum, sed virtute et proposito honestorum et iustorum operum.* Hoc dictum etiam est legale. Primum dicit: *non sumptu,* quia fuit mos apud Ethnicos, ut in uno sacrificio saepe centum boves offerrent: unde est apud Homerum nomen *Hecatombe.* Quidam Imperatores Romani simul mactarunt tauros, leones, et aquilas; id factum est tantum ad pompam, et quidem maximo cum sumptu. Postea dicit: *non tragoediis captivorum:* id est, non simulata torvitate aut tristitia, qualis est gestus captivorum. Nam alioqui si precatio est seria, non patiuntur se removeri gestus illi, et gemitus captivorum: imo hi gemitus, si non sunt simulati, sunt pars precationis, et cultus Dei: Sicut dicitur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Et in Ecclesiastico pulchre pingitur precatio: *Lachrymae defluunt a genis, sed vox ascendit in coelum.* Item Paulus inquit: *Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Sed loquitur Charondas tantum de externa specie, seu externo ritu. Et huic opponit *veram virtutem, et propositum iustarum actionum.*

Haec legalia non sunt miscenda cum Evangelicis concionibus. Nihil sciunt legumlatores illi de remissione peccatorum, de fide, de spe, de vera patientia, de invocatione. Relinquunt corda in dubitatione perpetua: non docent, quomodo exaudiamur.

Iam pergo ad definitionem, et requisita invocationis. Citatur ex Dionysio hoc vetus dictum: *Oratio est ascensus, vel ascensio mentis ad Deum.* Quis fuit ille Dionysius? Respondeo. Nominatur quidam Dionysius Areopagita, qui dicitur concionatus esse in Gallia. Areopagus quid erat? Respondeo. Erat locus Athenis, ubi consessus fuit summi iudicii. Sed hunc Dionysium, ex quo citatur dictum, quod recitavi, puto non fuisse Areopagitam illum, sed alterum Corinthium, qui multa scripsit, cuius etiam est dictum illud: *Facere schisma est peccatum simile idololatriae;* quod debet intelligi de eo, qui est autor falsi dogmatis, vel qui scindit Ecclesiam falso dogmate.

Quae sunt species seu partes invocationis?

Respondeo. Duae sunt: Petitio et gratiarum actio. Inde soleo constituere hanc definitionem: Invocatio Dei, est petere a Deo beneficia vera fide, et est ei gratias agere pro beneficiis. De utroque cultu Dei concionatur Psal. 50. *Invoca me in die tribulationis,* etc. *Et sacrificium laudis offeras mihi.* Quid respondes ad argumentum Stoicum?

> *Deus est propter se ipsum colendus:*
> *Petentes nobis bona, colimus Deum nostra causa:*
> *Ergo non recte colimus Deum invocatione.*

Sentiebant Stoici *necessario omnia fieri,* cumque eis obiiciebatur: Frustra invocari Deum, posita necessitate omnium eventuum, opponebant ipsi, Deum invocandum esse, non indigentiae nostrae causa, sed quia iam ante fuisset conditor mundi, et autor huius ordinis, qui iam mutari non possit. Quia enim in hoc ordine luceat ipsius sapientia et bonitas, dixerunt recte eum hoc nomine coli a nobis, et hoc satis esse.

Sic autem respondeo ad Maiorem: *Deus est propter se ipsum colendus.* Hoc verum est, loquendo de fine principali. Primus enim et principalis finis debet esse celebratio Dei. Postea ta-

men accedunt etiam plures fines minus principales.

Deinde respondeo ad Minorem: Falsa est Minor, quia hoc ipsum petere a Deo bona, et tribuere Deo gloriam suam. Nam etiam, indigentiae nostrae causa petentes, testamur, quod ipse sit dator bonorum, tribuat res necessarias, exaudiat propter Filium, nec tantum sit conditor, sed etiam conservator ordinis a se instituti, et moderator, qui velit et possit multa agere, praeter ordinem causarum secundarum, propter salutem Ecclesiae.

Deus vult nos exerceri magnis et inextricabilibus calamitatibus, ut in his agnoscamus et invocemus eum, et ut ipse communicet nobis suam bonitatem. Si non essemus miseri, non conspiceretur communicatio istius bonitatis. Removeamus igitur Stoicas imaginationes. Sciamus Deum esse agens liberrimum, et velle nobis opitulari in miseriis, et pertinere ad eius gloriam, ut petamus eius opem, sicut expresse dicitur: *Invoca me in die tribulationis.*

Quae requiruntur ad veram invocationem?

Respondeo. Quinque sunt capita. Primum, quis sit compellandus: Secundo, praeceptum: Tertio, promissio: Quarto, fides: Quinto, res petenda. Haec sunt praecipua capita, quae semper sunt consideranda, cum de vera invocatione cogitamus. Prima cogitatio sit, *quem velis alloqui.* Nam si invocatio est accessus seu aditus, seu ascensio mentis ad Deum, cogitandum est, qui sit verus Deus, videlicet qui se patefecit nobis. Consideremus ergo, ubi, quomodo, et quando se patefecerit. Cogitemus singuli: Invoco te aeterne Pater, Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, et clamasti de Filio tuo, Domino nostro Iesu Christo: *Hunc audite,* et effuso Spiritu sancto in Apostolos, conditor coeli et terrae cum Filio et Spiritu sancto.

Inprimis historiam patefactionis in baptismo Christi nobis proponamus. Cogitemus nos stare ad Iordanem, ubi stabat Maria, Apostoli, et Sancti multi, qui fuerunt spectatores Baptismi Christi, ubi est audita vox aeterni Patris, ubi est conspectus Filius stans in flumine, et Spiritus sanctus specie columbae obumbrans Filium.

Ad tales cogitationes nos assuefaciamus, ut apprehendamus Deum patefactum, et quidem, qui se patefecit misso Filio.

Teneamus etiam regulam: *Nemo accedit ad Patrem, nisi per Filium.* In hac consideratione magis magisque discimus discrimen invocationis Christianae et Ethnicae. Non debemus cogitare, Deum esse quidlibet, seu quodcunque homines sibi fingunt, sicut Ethnici pro suis cupiditatibus finxerunt Deus. Hoc damnat Deus, statim in exordio Decalogi: *Ego sum Deus tuus, qui eduxi te ex Aegypto:* ubi addit mentionem illustris patefactionis, ex qua voluit agnosci.

Non debemus etiam invocare Sanctos, ac multo minus statuas Sanctorum; quia invocationem oportet directam esse ad essentiam omnipotentem, quae exaudiat, quae intelligat gemitus cordis, quae possit opem ferre. Haec non congruunt Sanctis mortuis, non statuis.

Viennae concionator quidam pro concione dixit, *Non esse invocandos Sanctos, sed esse invocandum cum Sanctis.* Inde est ortus magnus tumultus adversus eum. Sed credo fuisse ingeniosum hominem, qui tecte voluerit taxare invocationem sanctorum; etsi non scio, quomodo se postea declaraverit. Nos quando invocamus Deum patefactum in Ecclesia, coniungimus nos cum invocantibus omnibus sanctis: etiam cum illis, qui in coelo sunt. Nam hi quoque invocant et celebrant Deum nobiscum.

Secunda cogitatio debet esse de praecepto. Nihil est saepius repetitum, quam mandatum de invocatione, quod est cogitandum; primum, quia nulli cultus placent Deo, nisi qui ab eo mandati sunt, iuxta dictum: *Frustra colunt me mandatis hominum.* Item, *In praeceptis meis ambulate.*

Deinde ut sciamus non posse nos omittere hunc cultum sine peccato; quia Deus vult coli isto honore, et testatur placere sibi cultum invocationis. Scias peccatum esse omissionem invocationis non minus, quam violationem aliorum mandatorum Dei. Item peccatum esse, quando fit contraria invocatio verbo Dei; ut cum invocatur aliquid, quod non est Deus.

Est et mandatum, quod praecipit invocationem, opponendum tentationi de indignitate. Cum incipis orare, venit tibi in mentem: tu es indignus, fortassis tua precatio non placet Deo. Hic cogites, tibi mandatum esse, ut invoces, nec respicias ad tuam vel dignitatem, vel indignitatem. Esne dignus, ut serves praeceptum: *Non occidas,* aut, *Sanctifica Sabbatum:* aut, *Honora patrem et matrem tuam?* Quam esset indignum, intueri suam indignitatem, et eam anteferre mandatis divinis: quam esset ineptum, si ancilla iuberetur coquere aliquid ad ignem, et illa diceret matrifamilias: Ego non sum digna, ut coquam istud, aut apponam ollam ad ignem. Certe materfamilias diceret: Tu bestia, an ego conduxi te propter tuam dignitatem? Obtemperes igitur mihi imponenti tibi has operas.

Tertia cogitatio sit de promissione. Deus non tantum praecipit, ut precemur, sed addit promissionem, ut sciamus certo, quod exaudiamur. Hic vero oportet cognosci ordinem et discrimina pro-

missionum. Prima, est promissio gratiae, quod recipiamur propter Filium; quia statim in precatione obrepit nobis hoc argumentum:

> *Deus peccatores non exaudit:*
> *Tu es peccator:*
> *Ergo non exaudiris.*

Singuli nos sic cogitamus. Sic cogitarunt Helias, Helisaeus, et quidem magis, quam nos: Quia illi, quo sapientiores fuerunt, eo magis agnoverunt sordes suas. Nos non ita videmus magnitudinem peccatorum nostrorum.

Quid ergo est respondendum ad argumentum?

Respondeo. Distinguo Maiorem. *Peccatores,* scilicet, *non agentes poenitentiam, Deus non exaudit.* Exaudit autem agentes poenitentiam: quia *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat.* Huc pertinet doctrina, quid sit poenitentia, quid iustificatio. Quam doctrinam singuli sic nosse debent, ut novimus digitos nostros.

Adiungamus autem exempla, quae ostendunt, quod exaudiat Deus peccatores agentes poenitentiam, ut publicanus fatetur se esse peccatorem, et tamen clamat: *Propitius esto mihi peccatori.* David inquit: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; et tamen clamat: *Ne ingrediaris mecum in iudicium.* Daniel inquit: *Non in iustitia nostra effundimus preces nostras*: *sed exaudi nos propter Dominum.* Talia exempla illustrant promissionem gratiae; quod, quamquam sumus miseri peccatores, tamen propter Mediatorem recipiamur, et exaudiamur. Haec igitur promissio initio semper cogitanda est, et coniungenda poenitentia seu conversio.

Postea sunt etiam promissiones de beneficiis corporalibus: ut, *Bonus est Dominus et patiens, et quem poenitet mali*, scilicet poenae, quasi dicat: Poenitet Deum, quod durius puniat, id est, Deus mitigat poenas. Paulus expresse dicit: *Pietas habet promissiones praesentis et futurae vitae.* Et causae, cur traditae sunt promissiones de rebus corporalibus, alibi saepe sunt expositae.

Moses dicit: *Quae est gens, quae habeat promissiones tales, sicut hic populus.* Sunt autem promissiones hoc discrimine nobis propositae. Deus gratiam suam promittit sine conditione, vel exceptione omnibus ad ipsum conversis. Sed bona corporalia promisit cum exceptione crucis et castigationis: et ne praescribamus Deo modum et tempus.

Frustra autem traditae essent promissiones, nisi acciperentur fide; sicut Iurisconsulti dicunt: *Invito eripi potest, sed invito non potest donari.* Ita promissio divina est otiosa et inanis illi, qui eam non adspicit, non admittit, non accipit fide.

Quarta igitur admonitio est de fide. Hanc oportet praecipue lucere in precatione. Primum illam, quae accipit remissionem peccatorum; postea in specie, quod invocatio nostra non sit irrita. Sed hic rursus discrimen cogitandum est. De bonis spiritualibus credendum est, velle Deum peti et accipi a nobis illa nominatim; quia nominatim promissa sunt. Certo statuere debes, quod accipias remissionem peccatorum gratis propter Christum; quia hoc beneficium est nominatim promissum. De corporalibus addenda est conditio: *Sit ita tibi placet*: ut David in exilio petit: *Domine Deus restituas me*; item, *Defendas me contra filium seditiosum*: *sed fiat, quod bonum est in oculis tuis*: id est, peto mitigationem; et sic peto, ut offeram me ad obedientiam. Ita nos debemus petere bona corporalia, et credere, quod Deus ea daturus sit, sed non, ut nos cogitamus.

Haec discenda sunt in exercitiis fidei. Ibi discimus, quod fides primum certo debeat statuere, quod recipiamur propter Filium Dei gratis. Ista fides simpliciter est necessaria in omni precatione, etiam cum bona corporalia petimus, sicut Paulus dicit: *Quomodo invocabunt, nisi credent?*

Postea discimus, oportere esse fidem et spem, quae statuit invocationem non esse irritam, ne quidem in bonis corporalibus, in quibus tamen debemus Deo obedientiam; quia vult Ecclesiam in hac vita subiectam esse cruci: item, vult nos castigare propter peccata, ut inquit Michaeas: *Iram Domini portabo; quia peccavi ei.* Sed tamen addit: *Cum sedero in tenebris, Dominus erit lux mea.*

Universaliter igitur precatio est rata: et res quidem spirituales ac aeternas certissime accipit: in corporalibus vero impetrat aut liberationem, aut mitigationem. Deus dat quod petis, aut aliud quiddam, quod eo pertinet, etiamsi non ita dat, ut tu imaginaris.

In Syracide est pulcherrima sententia de fide exuscitanda in invocatione: *μὴ ὀλιγοψυχήσεις ἐν τῇ προςευχῇ σου*: id est, *Non sis pusillanimis in precatione tua.* Vult nos multa et magna audenter petere a Deo, et non absterreri fidem nostram dubitationibus, diffidentia, magnitudine periculorum, indignitate nostra.

Pertinet autem ad exercitia fidei hoc quoque, cum non statim datur, quod petimus, oppugnatur fides illa mora et cunctatione. Sed quamquam differtur liberatio, tamen non abiici debet spes. Imo etiam regula tenenda est: *Etiamsi occidat me Dominus, tamen sperabo in eum.*

Quinta admonitio est de ipsis rebus petendis. Illa enim petenda sunt, quae Deus iubet petere:

id est, spiritualia et corporalia bona. Sed hic observandum est, quod Ioannes dicit: *Petendum esse secundum voluntatem eius.* Docet enim petenda esse congruentia cum mandatis Dei.

Tu non debes a Deo petere, ut aliquem occidat, quem iniuste odisti. Non debes Deum ministrum facere tui furoris et cupiditatis; et tamen multorum preces sunt eiusmodi, quod homines petunt, ut Deus fiat minister cupiditatum, quibus ipsi laborant. Sed discamus petere a Deo illa, quae non sunt contra mandatum eius. Ut, hoc non est contra voluntatem Dei, quando aliquis aegrotat, et petit sanationem: quia Deus vult invocari in tali necessitate. Vult agnosci, quod ipse sit autor vitae, item quod velit aliquos vivere, qui doceant, qui serviant Ecclesiae et Reipublicae, qui Deum celebrent, sicut scriptum est: *Non mortui laudabunt te Domine*: id est, tu vis aliquos vivere, qui sonent vocem tuam et serviant Ecclesiae.

Sic in paupertate vult Deus te petere necessaria ad huius vitae sustentationem: quia vult agnosci, quod ipse sit dator talium bonorum, quod curet te. Est grave onus paupertas, sed qui petit a Deo opem, experietur non esse irritam precationem: Sicut dicitur: *Iacta curam tuam in Domino: ipse te sustentabit.* Item: *Scit Pater vester, quod his omnibus opus habeatis.*

Sunt autem res petendae omnes pulcherrimo ordine comprehensae in oratione Dominica: *Pater noster*, etc. Quare nominas *Patrem*? Respondeo. Patris appellatio intelligatur hic essentialiter de tota divinitate: Etsi suo modo recte referri potest etiam ad primam personam divinitatis, sicut passim Christus tamquam Mediator compellat Patrem. Ita tu alloqueris Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui etiam tuus pater est propter Filium missum. Sed tu es filius adoptione: Christus est natura Filius. Ideo complecteris hic simul promissionem, quod velit nos Deus recipere propter Filium, iuxta dictum: *Sumus dilecti in dilecto.*

Quoties incipis precationem, debes discernere verum Deum a commenticiis numinibus, et simul cogitare promissionem.

Qui es in coelis.] Monet nos de omnipotentia Dei; sicut in Psalmis et apud Prophetas passim similes descriptiones exstant. *Deus noster in coelis; omnia quaecunque voluit, fecit.* Item: *Coelum coelorum Domini*: non quod alibi non sit (est enim ubique), sed quia in coelis maiestas eius in clara luce refulget in conspectu angelorum et electorum hominum, quibus se ibi communicat immediate, et est omnia in omnibus.

Sanctificetur nomen tuum:] Quid significat *nomen*? Respondeo. *Nomen* est idem, quod cognitio seu notitia. Hoc ergo petis: Da nobis agnitionem seu notitiam tui veram: Item, verum intellectum verbi tui, ut sit inter nos pura et incorrupta doctrina de Deo. Vult Christus nos primum omnium petere, ut Deus innotescat nobis: quia, *Ignoti nulla cupido.* Nemo timet aut amat rem ignotam. Ideo in primo praecepto statim praecipitur agnitio: *Ego sum Deus tuus: Non habebis Deos alienos.* Convenit igitur prima petitio cum praecepto primo.

Adveniat regnum tuum:] Agnitionem sequitur gubernatio. Rege tu nos in hac vita et in omni aeternitate.

Post gubernationem sequitur etiam actio nostra: *Fiat voluntas tua*] id est, fiant vocationes tuae: *Las deine vocationes gehen.* Fac ut omnes in functione, inquam abs te collocati sunt, tibi obtemperent. Recte sit constitutum ministerium Evangelicum, Doctores recta doceant, et sint concordes, coniuncti benevolentia et veritate. Non alius alterius odio moveat aut defendat falsum dogma. Fac ut potestates seu magistratus faciant officium suum, sicut mandasti.

Non valeat Diabolus, qui vult evertere studia et Ecclesiam, qui vult facere confusiones infinitas in gubernatione politica et domestica: qui vult divellere animos coniugum, parentum et natorum. Haec ingentia mala prohibe, *Ut voluntas tua fiat in terra, sicut in coelo*: id est, sicut angelorum vocationes tibi serviunt sine turbatione, sic inter homines perficiantur vocationes sine turbatione. Item angeli obtemperant sponte et promptissimo studio, sic etiam vera Ecclesia obtemperet. Imo in toto genere humano fiat, quod tu vis, quod tu instituisti.

Ita pulchre haec se invicem consequuntur; agnitio et gubernatio divina, et vocatio seu functio. Primum oportet nos Deum agnoscere. Postea opus est nobis gubernatione divina, et tum oportet nos etiam ei servire in functione, iuxta dictum: *Subditus esto Deo.* Item, *Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet.*

Sed ut serviamus vocationi, opus habemus adminiculis rerum externarum. Homo non potest esse sine tempore, loco, victu, hospitio, defensione. Non sunt faciendae illae phantasticae imaginationes, quibus etiam ex veteribus quidam occupati fuerunt, cum scribunt, *homo sit ἄπολις, ἄοικος.* Haec sunt phantastica. Oportet hominem esse in domo, pago, ubicunque sit. Puerpera indiget in partu nidulo aliquo, ubi pariat, ubi valetudinem curet. Haec divinitus ita sunt ordinata. Ideo docet nos Christus petere panem nostrum quotidianum.

Significat autem *Panis*, omnia bona corporalia; pacem, victum, hospitium, pluviam, messem, bonam valetudinem, mediocrem statum regiminis. *Quotidianus* Graece dicitur, ἐπιούσιος, quod non dicitur hic de spirituali pane, sicut aliqui verterunt

panem supersubstantialem, qui imaginantur indignum esse homine Christiano petere a Deo corporalia. Imo vero dignissimum est tribuere Deo honorem, quod det corporalia.

Ἐπιούσιος est ab *ἐπιοῦσα,* id est, *sequens dies.* Significat igitur panis *ἐπιούσιος,* idem quod continuus, *Das wir immer fur und fur bedurffen.* Contra:

Christus prohibet in Matthaeo sollicitudinem de crastino:
Ergo non debemus petere panem quotidianum.

Respondeo. Christus prohibet curam diffidentiae. Ubi autem est fides, ibi et labor est praestandus, et petendum a Deo, ut det nobis, quibus quotidie opus habemus.

Et remitte nobis debita nostra.] Hic petimus remissionem peccatorum, etsi de hac cogitandum est statim, cum ordimur precationem: quando compellamus Deum, ut Patrem. Simul autem commonefacit non Christus etiam de reconciliatione cum proximo, *Sicut et nos remittimus debitoribus nostris.*

Estne remissio nostra, causa remissionis divinae?

Respondeo. Non. Et tamen mandatum divinum est, ut hoc opes sequatur, vel ut coniuncta sit nostra remissio cum remissione divina; quia Deus postulat dilectionem: et non valet precatio, quae fit ab habente malum propositum. Fides non stat cum malo proposito. Ita non potest fieri invocatio ab eo, qui retinet malum propositum.

Et ne nos inducas in tentationem.] Id est, ne sinas nos opprimi tentationibus, aut submergi in tentatione. Sunt phrases Hebraicae, quae significant permissionem, item significant completive. Diabolus insidiatur nobis assidue; item caro nostra, et mundus alliciunt nos ad peccata. Sed tu adesto nobis, iuves, defendas nos, nec permittas, ut opprimamur tentationibus.

Libera nos a malo.] scilicet culpae et poenae, et comprehenduntur mala praesentia et futura. Haec petimus vel mitigari, vel tolli a nobis, et tandem concedi nobis placidum exitum ex hac vita. Ita omnia capita rerum petendarum optimo ordine sunt comprehensa in hac oratione, qua debemus delectari, etiam propter sapientiam Magistri, et eam subinde repetere, et includere in eam, quae nobis etiam privatim sunt necessaria.

Ego memini quendam nobilem in mensa deridere consuetudinem recitandi orationem Dominicam, quia dicebat se etiam gemitu posse precari. Assidebam tunc Doctori Hieronymo Schurffio, qui cum proxime assideret nobili; imo inquit: *Scriptum est, cum oratis, dicite.* Ille statim se repressit, et dixit: *Domine Doctor, recte facitis, quod me refutatis.* Ista recito, ut iuventus muniatur contra ineptos sermones.

Deus postulat hunc cultum, vult agnosci, et invocari, et in agnitione sui communicat se nobis, et non aliter. Et quamquam in magnis necessitatibus etiam gemitu potest fieri precatio, tamen cogitemus, necessariam esse recitationem quoque, quae fiat claris et apertis verbis. Primum, ut sit commonefactio de beneficiis Dei. Deinde, ut fiat exuscitatio affectuum. Item, ut ostendamus confessionem nostram coram Deo et hominibus, et contra Diabolum. Precatio est res valde difficilis; quia requirit intentionem cogitationis, et affectum, qui excitandus est cogitatione. Sic, argumentor:

Ingratum est principibus, cum servi multum et assidue petunt:
Ergo et Deo idem displicet.

Respondeo. In aulis ita fit, sicut dicitur in versu:

Da, capias, quaeras plurima, pauca, nihil.

Qui vult acceptus esse in aulis, eum oportet conciliare sibi favorem muneribus, et pauca petere ab aliis, et interrogare nihil de rebus arcanis. Sed haec similitudo non quadrat ad Deum; sicut et alia multa, quae in aulis fiunt, non pertinent ad precationem.

Veniebat quidam in aulam regis Ferdinandi allocuturus regem. Forte incidit in disputationem cum nobili quodam de invocatione Sanctorum. Hic obiecit ei: Idem haud dubie fieri in coelo, quod in aulis fieri solet, ut aliquis conventurus regem, prius conciliet sibi aulicos, et negotia sua agat per internuntios. Ille per iocum respondit, sed tamen vere: *Si ita res ageretur in coelo, sicut in aulis, non optarim me esse in coelo.*

Est egregium dictum Tauleri: *Mens hominis nunquam est tam avida ad petendum, quam Deus ad dandum.* Et simile aliquid habet Chrysostomus: *Deus promptior est ad dandum, quam mulier vicina partui ad enitendum.*

Quomodo intelligis, quod in hac lectione dicitur: *Veniet tempus, cum non per aenigmata loquar vobis?*

Respondeo. Hoc vult dicere: Post resurrectionem meam videbitis, non esse umbram vel obscura aenigmata: Coram videbitis rem ipsam. *In*

illo die in nomine meo petetis: id est, cessabit fiducia carnalis; qui non ero vobiscum amplius visibili consuetudine.

Iam Pragae quidam disputant, Christum non esse invocandum, ut Mediatorem, scilicet ut stabiliant furorem illum, quod Sancti sint mediatores. Dicunt Christum esse invocandum, ut Deum. Hoc verum est: Christus est invocandus, ut Deus, sicut Pater et Spiritus sanctus; sed propterea est etiam invocandus, ut mediator et intercessor, propter quem exaudimur. Non pugnant haec, quod Christus simul est exauditor nostrarum precum et intercessor.

Quando invocas Christum, debes cogitare de utraque re, quod invoces eum, ut Deum cum Patre et Spiritu sancto, deinde peculiariter ut Mediatorem, qualis est forma precationis, qua solemus uti: Invoco te omnipotens, aeterne et vive Deus, creator coeli et terrae, cum Filio et Spiritu sancto tuo, etc. Miserere mei, et exaudi me propter Filium, Dominum nostrum Iesum Christum, quem inenarrabili consilio voluisti fieri victimam pro nobis, qui est *ἱκέτης καὶ μεσίτης* noster.

Tales certae et expressae formae precationum habendae sunt in conspectu. Turpis est negligentia, quando non discernis invocationem tuam ab Ethnica. Prophetae recte sic invocant: *Deus Patrum nostrorum:* id est, patefactus patribus nostris; et, *exaudi nos propter Dominum.* Cyprianus etiam recte dicit: *Domine Iesu oro te, ut ores pro me.*

Oratne Christus pro nobis?

Pragae dicunt: Fecit id in hac vita, iam non facit; quia non possunt negare illud Ioan. 17. *Non pro eis oro tantum, sed etiam pro credituris per verbum ipsorum.*

Proba, quod Christus nunc etiam pro te oret.

Respondeo. Romanorum 8. dicitur: *Qui sedet ad dextram Patris, et interpellat pro nobis.* Item ad Hebraeos: *Semper apparet coram Deo, ut interpellet pro nobis.* Item. *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*

Contra:

Christus hic inquit, non dico, quod ego rogaturus sim pro vobis Patrem:

Ergo non orat amplius pro nobis.

Respondeo. Hoc dictum non est ita intelligendum, quod excludatur precatio Christi pro nobis, sed vult nos quoque esse precatores. Hoc enim docet, quod velit nos etiam precari; *Ego,* inquit, *non orabo pro vobis,* scilicet solus. Vult ipse, ut sacerdos, post se trahere chorum: Sicut constat, quod sacerdos se habeat correlative ad chorum, id est, ad coetum Ecclesiae. Christus est summus sacerdos, qui orat pro nobis, ut propter ipsum exaudiamur. Verum ipse attrahit nos ad societatem precationis. Vult nos simul orare, et habere hanc fidem, quod propter ipsum accepti simus Deo. Ideo addit hanc consolationem: *Ipse Pater vos diligit.* Affirmat nos diligi a Deo. Sicut alibi inquit: *Pater, sit in eis dilectio tua, qua me diligis.*

Quid potuit maius dici, quam quod vult diligi nos a Patre, ea dilectione, qua pater diligit Filium? Hac ergo fiducia vult fieri a nobis invocationem, qua petamus a Deo necessaria. Afferamus autem mentes sobrias, si debemus orare. Ebrii non sunt idonei ad precationem; ideo Petrus inquit: *Sitis sobrii ad precationem.* Abiiciamus etiam securitatem carnalem, quae est impedimentum invocationis, sicut de discipulis hic inquit Dominus: *Hactenus non petiistis in nomine meo*: id est, fuistis confisi praesentia corporali, cogitastis, donec ego vobiscum sim futurus, bene nobis erit. Haec erat fiducia carnalis. Nonne tu securiori esses animo, si videres Christum visibiliter tecum esse? Quando cum viro bono facis iter, nonne es securior? Sic illi propter visibilem conversionem cum Christo erant securi.

Sed retinenda est fides, etiam cum non videmus Christum corporaliter. Et hoc est *in nomine eius orare*: id est, confidere in Filio Dei, quod propter eum recipiamur et exaudiamur, et quod adsit nobis gratia, auxilio, protectione sua, etiam si sensus nostri corporaliter ista non vident: imo etiamsi fides statuit Christum corporaliter iam esse in coelesti gloria, quemadmodum Christus ipse hic inquit: *Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.*

IN FESTO ASCENSIONIS CHRISTI.

In doctrina huius festi solemus dicere, primum de historia; postea de doctrina, quae exponit definitionem regni Christi, et addimus Psalmum: *Exsurgat Deus*: Eundem ordinem iam quoque sequemur. Historia festi nota est, et est quotidie cogitanda in recitatione Symboli.

Quaerendae sunt autem causae: *Quare voluerit ascendere visibiliter?*

Prima causa est, ne putetur amissus velut spectrum. Fuit tum una magna multitudo. Adfuerunt Apostoli, et alii, ut Paulus scribit, quingenti fratres. Credo etiam magnum et pulchrum fuisse agmen sanctorum, qui una resurrexerant, quia tantum Dominum decebat habere comitatum. Ascendit igitur visibili specie, spectante ea multitudine, ut sciretur, post tot dierum conversationem, quo abiisset, ne putaretur abiisse ut spectrum, sicut illa tota familiaritas a Paschate, ad diem ascensionis eo facta est, quod voluit ostendere se vere resuscitatum esse, nec esse spectrum.

Habetis in Luca verbum *συναυλιζόμενος:* alii libri legunt, *συναλιζόμενος.* Sed mihi placet *συναυλιζόμενος.* Nam *συναλίζειν* est rarum et inusitatum. Sed *συναυλίζειν* est valde usitatum Graecis auctoribus: Significat commorari, *ein weil liegen an einem ort*: ut exercitus *συναυλίζεται*, alicubi commoratur. Christus est commoratus apud discipulos familiari consuetudine; saepe disputavit cum eis, assedit, comedit, inambulavit. Disseruit de regno Dei. Non voluit igitur discedere ignorantibus illis: Non voluit relinquere illam dubitationem vel opinionem, quod esset amissus ut spectrum. Ideo ascendit visibiliter.

Haec est prima et historica causa, quam debemus considerare; Christus vere fruebatur conspectu aeterni patris: erat vere beatus, immortalis, habens laetitiam supra creaturas omnes, maiorem quam ulla creatura habere potest, et habebat eam post resurrectionem, etiam secundum humanam naturam. Sed ille visibilis discessus eo factus est, ut sciretur, quo abiisset Dominus. Deinde est nobis testimonium ad multa alia.

Secunda igitur causa est, ut discerent Apostoli, et sciret universa Ecclesia, Regnum Christi non fore politicum in hac vita, ut ipsi habebant imaginationem suam, et adhuc Iudaei hanc phantasiam retinent. Imperium Messiae futurum tale, quale fuit Cyri, Alexandri, et talium: Christum partiturum eis provincias. Contra hanc imaginationem multa dicuntur in Prophetis et Apostolis: Sed in assensione Christi exhibetur manifestum testimonium, quod non sit tale futurum regnum Messiae.

Quale igitur est regnum Christi?

Respondeo Coeleste.

Sequitur ergo tertia causa, quod talis erit gloria Ecclesiae, qualis fuit Christi ascendentis, ubi resuscitata glorificabitur, et fructur consuetudine, conspectu, et laetitia aeterni Patris, Filii, et Spiritus sancti, ubi Deus erit omnia in omnibus. Ista historica primum cogitanda sunt de festo, et causis gloriosi discessus vel triumphi. Paulus appellatione *triumphi*, complectitur resurrectionem et ascensionem, et simul beneficia; quando pingit triumphum in Epistola ad Colossenses.

Graeci nominaverunt *θρίαμβον*, et dicunt vocabulum esse factum a *θρία*, *folia fici*, et *ἀμβὶ*, id est, *circum*. Scitis, quod *ἀμβὶ* significet *circum*, sive per *β*, vel *π*, vel *φ* scribatur. *Ἄμπιξ*, *reticulum*, *vitta*, apud Homerum *ein schleierchen*: *ἄμβη*, est *extremitas*, seu *labrum*, vel *circuitus*, vel *ambitus* cuiuscunque rei. *Ἀμπέχω*, *circumdo*. Ita *θρίων ἄμβη*, id est, *circuitus*, seu *corona ficulnea*: quia primi victores coronati sunt foliis fici, propter dulcedinem. Victoria enim est dulcis. Dicunt sic coronatum fuisse Bacchum redeuntem ex India, vectum Tigride. Existimo aliqua esse historica, deinde sunt admixta fabulae. Plerumque in antiquis poematis, narrationes sumptae sunt ex occasionibus historiarum; postea sunt admixtae fabulae. Inde ergo est triumphus, id est, pompa victoris ingredientis cum corona ficulnea.

Possem vobis pulchra allusione dicere: Congruum esse Christum victorem coronari ficulnea corona, quia folium fici significat legem et mortem. Ipse est victor. Sed transeant illa.

Vos cogitate picturam triumphi, ad quam Paulus alludit. Dicit gestari ante Christum nostra chirographa, et duci captivos Diabolos. Ita enim fiebat in triumpho: Primum ante currum triumphalem praeferebantur insignia captarum urbium; item pugnarum, et multarum aliarum rerum picturae. Ita dicitur crux gestari ante Christum, et de cruce dependere chirographum nostrum, id est, accusationem peccati nostri. Haec est dulcis consolatio: *Tua peccata te non accusant, non damnant. quia ibi pendent, sunt victa: Christus vicit tua peccata.* Item, *Potentia Diaboli fracta est.* Est dulcissima imago: Non potest aliquid pingi dulcius.

Diabolus ibi ducitur captivus: si tu invocas Christum, etiam tu es victor Diaboli per Christum, sicut inquit Paulus: *Gratia Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.*

In curru triumphali olim sedebant parvi filii et filiae triumphantis. Ita nos adhaeremus rotulis Sedemus in curru Christi tamquam filioli. Deinde sequebantur currum liberati: Item senatus, et multi praestantissimi homines: ad extremum reliqua promiscua multitudo. Sic currum Christi sequuntur Adam, Abraham, Isaac, Iacob, et omnes sancti, qui tunc cum Christo ascenderunt, quos quidem et nos sequemur.

Mementote etiam, quod illud spectaculum est testimonium de toto Evangelio. Sicut resurrectio Christi: Ita ascensio est miraculum et testimonium, quod Evangelium sit verum, et quod ille coetus

Evangelio credens sit Ecclesia. Ridentur haec ab Ethnicis, Epicureis, ac impiis, et existimantur fabulosa. Nos sciamus vera esse; Deus semper dedit Ecclesiae testimonia, et dat subinde. Illis nos confirmemus; et sciamus vere esse Ecclesiam Dei hunc coetum, qui amplectitur hanc doctrinam, quam dedit Filius Dei, quae est scripta in libris Propheticis et Apostolicis. Est difficile retinere assensionem: sed clamemus, ut ille apud Marcum: *Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae.* Illa historica primum consideranda sunt: quia sunt fundamenta doctrinarum et consolationum.

Dicemus nunc breviter aliquid de regno.

II. Locus de regno Christi.

Ipse ascendit, ut exaltetur in regno, ut inquit Psalmus: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*: id est, gustabit mortem, miserias, et calamitates humanas. Fuit certum tempus humiliationis Christi, quando debuit esse victima: Et quia obedit Patri in illa humiliatione, ideo exaltatur, et glorificatur deinde. Est rex etiam ante illam exaltationem, etiam cum patitur, sed nondum est in regno exaltatus: id est, fuit subiectus morti ante resurrectionem, sicut inquit: *Oportuit Christum pati, et sic intrare in gloriam suam.* Habetis multa talia dicta.

Aliud est tempus humiliationis, etiam cum rex est. Aliud exaltationis et gloriae, cuius postea erit particeps tota Ecclesia, sed oportet nos fieri similes imaginis Filii Dei, ut etiam patiamur in hac vita, sicut videtis Ecclesiam esse in magnis persecutionibus.

Quam multi nunc interficiuntur in multis locis, in Belgio, Italia, Gallia, Anglia! Quam multae piae familiae expelluntur ex suis nidulis! et, ut cetera desint, tamen omnia sunt subiecta morti. Quod autem Deus servat aliquos coetus, ideo facit, ut sit Ecclesia, et ut sit propagatio doctrinae: Nam si omnes interficerentur subito, non propagaretur doctrina. Deus vult esse coetus aliquos Ecclesiae, ideo dat alicubi aliquos nidulos, ut omnibus temporibus factum est. *Scit, Pater vester coelestis, quod his opus habeatis.* Ubicunque sunt membra Ecclesiae, habent suas aerumnas. *Omnes qui pie volunt vivere, vexantur.* Ita Ecclesia similis Filio Dei patienti in hac vita, erit etiam similis Filio Dei ornato gloria. Teneamus igitur definitionem regni Christi.

Iudaei habent hoc somnium: Regnum Messiae erit pulcherrimus status, qualis nunquam fuit in toto genere humano. Regnabit Messias 1000 annis. Erit pax in toto orbe, et homines erunt opulenti. Nos Iudaei erimus longaevi, singuli vivemus 400 annos. Verum quid esset, etiamsi singuli viverent tot annos? Esset exiguum spatium, et exacto hoc spatio extingueremur, et nunc perinde esset, ac si non fuissemus. Habent tales phantasias adhuc Iudaei.

Postea alii homines, et quidem maxima pars cogitant: Regnum Christi est ille status post hanc vitam, ubi erimus in summa tranquillitate et beatitudine; non erimus obnoxii morbis, miseriis, vexationibus, morti; sed erimus laeti, in illa coelesti conversatione.

Nos sciamus regnum Christi esse regnum a principio Ecclesiae, et postea in totam aeternitatem, quamquam est aliqua differentia; quod ad modos dissimiles attinet regni Christi, et regni Dei.

Sic argumentor:

Paulus ita inquit: Tradet regnum Deo et Patri. Ergo ipse non regnabit.

Respondeo. Imo Christus regnabit, sed non illo modo ut antea; Christus tamen manebit rex; illa persona erit caput Ecclesiae, Deus et Homo: Sed antequam adducet nos ad aeternum Patrem, ut simus in visibili consuetudine Patris; ante hoc tempus regnat in hac vita per ministerium Evangelii. Et quidem inchoatum est hoc regnum Filii Dei, quando in Paradiso dicit ad Adam et Evam: *Semen mulieris conculcabit caput serpentis.* Iam tum illa magna res geritur. Filius iste, qui est postea assumpturus humanam naturam, inchoat ibi suam dominationem; quia iam conculcat serpentis caput, vivificat, eripit ex morte Adam et Evam.

Quid ergo est regnum Christi?

Est Filium Dei mitti ab initio ad genus humanum, ut proferat Evangelium ex sinu aeterni Patris, colligat aeternam Ecclesiam voce Evangelii, et vivificet eam dato Spiritu sancto, et assumat humanam naturam, ut sit redemptor, et salvator, protegens et defendens Ecclesiam, eamque servans. In hoc regno nunc etiam est efficax: conservat ministerium Evangelii, depellit Diabolos, servat in genere humano Ecclesiam, contra furores mundi, tyrannos et fanaticos spiritus, tuetur coetum illum recte eum invocantem, et tandem resuscitabit mortuos, et vestiet eos nova natura: iudicabit ipse, et adducet Ecclesiam ad aeternum Patrem.

Hoc est enim tradere regnum aeterno Patri: adducere Ecclesiam ad aeternum Patrem, ut postea Deus regnet, et sit Deus omnia in omnibus bea-

tis: id est, regnet Deus visibiliter in nobis per ministerium Evangelii.

Ille prior modus regni, est modus per ministerium Evangelii, et potentia Christi colligentis, servantis, vivificantis, defendentis, et resuscitantis Ecclesiam: Postea idem ipse regnat in tota aeternitate, sed cessante ministerio. Quale hoc sit futurum regnum, videbimus tum. Iam mente intueamur hoc praesens regnum Christi; quia magnum impedimentum est cogitare, Christi regnum esse tantum post hanc vitam: Cogitemus eum iam quoque regem esse, sicut vere erat rex, quando vivificabat Adam et Evam, eripiebat eos ex faucibus Diaboli. Ita Paulus dicit: *Ascendens captivam duxit captivitatem;* id est, testatus est, se accipere regnum illa visibili ascensione. *Captivam duxit captivitatem*, id est, sustulit servitutem et causas; scilicet mortem, peccatum, iram Dei, potentiam Diabolorum, ne noceant credentibus.

Quod Paulus dicit, *dans dona hominibus*, idem est cum hoc: *Accepit dona pro hominibus.* Sunt correlativae sententiae, quocunque modo interpreteris.

Cogites de Domino Iesu Christo, Sedere eum ad dextram patris, ut te exaudiat, det tibi dona, adsit, servet te, depellat Diabolos, protegat, et doceat te, ostendat misericordiam aeterni Patris, et sanet nostra vulnera: sicut Ecclesia semper habet aliqua vulnera. Non cogitemus nos esse mundos, ita ut nihil habeamus errorum, ut blandiuntur sibi multi: Imo habemus multum vitiorum omnes, alii plus, alii minus. Ecclesia est aegrum corpus: petamus, ut ipse sit Samaritanus, qui medeatur isti corpori.

Deinde dicit Paulus: *Dedit alios Prophetas, alios Apostolos, alios pastores, alios Doctores.*] Loquitur de ministerio; sed non tantum publice illa dona dat, sed singulis etiam dat dona necessaria. Igitur cogitemus eum ascendere ad coelos, ut deinceps sit in consuetudine inenarrabili apud Patrem aeternum, non ut prorsus absit a nobis, sed ut sit nobiscum, adsit Ecclesiae, regat, servet, protegat eam.

Ista sunt magni momenti, utilia ad invocationem: ideo diligenter consideranda sunt. Saepe cogitate istam definitionem, et discite tale regnum esse, quod sit in praesentia efficax; non otiosum et inane nomen, quod non sit phantasia, ut homimines impii, et non recte instituti cogitant. Non imaginemur regnum Christi post hanc vitam tantum esse.

De hac doctrina loquitur Psalmus, qui est imago triumphi Christi.

Enarratio Psalmi LXVIII.

Hic Psalmus, cum sit dulcissime, et simplicissime scriptus, tamen in versionibus valde est obscuratus. Postea est depravatus futilibus enarrationibus. Videtis igitur, quam utile sit nosse linguas. Stigelius paraphrastice ita reddidit, ut optime possit intelligi. Prima pars est Exordium, quod est affectus gratulationis, ut exordia saepe habent gratulationem. Exordia pathetica sunt valde concinna, in quibus sunt petitiones et gratulationes: ita hic est gratulatio. Laus Deo, quod hostes victi sunt: et simul mixta est precatio: Quia in Ecclesia est adhuc assiduum certamen.

Exurgat Deus et dissipentur inimici eius, et fugiant, qui oderunt eum a facie eius: Sicut deficit fumus, deficiant: sicut cera fluit a facie ignis; sic pereant peccatores a facie Dei, et iusti laetentur et exultent in conspectu Dei, et delectentur in laetitia.] Omnes isti versus, sunt partim imprecatio contra impios; partim gratulatio ad pios. Pii, inquit, laetentur, pereant inimici. Est πάθος, indicans beneficium, quod accepimus. In triumphis cantantur beneficia victorum, et hostes devoventur, qui irritarunt victorem. Ita hoc exordium habet πάθος, quod est commemoratio beneficiorum, quae acceperunt sancti: et comminatio, qua imprecatur impiis excidium.

In historiis usitata est illa acclamatio: *Vivat Rex, et pereant inimici eius.* Ita Psalmus hic dicit: *Vivat Christus, et maneat Ecclesia eius:* contra vero pereant hostes. Paulo superioribus annis fuit celebris Carolus Burgundus. Fuit bellicosissimus, habuit iustas belli causas adversus Ludovicum XI. Regem Galliae, quia Ludovicus illum irritabat: tandem ad eum venit Carolus sine publica fide, postulans colloquium, et fecit cum eo pacem brevi sermone. Indutus fuit saga militari, in qua erat aureis literis scriptum: Vivat Dux Burgundiae. Significavit, quod vellet victor esse: sed fuit deinde contentus, et Ludovicum contra alios defendit. Postea sine iustis causis in Lotharingiam expeditionem fecit. Ibi infeliciter pugnavit, et tamen denuo collegit reliquias exercitus sperans meliorem successum; sed sibi metuens paulo ante proelium, fortunae inconstantiam deploravit. Denuo autem infeliciter dimicans; periit.

Sequitur propositio: *Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: Iter facite ei, qui ascendit supra occasum.*] Sententia est: Celebrate illum Deum, qui est verus Deus, et simul intexitur narratio de ascensione supra Arabos: id est, Dominus noster Iesus Christus est victor, ascendit in lucem inaccessam supra coelos coelorum, in illum ipsum statum, in quo visibiliter fruitur conspectu et laetitia Dei. Alii

exponunt: *molliter invehitur,* non potentia humana. Est etiam bona cogitatio. Sed haec melior est, *super Arabos*; Quia Arabos significat coelum coelorum; id est, sublime illud et invisibile coelum, quod est supra coelos visibiles.

Quando Paulus dicit, *tertium coelum,* quid intelligit?

Hebraei dicunt: hic aer sub luna est primum coelum. Secundum coelum, illi orbes, qui vehunt stellas: Tertium coelum, illa lux, in qua Deus habitat, in qua se ostendit, quicquid sane sit et ubicunque sit.

Aliqui verterunt: *Arabos, qui ascendunt per desertum.* Alii, *Ascendit super occasum.* Sed significat hoc, quod est supra omnes visibiles coelos: significat illum locum arcanum, qui est supra, et extra coelum.

Dominus nomen illi.] Quis est iste victor? Iste Iesus Christus crucifixus, mortuus, et qui resurrexit, est natura Deus. Loquitur de Christo, qui est humiliatus. Et est pulcrum testimonium de divinitate Christi. Item, de exaltatione Christi, qui collocatur ad dextram Patris, ut regat et colligat sibi Ecclesiam, et suo tempore iudicet et glorificet Ecclesiam. *Huic iter facite,* inquit; id est, *Gebet ihm raum, und platz.* Ante principes praeeunt praecones, qui iubent cedere de via.

Repetitio propositionis est: *Exultate in conspectu eius*] postea sequitur expositio. *Turbantur a facie eius.*] Hic incipit beneficia ipsius commemorare: *Patris orphanorum, et iudicis viduarum.*] Haec est summa consolatio. Ecclesia in hac vita est orphana, deserta, non habet defensionem a Regibus, sed Filius Dei protegit, ac servat Ecclesiam: Et hoc facit Deus et homo, et sunt opera utriusque naturae; Quia potentia etiam humanae naturae in Christo est maior, quam omnium Diabolorum et hominum potentia.

Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit:] Augustinus exposuit. *Deus qui facit unius moris habitare in domo*: id est, ut sint concordes. Sed haec est sententia: Qui facit ex solitariis magnas familias: item, qui parvos facit claros et magnos. Ecclesia fuit exigua, tempore passionis, sed fit magna, tempore ascensionis et Pentecostes. In Graeco melius est redditum *μονοτρόπους*, id est, *solos* vel *solitarios.* Sed in Latina versione, *unius moris,* obscurius dictum est. Et non congruit ad constructionem. Grammatica debet esse fundamentum expositionis. Ecclesia est Grammatica sermonis divini: Debet accipere sermonem a Deo, et retinere eius proprietatem. *Qui educit vinctos in fortitudine.*] id est, fortiter. Significat, quod colligat et liberet Ecclesiam, quae fuit captiva Diaboli et ingentibus aerumnis oppressa: Eam educit ex vinculis, frementibus diabolis et impiis. *Similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris.*] Hic versus etiam est male redditus. Sententia est: *Rebelles relinquet in sicco:* id est, impios persecutores perdet tandem. Est antithesis prioris membri: *Suis vinctis opem fert;* Quod Zacharias inquit: *Educes vinctos tuos in sanguine*: id est, sanctos, fideles, qui sunt in Ecclesia tua. Sed infideles in arido relinquet: id est, istos oportet perire. Alii exponunt: *Qui habitant in sepulchris*: id est, mortuos excitat.

Iam sequitur amplificatio. *Deus cum egrederis in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est, coeli destillaverunt a facie Dei*; *ipse Sinai a facie Dei Israel.*] Est comparatio ad exitum populi ex Aegypto: Deus tu antea egressus es nobiscum ex Aegypto, praecessisti nos, collegisti ac servasti Ecclesiam per magna miracula. Ita nunc quoque ascendens colliges Ecclesiam ingentibus miraculis.

Adfuitne Christus in deserto?

Ita omnino. Paulus dicit: *Bibebant de spirituali eos comitante petra*: *Petra erat Christus.* λόγος semper adest Ecclesiae: ut dicit Irenaeus: Filius sonat ibi vocem legis, et loquitur in Ecclesia. *Pluviam voluntariam,* id est, *largam demittes Deus haereditati tuae.*] id est, foveto Ecclesiam rigando. Sunt in omnibus verbis figurae elegantissimae. Intelligit autem pluviam doctrinae, scilicet Evangelium; sicuti postea se exponet. Hoc est enim usitatum Psalmis, primum ponere figurate dictum: postea propriis verbis eandem sententiam efferre.

Infirmata est: Tu vero perfecisti eam.] id est, tu subinde recreas Ecclesiam: Ergo et nunc recreabis. Cogitate vetera exempla. Ecclesia in Aegypto fuit valde languida et afflicta. Postea fuit infirma, cum Antiochus celebraret Bacchanalia Hierosolymis, cum interficeret senes, matronas, pueros in foro Hierosolymae. Item cum sequentibus temporibus dominabantur Zaducaei. Idem nostris temporibus.

Animalia tua habitabunt in ea.] Est metaphora. *Tua animalia.*] id est, tuae oves habitabunt in Ecclesia. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*] id est, tu per bonitatem tuam illi pauperi populo succurris. Primum loquitur figurate, deinde simpliciter.

Dominus dabit verbum, evangelizantibus virtute

multa.] virtutem dicit, *δύναμιν*. Intelligit autem exercitum. Est simul precatio et vaticinium. Da Evangelium Evangelizantibus, et da evangelizantium magnos exercitus. Describitur autem, quale regnum constituat hic dominus, qui ascendit. Non constituet imperium mundanum seu politicum, ut Alexander: sed constituet regnum per verbum, id est, vocem Evangelii: Sicut Eobanus recte reddidit: *Constituet regna Evangelii lumine plena novo.* Sedet ad dextram Patris, et conservat ministerium Evangelii, et per hoc est efficax in multis credentibus.

Rex virtutum, dilecti dilecti] id est, Reges exercituum diligent se mutuo. Apostoli et doctores sonabunt unam vocem, erunt concordes, coniuncti sententiis et voluntatibus, *es wirdt nicht ein katzengebis sein*, sicut iam est consuetudo: sedet aliquis, et captat verbum aliquod, quod reprehendat quoquo modo. Vera Ecclesia est coetus, in Evangelio consentientium, et convenientium Spiritu; id est, est coetus coniunctus consensu verae doctrinae et voluntatibus. Si quae sunt membra imbecilla, ea sanantur a firmioribus, ut salus publica quaeratur, non ut certetur ambitione et aliis cupiditatibus. Plato vocat *ἁρπάζειν λόγους*, id est, rapere sermones, captare vocabulum, seu dictum aliquod, et ex illo calumniam exstruere venenatissimam.

Si conferremus studia, et mutuam benevolentiam, esset confidentia mutuo loquendi; alius alteri aperiret pectus suum, alius doceret alium, et diceret: Illa indigent explicatione et declaratione: sed extincta benevolentia, non potest publicae utilitati consuli. Petamus nos, ut Psalmus petit, *Animalia tua habitent in ea,* sanes tu vulnera Ecclesiae. Certe debebat ita esse in Ecclesia: Debebant singuli tueri concordiam: debebat esse una vox monstrans unum Deum, unum mediatorem: Una et eadem voce debebant omnes sonare doctrinam de Messia. Vera membra Ecclesiae debent consentire de articulis, qui ad fundamentum pertinent. Si aliquid est dissensionum, tamen eruditi debent inter se congruere de fundamento, et de rebus principalibus.

Species domus dividit spolia.] id est, Ecclesia. Est figuratum, *Species domus;* ponitur pro matrefamilias. In domo nihil est pulchrius matrona honesta: viri pulchritudo non est in domo, sed in exercitu, aut in curia: sed mulier est *οἰκουρός*, custos domus. Nominat Ecclesiam decus domus: Ea restituta, *dividet spolia.*] id est, crescet, habebit multas victorias; acquiret multas gentes; multi movebuntur veritate doctrinae attrahentur per vocem Evangelii et Spiritum sanctum ut convertantur ad agnitionem Filii Dei, ut alibi dicitur: *Funes ceciderunt mihi in praeclaris; Dominus dans hereditatis meae*: Deus dat hereditatem Filio. Rogemus eum nos quoque: fac, ut sit aliqua Ecclesia. Agamus ei gratias, quod nos vocavit ad eius societatem.

Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae de argentatae, et posteriora dorsa eius in pallore auri.] Non debet esse. Dormiatis inter cleros, sed *cubabitis*, iacebitis, habebitis castra inter sortes. *Κλῆροι* sunt castra sorte distributa. Est igitur simplicissima sententia. Exercitus Evangelizantium passim cubabunt sorte distributis locis. Paulus praedicabit in Asia, Graecia, Romae. Petrus Antiochiae, Ierosolymae, Marcus Alexandriae, Crescens in Gallia, et sic de aliis. Dicunt Lazarum resuscitatum a morte, praedicasse Massiliae. Sicut nunc pastores certi docent, singuli in suis Ecclesiis. Hoc ergo dicit Psalmus: *Erunt tunc exercitus inter cleros*: id est, inter divisas sortes.

Postea comparat hos doctores *columbis, et quidem fulgori columbarum.* Quando exercitus erunt in finibus, inquit, *splendebunt sicut columbae:* id est, erunt ornati variis donis, et similes columbarum. Utitur hac similitudine etiam Christus, inquiens: *Estote sapientes sicut serpentes, et innoxii, sicut columbae.* Sic alibi saepe Ecclesia comparatur columbae. Columba est sine felle; Ecclesia est sine amarulentia, sine odiis, imo etiam sine armis: et tamen est praedae accipitribus, vulturibus, milvis, adversus quos non potest se tueri. Praeterea columba est avis pulcra et foecunda, et propterea Veneri est attributa propter foecunditatem, et propter suavitatem.

Omnia illa sunt opposita imaginationi de imperio. Ecclesia non erit Imperium mundanum; pia membra Ecclesiae non erunt leones, lupi, ursi, aquilae, sicut imperia pinguntur; sed erunt columbae sine praesidiis, erunt praedae Tyrannis. In summa, non erit potentia imperiorum, sed exercitus columbarum.

Fortassis alludit etiam ad descriptionem armaturae. Veteres habuerunt thoraces distinctos auro et argento, ut Sidonius Appollinaris laudat Burgundos, quos vidit in panoplia saltare. Pulchrum est videre cataphractum.

Dum discernit coelestis reges superne, nive dealbabuntur in Selmon.] Discernere reges, est distribuere Doctores. Lucem comparat nive. Selmon sunt tenebrae. Quando Deus dat Doctores bonos, caligo, et tenebrae tolluntur; quando dat lucem Evangelii, agnoscimus eum vere: videmus, in quantis tenebris fuerimus; ut, cum apud Ethnicos homines furentes celebrabant Bacchanalia. Item, cum homines, superioribus saeculis currebant ad idola, ut bruta. Ubicunque novum idolum recipiebatur, fiebat concursus ad illam novam statuam: erat opinio, quod ibi esset singularis efficacia. Totus Monachatus, quid est, nisi merissimae tenebrae? Vixerunt in magnis turpitudinibus. Non agnoverunt veram doctrinam de Deo et Mediatore

non habuerunt veras consolationes. Sed ubi excitata est flamma verae doctrinae, homines agnoscentes iam verum Deum, experiuntur veras consolationes, vere invocant, et vivunt in luce divina.

Mons Dei, id est, grandis. *Mons praeruptus, mons coagulatus*, id est, abundans collibus. Epiphonema est de Ecclesia, et gratulatio, qua Ecclesiae gratulatur conservationem. Ecclesia erit mons grandis et pinguis: colligetur ex toto genere humano, erit invicta: Diaboli non evertent eam.

Ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons, in quo beneplacitum est Deo, habitare in eo. Dominus habitabit in finem.] Hoc vult dicere, vos Imperia quare vultis evertere Ecclesiam? Tu Imperator? tu Turca? tu Papa? Ut iam Turci cogitant se deleturos totum orbem Christianum; Papa se deleturum omnes Evangelicas Ecclesias. Facit antithesin Imperiorum et Ecclesiae. *Mons* significat usitate Imperium, *ein Regiment*. Debebat esse: cur suspicitis? cur admiramini? cur accendimini odio et indignatione? cur odistis Ecclesiam et vultis eam delere? Congruit cum exordio Psalmi secundi: *Quare fremuerunt gentes, et convenerunt in unum*? Reges conspirant adversus Ecclesiam: sed est dulcis descriptio Ecclesiae, quod sit mons, in quo Deus habitet. Significatur, quod Ecclesia sit coetus amplectentium Evangelium, in quo Filius est efficax, et habitet ibi.

Quomodo?

Voce Evangelii, et Spiritu sancto, adest ibi: sanctificat credentes Evangelio, defendit: Et quidem, *in finem*, id est, in tota aeternitate. Loquitur de Ecclesia in hac vita, et post hanc vitam. Inde sequitur, quod manebit Ecclesia, non delebitur.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium Dominus in eis in Sinai, in Sancto, ascendisti in altum.] Repetit, quod prius dixit: *Deus descendit in Arabos.* Et rursus alludit ad pompam triumphalem, ad quem dixi antea. Paulum quoque alludere, qui haec verba citat Ephes. 4. et inde argumentatur: Ergo prius est humiliatus, deinde glorificatus. Curruum mentio pertinet ad Ecclesiae descriptionem, quam pinxit comparatione cum monte; Ecclesia est sedes Christi regis et sacerdotis. Non debetis ita rudes esse, ut non cogitetis in poematis multa esse metaphorica. Sed ad descriptionem Messiae pertinet, quod de assensione dicitur.

Contra:

Deus semper est in alto:
Ergo non ascendit.

Hoc obiicit Paulus ad Ephesios, et urget hoc vocabulum. *Ascendit: Ergo prius descendit.* Respondeo. Ideo hoc est positum, ut sciamus prius esse humiliatum Filium, et postea glorificatum sicut inquit: *Glorifica me gloria, quam habui apud te, ante iacta fundamenta mundi.* Cogitate, quanta sit ista altitudo, quod ille Filius, qui est Deus est Homo, regnat cum aeterno Patre, et collocatur super omnes angelos. Illa nos discemus in omni aeternitate. Discamus ergo initia illa fide et petitione auxilii. Invocemus hunc Dominum, et speremus ac exspectemus auxilium, habeamus consolationem, et experiemur illa vera esse.

Quid est: *Captivam duxit captivitatem?*

Id est, Tu vere es victor et triumphator. *Sustulisti captivitatem.*] id est, illas res, quae captivos nos tenebant. Sustulisti peccatum, et mortem, repressisti Diabolum, iuxta promissionem: *Semen mulieris conculcabit caput serpentis.*

Dat dona hominibus.] In Hebraeo est: *accipit dona in*, vel, *pro hominibus.* Paulus exponit: *Dans dona hominibus*; sed idem est, quia Filius Dei accipit dona ab aeterno Patre, danda hominibus. Consentiunt ista inter se tamquam correlativa. Filius Dei ascendit non ut ibi sit otiosus, et fruatur suis voluptatibus, non curet nos; sed ipsius regnare, est nos curare. Nos cogitemus et hanc correlativam: *Filius Dei dat dona hominibus: Ergo est invocandus.*

Non imaginemur, quod ibi sedeat, aut obambulet, sicut Homerus fingit Deos ivisse ad Aethiopas. Homines naturaliter ita cogitant: Humanae mentes ascendunt in coelum, et quaerunt Deum, sed non inveniunt. Hanc dubitationem pingit Homerus. Etiam Lucianus sic ludit, quod sint cancelli in coelo, et quando forte venit Iupiter ad cancellos, dicit exaudiri homines orantes, sed non audiri eos, cum alio tempore invocant. Sunt cogitationes hominum deridentium invocationem tamquam inane murmur. In omnium hominum cordibus est illa tristis dubitatio, huic oportet nos resistere et statuere, quod vere exaudiamur, quod Christus constitutus sit Mediator, ut gemitus nostros, et nostra vota verissime perferat ad Patrem. Est optimum argumentum ex natura correlativorum. *Ipse dat dona: Ergo ille Dominus est invocandus. Petenda sunt ab eo dona.*

Quae dona?

Omnia necessaria publice, et privatim. Paulus de ministerio exponit; sed intelligatur etiam de effectis ministerii. *Dat dona.*] Doctores idoneos, et per horum ministerium dat Spiritum sanctum. Postea transferatur etiam ad cetera dona omnia, necessaria Ecclesiae, et nobis singulis. Nullum est momentum, quo nobis non sit opus auxilio divino. Sed discite hanc correlativam sententiam: Tu, quia das dona, debes invocari: Ergo exaudis etiam preces, et iuvas nos; Quia exaudire et iuvare etiam sunt correlativa.

Praeterea invocatio est testimonium omnipotentiae. Tribuitur enim omnipotentia ei, qui invocatur. Ubicunque in Scriptura dicitur Messiam invocandum esse, ex eo sequitur, quod Messias sit omnipotens. Vos etiam hodie sic precamini: Tu Fili Dei, qui ascendisti, ut des dona hominibus, da mihi quoque dona Spiritus sancti, rege me, doce, ostende mihi patrem: sicut dixisti: *Nemo norit patrem, nisi cui Filius volet revelare;* sana Ecclesiae vulnera, da ei hospitium.

Etiam non credentes inhabitare Dominum Deum.] Constructio est obscura, sed sententia est: *Etiam dominatur his, qui sunt rebelles.*

Benedictus Dominus quotidie.] Post descriptionem beneficiorum adduntur Epiphonemata. Hunc Deum laudemus, qui talia facit opera. *Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum, Deus noster, Deus salvos faciendi, et Domini Domini exitus mortis.* In Hebraeo est: *Quotidie onerat nos,* scilicet, *donis, cumulat nos salute.* Inculcat autem mentionem salutis: quia hoc est summum beneficium salvos facere, id est, reddere iustitiam et vitam aeternam sublata morte. Nullus Princeps aut Rex hoc praestare potest: ideo in Evangelio inquit: *Ego sum vita,* id est, vivificator. *Et ego vitam aeternam do eis.* Loquitur de aeternis beneficiis, etiam post hanc vitam. Per hunc Dominum est exitus ex morte: Ipse dat vitam latroni morienti in cruce.

Iam addit comminationem contra persecutores. *Deus confringet capita inimicorum suorum: Verticem capilli perambulantium in delictis suis.*] id est, destruet imperia persequentium Evangelium. Capita, nominat potentiam Imperatorum. *Dixit Dominus ex Basan,* id est, ab oriente *convertam. Convertam in profundum maris.* In Hebraeo est: *reducam.* Significatur, quod Filius Dei regnabit ab oriente ad occasum; vel, quod Ecclesia Dei colligetur ex oriente et occidente.

Basan non est proprium, sed significat loca orientalia. *Mare* autem est ad occasum. Dicit ergo se ire velle ab ortu in occasum, et colligam Ecclesiam ex toto genere humano. Postea rursus de poenis hostium obiicitur: *Ut intingatur pes tuus in sanguine. Lingua canum tuorum in sanguine fluente ex inimicis, ab ipso, sive ab unoquoque eorum.*] id est, Tu punies persecutores Evangelii, et destrues eos *per tuos canes,* id est, excitabis aliquos, qui punient Tyrannos. Tales fuerunt Romani, qui deleverunt Hierosolymam. Iudaei puniti sunt per Romanos; Ita Romani ipsi per Gothos. Hodie sunt canes, qui devorant illos, qui persecuti sunt Ecclesiam Dei. Punit mundum propter contemptum Evangelii. Omnes vastationes, quae acciderunt quocunque tempore, sunt poenae contemptus Evangelii.

Viderunt ingressus tuos Deus: Ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto. Fuerunt principes coniuncti psallentibus, et in medio iuvencularum tympanistriarum. Redit ad descriptionem triumphi. *Principes,* inquit, *praecedunt.* Mihi non est dubium, quin hodie in hac pompa Domini ascendentis fuerint primi patres, Adam, Noe, Abel, Seth, Abraham, Isaac, Iacob, et multi sancti. Et est memoria dignum dictum Thaddaei, quod Eusebius recitat, *Dominus descendit solus, sed non solus ascendit, verum comitante magna multitudine.* Sed potest locus Psalmi in genere accipi de pompa praecedentium et sequentium Christum. Prophetae praecedunt, Apostoli sequuntur. Facit mentionem *Tympanistriarum*: quia moris erat in populo Dei ἐπινίκια cani a choreis puellarum. Et adhuc est usitatum, quando Dux introducitur, ut puellae ornatae cum reliquo populo obviam procedant. Cum Dux Saxoniae Ioannes ingressus est Coburgum, praecesserunt virgines, secutus est populus. Significat Psalmus Ecclesiam esse semper aliquem coetum sive magnum, sive parvum.

In Ecclesiis benedicite Deo, Domino de fontibus Israel.] Hoc valde dulce est: *Es ist vber die massen schön.*

Quare dicit: *de fontibus?*

Deducit nos ad Scripturas traditas per Patres et Prophetas. Alligat nos ad verbum Prophetarum, item ad Deum illum, qui se patefecit in Israel. Messias per promissiones patefactus est in Israel. Iubet igitur *fontes quaerere in Israel.* Iubet amplecti Scripturam Propheticam, et simul nos docet unam esse perpetuam Ecclesiam. Vult gentes quaerere doctrinam, non apud Sacerdotes Aegyptios, vel apud Babylonios Magos, sed praecipit ut quaerant fontes. Semper fuit Ecclesia, semper fuit verbum, vos quaeratis, ubi fuerit, scilicet in Israel.

Hic mandatum est, ut Prophetas audiamus, et discamus, et consideremus perpetuam sapientiam illorum; et est consolatio de perpetuitate Ecclesiae.

Benedicite in Ecclesiis.] id est, celebrate hunc Deum consentiente voce et invocatione cum Prophetis et Patribus, sicut nos invocamus: Te invoco omnipotens, et vive Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, una cum Filio, et Spiritu sancto, sapiens, bone, quem invocarunt patres nostri, Abraham, Isaac, Iacob, Iohannes Baptista, Paulus. Adiungamus nostram invocationem ad totius Ecclesiae invocationem. Idem dictum Psalmi etiam ad Ecclesiae descriptionem accommodari potest, et debet.

Posset dici: *tu multa hactenus dixisti de Ecclesia, sed ubi est Ecclesia? vel, quid est?*

Respondeo. Ibi est Ecclesia, ubi sunt fontes Israel. Haec est Ecclesia, quae amplectitur doctrinam Prophetarum et Apostolorum. Turci non sunt Ecclesia, nec Papistae, persequentes doctrinam Propheticam et Apostolicam. Sed ille coetus est Ecclesia, qui amplectitur Propheticam et Apostolicam doctrinam. Vult Ecclesiam alligatam esse ad vocem doctrinae, ut sciamus, ubi quaerenda sit.

Ibi Beniamin adolescentulus, in mentis excessu.] In Hebraeo est: *parvus et dominator eorum.* Hoc interpretatur de Paulo. Sit sane. Quod etiam in Latina versione dicitur, *de excessu mentis,* id intelligunt de motu divino, de afflatu Dei vero, non fallaci; Quia Paulus miraculo sit vocatus, et magno animo docuerit Evangelium.

Principes Iuda, duces eorum. Principes Zabulon. Principes Nephthalim.] Vult dicere: Ecclesiam colligi ex omnibus tribubus. Nominat autem *Principes,* cum tamen omnes intelligat; quia loquitur de omnibus conversis, de omnibus amplectentibus Evangelium. Sed Paulus et Apostoli sunt praecipua membra.

Sequitur precatio. Collige tu, serva, rege Ecclesiam o Deus. *Manda Deus virtuti tuae.*] Est usitatum ponere δύναμιν pro exercitu: id est, sis tu doctor exercitus tui; quia duces praecedunt exercitus, unde et nomen habent. Noster Imperator hoc servavit in castris, praecessit ipse, et iussit verberare milites, qui excurrebant. Veteres duces semper fuerunt in prima acie.

Confirma hoc Deus, quod operatus es propter templum sanctum tuum in Hierusalem.] In veteri translatione est, *a templo sancto tuo:* quia praepositio, *Mem,* aliquando significat *propter* (est causalis), aliquando etiam significat *prae:* nonnunquam, *a.* Saepe hallucinantur interpretes, in illarum particularum versione. Intelligit autem *templi* appellatione, Ecclesiam. Hanc petit augeri, et conservari. Item in nobis ipsis petit accendi, et foveri initia. Debemus igitur singuli privatim, et publice, idem petere quotidie, deplorare nostram imbecillitatem, et quaerere auxilium a Filio Deo. Hippocrates ait: *Malum est, cum mens laborat, sive aegrotat.* Initium curationis est sentire morbum; quia, cum aliquis sentit morbum, quaerit opitulatorem. Clamemus igitur assidue: *Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae.* Ah Deus, tu inchoasti colligere Ecclesiam: non sinas eam dissipari rursus. Tu dedisti auroram lucis tuae. Illam doctrinam illustra, rege nos, fac ut respondeant fructus in nobis; et hoc fiat *propter templum tuum:* id est, ut crescat Ecclesia, ut sint pauciores, qui te contumelia afficiant, et multi te celebrent.

Tibi offerent reges munera.] Fac ut peregrini etiam reges adiungant se Ecclesiae.

Postea precatur, ut reprimantur Tyranni. *Increpa feras arundinis. Congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento.*] Hoc etiam non est recte conversum, debebat esse: *dissipa feram iacentem inter arundines, et coetum robustorum iuvencorum cum vitulis.* Vocat feram arundinis, illam partem generis humani, quae est persecutrix Ecclesiae. Apri iacent in arundinetis, in uligine, vel uliginosis locis, et pinguescunt ibi. Sic Tyranni, Pontifices, *sind wie ein gros fett thier, das im sumpff ligt:* ut hoc tempore Papa, Cardinales, Episcopi, et Canonici, *sind fett, mesten sich von dem grossen eynkommen.* Interea exercent tyrannidem in Ecclesia.

Eosdem nominat et *tauros,* et *vitulos;* quia vult complecti totam factionem hypocriticam, quae sui quaestus, lucri, opum, potentiae causa opponit se Evangelio, et mordicus tuetur errores, ut Papa cum suo coetu defendit illam horribilem idololatriam, quod in circumgestatione panis consecrati circumferant Christum. Hoc retinent propter sanctum denarium: quia est ipsis quaestuosum: et quia non volunt imminui suam potentiam.

Hoc anno adhuc Viennae discurrerunt nebulones Hispanici flagellantes se. Homines praetereuntes exspuerunt in eos. Illi tamen perfectis flagellationibus suis dixerunt, se delevisse omnia peccata sua. Magni Domini se non flagellant, sed conducunt ad id nebulones alios. Haec prorsus sunt Diabolica.

Vetus translatio prorsus est obscura, *ut excludant eos, qui probati sunt argento.*] Debet esse, *conculcantes populos propter argentum.* Papa et Imperia conculcant Ecclesiam, suae avaritiae, pompae, et splendoris causa. Polus in Anglia iam

valde saevit in pios. Antea cum esset Paduae, legit nostros libros: vadens ad lectionem epistolae ad Romanos, tulit secum nostrum Commentarium, et eum legit. Quando audivit Monachum praelegentem, valde improbavit eius ineptias: postea coepit scribere ad Pontificem, ut fieret summus gubernator in Anglia: interfecit Latimerum octuagenarium, senem Episcopum: item Cantuariensem. Contra hunc, et eum similes, debemus orare.

Repetitio precationis est in his verbis: *Dissipa gentes, quae bella volunt. Dissipa conculcantem propter argentum.*] Prius precatus est contra Pontifices, contra corpus hypocriticum. Iam contra tyrannos qui *volunt:* id est, qui inferunt bella. Depellere bellum, est opus suo ordine bonum et necessarium: sed differunt ἐπενέγκειν πόλεμον, et ἀμύνεσθαι. Ut, cum Turca infert bellum, resistendum ei est, et ignavae potestates male faciunt, cum non cogitant de legitima defensione. Dicitur iam cecidisse magnus globus ardens in Moravia. Inde est fabula, quod ibi ceciderit pars cometae. Credo, si ita factum est, fuisse materiam chasmatis, non cometae. Est credibile, quod ibi futurae sint magnae pugnae, sicut Anaxagoras, cum arsisset cometa in magna parte Graeciae per 60 dies, dixit lapidem casurum de coelo, quod factum est ad insulam, quae dicitur *Αἰγοσπόταμος*, non procula Constantinopoli: Credo, quod fuerit massa conflata ex materia eadem, ex qua fiunt lapides. Ibi est facta postrema pugna inter Lacedaemonios, et Athenienses victi sunt: Urbs eorum cincta obsidione paulo post in tristem servitutem venit.

Sequitur antithesis: Etsi erunt Maxentius, Maximinus, Diocletianus, et alii tyranni: tamen multi erunt, qui credent; *Venient legati ex Aegypto: Aethiopia levabit manus ad eum.*] Est praedictio, quod Ecclesia crescet etiam invitis tyrannis, et Pontificibus. Multi ex omnibus gentibus et nationibus agnoscent, et invocabunt Christum.

Regna terrae cantate Deo, Psallite Domino, psallite Deo, qui ascendit supra coelum coeli ad orientem.] Alloquitur Ecclesiam vocatam ex gentibus, et hortatur ad gratiarum actionem. Explicat autem, quod supra dixit: *Ascendit supra Arabos, ad orientem.* Alii vertunt: *ab antiquo*: ut sit Epitheton coeli, quod est ab omni antiquitate.

Ecce dabit voci suae, vocem virtutis.] id est, faciat, ut vox Evangelii sit efficax. Hoc est contra Stenckfeldium, qui dicit Deum sine verbo communicare se nobis: Tollit ministerium verbi. Sed hic nos deducit Psalmus ad verbum et doctrinam. *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.*

Quae in postremis duobus versibus Psalmi, sunt reliqua, sunt Epiphonemata; sed prius repetit adhortationem: *Date gloriam Deo, cuius magnificentia super Israel, et virtus eius in nubibus. Mirabilis Deus in sanctis suis. Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae. Benedictus Deus.*] Observate hoc epitheton. Deus mirabilis vere est mirabilis: quia mirabiliter servat Ecclesiam imbecillem et miseram. Hoc est vere mirabile opus. Relegite psalmum, et addite Germanicam versionem, et dulcissimum Stigelii carmen, quod erit vobis vice commentarii.

EXCERPTA EX RHAPSODIIS ALIORUM ANNORUM.

Tota collectio Ecclesiae est plena mirabilium et arcanorum operum, quorum causas in tota aeternitate videbimus. Sit vobis autem semper in conspectu, hanc miseram naturam humanam non esse ad infinitas miserias et calamitates conditam; Non putemus totum genus humanum frustra conditum esse. Aliqua pars generis humani veniet aliquando in portum, fruetur summis bonis, ad quae est condita. In hac sententia acquiescamus fide, credamus esse Ecclesiam, et eam sic colligi, misso Filio, et propter Filium; voluit enim Deus per obedientiam Filii satisfieri suae iustitiae; ideo enim voluit fieri hominem, ut posset fieri redemptio.

Postquam igitur completum est hoc opus, Filius in natura assumpta ascendit ad patrem. Hic vero quaeritur, *an accesserit aliquid Christo per ascensionem illam, an non erat iam apud Patrem post resurrectionem: imo, an non fuit in coelo etiam vivens in hac consuetudine vitae?* Respondeo. Si esse in coelo intelligatur de claro intuitu Patris, et sensu laetitiae et beatitudinis, sicut Matth. 18. dicitur: *Angeli eorum in coelis, semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est:* distinguendum est inter statum humiliationis et glorificationis Christi. Deinde verum est, Christum esse glorificatum, cum resurrexit; Vere igitur fruebatur laetissimo conspectu aeterni Patris, qui ubique adest. Atque ita statim post resurrectionem, prius quam visibiliter et corporaliter sursum ascendit, in coelo fuit, videlicet quod ad significationem illam locutionis attinet, qua Angeli quoque beati dicuntur in coelo esse, quia conspectu Dei fruuntur.

Ascendit autem in coelum: id est, in locum, quem Scriptura nominat *sedem Dei, et mansionem beatorum*, ubi secundum humanitatem antea non fuit; sicut inquit: *Ego relinquo mundum, et vado ad patrem: In domo patris mei mansiones multae sunt: et ego vado paratum vobis locum; Iterum veniam, et accipiam vos ad me, ut, ubi ego sum, et vos sitis.*

Cur facta est igitur corporalis et visibilis ascensio in coelum, si Christus eandem gloriam habuit post resurrectionem, quam habet ascendens in coelum?

Respondeo. Vere transivit in gloriam suam post resurrectionem, et fuit tunc etiam ornatus ineffabili gloria, cum Apostoli adhuc fruerentur familiari eius consuetudine: Sed discessit ab eis corporaliter, ut erudiret eos, novum regnum, quod iam conderet, non esse conversationem in hac vita: et se non ita commoraturum apud eos ante novissimum iudicium et resuscitationem, in qua iterum se sit ostensurus: sicut ad Mariam Magdalenam inquit, quae volebat ipsum contrectare post resurrectionem: *Noli me tangere, quia nondum ascendi:* id est, ego aliquantisper adhuc commoraturus sum in terris, antequam ascendam: sed tu hanc imaginationem habes, fore inter nos conversationem corporalem perpetuam, qualis fuit antea, sed non erit; postea rursus visibiliter et corporaliter vobiscum conversabor, quando resuscitabo mortuos. Haec est simplicissima sententia.

Memini etiam doctissimos disputare, quare Christus ascenderit in coelum, cum antea fuerit in coelo? Sed haec est vera responsio: Fuit in coelo, quod ad Patris contuitum attinet, sed per 40 dies fuit commoratus visibili specie; postea ascendit corporaliter: quia voluit scire finem fore istius visibilis conversationis in hac vita, et propterea etiam visibili pompa et triumpho discessit, ut scirent non fore iam talem conversationem, et discerent hanc doctrinam fide tenendam esse, cum deinceps sedere ad dextram aeterni Patris, et gubernare Ecclesiam.

Quid est *sedere ad dextram aeterni Patris?*

Est regnare cum aeterno Patre. Haec est admiranda res, quod ista persona, quae est Deus et homo, supra omnes angelos collocatus est, et regnat pari potentia cum aeterno Patre. De hac admiranda re dicit Psalmus. *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis:* id est, regnato pari potentia. Ita discatis simplicem sententiam. Non moveatis futiles disputationes, sicut multi scelerati faciunt, cum magna impietate: Si mentes esse domitae et cicuratae, et reprimerent ludos et praestigias cogitationum humanarum, omitterentur tales disputationes.

Magnitudo istius divini operis, quod homo Christus sit collocatus super omnes angelos, est incomprehensibilis omnibus creaturis, etiam angelis, nisi coram discerent; sicut nos etiam coram discemus. Iam vult nos Dominus ista fide cernere, sicut Adam, Abraham, Nohe, sciebant, se Messiae curae esse, ipsum adesse, et se protegi et defendi ab eo, sicut interdum veniebat ad eos, et ostendit se, et Christus dicit: *Abraham vidit diem meum, et gavisus est.* Ita nos vere statuamus nobiscum esse Filium Dei, sedentem ad dextram aeterni Patris, nos vere ipsi curae esse, nos protegi et regi. Et hac fide ac fiducia eum invocemus.

Papistae hoc exercitium fidei et invocationis valde obscurarunt invocatione mortuorum. Ego memini Lutherum dicere: *Etiamsi nihil mali esset in invocatione, vel cultu sanctorum, nisi quod obscuratus est mediator et praesentia mediatoris, et hoc beneficium, quod Filius Dei ad dextram Dei in nostra carne collocatus, vult esse intercessor et exauditor: tamen propter illud incommodum esset execranda consuetudo illa.* Homines fascinati opinionibus de cultu sanctorum, imaginati sunt, esse aequalitatem Christi et sanctorum: Non cogitarunt, quanta res sit omnipotentia in Filio, et quod nulla natura sit mediatrix, exauditrix, nisi natura omnipotens.

Ideo in isto Psalmo, qui est vaticinium de ascensione Christi, toties repetitur haec descriptio, quod hic Dominus, qui ascendit, sit natura Deus. Totus Psalmus est contaminatus insulsis interpretationibus, ut illa inscitio in Ecclesia deploranda sit, *das es schand ist.* Est carmen triumphale, est paean. Virgilius inquit: *Laetum paeana canentes.* Unde est paean? a feriendo, *vom treffen.* Quid vocabant paeana? Idem quod nos vocamus, classicum; quando datur signum proeliandi, *das man treffen sol,* a *παίω, schlag zu, schlag zu, wie man ietzt schreiet, her her, also ist das treffen, treffen, παίω, παίω:* sic canere paeana, est canere classicum. Triumphus unde dicitur? ab *ἀμφέω*, ligo, sive circumligo, et *θρία*, id est, folia fici. Prima antiquitas coronabatur foliis fici, ut significarent dulcem esse victimam. Romani coronabantur lauro: quare? quia non icitur; vel, quia aestate ac hieme retinet colorem suum. Cetera ad explicationem Psalmi pertinentia, vide in praecedenti concione.

POSTREMA DECLARATIO DUORUM ARTICULORUM SYMBOLI: EX ENARRATIONE DN. PHILIPPI AD COLOSS. 3.

Quomodo haec congruunt: *Ascendit in coelum:* et quod alibi dicitur, *Filius qui est in sinu Patris:* Item, *Filius hominis qui est in coelo*?

Respondeo: In Symbolo intelligatur dictum, ut sonat litera, et de corpore, et corporali locatione. *Ascendit,* scilicet, corporali et physica locatione, in coelum: id est, in locum coelestem, ubicunque est: quia hic non sunt fingendae allegoriae. Ascensio fuit visibilis et corporalis, et semper ita scripsit tota antiquitas, Christum corporali locatione in aliquo loco esse ubicunque vult; et ascensio corporalis facta est sursum. Ideo Paulus in hoc capite locum illum nominat, *sursum.*

At in propositione: *Filius qui est in coelo*, dictum intelligatur communicatione Idiomatum. λόγος semper est in coelo, etiamsi corporali locatione corpus est in virgine. Haec narratio expressa est in enarratione Symboli, quae legitur in libris Cypriani, etsi alibi inscriptio est: *Enarratio Ruffini. Ascendit ad coelos, non ubi verbum Deus antea non fuerat; quippe qui erat semper in coelo, et manebat cum Patre; sed ubi verbum caro factum, antea non sedebat:* id est, ubi corpus antea non habuerat corporalem locationem. Sic Augustinus loquitur, et citantur verba in Longobardo lib. 3. distinct. 22. *Non dimisit Patrem Christus, cum venit infirmior; ubique totus, ubique perfectus.* Deinde additur forma sermonis, *ubique totus est, sed non totum.* Alii concinnius locuti sunt: Propositio vera est communicatione Idiomatum: Christus ubique est.

Athanasius sic loquitur de incarnatione verbi: *λόγος non colligatus est corpori, sed ipse corpus continet, ut et in eo sit, et extra omnia, et in sinu Patris; neque cum sit in omnibus, fit pars aliorum, sed omnia vitam, sustentationemque ab ipso accipiunt.*

Ut autem de locali ascensione naturae humanae dictum est, *Ascendit ad coelos:* Ita de exaltatione naturae humanae super omnes creaturas dictum est: *Sedet ad dextram Patris,* ut hic Paulus inquit: *Ubi est ad dextram Dei sedens.* Ait Christum sursum esse; et quidem ad dexteram Dei; id est, non ut beati angeli et homines sursum sunt, sed exaltatus supra angelos in illa arcana luce Dei, regnans cum Patre, et tamen corpus localiter alicubi est secundum veri corporis modum, ut Augustinus inquit. Et hae propositiones: *Christus in vobis est, ego in eis: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus,* etc. intelligantur communicatione Idiomatum. Et de hac praesentia Filii in praedicatione Evangelii, et in sanctis, necesse est Ecclesiam fideliter erudiri, ut agnoscamus Dominum nostrum Iesum Christum adesse Ecclesiae, et esse caput omnia in omnibus perficiens.

DOMINICA EXAUDI.

Evangelium Iohann. 15. et 16.

Cum venerit paracletus, quem ego vobis mittam a Patre, etc

Solemus hoc tempore repetere communem doctrinam de Spiritu sancto, quam oportet esse notissimam omnibus in Ecclesia. In ea doctrina, dicimus primum de tribus personis, et de discriminibus personarum, ut hoc modo viam nobis praeparemus ad definitionem, seu descriptionem Spiritus sancti. Secundo, quomodo detur et accipiatur. Tertio, ad quid detur, seu qui sint effectus et beneficia Spiritus sancti. Quarto, quomodo retineatur vel excutiatur.

Hanc doctrinam esse necessariam, et maximi momenti, intelligunt omnes, qui non contemnunt Deum, et fit dulcior doctrina, cum transfertur ad exercitia invocationis et gratiarum actionis. Primum autem de vocabulis aliquid dicemus.

Appellatio *Spiritus*, varie usurpatur. Cum Christus inquit in Iohanne: *Deus est Spiritus,* quid ibi significat? Significatne idem quod hic: *Mittam vobis Spiritum veritatis?* Respondeo: Cum dicitur: *Deus est Spiritus,* ibi Spiritus, est nomen generale, conveniens tribus personis: non sumitur ibi personaliter, sed essentialiter. Vocabulum *Deus* ibi est subiectum, et *Spiritus*, quod praedicati locum habet, significat ibi essentiam spiritualem, non corpoream. Hic vero, cum dicitur *de Spiritu veritatis,* ponitur vocabulum *Spiritus* pro persona.

Origo vocabuli est a motione, seu agitatione, sicut etiam ventus hoc nomine vocatur.

Quid significat haec vox in illo dicto Psalmi: *Terribili et potenti, qui aufert Spiritum Principum?*

Spiritus hic significat impetum seu motum creatum, ut in Alexandro est spiritus; id est, impetus belli gerendi, et occupandi imperium Persicum. Et hic impetus est felix et fortunatus, cui nemo resistere potest, et qui multa facit praeter opinionem omnium hominum.

Quid significat *Paracletus? Cum venerit Paracletus,* inquit textus.

Respondeo. Paracletus proprie significat advocatum, *Einen beystand*, a παρὰ, et καλέω. Nostri homines bene verterunt, *Einen Troster;* quia expresserunt hoc, quod proprium est Spiritus sancti, videlicet, consolari, confirmare, facere animosum: Sicut dicitur: *Dedit nobis Spiritum non timiditatis, sed roboris.* Sed si vocabuli ἔτυμον consideres, paracletus est idem, quod nos dicimus, *Einen beystand*: id est, advocatus, assistens reo in iudicio: *Der einem beystehet im recht oder für gericht.* παρακαλέω significat advoco, advocatum accerso, postulo aliquem patronum, imploro fidem alicuius et patrocinium; inde παράκλητος, accersitus, et rogatus, advocatus, patronus.

Cur ergo Germanica versio maluit uti appellatione *Troster?* Respondeo. Advocatus ideo adest, ut sit confirmator et corroborator; ab hoc effectu sumptum est per metalepsin vocabulum illud Germanicum, *Troster.*

Nonne in Epistola Iohannis etiam *Filius* nominatur *Paracletus? Si quis peccavit, habemus paracletum apud Patrem, Iesum Christum,* etc.

Quae est differentia: *Quomodo Spiritus sanctus est paracletus* et *quomodo Filius Dei?*

Respondeo. Christus est paracletus, quod ad meritum deprecantis attinet. Est enim Christus deprecator, et intercessor, et ut summus sacerdos Ecclesiae stat in arcano consilio divinitatis, offerens et ostendens Patri suam obedientiam, sua merita pro nobis: et ea ipsa applicans nobis. Nam hoc est proprium istius personae, quae passa est, seu, quae facta est victima.

Spiritus sanctus est paracletus, quod ad effectionem in nobis attinet. Ciet enim in nobis motus; ut accipiamus beneficia Filii. item, iuvat nos in invocatione, et confirmat animos in tentationibus et persecutionibus.

Haec sunt consideranda; quia multum refert, esse diligentem in proprietate sermonis. Nos debemus esse discipuli sermonis divini, non corruptelas invehere, aut inferre nostras imaginationes, ut faciunt illi, qui corrumpunt Scripturam.

Solius Filii mors, passio, sacrificium est pretium et ἀντίλυτρον, quo satisfactum est iustitiae divinae. Ideo Christus est paracletus noster, respective ad Patrem, Spiritus sanctus respective ad nos.

Haec beneficia Filii et Spiritus sancti cogitanda sunt in invocatione, et agnoscenda est immensa bonitas Dei declarata non tantum in missione Filii, sed etiam in donatione Spiritus sancti. Cogita enim, quanta res sit, quod divinitas ita se effundit in hanc miseram naturam, ut non solum donet nobis Filium, sed etiam suo Spiritu nos copulet sibi.

Pro his beneficiis deberemus esse grati, et petere, ut Deus propter Filium faciat nos domicilia Spiritus sancti. Quotidie agendae erant gratiae Deo, non solum pro creatione et patefactione verbi, sed etiam pro redemptione per Christum, et pro donatione Spiritus sancti. Postea suo ordine addenda erat gratiarum actio pro doctrina, pro nutritione, pro conservatione politici ordinis: sicut eiusmodi formae gratiarum actionis et precationis saepe repetuntur in nostris Ecclesiis.

Si volumus esse membra Ecclesiae, nequaquam debemus ita esse efferi, ut putemus petulantiam morum, et neglectionem omnium exercitiorum pietatis, esse libertatem Christianam. Ista est Cyclopum et Antinomorum vita; et est barbaries, similis Ethnicae aut Turcicae barbariei.

Quare Turcae in vaticiniis *Methodii* nominantur, *die rothen Iuden*, ruffi Iudaei? Methodius ibi dicit, quod vulpes ruffos Iudaeos educet ex Caucaso: id est, praedicit irruptionem Turcarum in Asiam, ex faucibus, rupibus vel claustris Caucasi. Vulpes est *Mahomet*, qui eduxit Turcas in Asiam, occasione bellorum, quae gesserunt Imperatores Romani cum Persis.

Nominantur autem *ruffi Iudaei*, quia sunt cruenti, *Es seindt blut hundt*; ut iam recens ex Ungaria abducti sunt viri lectissimi, et robustissimi, et vestitu Turcico missi ad Turcicum Imperatorem. Veteres deducebant colonias, id est, integras familias transferebant in alia loca. Turcae distrahunt familias, avellunt parentes a filiis, liberos a parentibus, coniuges a coniugibus.

Interea sedemus nos et helluamur. Doctores

se mutuo lacerant. Principes turbant patriam. Tales miseriae publicae cogitandae erant, ut excitaremus nos ad invocationem et modestiam.

Vocat Methodius Turcas, Iudaeos, propter superstitionem, quia est gens dedita superstitionibus. Nostri homines abiecta iam superstitione, fiunt efferi et barbari. Hae non sunt effectiones Spiritus sancti, qui efficit gemitus inenarrabiles, non furores et insaniam. Obtestor vos propter gloriam Dei, ne sitis ita feri, sed cogitetis, ad quid vocati sitis? Sinatis illos Diabolis, Turcos, Papistas et similes furore, de quibus dicitur: *Contritio et calamitas in viis eorum.*

Sed venio iam ad capita doctrinae, ex quibus primum est, *Quot sint personae divinitatis*; sicut initium huius lectionis expresse nominat tres personas.

Quare necesse est agnoscere tantum tres esse personas, nec plures, nec pauciores?

Respondeo. Quia sic se Deus patefecit. Necesse est enim sentire de Deo, sicut se patefecit. Sic vero patefecit se, quod divinitas sit Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Ergo necesse est, sic eum agnoscere et invocare. Haec sapientia posita est supra intellectum omnium creaturarum: sed acquiescendum est nobis in patefactione divina. Et hic simul repetenda, et mente intuenda est universa doctrina de Deo.

Intelligitne natura esse Deum.

Respondeo: Ratio naturaliter intelligit esse Deum, et agnoscit aliquo modo, qualis sit. Nam mens habet aliquam notitiam legis: sicut Plato dicit: *Deus est mens aeterna, causa boni in natura.* Hoc scit ratio naturaliter, etiamsi Epicurus furenter reclamat, et homines Cyclopici naturalem illam notitiam obruunt.

Verum hoc nondum satis est: Oportet nos agnoscere Deum, sicut se patefecit, iuxta Pauli dictum: *Cum mundus in sua sapientia non agnosceret Deum, placuit Deo per stultam praedicationem salvos facere credentes.* Ideo solemus nos aliam Dei definitionem tradere, quae plura complectitur, quam illa, quae est a Platone tradita: imo ne quidem legalia satis integre tradit Philosophia.

Imaginantur Philosophia, Deum *ἐνδελέχειαν* esse, infusam omnibus creaturis. Nos dicimus, *Deum esse essentiam spiritualem, aliam a creaturis omnibus, non infusam corporibus mundi.*

Postea addimus: *Pater aeternus, qui genuit Filium imaginem sui, et Filius imago Patris coaeterna, et Spiritus sancti procedens a Patre et Filio.* Soleo autem addere clausulam illam: *sicut est patefacta Divinitas*; quia hoc est fundamentum doctrinae de Deo, et hac clausula comprehenduntur caetera omnia, quae non possunt singula nominatim exprimi in una definitione.

Unica tantum est divinitas, et tamen in hac una divinitate sunt tres personae, et intelligitur unitas, cum fit collatio ad creaturas, quia tota divinitatis est creatrix, Pater, Filius, et Spiritus sanctus: et sic de caeteris operibus, quae fiunt extra divinitatem. Ut cum loquimur de conservatione rerum omnium, seu sustentatione creaturarum, de collectione Ecclesiae, et iudicio totius generis humani. Haec opera, quibus se Deus patefecit, et ex quibus vult agnosci, communia sunt toti divinitati, sicut Augustinus inquit: *Opera Dei, quoad extra, sunt indivisa, seu communia tribus personis*: etsi haec limitatio simul est addenda, quod servandus sit ordo personarum, seu modus agendi, quo unaquaeque persona agit in his communibus operibus, praesertim quod attinet ad beneficia Dei erga Ecclesiam, ad quae mittuntur Filius et Spiritus sanctus.

Hinc possumus contexere integram descriptionem Dei, qualis nota esse debet in Ecclesia: *Deus est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, alia a creaturis omnibus; verax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, immensae sapientiae et potentiae, irascens peccatis: Pater aeternus, et Filius, et Spiritus sanctus: sicut se patefecit divinitas certo verbo et testimoniis divinis, quod Pater aeternus, una cum Filio et Spiritu sancto omnes res creavit, et earum substantias conservat, et in genere humano colligit sibi aeternam Ecclesiam, per et proter Filium; et est iudex iustorum et iniustorum.*

Haec descriptio Dei ostendit discrimen inter notitiam Dei philosophicam, et eam, quae docetur in Ecclesia. Estque saepe repetenda in invocatione; quia quandocunque preces nostras fundimus ad Deum, debemus cogitare discrimen nostrae invocationis, et Ethnicae, ut alloquamur verum Deum, qui se patefecit in Ecclesia, et eum sic invocemus, sicut vult a nobis invocari. Nec potest exhauriri sapientia comprehensa in hac descriptione in hac vita. Sed postea coram cernemus. Interea vult nos Deus istam doctrinam de se sonare, et per cogitationem eius est efficax, sicut dicitur: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti tibi robur.*

Iam addantur hic catechetica illa, quae sunt necessaria etiam pueris in Ecclesia, etsi non pos-

sunt ista intelligere, ut seniores. Grandiores natu debent ea considerare accuratius: et tamen ipsi quoque agnoscere debent suam infirmitatem.

Quid est Persona, et loquitur Ecclesia?

Est subsistens, unum, intelligens, individuum, incommunicabile, non sustentatum in alio. Quid significat *persona* Latinis Scriptoribus extra Ecclesiam? Persona proprie dicitur larva, qua aliquis indutus, per eam loquitur. Habet nomen a *personando,* quod per illud schema sonabat vox. Graecis est πρόσωπον, a πρὸς et ὤψ, ὀπός: vel ab ὄπτω, *video*, quasi dicas, aliquid propositum, ut conspiciatur, seu quod est in conspectu. Proprie πρόσωπον est *facies.* Per metonymiam significat personam. Scriptores Ecclesiastici nominarunt personam πρόσωπον, quod alias dicitur ὑφιστάμενον, *subsistens*; inprimis vero in naturis intelligentibus, ut in Deo, angelis, et hominibus. Samosatenus negavit Filium Dei, seu λόγον, apud Iohannem esse *hyphistamenon.* Ecclesia affirmat esse hyphistamenon, id est, non evanescens quiddam, sed subsistens, et quidem distinctum a Patre proprietate characteristica et incommunicabili. Tertullianus quando quaerit, Utrum λόγος sit σῶμα, intelligit ὑφιστάμενον. Opponit enim vocem σώματος imagini, seu sono evanescenti. Paulus etiam sic loquitur: In quo deitas habitat σωματικῶς, id est, ὑποστατικῶς.

Cum dicis: Roscius gerit personam Agamemnonis: quid significat ibi *Persona?* Umbram, seu similitudinem significat; et est in praedicamento *Relationis.* Quid significat, quando Cicero inquit: *Magnum est in Republica sustinere personam consulis, aut principis?* Significat officium seu munus publicum.

Quae sunt definitiones personarum divinitatis?

Pater est prima persona divinitatis, non nata, nec aliunde procedens, sed quae ab aeterno genuit Filium, imaginem suam, et a qua procedit Spiritus sanctus, et quae cum Filio et Spiritu sancto omnes res creavit, et earum substantias conservat. In Ecclesia debent esse perspicuae et simplices definitiones, quantum omnino fieri potest.

Filius est secunda persona divinitatis, quae est integra et substantialis imago Patris, quam Pater, sese intuens considerans, ab aeterno gignit, et nobis sic patefacta est, quod sit persona, per quam Pater dicit decretum et totum ordinem creationis et reparationis hominum; et quod mittatur, ut assumat humanam naturam, et sit mediator, redemptor, iustificator, et salvator.

Quid est Spiritus sanctus?

Est tertia persona divinitatis, procedens a Patre et Filio, et est substantialis amor, et laetitia coaeterna inter Patrem et Filium, et sic nobis manifestata est, quod mittatur in corda credentium, ut sanctificet ea, et tales motus in eis accendat, amorem et laetitiam in Deo acquiescentem, qualis est ipse.

Ad harum definitionum declarationem prodest distinguere proprietates singularum personarum. Quae est proprietas patris? Gignere Filium, imaginem suam. Aliqui dicunt, proprium patris esse, *quod sit creator.* Sed prius dicendum est de interna proprietate personali, qua discernitur Pater a Filio et Spiritu sancto, etiamsi mundus hic nunquam esset conditus. Deinde, creatio est commune opus Patris, Filii, et Spiritus sancti. Est igitur improprietas, quando dicitur: *Creare est proprium Patris.* Filii proprietas est nasci a Patre, et esse imaginem substantialem aeterni Patris. Spiritus sancti proprietas est, procedere a Patre et Filio. Spirare Spiritum sanctum, est utriusque personae, Patris et Filii: est proprietas communis Patri et Filio.

Ut autem sit manuductio aliqua ad haec aliquo modo cogitanda: voluit Scriptura de his mysteriis loqui nostris verbis, ut significaret umbras illius sapientiae in nobis expressas esse.

Sunt in tota natura multa, eaque innumerabilia testimonia de Deo. Quod sit Deus, non tantum testatur notitia innata mentibus hominum, sed totum opificium mundi: in quo cum luceat ordo, simul ostenditur, quod Deus sit quiddam ordinatum. Sed nihil est, quod magis ostendat in natura divinitatem, quam mens hominis. In homine sunt haec tria praecipua: Mens, cogitatio, et motus, seu agitatio. Mens est, quae gignit cogitationem, vel sermonem: quia cogitatio et sermo sunt affinia. Sermo est quasi explicata cogitatio. Non est cogitatio sine mente, sed est quiddam genitum a mente. Cogitationem sequitur motus, seu agitatio, seu affectus. Ista sunt umbrae in natura hominis de Trinitate; sed videndum est, ne similitudinibus abducamur a veritate, sed potius adducamur ad veritatem: et regatur veritas verbo revelato. Docendi tantum causa ista huc afferuntur, ut declarentur quomodocunque illa, quae alioqui in Scriptura sunt tradita nostris vocabulis.

Ubi fit cogitatio in homine? In capite, pede, pectore, vel in qua alia parte corporis?

Respondeo. In cerebro. Proprie loquendo non est in corde: etsi cor est sedes et domicilium animae. Vesalius vir doctus me derisit in Anatomia, cum secuisset cor, et iam, ut in cadavere, omnia essent languida et flaccida; *Ecce*, inquit, *ubi nunc est anima Philippi*? Est iocus hominis faceti, nobis alias amici. Christus inquit: *De corde veniunt cogitationes*: quia cor est appellatio sedis animae, vel communis appellatio actionum animae, praesertim superiorum illarum. Et comprehendit Christus sub cogitatione etiam affectus.

Quando tu cogitas de patre tuo, formas imaginem in cerebro, quod est organum cogitationum. Aliud autem quidpiam est motus vel affectus, quam cogitatio. *Ubi igitur est affectus? Quando irasceris, ubi sentis*? Ad sinistram partem pectoris; quia cor est sedes motuum, seu affectuum. Ego cum magno detrimento nimis saepe experior istum dolorem; et qui sunt iracundi, haud dubie ipsi quoque bene sentiunt. Nam cor inclinat ad sinistram partem pectoris: et in corde est sedes irae, laetitiae, spei, metus, tristitiae, amoris. Ergo ex diversa sede cogitationum et affectuum intelligi potest aliud esse cogitationem, aliud affectum seu motum, qui sequitur cogitationem.

Haec sunt imago illius magnae rei, videlicet, discriminis appellationum *λόγου*, et *Spiritus*.

In homine *λόγος* est, vel cogitatio mentis, vel sermo: estque ipsa imago rei cogitatae. Spiritus est vehiculum vitae, et proximum organum motuum, seu affectuum cordis. Loquor iam de vitalibus Spiritus. *Unde vivit homo? unde vivit bos? aut potius, quid est anima bovis realiter*? Anima bovis est ille ipse Spiritus vitalis, qui in corde nascitur, et volitat per totum corpus, per arterias, calefacit, et vivificat, et servat vitam corporis. Quid differunt spiritus vitalis et animalis? Quando cor accipit sanguinem, quem sua vi temperat, et facit idoneum, ut sit nutrimentum corporis, tum sinister thalamus cordis ad se attrahit subtilissimam partem sanguinis, et hanc magis attenuat, et facit subtiliorem, et inde gignit spiritus vitales, qui sunt multi subtiliores, quam ulla flamma ullius ignis. Sunt enim subtilissimae et lucidissimae flammulae. Et quo sanguis est melior, eo spiritus fiunt meliores; ut videtis, quando temperamenta sunt bona, fiunt spiritus acriores; quando temperamenta corrumpuntur, ut in senibus, spiritus fiunt languidiores. Cum homo est tristis, tum fiunt spiritus etiam minus subtiles: quia multum est melancholiae mixtum cum sanguine: ideo spiritus fiunt non solum crassiores, sed etiam minus lucidi et atri. Actiones hominum differunt iuxta spiritus.

Emittuntur autem spiritus vitales ex corde per arterias in omnes partes corporis. Alii sunt spiritus animales; quia, quando vitales ascendunt ad cerebrum; ibi rursus temperantur et fiunt adhuc subtiliores et lucidiores. Illi sunt instrumenta actionum cerebri, et per nervos devolvuntur in omnes partes corporis; ut serviant motui et sensui.

Quid differunt venae, arteriae, et nervi?

Vena vehit sanguinem nutrimentalem: Arteria spiritum vitalem: Nervi spiritus animales. Est mirabilis coagmentatio arteriarum et venarum. Deus significat debere esse copulationem hominum et communicationem officiorum. Ubique sunt venae et arteriae simul; quia sunt copulatae, ut arteriae rapiant nutrimentalem sanguinem ex venis, quo alantur spiritus, et vicissim ut sanguis in venis calefiat per spiritus: quia sanguis in progressu magis magisque; purgatur. Ista opera Dei debetis considerare. Quid enim potestis de aliis rebus maioribus cogitare, quando ne quidem Grammatica vel Physica intelligitis?

In libellis scholasticis, qui titulum habent *De anima*, discernuntur etiam potentiae animae, et partes, seu facultates duae constituuntur animae rationalis: cognoscens, et volens. Ad has facile accommodari possunt illa tria, quae Augustinus dicit consideranda esse in anima hominis. Mens et cogitatio pertinent ad partem cognoscentem: Motus et affectus ad partem volentem, seu appetentem; quia, cum voluntas serio aliquid vult, cientur affectus in corde congruentes: et affectus cient humores et spiritus.

Deus voluit hominem esse tam generosam naturam, ut vestigia aliqua sui imprimeret, etiamsi ipse est essentia spiritualis, neque opus habet organis corporeis; sicut anima agit in homine per instrumenta corporis. Cogitemus igitur utcunque; similitudinem. Aeternus pater habet se ut mens: Filius aeternus ut cogitatio, vel sermo; Spiritus sanctus ut motus et agitatio. Sed cogitatio et motus in nobis sunt accidentia, et res evanescentes. Verum *λόγος* aeterni Patris est *ὑφιστάμενος: πνεῦμα* aeterni Patris et Filii coaeterni, est *ὑφιστάμενον*, non quiddam evanescens.

Estne cogitatio tua, quando formas imaginem patris absentis, quiddam ὑφιστάμενον?

Non est; sed est imago transiens et evanescens. Sic nostri affectus vel motus sunt res evanescentes: *Omnia vertuntur, certe vertuntur amores.* Quid est magis volucre, quam amor vel ira? Sed λόγος aeterni Patris non est cogitatio evanescens, sed ὑφισταμενος; est quiddam subsistens, *das da bleibt, und ein wesen hat.* Sic Spiritus sanctus non est motus evanescens; sicut dixerunt Macedoniani, et Mahometistae. Vocabulum ὑφιστάμενος est clarius quam πρόςωπον, vel persona, de quibus olim variae fuerunt rixae, sicut et de οὐσίᾳ ac ὑποστάσει.

Quid differunt *Nasci* et *procedere*?

Quia tantum Filius dicitur nasci: Spiritus sanctus procedere. Respondeo. Nasci est a potentia cognoscente: quia genitum est imago gignentis; Procedere est, a voluntate: quia significatur motus. Et motus est a voluntate, cum qua copulatum est in homine cor, quod gignit et effundit Spiritus. In omnibus affectibus, qui sunt serii, est magnus motus spirituum, ut in amore. Idque sentimus in osculo. Nam in omni osculo non simulato effunditur spiritus, procedit halitus ex corde. Haec est qualiscunque imago, quod ex aeterno Patre et Filio procedat flamma, copulans Patrem et Filium; imo et nos copulans cum Patre, et Filio et Spiritu sancto.

Ita umbras illius sapientiae in nobis condidit Deus, ut aliquo modo possimus cogitare discrimina personarum. Pertinet autem ad discernendas personas divinitatis etiam consideratio missionis. Pater non mittitur, sed Filius et Spiritus sanctus mittuntur: Et quidem solus Filius mittitur ad assumendam naturam humanam, et ad perficiendum opus redemptionis generis humani. Solus Filius factus est homo: Solus Filius est passus: Pater non assumpsit naturam humanam, non est passus: Spiritus sanctus quoque non assumpsit humanam naturam, nec est passus. Haec necesse est sciri, contra Sabellianos, qui dicti sunt etiam *Patropassiani*; quia negabant tres esse subsistentes in divinitate; tollebant discrimina personarum. Apud Suidam recitatur historia de Thule rege Aegyptiorum, cui interroganti, an esset aliquis se potentior, respondit Oraculum

Πρῶτα θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
Οὐ χράτος ἐστὶ μέγιστον.

Hunc versum mementote: quia fit in eo mentio trium personarum, quas Sabelliani oppugnarunt. Nec nititur tamen fides nostra oraculo isto, etsi Diabolus contra voluntatem suam interdum dedit testimonium veritati; ut cum clamant Diaboli in obsessis: *Iesu Fili Dei.* Sed habemus alia testimonia certiora in sacris litteris: inter quae assidue nobis in conspectu esse debent verba institutionis Baptismi: *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Iam cogitemus de immensa bonitate Dei, declarata erga nos in praecipuis operibus, quibus se nobis communicat. Nos iacemus in istis sordibus; non aestimamus, quanta sint illa opera Dei. Et quomodo aestimaremus, in ista confusione vitae, qua non possunt non turbari et impediri piae cogitationes. Mentes ebriae voluptatibus huius vitae; item, homines dediti assiduis heluationibus, non possunt meditari de re tanta. Etiam pii opprimuntur magnitudine tantae rei, ut non possint satis assequi cogitando, aut exprimere dicendo. Imo magnitudo rerum affert consternationem mentibus piis.

Primum, tota divinitas declaravit sui amorem erga nos in creatione: quia transfundit in nos, quae in ipso Deo sunt optima. Quae sunt illa? Sapientia, iustitia, et libertas. Haec sunt summa bona in Deo: et haec transfudit in hominem in creatione: nec potuit dare aliud maius. Fuit etiam cum his bonis coniuncta vita perpetua, immortalitas, integritas, incolumitas, dominium in res conditas, felicitas in usu omnium rerum creatarum. Sed illa priora, quae dixi bona, fuerunt summa, in quibus voluit hominem referre suam imaginem. Amat ergo vere hanc creaturam, quam sic ornavit, quam sibi in summis illis bonis voluit esse similem. Quanta vero ingratitudo, quantum peccatum fuit Adae, excutientis haec bona? Nos saltem intuemur in morsum pomi, et miramur Deum sic offensum fuisse hoc morsu. Sed debebamus intueri ingratitudinem illam, quae fuit ingens et horribile peccatum: Debebamus cogitare de destructione illarum maximarum et optimarum rerum, sapientiae, iustitiae, et libertatis: Quae dona acceperat Adam, ut sustineret non suam tantum personam, sed totius generis humani. Haec ingratitudo, et amissio tantorum bonorum, est quiddam plane horribile: et nos cogitantes de istis, debebamus flecti ad timorem Dei, et ad invocationem: non debebamus ita inordinate vivere, et ferocire. Debemus cogitare, quantum malum fuerit lapsus Adae, in quo excussit res maximas, et bona praestantissima, sibi, et toti posteritati.

Amissis autem his bonis, quae fuerunt summa testimonia amoris Dei erga nos, rursus novo modo Deus declarat suam erga nos bonitatem. Filius fit deprecator pro nobis in aeterno consilio Patris. Vult salutem nostram, et ita vult, ut ipse se subiiciat irae Patris. Offert se ad poenam. Derivat in se iram et poenam. Vult satisfacere pro genere humano. Recipit in se nostra mala. Fit Samaritanus noster: Fovet, ungit, curat, sanit nostra vulnera: Ergo valde diligit nos: quia volens alicuius salutem, et ita volens, ut ipse patiatur aliquid propterea, certe diligit. Lucet igitur amor Filii erga nos, in opere redemptionis. Imo totius divinitatis amor lucet in hoc decreto, quo Filius constitutus est mediator et redemptor noster.

Accedit autem huc, quod Deus etiam hac re testatur amorem suum erga nos, cum non modo mittit Filium, ut sit victima, ut sit testis immensae misericordiae, qua nos recipiat; sed mittit etiam Spiritum sanctum, ut copulet nos sibi. Mittit hanc personam, quae est ex Patre et Filio, quae est agitator et motor, quo velut halitu effuso in nostra pectora, attrahunt nos Pater et Filius. Transfundit quasi de sua substantia in nos Spiritum, et facit nos domicilia et templa sua per hunc Spiritum. Quantum hoc est, quod divinitas ita se effundit in hanc miseram naturam, in haec stercora. Dat Filium, dat Spiritum sanctum, facit nos domicilia sua. Pro istis tantis beneficiis debebamus esse grati: Debebamus quotidie nominatim Deo gratias agere pro missione Filii, et donatione Spiritus sancti: sicut habetis commonefactionis causa scriptas multas formas gratiarum actionis pro istis immensis bonis: Ago tibi gratias, omnipotens, aeterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, et hominum, una cum Filio et Spiritu sancto, quod revelasti te nobis, quod in creatione transfudisti in nos summa bona, quod post lapsum misisti Filium, patefecisti Evangelium tuum, redemisti nos per Filium, quod donas nobis Spiritum sanctum tuum, quod conservas inter nos doctrinam Evangelii tui, tueris Ecclesiam et scholas; conservas politicum ordinem, das alimenta et victum necessarium.

Haec beneficia ordine complecti debetis in gratiarum actione, et simul vos exuscitare ad precationem ardentiorem; in qua petatis tribui, et augeri, et conservari vobis haec bona.

De secundo membro.

Quomodo datur Spiritus sanctus?

Hic regula tenenda est: Spiritus sanctus sine ulla dubitatione datur per vocem Evangelii, iuxta dicta: *Evangelium est ministerium Spiritus. Pater, sanctifica eos in veritate: Sermo tuus est veritas, ut accipiamus promissionem Spiritus per fidem. Fides ex auditu.* Talia dicta habeantur in conspectu: Quia testantur, quod Spiritus sanctus detur per verbum, et accipiatur per cogitationem doctrinae. Hic est ordo, quem Deus instituit, *Gott helts also.* Ac simul sunt in ministerio Evangelii Filius et Spiritus sanctus: Filius docens, non tantum foris, sed etiam intus illuminans mentem, Spiritus sanctus consolans, laetificans, confirmans. Sumite exemplum ex historia primorum parentum; quando Adam et Eva audiverunt promissionem: *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Quid est ibi factum? Adam et Eva erant in morte, quia, cum Deus voce sua accusat peccatum, homo moritur: Lex sine declaratione Evangelii occidit. Nisi ergo erepti essent ex morte, et faucibus inferni, prorsus exstincti essent. Eripiuntur autem ex morte? Quomodo? Filius sonat verbum vocale; profert ex sinu Patris promissionem ignotam omnibus creaturis, quia ipse novit pectus Patris. Hanc promissionem palam sonans, simul ipse in mente illuminat eos, et dat Spiritum sanctum, qui laetificat cor: Ita accenditur consolatio, et restituitur vita per Filium et Spiritum sanctum: uterque enim vivificat, Filius et Spiritus sanctus, sicut Christus inquit: *Filius quos vult, vivificat*; *Et ego vitam aeternam do eis.* Et Paulus inquit: *Spiritus vivificat.* Id vero fit hoc modo, quod Filius, in quo est vita, primum est lux hominum: accendens notitiam in mentibus per verbum: postea efficaciter vivificans corda per Spiritum; quia notitia antecedit motum universaliter, ut dicitur: *Ignoti nulla cupido*, ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται τὸ ἐρᾶν: *Ex videndo nascitur amor.* Item, *Oculi sunt in amore duces.* Notitiam sequitur affectus cordis: Ita filius Dei primum illuminat mentem per verbum; postea flectit voluntatem, et cor movet per Spiritum sanctum. Hic motus est consolatio, laetitia, et vita.

Athanasius recte scripsit: *Quandocunque dicitur in homine esse Spiritus sanctus, est in eo per verbum.* Id intelligatur non tantum de verbo externo, sed de λόγῳ filio Dei, per quem datur Spiritus sanctus. Filius Dei est efficax per verbum vocale, et cum verbo vocali simul adest, dans Spiritum sanctum.

Haec sunt observanda, et discenda in quotidianis exercitiis verae poenitentiae, et invocationis: ibi enim experimur hanc doctrinam non esse speculationes otiosas: et sicut ceterae artes non discuntur sine usu: ita hae tantae res tantum discuntur usu et experientia. Ibi etiam intelligimus, oportere in nobis esse agnitionem nostrae infirmi-

tatis, et desiderium auxilii divini, et luctam certantem cum infirmitate.

Removeamus Enthusiasmos, qui sine meditatione verbi, et sine lucta, dicunt fieri infusionem gratiae, ut Schwenckfeldius clamat, quod Deus communicet se sine medio: imo per medium vult se nobis communicare, id est, per verbum, lectum, auditum, et cogitatum. *Eloquium tuum,* inquit Psalmus, *vivificabit me.* Item: *Speravi in verbo eius.* Alii fingunt coactionem, aut impressionem violentam contra dictum: *Qui audit a Patre, et discit, venit ad me.* Loquitur Pater ad nos per Filium: Et ideo misit Filium, ut revelet Evangelium, et cum Evangelio sit efficax, et det Spiritum sanctum; Sed ita est efficax, ut audiamus et discamus, et luctemur contra dubitationes. Quando David audivit obiurgationem Nathan, vere doluit de peccato suo. Postea audita consolatione: *Dominus abstulit abs te peccatum tuum,* per quam Filius Dei intus erat efficax dato Spiritu sancto, erexit se in doloribus; sustentavit se cogitatione huius promissionis, luctatus est cum diffidentia, non indulsit dubitationibus.

De tertio membro.

Ad quid datur Spiritus sanctus?

Datur ad hoc, ut copulet nos cum Deo, accendat in nobis motus sibi congruentes, sanctificet nos, excitet in nobis obedientiam placentem Deo. Ut enim vivamus in Deo, oportet nos copulari cum eo; oportet nos renovari; oportet nos flecti ad obedientiam, iuxta voluntatem Dei expressam in verbo eius. Hic cogitate insigniora quaedam dicta Scripturae; quale hoc est Apostoli: *Dedit nobis Spiritum non timiditatis, sed roboris, dilectionis, et castificationis.* Spiritus timiditatis est, qui fugit Deum, qui ruit in mortem: ut, cum Saul desperat: aut cum Virgilius describit exitum eorum, qui sunt extra Ecclesiam: *Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.* Tales non habent Spiritum sanctum, qui est Spiritus roboris; id est, fortis, et corroborans eos, in quibus habitat: videlicet fide primum vivificans corda, et consolans, ut ad Deum accedant, non fugiant, irascantur, non trepident, non opprimantur desperatione et morte: Deinde πληροφορίαν efficiens, et constantiam in retinenda assensione doctrinae contra Diabolos et hostes Evangelii. Item magnanimitatem accendens in vincendis illecebris mundi, et perferendis odiis et cruciatibus in confessione. Stephanus habet Spiritum sanctum, cum pro confessione veritatis moritur: habet robur, quod superat omnem naturam, contemnit mortem, imo non iudicat esse mortem, sentit laetitiam et vitam divinam in se. Simile robur habet Laurentius in ustulatione, et ceteri martyres in acerbissimis suppliciis.

Possunt ad hunc effectum Spiritus roboris adiungi etiam miracula illa: ut, quando David proeliatur cum Goliath; quando Helias iubet ignem cadere de coelo et devorare blasphemos; quando Samson interficit Philistaeos. Sed ista sunt singularia. Loquimur nunc de communibus effectibus Spiritus sancti, qui debent esse in omnibus, etsi non omnes habent pares gradus donorum. In omnibus credentibus, in quibus sunt primitiae, sive initia Spiritus sancti, est fides assentiens promissioni gratiae, et acquiescens in Deo propter mediatorem. Ubi autem haec fides est, ibi est firmitas aliqua animi, laetitia, consolatio, qua sustentantur corda, ne trepident, ne deserant Deum. Contra in omnibus, in quibus non est fides, est moestitia, consternatio, fuga, fremitus contra Deum: ut Saul, quia putat se esse desertum a Deo, fugit eum horribili pavore et trepidatione, et vicissim deserit eum, fremit contra eum. Econtrario, David, cum pellitur in exilium, sustentat se in magnis doloribus. Cogitat: Deus non deseret te: Obtemperat Deo etiam in poena, quicunque futurus sit eventus. Talem laetitiam, sentiunt omnes credentes aliquo modo; alias magis, alias minus. Ubi autem prorsus nulla est laetitia, ibi etiam non est firmitas. *Was nicht frolich ist, bestehet nicht lang.*

Postea nominat Apostolus *Spiritum dilectionis.* Quid est dilectio? Est velle obedire Deo, et omnibus mandatis eius cum quadam laetitia; seu cum tali motu, quo cor vere laetatur in Deo. Non possumus in hac imbecillitate proprius describere. Nominat ergo *Spiritum dilectionis:* quia accendit in corde dilectionem erga Deum, et propter Deum, erga proximum. Ipse Spiritus sanctus talis est, videlicet amor substantialis, quo Filium Pater amat, et Patrem Filius. Quare in nos transfusus copulat nos etiam Patri, et Filio, et sibi ipsi; id est, laetificat, exhilarat nos, ut non solum acquiescamus in Deo, sed etiam volentes subiiciamus nos mandatis eius, quorum summa continetur in dilectione Dei et proximi. Sicut ipse est flamma seu incendium amoris: sic nos quoque incendit dilectione Dei, et propter Deum, dilectione hominum. Diabolus laetatur pernicie hominum, non diligit homines: Spiritus sanctus inclinat ad misericordiam et beneficentiam, ut doleamus in calamitate proximi: laetemur in rebus secundis illius: agamus Deo gratias, oremus Deum pro eo.

Ad extremum nominat Spiritum *castificationis.* Diabolus odio Dei impellit homines ad libidines.

Spiritus sanctus inclinat ad castitatem. Efficit motus ordinatos, extinguit incendia libidinum. Ubi non est Spiritus sanctus, homines ruunt proni ad turpitudines; ut proh dolor videtis. Paris insanit amoribus. Prius habuit Eunonem; postea rapuit Helenam.

Fluctuat incertis ardoribus error amantum.

Hae sunt Diabolicae flammae. Castitas est opus divinum, et proprium Spiritus sancti: discernit Deum vel maxime a malis naturis. Diabolus delectatur turpitudine, non quod ipsi sit suave, sed tantum odio Dei; et quia scit ex libidinibus in genere humano oriri maximas calamitates.

Ita in dicto Pauli pulchre monstrantur beneficia Spiritus sancti, cum nominatur *Spiritus roboris, dilectionis*, et *σωφρονισμοῦ*; seu *castificationis.* Sumite autem alia quoque Scripturae dicta: ut, haec sententia apud Zachariam insignis est: *Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum.*

Quid significat *Spiritus gratiae*?

Intelligatis publice, et privatim, in voce: ministerii Evangelii, et in singulorum cordibus.

Spiritus sanctus annuntiat in ministerio remissionem peccatorum, gratis dandam propter Christum, et accipiendam fide, simul etiam testificatur in cordibus, quod simus accepti, cum credimus in Christum. Non solum autem annuntiat et laetificatur de remissione peccatorum, sed etiam iuvat nos, ut statuamus nos esse in gratia Dei; certo placere Deo, nobis peccata esse remissa propter Christum. Nam Spiritus sanctus inclinat corda, ut assentiantur Evangelio, ut agnoscant misericordiam, ut fide accipiant Christum.

Cur nominat *Spiritum precum*?

Quia accendit in nobis invocationem et alios cultus Deo placentes. Cum cognoscimus misericordiam Dei, et accipimus remissionem peccatorum, audemus iam accedere ad Deum, invocare eum. Nam nisi fides adsit statuens de remissione peccatorum, fugiunt corda Deum, non invocant. Complectitur autem invocatio, et ceteros motus pios, fiduciam exauditionis, spem, dilectionem, bonum propositum, studium obedientiae.

Prorsus idem dicitur et in hoc dicto: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater.* Clamare, *Abba pater*, est agnoscere Deum iam esse patrem nostrum, et eum sic invocare. Id autem fit, cum fide apprehendimus bonitatem et misericordiam Dei, cum credimus nos recipi in gratiam. Hac fide confugimus ad Deum, petimus et expectamus bona, incipimus diligere Deum, subiicimus nos ei, speramus in eum, studemus obsequi voluntati eius.

Sed considerate et hoc dictum Psalmi, in quo est precatio pro donatione Spiritus sancti: *Cor mundum crea in me o Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis: Ne proiicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali sustenta me.*

In quo Psalmo exstant hi versus?

In Psalmo *Miserere.* Eum singuli debetis memoriter ediscere, et orare quotidie. In eo Psalmo David primum petit remissionem peccatorum: Deinde donationem Spiritus sancti. In fine pollicetur Deo gratitudinem suam in confessione doctrinae, et aliis cultibus, et facit collationem ceremoniarum et interiorum cultuum, et concludit precatione pro constitutione et conservatione totius Ecclesiae. Sed discite nunc intelligere verba, quae recitavi ex hoc Psalmo de effectibus Spiritus sancti. Unus et idem Spiritus est, qui ciet motus in singulorum pectoribus, qui est Spiritus rectus, sanctus, principalis vel spontaneus.

Quid vocat *cor mundum*?

Nulla talis est mundicies in nobis, ut nulla sint peccata. Sed cor mundum, est cor praeditum fide, accipiens remissionem peccatorum fide, purificatum fide. Quod congruit cum dicto in Actis: *Fide purificantur corda.* Oportet enim nos primum habere remissionem peccatorum. Haec est nostra mundicies, et haec fide est accipienda.

Quid nominat *Spiritum rectum*?

Est idem quod firmus, non dubitans. Unusquisque se aspiciat. Ubi non est Spiritus sanctus, ibi sunt perpetui aestus dubitationum de Deo, de providentia, de voluntate Dei. Homines cogitant: Si vera essent, quae de istis rebus dicuntur, nihil mihi esset gratius. Sed quid? Si ista aut ficta essent, aut ad me non pertinerent? Talis Euripus est dubitationum in corde humano. Sic quandocunque incidunt pericula, cogitamus: Ah, nescio,

an Deus me velit exaudire; incipimus trepidare, fugere. Sic cum conscientia nos accusat, cum terret nos ira, Dei, dubitamus, an velit nos Deus recipere, an firma et rata nobis sit promissio de remissione peccatorum. Adversus hanc dubitationem, clamat Psalmus: *Innova in me Spiritum rectum:* id est, firmum; Accende in me talem motum, ut firmiter credam esse Deum, esse providentiam, ut certo statuam me tibi esse curae, me recipi abs te, me exaudiri. Item, ut firmiter assentiar tuae promissioni, quod velis mihi esse propitius, quod velis me regere, quod velis mihi mitigare calamitates, quod non velis me perdere.

Hunc spiritum firmum habuit David in exilio, qui multo maiora passus est, quam Saul. Semel profligatus est Saul ab hoste, quod non est rarum, neque inusitatum in bellis. Errat enim, qui in bello omnes secundos eventus exspectat. David a filio est expulsus ex regno, et habet malam conscientiam: Tu sanctam matronam eripuisti sancto viro, et illum interfecisti: tu es causa omnium istorum malorum, calamitatum ingentium, quae in hac seditione secutae sunt. Hoc fuit multo acrius certamen, quam Saul habuit, qui, etsi habuit alia peccata, tamen ea non agnovit. Persequebatur Davidem, sed habebat speciem aliquam iuris. Defendit ius in regno, sed errore; quia regnum est Dei, non Saulis. Fuit tamen species quaedam iuris, quam praetendere potuit contra Davidem. Omnes Iurisconsulti si essent interrogati, defendissent ius regis. Contra, David sciebat se scelerate fecisse, cum raperet coniugem sancti viri, et cum interficeret virum sanctum et alios, ut tegeret delictum suum. Neque tamen desperat. Habet spiritum firmum, qui sustentat eum consolatione: Firmiter adhaeret promissioni, quam audiverat ex Nathan: *Dominus abstulit abs te peccatum tuum.*

Quorsum pertinent illa verba: *Ne proiicias me a facie tua*?

Rursus est petitio remissionis peccatorum, et ut Deus sit ipsi propitius. *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me:* Est Hebraismus in verbo: *ne auferas:* id est, Spiritum tuum ne prohibeas a me; quod idem est, ac si dicat: Des mihi Spiritum sanctum, augeas in me dona Spiritus sancti. Non opus est illa cavillatione: David orans, habuit Spiritum sanctum: Ergo etiam tum, quando factus est adulter, gubernatus est a Spiritu sancto. Hic Psalmus scriptus est a Davide in conversione: ubi rursus sentit initia motuum, quos ciet Spiritus sanctus.

Quid nominat *Spiritum sanctum*?

Intellige sanctificantem. Est sanctus non tantum, quia in se talis est, sed etiam effective, quia nos sanctificat; id est, corda copulat Deo, ut Deum agnoscant, adhaereant Deo, incipiant obedire Deo, habent cultus, qui placent ipsi. Hic comprehenduntur omnes virtutes, quibus Deus vere colitur: sicut *sanctum* saepe id significat, quod est sanctificatum, seu destinatum usibus divinis. Apud Graecos tria sunt vocabula, quibus nominant id, quod sanctum est *ἱερὸν*, est ab *ἵημι*, *mitto:* quasi dicas, *missum* et *dedicatum Deo.* *ἅγιον*, *venerabile,* ab *ἅζω*, *veneror*: plerumque usurpatur de personis. *ὅσιον* tam de rebus, quam personis usurpatur. Sequitur:

Redde mihi laetitiam salutaris tui.] Antea deprecatus est iram: *Ne abiicias me a facie tua.* Nunc petit pacem cum Deo. Tolle iram, et da pacem. Loquitur autem de ea pace, de qua Paulus inquit: *Iustificati fide pacem habemus.* Hanc pacem qui habet, is sentit laetitiam, quae est effectus proprius Spiritus sancti. Et haec laetitia est initium vitae aeternae in nobis.

Et Spiritu principali sustenta me.] Quare legit noster textus, *Principali?* Quia in Graeco est *ἡγεμονικῷ*. Veteres hic multum philosophati sunt, et varie reddiderunt. Sed significat spiritum spontaneum, hilariter obedientem in cruce, non fugitantem aerumnas crucis, magno animo suscipientem opera vocationis, et patientem in cruce, quae comitatur vocationem. In Hebraeo est *Nadif.* Isto vocabulo nominati sunt principes. Labores Principum debent proficisci a voluntate libera, non servili coactione. Item debent fieri magno animo, cum fortitudine quadam heroica. Ita hic *Spiritus spontaneus* significatur et heroicus, qui sponte et libenter obedit Deo in cruce ferenda, nec propter crucem fit pusillanimis. *Der da freudig ist, und kans ertragen.*

Cogitate haec dicta, et recitate Psalmos in precationibus. Ideo enim tam dulces Psalmorum formae praescriptae sunt, ut iis excitemur ad precationem. Et tamen tanta est ignavia multorum, ut ne quidem legant Psalmos.

De quarto Membro.

Quomodo retinetur Spiritus sanctus?

Sicut datur in meditatione verbi, et exserit se in omni conversione, et invocatione seria: sic retinetur assidua cogitatione verbi, et invocatione,

et cura vitandi lapsus contra conscientiam. Econtrario expellitur, sive, ut Paulus ait, *contristatur*, cum negligitur aut contemnitur verbum; cum omittitur invocatio, cum admittuntur lapsus contra conscientiam.

Haec sunt in illis textibus, in quibus dicitur, *Diabolum semel expulsum, redire ad domum, unde exiit: et, cum invenerit eam otiosam, assumere septem Spiritus nequiores se.* Item, cum Paulus inquit: *Si actiones carnis mortificabitis Spiritu, vivetis: Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Item: *Nolite contristare Spiritum sanctum,* scilicet in vobis ipsis, et aliis: Quia unus saepe lapsus varie contristat Spiritum sanctum; ut Davidis lapsus contristabat Spiritum sanctum, primum in corde Davidis: postea in omnibus quibus magnitudo scandali dolorem attulit, maxime vero in mulieribus, quae per vim postea stupratae sunt, quae in summo luctu fuerunt, et fortassis aliquae dolore extinctae sunt.

In omni delicto contra conscientiam est contemptus Dei. Ideo Spiritus sanctus effunditur, quando fiunt scelera contra conscientiam. Et qui non revocantur ad poenitentiam, isti pereunt, sicut Paulus dicit: *Ne erretis: Scortatores, adulteri, etc. non possidebunt regnum Christi.*

Ista considerate, et agite Deo gratias, quod det Ecclesiae Spiritum sanctum; imo quod se ipsum, et Filium una cum Spiritu sancto nobis donet, et petite, ut regamini Spiritu sancto, defendamini ab eo contra Diabolos, ut sitis vasa misericordiae: non sitis, sicut Catilina et alii impii, ruentes in horribilia scelera, attrahentes mala sibi et generi humano: non sitis organa irae, et pestes Ecclesiae, ut Monetarius et Monasterienses, qui multa tetra moverunt; nec adiungatis vos, aut seducamini ab iis, qui falsa dogmata defendunt, quibus conturbantur multi pii, qui in dubitationem adducuntur, excitantur dissidia, quae pariunt scandala innumerabilia. Haec ut possitis cavere, petite a Deo, ut regat vos per Filium et Spiritum sanctum.

Deploremus negligentiam nostram, quod immensum et inenarrabile beneficium Dei, quod propter filium dat Spiritum sanctum, non satis consideramus, nec tanti facimus, quantum est; nec excitamus nos, ut credamus dari, et petamus tantum munus.

Agnoscimus a Deo petendam esse sanitatem, vires corporis, victum, amictum, pluviam. Ista utcunque melius agnoscimus petenda esse a Deo, quam donum Spiritus sancti. Ardentius etiam petimus illa bona corporalia, quam Spiritum sanctum.

Hanc negligentiam nostram accusemus et deploremus. Discamus magnifacere hoc munus, et nos excitemus promissionibus divinis, quae pollicentur nobis Spiritum sanctum, qualis est illa Luc. 11. *Si homines possunt dare bona filiis suis: quanto magis pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus:* non dicit, contemnentibus, securis, repugnantibus, ruentibus in scelera contra conscientiam, perseverantibus in delictis, sed *petentibus.* Haec promissio sit vobis in conspectu, et simul meditemini doctrinam, quae de Spiritu sancto in Ecclesia traditur.

IN FESTO PENTECOSTES.

Evangelium Iohann. 14.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, etc.

Quomodo nominatur hic dies festus?

Pentecoste.

Quid significat *Pentecoste*?

Idem quod quinquagesima. Subintelligitur ἡμέρα, seu *dies.*

Unde numeratur haec dies *quinquagesima*?

Terminus, a quo fiebat numeratio, traditur Levit. 23. Non simpliciter a Paschate numerabatur, sed a proximo die post Sabbatum illud, quod incidebat in dies Azymorum. Nam decimus quartus dies primi mensis circa aequinoctium vernum, erat destinatus mactando et comedendo agno paschali. Ab eo die, septem diebus integris non licebat Iudaeis vesci pane fermentato. Ideo dies illi nominabantur *dies Azymorum.* In hos septem dies necesse erat cadere Sabbatum, id est, diem illum quietis, qui alias erat singulis septimanis, dies septimus hebdomadae. Hoc sabbatum incidebat nonnunquam in primum diem azymorum: interdum in secundum, tertium, quartum, etc. Quod fiebat propter menses Lunares, quibus utebantur Iudaei. Nam novilunium erat initium mensis: quod alias in alium diem hebdomadae incidebat. Habebatur autem dies Sabbati cadens in dies azymorum sanctior, quam vulgare Sabbatum. Ideoque nominari solebat *Sabbatum magnum.* Proximus dies ab hoc Sabbato magno, erat destinatus offerendo manipulo novarum frugum. Iudaei ex singulis familiis, quae colebant agros, mandato Dei offerebant sacerdotibus proximo die post Sabbatum magnum,

manipulum frugum, quas decerpserant ex segetibus suis; quia consentaneum est in illis locis citius maturuisse fruges, quam in his nostris frigidis et septemtrionalibus regionibus. Ex istis novis frugibus aliquid dedicabat Deo sacerdos: reliquum conferebat ad suum et collegarum usum. Fiebat ibi gratiarum actio, pro conservatione frugum, et precatio, ut posthac quoque conservarentur fruges, contra calamitates vastantes segetes.

Sicut autem hic dies proximus Sabbato magno, quotannis erat primus dies septimanae, qui nobis est *dies Dominica:* sic quinquagesima dies etiam cadebat perpetuo in diem Dominicam. Ibi iam elapsis septimanis septem post magnum Sabbatum, non amplius offerebantur manipuli frugum, seu spicae impletae granis, quae excussa poterant usui esse sacerdotibus: Sed panes facti ex novo frumento offerebantur: quia interea facta erat messis, aut saltem inchoata erat messis. Fiebat igitur tum oblatione novorum panum gratiarum actio, pro feliciter demessis frugibus, et precatio, ut Deus benediceret victui, pelleret famen, daret valetudinem bonam, pacem, et alia commoda huius vitae.

Quomodo congruit ad numerationem quinquagesimae, quod Moses scribit legem datam esse mense tertio?

Verus dies Paschatis, id est, mactationis agni, et egressionis ex Aegypto (quia eadem nocte, cum vesperi mactassent agnum paschalem, coacti sunt Israelitae exire ex Aegypto,) fuit dies 14. primi mensis. Restunt igitur ex mense primo dies sedecim. Usi enim sunt Iudaei mensibus Lunaribus synodicis, quorum singuli continent dies triginta. Adde igitur mensem secundum integrum, et colligentur dies quadraginta sex. Sub initium autem tertii mensis venerunt Israelitae in solitudinem ad montem Sinai, et die tertia post, data est lex. Sic de supputatione mensis tertii res est plana. An vero praecise dies quinquagesima fuerit datae legis, relinquo in medium; quia non constat quotus dies septimanae tunc fuerit dies paschatis, qui incidit in oppositionem Solis et Lunae, proximam aequinoctio verno; et secundum legem, festum septimanarum, seu Pentecoste, numerabatur non a die Paschatis, sed a Sabbato, quod incidebat in totum illud festum azymorum.

Sive autem sit ille ipse dies, sive non, haud multum refert. Satis est, circiter Pentecosten factam esse promulgationem legis.

Quo consilio sunt instituta festa, et cur quotannis sunt celebrata?

Festa sunt signa commonefacientia de operibus Dei, vel praeteritis, vel futuris, vel utrisque. Vir politicus putat distingui annum festis, ut commonefaciant homines de distinctione temporum, et operum oeconomicorum: ut Pascha erat illi populo initium Veris: Pentecoste propinqua erat initio aestatis, et messis venturae. Festum tabernaculorum erat initium hiemis. Hoc modo etiam Ethnici habuerunt sua festa, in quibus fiebant congressus ad distinctionem temporum; etsi ipsi in eiusmodi conventibus etiam habebant deliberationes suas de publicis negotiis. Hic est finis tantum politicus. Videmus in iis oppidis, quae sunt vetustiora, quod mercatus ita distincti sint in singula anni tempora, ut plerumque quovis anno sint tres mercatus. Ut in mea patria, primus mercatus est *Dominica invocavit,* ubi homines emunt cibos convenientes tempori quadragesimali, et parant se ad sationem. Secundus mercatus, est ante messem, quando emuntur instrumenta rustica, ut falces et alia. Tertius, est post vindemiam, cum homines sunt liberati ab operis, et parant se ad hiemem tolerandam, emunt vestes, etc.

Sed in Ecclesia Deus non vult nos tantum convenire humano consilio; sed ordinavit festa, sapienter distributa certis anni temporibus, ut sint commonefactiones de rebus maximis, quas Deus operatus est in Ecclesia.

Quae est causa propter quam colligitur Ecclesia?

Filius Dei deprecator pro genere humano, qui propterea fit redemptor.

Quomodo colligitur Ecclesia?

Praedicatione seu voce Evangelii, dato Spiritu Sancto.

Quis est finis collectionis Ecclesiae?

Vita aeterna. Ita nobis in Novo Testamento ordo festorum est pictura earum rerum, quae fiunt

in Ecclesia. Pascha est primum festum, quod nobis est commonefactio de Filio Dei placante iram Dei sua morte in opere redemptionis. Hoc opus Filii Dei incipit annum Ecclesiae.

Quando hoc opus est impletum, tunc mittitur Spiritus sanctus ad corroborandos et confirmandos doctores, ad facienda miracula, ut Evangelium spargatur per totum orbem. Haec est velut messis Evangelica. Tandem sequitur festum tabernaculorum: quia hoc fine colligitur Ecclesia, ut laeti conveniamus ad aeterna tabernacula.

Populus Iudaicus habuit etiam alias commonefactiones in celebratione suorum festorum: Sancti in isto populo commonefiebant de praeteritis et futuris operibus. Festum Paschatis monebat eos de liberatione ex Aegypto, et mactatio agni paschalis erat eis typus passionis et mortis Christi. Festum Pentecostes revocabat eis in memoriam beneficium datae legis et constitutae politiae Mosaicae: Et fuit typus exhibitionis Spiritus sancti, et propagationis Evangelii per totum orbem terrarum; Quia scriptum est: *Dabo legem meam in corda eorum.* Festum tabernaculorum monebat de miranda conversatione populi in deserto, quando Iudaei habitarunt in tabernaculis: Et sicut tunc, cum emigrarunt ex deserto, secuta est occupatio terrae Canaan: Ita typus eis proponebatur, Deum omnibus temporibus servatutum esse Ecclesiam mirandis modis, et tandem introducturum in aeterna tabernacula.

Considerate pulchram politiam istam populi Dei, et cogitate de illis significationibus: tunc tota doctrina de festis erit dulcior. Erat pars politicae et Ecclesiasticae ordinationis in isto populo, celebrare ordine illa tria festa. Et quia oportuit eos observare legitima tempora, apparet, quod necesse habuerint discere artes. Oportuit eos scire legitimum tempus Paschatis, et a Paschate oportuit eos numerare ad Pentecosten, et inde ad festum tabernaculorum, quod mense septimo, die 15. celebrabatur.

Sit autem nobis gratum, quod Deus servavit ipse significationem maximarum rerum, institutam in illo populo: et sint nobis etiam nostra festa commonefactiones et occasiones doctrinae et disciplinae.

Aliqui dicunt, *Esse Papisticum, observare dies festorum.* Nos non dicimus, observationem dierum esse cultum: sed servamus discrimina festorum docendi gratia. Nec sitis adeo efferi, ut putetis pulchrum esse, Pentecosten, Parasceuen, et Bacchanalia eodem modo agere. Fuit Athenis pessimus homo Cinesias, qui, ut rideret religionem, egit contraria festa usitatis. Cum alii celebrabant funebria, tunc ille laeta festa agebat: quando alii laeta, tum ille funebria, per derisionem. Non est pulchrum, si quis ita insanit, ut discedat ab omni aliorum hominum consuetudine, praesertim honesta.

Cum prima Pentecoste sit tempus, quo lata est lex: cogitate, quam excellens et gloriosum opus fuerit promulgatio illa legis. Recte autem Paulus argumentatur: *Si promulgatio legis fuit in gloria, quanto magis promulgatio Evangelii erit gloriosa!* Tota eductio populi ex Aegypto est testimonium promulgationis legis. Pulcherrimum regnum in toto orbe terrarum, videlicet Aegyptium, pene funditus eversum est: Populus ductus est per mare rubrum, et nutritus de coelo in deserto; Rupes fuderunt fontes aquarum, et facta sunt alia multa mirabilia, quae omnia fuerunt illustria testimonia istius magnae rei, scilicet, promulgationis legis. Inde sequitur, quod lex non sit inanis fabula. Non est dicendum, sicut quidam scurrilitet dicebat: *Mit dem Moise an den Galgen.* Moses ad patibulum relegetur.

Magnum quidpiam est Lex: Quia est aeterna et immota sapientia Dei, patefacta nobis in prima creatione, et est in toto genere humano demonstratio adversus Epicureos quod sit Deus, et qualis sit.

Non contemnite legem, sicut Politianus scripsit:

Inventum Attaei dicuntur iura Draconis;
Vera est fama nimis; nil nisi virus habent.

Ipse fuit inimicus legibus; sed dedit postea poenas: quia sibi conscivit mortem; se ipsum interfecit, cum adhuc esset iuvenis: vix egressus annum aetatis 40. Dicit *Iura,* id est, leges esse inventum Draconis. Nam Atheniensum legislator dictus fuit *Draco.* Credo eum a populo sic nominatum esse, odio legum, sicut misera haec natura est inimica legibus. Apud Platonem inquit Georgias: *Lex est Tyrannus.* Longe aliter Paulus docet: *Lex est bona et sancta, legitime utenti.* Et hic tota natura tremit, quando sonat lex; montes, rupes in Sina tremuerunt: steterunt ibi sexcenta millia virorum armatorum, non connumeratis senibus, mulieribus, pueris, Levitis.

Fuitne lex moralis, quam nominamus Decalogum, ante promulgationem illam?

Decalogus est principalis lex, et fuit summa eius nota patribus, qui etiam antea vixerunt; sicut et gentibus: Quia Decalogus est lex naturae; et lex naturae est Decalogus. Etsi post lapsum alia praecepta notiora sunt aliis: ut notius est praeceptum: *Non occides,* quam, *Non moechaberis:* ta-

men omnia ista sunt naturalia. Ethnici probaverunt libidines contra iudicium rationis.

Quam sit pulchra sapientia legis, senes magis vident: iuvenes non considerant: Quia est in eis naturalis pronitas ad vitia, et cupiditas licentiae; volunt vagari, ut volucres in aere. Senes sunt magis domiti calamitatibus. Et in poenis discitur lex: Quia poenae sunt reales conciones legis. Non dubitate, quin propterea sit tam multum calamitatum hodie, quia Deus vult homines etiam poenis retrahere ad considerationem legis, et obedientiam huic debitam. *Piscator ictus sapit, si tamen sapit. Phryges emendantur non nisi plagis.* Nostra gens magis est talis, quam ceterae gentes. Ideo dicitur communi proverbio: *Italus sapit ante factum: Gallus in facto: Germanus post factum.*

Magnum est Dei opus, quod se patefecit promulgata lege. Voluit se etiam hoc modo discernere a commenticiis numinibus Ethnicorum. In hac promulgatione contraxit legem naturae in brevem Epitomen. Totus Decalogus fuit antea notus, sed non ita distributus. Nec sonuit antea vox Dei, ut tunc sonuit inter tonitrua et fulmina, praesente tanta multitudine hominum: quam propterea voluit Deus, tanquam testem rei tantae, adhibere: ut essemus certi de hac promulgatione, quod vere facta esset divinitus. Mihi non displicet, quod λόγος, qui postea assumpsit naturam humanam, fuerit orator, dicens legem: sicut Chrysostomus verba illa Pauli: *Data est lex per manum mediatoris*, sic interpretatur, ut mediatorem nominet Christum: Et ait, Apostolum ostendere voluisse, λόγον fuisse ante assumptionem naturae humanae, et legem promulgasse. Est etiam in quodam carmine scriptura:

Legem dedit qui seculo,
Cuius decem praecepta sunt,
Dignando factus est homo,
Sub legis esse vinculo.

Sunt versus Fortunati poetae Christiani. Quod autem Paulus dicit, *per angelos latam esse legem:* id non pugnat cum hac sententia: quia ut in extremo die Filius Dei resuscitaturus omnes mortuos, utetur ministerio angelorum: sic, cum legem edidit in Sina, angelorum ministerio usus est. Alii intelligunt, *per manum mediatoris*, Mosen. Sed hic typicus tantum mediator fuit. Adfuit haud dubie Filius Dei in illa prima Pentecoste, docens de lege, sicut postea etiam adfuit in nova Pentecoste docens de Evangelio, et effundens Spiritum sanctum.

Non potuit tunc populus sustinere vocem legis: quo significatum est, istam miseram naturam non esse conformem legi, ideoque expavescere, cum arguitur lege. Lex non affert remissionem peccatorum, non affert laetitiam, quae est ex Evangelio, et est opus Spiritus sancti. Tantum iram operatur, et mortificat. Vivificatio est ex Evangelio.

Quare promulgata est lex, cum antea fuerit nota?

Recitabo duas causas, quae sunt principales. Prior est: Quia notitia legis post lapsum obscurata est in natura; et accessit in multis gentibus consuetudo prava, qua paulatim amissa est cognitio legis, et vitia venerunt in contemptum. Nam quando vitia abeunt in mores, non magnifiunt amplius. Apud Hispanos non magni fiunt furta. Apud Germanos ebrietas non habetur pro vitio; et tamen res est valde mala, affligit corpora, et impedit res divinas, et Deus severissime prohibuit. Dicam aliud exemplum: Tanta est levitas hominum, ut non existiment, Mentiri esse peccatum, quod tamen est magnum scelus. Sed, ut est apud Lucanum: *Quidquid multis peccatur, inultum est. Wenn ein laster alzu gemein ist, so kan mans nicht mehr straffen.* In conventu Ratisponensi cum essent bona vina, et multi Germani morerentur ex potationibus; accesserunt quidam ad Imperatorem, et rogarunt, ut promulgaret legem de sobrietate. Respondit Imperator: *Quid faciam? Doleo stultitiam meorum Germanorum: sed impossibile est mihi prohibere.* Cum igitur apud Ethnicos multa recepta essent contra legem, quae non habeantur amplius pro peccatis, voluit Deus illustrare notitiam legis obscuratam; partim ex corruptione naturae, partim ex prava consuetudine. Adeo invaluerat confusio libidinum apud gentes, ut misceretur etiam cultui divino. Ideo opus fuit renovatione legis de castitate.

Altera causa promulgationis Decalogi fuit: quia Deus voluit testari, et quod notitiae naturales, in quantum adhuc sint reliquae, ab ipso sint insitae mentibus, et quod legem suam non velit habere pro derelicta. Voluit Deus notum esse omnibus gentibus, omnibus hominibus, naturales notitias esse suam legem. Voluit sciri, quando cor tuum arguit lex: *Non moechaberis; Non furtum facies*, quod Dei haec sit lex, et quod Deum ipsum offendas, quando violas hanc legem Dei. Item, quod non velit esse amissam legem suam in genere humano. Quando tibi adempta est vestis, et tu scis alium habere, et non repetis intra certum tempus praescriptionis, tum non datur tibi postea actio. Ut igitur Deus testetur, se legem suam non velle habere pro derelicta, interpellat praescriptio-

nem, et nova illa promulgatione commonefacit nos, quod velit legem suam ratam esse, et quod oporteat legem ferri. Hinc sequitur: Restare aliam vitam. Valetne consequentia? Valet: Quia oportet legem ferri in utraque re: in impletione, et in poenis eorum, qui non confugiunt ad Filium Dei. Erit igitur vita alia, in qua erit aeterna impletio legis in his, qui sunt reconciliati, et contra aeternae poenae erunt omnium, qui aspernantur mediatorem, qui satisfecit pro nobis legi Dei.

Dicat aliquis: Tu tantum doces paedagogica: verum est; sed utinam ista paedagogica saepe, et multum consideremus. Neque ego, neque tu, neque alii sapientiores nobis, possumus amplitudinem sapientiae legis assequi, et magnitudinem causarum illarum, propter quas lex est promulgata. Inter testimonia de Deo, unum est ex praecipuis haec promulgatio legis. Cum oratis, debetis hoc expresse addere: Omnipotens, aeterne, et vive Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, creator coeli et terrae, dator legis, etc. Scitote etiam, in ipsa natura, nullum aliud illustrius esse testimonium de Deo, quam cognitionem legis. Pulchra est aliarum quoque artium scientia, ut numerorum, artis Medicae, Physicae; sed excellit sapientia legis, lucens in notitiis naturae impressis, ex quibus tamquam ex fontibus sumptae sunt leges honestae quarumcunque gentium. Quid sunt leges Romanae, quas discitis, aliud, nisi sententiae sumptae ex Decalogo, seu ex lege naturae?

Discernuntur autem leges politicae, quae tantum externam disciplinam praecipiunt, a lege Dei, quae conformitatem totius naturae requirit cum Deo. Multo magis discernatur vox legis a voce Evangelii, quae liberat nos a maledictione legis: nec tamen tollit legem, quoad obedientiam: quia ideo in nova Pentecoste datus est Spiritus sanctus, ut fiat lex: Et ipse Spiritus sanctus est talis motor, seu agitator, ut efficiat in nobis motus tales, qualis est ipse, et quales describuntur in lege. Non repetam autem nunc doctrinam de Spiritu sancto, quam nuper exposui: sed explicabo pueris Grammaticam in hoc dicto, quod canitur in templis in hoc festo.

Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam vocis habet. Ista verba sunt scripta in libro Sapientiae, qui existimatur esse Philonis. Quis fuit iste Philo? Fuit Iudaeus, homo doctus, fuit cum aliis Iudaeis missus ad C. Caligulam, ut statua amoveretur ex templo Hierosolymitano. Totus liber est concio de providentia, et de poenis Tyrannorum. Videtur scriptus esse contra tyrannidem et impietatem Romanorum Imperatorum, quibus etiam minatur, inquiens: *Potentes potenter tormenta patientur.*

Pertinetne dictum illud proprie ad missionem Spiritus sancti, de qua dicitur in hoc festo?

Non loquitur peculiariter de persona Spiritus sancti, aut de beneficio missionis ad Ecclesiam. Oportet vos considerare, ubi Spiritus ponatur personaliter, et ubi essentialiter. Quando dicis: *Credo in Spiritum sanctum*; ibi ponitur, personaliter. Cum Iohann. 4. dicitur: *Deus est Spiritus,* ponitur essentialiter, quasi dicat: Deus est spiritualis essentia. Ita cum dico: *Pater noster, qui es in coelis,* ponitur appellatio *patris* essentialiter, et complectitur tres personas, etsi simul hoc comprehenditur, quod a tota divinitate propter Filium, quatenus est persona missa, recepti sumus. Cum Christus dicit: *Ego et pater unum sumus:* hic, *pater* ponitur personaliter. Debet esse quaedam intentio in consideratione sermonis divini. Quomodo igitur usurpatur in hoc dicto nomen *Spiritus Domini*? Ponitur essentialiter; quasi dicat: Deus, seu Spiritus divinus replet orbem terrarum: id est, Deus est ubique. Etsi suo loco recte dici potest, quod sicut tota divinitas est ubique: sic etiam persona Spiritus sancti, tamen de universali praesentia Dei, seu totius divinitatis hic agitur: de qua apud Ieremiam quoque loquitur Dominus: *Ego coelum et terram impleo.* Et in versu: *Enter, praesenter, Deus hic, et ubique, potenter.* Graeci multos habent similes versus: inter quos recitatur hic versus Pamphili antiqui cuiusdam vatis: *Ζεῦ ὕψιστε, μέγιστε θεῶν, εἰλύμενε κόπρῳ: Iupiter altissime et maxime Deorum, qui es involutus fimo:* id est, Deus omnibus rebus adest. Est in omnibus rebus adest. Est in omnibus, etiam vilissimis rebus, et extra omnia: etsi decet nos reverenter de hoc mysterio loqui; et locutiones illae abiectiores dextre intelligendae sunt. Nam Deus est instar lucis purissimae, quam videmus etiam in natura non pollui, neque inquinari, etiamsi foedissima quaeque loca illuminet. In Arato quoque, quem Paulus citat, habetis hoc dictum: *μεστὰ Διὸς σύμπαντα: Iovis omnia plena.* In Psalmo idem dicitur: *Si descendero in infernum, tu ibi es.* Non loquuntur ista dicta de speciali praesentia Dei. Aliud est praesentia generalis, aliud specialis; sicut aliud est actio Dei generalis, aliud actio specialis.

Quid est, *Hoc, quod continet omnia*? *Hoc*, quid demonstrat? Quod est substantivum intellectum in particula *Hoc*?

Versio est male reddita. Quidam exponunt, *hoc quod continet omnia*, de mundo, qui contineat caetera corpora. Postea *scientiam vocis habet*, detorserunt ad linguas varias, quibus locuti sunt Apostoli; quasi hoc dicatur: Mundus continens omnia, intelligit multas linguas. Sed non est haec sententia. *Hoc quod continet omnia*, in Graeco est: καὶ τὸ (scilicet πνεῦμα) πάντα σύνεχον, id est, *Spiritus omnia continens*, fovens, conservans. *Scientiam vocis habet*, id est, intelligit, audit, videt omnia; intelligit cogitationes nostras; audit dicto nostra, videt facta nostra. Est generalis sententia, quales sunt illae in Psalmis: *Videt filius hominum, et fingit singillatem corda eorum: Qui fecit aurem, non audiat? Qui fecit oculos, an non videret?* Apud Homerum est: Ζεὺς πάντα ἰδὼν, καὶ πάντ' ἐπακούων: *Videt Deus omnia, et audit omnia.*

Illud, *continere omnia*, dicitur de generali conservatione rerum omnium. *Scientiam vocis habere*, est idem quod, Deus est καρδιογνώστης, *inspector cordium:* vel, ut Comicus inquit: *Est profecto qui quae nos gerimus auditque et videt Deus.* Vult dicere: Etiamsi nunc contemnitis iudicium Dei, tamen scitote, eum esse inspectorem, iudicem, et vindicem omnium.

Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.

Ὄμμα Θεὸς ἔκδικον ἔχει. Concionatur tyrannis, imo omnibus contemptoribus Dei, et minatur illis, certo venturum esse iudicium.

De dicto:

Si quis diligit me.

Valde obscurata est haec sententia expositionibus diversis, propterea quod Scriptores plaerumque cogitarunt esse legalem sententiam, similem isti: *Qui fecerit ea, vivet in eis.* Item: *Maledictus qui non manserit in omnibus, quae scripta sunt in lege.*

Hinc recte infertur: *Nemo manet in omnibus:* seu, *Nemo facit legem: Ergo omnes sunt maledicti.* Hoc argumentum oportet concedi de lege: quia verum est: Tota natura hominum est rea, est mersa in peccatum, et ex peccato in mortem: Non facit legem, non est talis, sicut lex sonat. Deberemus tales esse, sicut lex dicit: *Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima tua*, etc. Item, *Non concupisces.* Nos contra frigemus in amore Dei: circumferimus ignorantiam et dubitationes horribiles. Et, quia Deus vere et horribiliter irascitur peccatis, necessario sequitur, nos esse maledictos. Quod si non esset alia concio proposita, lex accusans peccata et perterrefaciens conscientias, adigeret mentes ad desperationem, cogeret eas fugere Deum, et ruere in aeternam iram et exitium. Sed sciendum est, nos, quamquam lege reos et damnatos, tamen recipi propter filium Dei gratis.

Haec consolatio annuntiatur in voce Evangelii, iuxta dicta: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos.* Item: *Omnis qui credit in Filium, habet vitam aeternam:* Oportet conferre vocem Evangelii cum sententiis legalibus; sicut videtis Paulum maledictioni ex lege opponere benedictionem per Christum allatam. Ipse est factus maledictum, ut nobis benediceretur. Deus effudit reatum et iram in Filium, qui persolvit pro nobis poenam. Propter hunc recipimur credentes, quamquam sumus infirmi, immundi, non satisfacimus legi.

Estne par ratio huius argumenti cum priori, si quis sic obiiciat:

Soli servantes sermonem Christi, diliguntur a Patre:
Nemo servat sermonem Christi:
Ergo nemo diligitur a Patre.

Maior non est intelligenda νομικῶς, sed secundum interpretationem Evangelii. *Quid igitur est servare sermonem iuxta Evangelium?* Respondeo. Est accipere, et retinere Evangelium fide, sic ut cor vere assentiatur, vere credat, et est profiteri, seu custodem esse doctrinae. Item, obedire ei fide et bona conscientia. Sic Christus infra loquitur de Apostolis: *Servarerunt sermonem tuum.* Certe multiplex fuit in eis imbecillitas: et valde languida fides et obedientia; et tamen tribuit eis, quod servarint sermonem. Sic loquitur totus Psalmus: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege, seu in doctrina Domini.* Id quoque intelligendum est non legaliter, sed iuxta ἐπιείκειαν Evangelii, quod docet, quomodo persona reconcilietur Deo; deinde quomodo inchoanda sit obedientia, et quomodo placeat, cum sit imperfecta et languida.

Quod igitur attinet ad minorem, *Nemo servat sermonem Christi*, respondendum est per inficiationem. Tu scis, an teneas doctrinam Evangelii incorruptam, an credas in Christum, an habeas propositum retinendae fidei et bonae conscientiae. Haec ubi sunt in te inchoata, es inter eos qui ser-

vant sermonem Christi: Et, si habes multa peccata, ignorantiam, sordes, tamen illa teguntur per, et propter Christum.

Hac consolatione cum te sustentas, quae est fides ipsa, et cum in hac consolatione et fide invocas, vere talis es, qualem hic describit textus: *Qui diliget me, sermonem meum servabit.*

Haec est simplex enarratio sententiae huius dicti, quod antea, cum non teneretur discrimen legis et Evangelii, erat obscurum, nec poterat servire conscientiis: Nam qui non possunt distinguere inter dicta legalia et Evangelica, ii cogitant huiusmodi dicta, quae de servando sermone Christi, de custodiendis mandatis Domini leguntur, tantum esse fulmina, quibus occidimur. Contra dulcissima est doctrina illis, qui tenent distinctionem legis et Evangelii, qui sciunt se quoque servare sermonem Christi; non qui sint absque peccato, sed quia credant in Filium Dei, propter quem reputentur iusti, et *militent bonam militiam, retinentes fidem et bonam conscientiam.*

Videtis igitur, quantum referat, discere fundamenta doctrinarum, et quantum sit situm in distinctione legis et Evangelii.

Iam quod Christus coniungit haec: *Diligere Christum, et servare sermonem eius*: potest disputari, utrum sit subiectum, vel praedicatum. Sed ista habent se convertibiliter, seu aequaliter: *Qui diligit me, sermonem meum, servabit: Et qui servat sermonem meum, diligit me:* id est, qui amplectitur Evangelium, et est custos doctrinae in fide et bona conscientia, ille habet initia timoris, dilectionis, et aliarum virtutum.

Hebraeis usitatum est, ut anteponant praedicatum subiecto. Ita hic illustrior erit sententia huius dicti, si ita construas: *Servans sermonem, diligit Deum.* Ubi est assensio verae doctrinae in corde, ibi est etiam initium dilectionis. Principium ad conversionem est a praedicatione Evangelii, iuxta dictum: *Quomodo credent, si non audiant? Quomodo audient, si non praedicatum fuerit?* Ideo existimo sic explicandam esse hanc propositionem: *Qui diligit me, sermonem meum servat:* ut Subiectum sit: Audiens, amplectens, retinens Evangelium fide et bona conscientia, agnoscit me, diligit me, adhaeret mihi. Est autem hic pulchra descriptio Ecclesiae, et eorum, qui sunt vera membra Ecclesiae. Multi habent istam imaginationem: Ecclesia est congregatio, quae comprehensa est in politia Pontificia, et habet eandem doctrinam, eosdem ritus et ceremonias cum Romana Ecclesia, et est adiuncta illis Episcopis et potestatibus.

Haec est imaginatio politica, quam circumferunt homines politici; sed in Evangelio docemur, veram Ecclesiam, vel vera membra Ecclesiae esse amplectentes Evangelium incorrupte. Hanc Ecclesiam confitemur in Symbolo esse *catholicam*, universalem, sponsam ubique, amplectentem unum verbum, seu consentientem in uno verbo divinitus tradito. Nominatur *universalis*, non tantum a locis et temporibus, sed principaliter a doctrina: videlicet, quae unam universalem doctrinam amplectitur traditam per prophetas, Christum, Apostolos. Etsi Ecclesiae particulares differunt ceremoniis, tamen est unica Ecclesia, amplectens unam et eandem doctrinam universalem. Ecclesia Latina habuit suas quasdam ceremonias, dissimiles Ecclesiae Graecae. Aliqui habuerunt quaedam ieiunia, alii non habuerunt, aut certe non habuerunt similia ieiunia; quia ista olim erant libera. *Quaero, an discrimina ista fecerint distinctionem, quo minus esset universalis Ecclesia?* Non fuerunt substantialia Ecclesiae: quae sunt consensus in necessaria doctrina, pertinente ad fundamentum; item in vero usu Sacramentorum. Potest adiungi reverentia ministerii. Unusquisque debet se adiungere ad communem coetum, non schismata facere, aut diversas congregationes: unusquilibet etiam debet venerari ministerium in his, quae sunt propria ministerii.

Articulus ille fidei ideo propositus est in Symbolo, ut credamus Deum conservaturum esse Ecclesiam, et sciamus oportere nos esse cives illius Ecclesiae Catholicae retinentis ista substantialia. Quando est diversitas in hac, vel illa ceremonia, id non pertinet ad substantialia. Hodie Ecclesia Graeca dat panem fermentatum in coena Domini; nos non utimur pane fermentato. Sic in caeteris ritibus diversis, non tollitur Ecclesiae unitas. Et pertinent huc regulae illae: *Nemo vos arguat in cibo et potu.* Item: *Regnum Dei non venit cum observatione.* Ecclesia Catholica amplectitur universalem doctrinam a Deo traditam, de fundamento etiamsi sunt particularia aliqua discrimina in dissimilibus ritibus. Semper oriuntur in mundo tales contentiones, ut Ecclesia alligetur uni loco propter similes traditiones humanas. Sed discamus abiicere imaginationem illam. Textus hic definit Ecclesiam, *quod sit coetus servans sermonem Christi.* Removeamus autem illas quoque imaginationes de Ideis Platonicis. Accommodemus hanc definitionem ad visibilem Ecclesiam, quae conspicitur et exauditur. Magna consolatio est intelligere, ubi sit, et quae sit vera Ecclesia; quia Deus mirabili ac inenarrabili consilio colligit sibi aeternam Ecclesiam ex hac misera massa generis humani, cui communicet suam sapientiam et bonitatem in tota aeternitate. Haec Ecclesia est, ubicunque sunt homines amplectentes Evangelium incorruptum. Tenenda est firmiter haec sententia: *Quos elegit, hos et vocavit.* Tantum in coetu vocatorum sunt electi. Coetus vocatorum significat coetum amplectentium doctrinum incorruptam, non pertinaciter defendentem er-

rores, idola, impietatem. Congregatio Arii non est Ecclesia, quia corrumpit articulum de Filio Dei: Negat Filium esse de substantia Patris; evertit fundamentum. Negat Filium Deum esse natura. Sic quaecunque congregatio aliquem articulum fidei labefactat, pertinentem ad fundamentum, ea non est Ecclesia Dei. Oportet discrimen constitui inter Ecclesiam, quae profitetur Evangelium, et alios coetus, in quibus defenduntur opiniones falsae, errores, aut idola pertinaciter.

Ethnici palam derident, imo delere conantur Evangelium, habent suos furores Cyclopicos. Iudaei recentes palam etiam contemnunt, persequuntur, damnant Evangelium: Negant Messiam esse Filium Dei. Negant Messiam esse, qui passus sit; tuentur pertinaciter sua somnia de politico regno Messiae. Damnant hunc Filium resuscitatum, habent alios multos tetros errores. Praeterea haeretici multi palam oppugnant doctrinam fundamenti. Papistae defendunt idola in regno pontificio, invocationem sanctorum, et ἀρτολατρείαν: corrumpunt articulum fidei: *Credo remissionem peccatorum; Credo Ecclesiam Catholicam.* Tales omnes non servant sermonem Christi, ne quidem professione externa. At Dominus hic alligat nos ad doctrinam, ad vocem Evangelii. Distinguit Ecclesiam ab omnibus impiis, qui adversantur, et pugnant cum Evangelio. Etsi autem sunt in coetu visibili Ecclesiae in hac vita, aliqui non renati, qui in speciem tantum amplectuntur doctrinam Evangelii: tamen semper aliqua sunt vera membra Ecclesiae, quae vera fide amplectuntur et retinent doctrinam; id est, qui ita accipiunt ac profitentur Evangelium, ut etiam cor vere assentiatur, vere credat; et ut hac fide inchoentur initia obedientiae, quae placent propter mediatorem. Quid traditur in sequentibus verbis: *Pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus?* Postquam docuit, quae, et ubi sit vera Ecclesia, et quae sint viva membra Ecclesiae, addit promissionem, in qua recitantur beneficia, de quibus Evangelium principaliter concionatur, et quibus antecellit Ecclesia aliis gentibus. Nam haec quoque bona, quae hic promittuntur, seiungunt Ecclesiam a toto reliquo genere humano. Reliqui homines non diliguntur a Patre. Sed de istis, qui servant sermonem Christi, dicitur: *Pater meus diliget eos.* Nihil potest dici maius; et tamen cumulatur haec dilectio etiam illo ingenti bono: *Veniemus ad eum, et mansiones apud eum faciemus*: quae et ipsa de ceteris hominibus dici non possunt. Significat autem diligi a Patre, habere remissionem peccatorum, esse reconciliatum, pronuntiari iustum.

Iohannes passim, in Evangelio et Epistola sua, *diligere*, cum Deo tribuitur erga nos, ponit pro dare remissionem et reconciliationem. *Venire et mansionem facere*, significat inhabitationem Dei. Sic argumentor:

Deus est ubique:
Ergo non est opus eum advenire.
Item: *Paulus non est magis domicilium Dei, quam Cato.*
Ergo.

Respondeo: Aliud est, *esse ubique*, et aliud *habitare Deum alicubi. Esse ubique* pertinet ad generalem, seu universalem praesentiam illam, de qua antea dixi: *Enter, praesenter, Deus hic et ubique, potenter.* Ista praesentia, quae re ipsa est ubiquitas, non intelligatur modo locali, ut de corporibus cogitamus, quae habent suam extensionem. *Habitare,* pertinet ad praesentiam specialem, qua Deus est efficax Spiritu sancto, et communicat suam lucem, iustitiam, vitam. Hoc discrimen bene considerandum est, et simul cogitanda immensitas bonitatis divinae. Nihil potest divinitas maius tibi tribuere, quam se ipsam. Nihil gloriosius de homine dici potest, quam ut sit domicilium Dei, et Deus in eo habitet, non otiosus, sed ita, ut per Spiritum sanctum accendat lucem, et sapientiam, et iustitiam, et laetitiam, congruentem cum natura Spiritus sancti.

Ita pulchre ostenditur ordo totius salvationis, quae constat praedicatione Evangelii, iustificatione, et sanctificatione, quae inchoatur in hac vita, postea consummabitur. Orditur Christus a vocatione per verbum: vult audiri verbum, et sic audiri, ut accipias, non repugnes, non sis blasphemus: In hoc verbo, cum fide apprehendimus Christum, promittit nobis Christus dilectionem Patris, quae est iustificatio. Postea de sanctificatione dicit: *Veniemus ad eum. Quo ordine veniunt Personae divinitatis ad nos?* Filius immediate est efficax per Evangelium, illustrat mentem, ostendit Patrem. Ita simul adest Pater: et Pater ac Filius spirant in cor tuum Spiritum sanctum. Sermo praecedit: deinde Filius adest, et illuminat mentes, ut agnoscant Dei voluntatem, et per Filium Pater dat Spiritum sanctum, qui accendit novos motus, quales describuntur in lege.

Haec congruunt cum dictis Pauli: *Iustificati fide, pacem habemus.* Cor in homine credente, cum fit vera consolatio, et fides statuit nos esse receptos a Deo, agnoscit et sentit praesentiam Dei, erigentis nos, et vivificantis ad vitam aeternam. Item: *Effusa est dilectio Dei in corda nostra per Spiritum sanctum.* Item: *Quod praedestinavit, hos vocavit: quos vocavit, eos iustificavit: quos iustificavit, hos glorificavit.*

Sic igitur meditemini hodie concionem istam Christi; et sciote eam plenam esse dulcissimarum consolationum, quas non intelligunt, qui phrasin non recte interpretantur.

In textu sequitur mox: *Haec locutus sum vobis, apud vos manens.*] scilicet in corporali conversatione. *Paracletus autem, Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia, quae dixi vobis.*] De nomine *Paracleti* diximus alias. Proprie significat advocatum in iudicio, cuius officia sunt, ut doceat, moneat, confirmet, consoletur. Est autem in ipso nomine paracleti promissio, quod sit nobiscum, et in nobis futurus Spiritus sanctus, qui nos doceat, regat, gubernet. Intelligatur autem docere nos Spiritus sanctus publice, et in singulis. Primum enim in ministerio publico regit Ecclesiam, et est efficax in voce ministerii; sicut dicitur: *Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, iustitia, et iudicio.* Item: *Evangelium est ministerium Spiritus.* Deinde docet et regit nos singulos. Nos non possumus regi tantum humanis consiliis, humana sapientia et diligentia. Impossibile est nostram diligentiam parem esse insidiis Diaboli. Natura humana per se est infirma, et habet hostem atrocissimum. Oportet igitur, ut regamur Spiritu sancto. Hoc fit primum docendo. Docet nos petere, ut regamur ab ipso, et in rebus difficillimis ostendit consilia. Deinde hoc fit, flectendo voluntatem, et exuscitando motus illos, timorem, fidem, dilectionem, spem, et ceteras virtutes.

Non est autem opus illa quaestione: *An Spiritus sanctus alia doceat quam Filius?* Datur Spiritus sanctus per Evangelium, et nihil aliud docet, nisi hanc ipsam vocem. Ideo Christus inquit: *Rediget vobis in memoriam omnia, quae dixi vobis.* Et alibi dicit: *De meo accipiet.* Docet Spiritus sanctus ea, quae prius sunt tradita per Filium, et illustrat illa, ut agnoscamus aliquo modo, et intelligamus, et magis magisque intelligamus. Retinet mentes in cogitatione verbi, et facit, ut assentiamur Evangelio, et ut sentiamus in corde effectum consolationis Evangelicae: quia simul exuscitat motus seu affectus congruentes. Omnia intelliguntur melius, quando accedit affectus. Ubi deest affectus, quid intelligitur? Item illa, quae quisque exercet, melius intelligit. Qui non est tentatus, qualia scit? *Παθήματα, μαθήματα.*

Alexander Magnus habuit apud se scriptorem Comoediarum, sed displicebant istae Comoediae Alexandro. Exclamavit ergo ille: *Non mirum est, tibi displicere Comoedias: quia tu Tragoedias agis, non Comoedias.* Sic doctrina Evangelii aliter intelligitur ab hypocritis, qui sunt sine affectu, et motibus spiritualibus, aliter a iustificatis, qui reguntur et vivificantur a Spiritu sancto.

Repetite autem ipsi memoria, quae recens diximus de communi doctrina de Spiritu sancto. Primum, quid sit Spiritus sanctus: Ubi in conspectu esse oportet, totam doctrinam de Deo, et de tribus personis divinitatis, et quomodo discernantur, quantum quidem est traditum nobis in verbo; aut etiam, quantum intelligere possumus ex illo verbo, quod est nobis divinitus traditum; quia multo plura complectitur, quam intelligimus.

Teneamus puerilem illam Catechesin, quot sint personae, quae sit persona Patris, quae Filii, quae Spiritus sancti; sicut in Symbolo profitemur nos *credere in Patrem: et in Iesum Christum, Filium, eius unicum: et in Spiritum sanctum.* In hac quotidiana professione cogitemus, quibus proprietatibus distinguendae sint personae; quid differant *nasci et procedere,* quorum illud, Filio, hoc, Spiritui sancto tribuitur. Cogitemus item, quod Filius sit missus, ut assumat humanam naturam, et fiat victima, et sit rex ac sacerdos perpetuus Ecclesiae; et quod Spiritus sanctus mittatur, ut accendat novos motus, et sanctificet nos. Cogitemus etiam ubi, et quomodo patefactus sit. Sicut semper *λόγος* fuit in Ecclesia: ita semper Spiritus sanctus quoque fuit in Ecclesia. Aeternus Pater mittit Filium et Spiritum sanctum. Misit Filium in carnem; edidit testimonia de eo per resuscitationem mortuorum; constituit eum victimam et mediatorem: simul vero addit illum ignem, qui est Spiritus sanctus: quo igne accendit corda, et laetificat, et impellit invocationem.

Statim initio Geneseos dicitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas;* id est, fovebat aquas. Aeternus Pater creat, Filio dicente decretum creationis, et Spiritu sancto fovente. Totum corpus mundi fovetur Spiritu sancto: Sed haec generalis actio est, qua monemur etiam de speciali eius efficacia in Ecclesia. Spiritus sanctus fovet Ecclesiam, sicut gallina fovet pullos. Item, *Spiritus Christi locutus est iam inde ab initio per prophetas,* inquit Petrus.

Est autem et visibili apparitione patefactus Spiritus sanctus in Baptismo Christi, et in Pentecoste. Hae patefactiones ostendunt eum esse distinctam personam a Patre et Filio, et quod non sit modus in corde creatus. Nam si esset ipse Pater, aut Filius; aut si esset motus in corde; non appareret singulari specie.

Secunda quaestio est: *Quomodo datur Spiritus sanctus,* scilicet per vocem Evangelii: id bene debetis considerare; quia multi habent non tantum Enthusiasticas, sed etiam Pyrrhonias phantasias. Putant exspectandos esse afflatus peculiares extra cogitationem verbi. Disputant electis dari Spiritum sanctum, sed neminem scire posse, an sit electus. Volunt de electione sui certi esse a priori. Hoc est ingredi in tenebras, imitari Bellerophontem, et equitare velle in coelum. Deus deducit nos ad verbum. Mandat, ut audiamus Filium, credamus Evangelio. Vult nos de sua voluntate tan-

tum ex verbo iudicare. Vult te audire, et assentiri voci Evangelii, et sic promittit tibi Spiritum sanctum. Vult etiam te petere hoc donum, sicut Christus inquit: *Quanto magis dabit pater meus Spiritum sanctum petentibus?* Hac promissione excitari debes ad petendum hoc donum. Et quidem semper haec duo debent coniuncta esse: Debes luctari, ut assentiaris Evangelio: et debet accedere gemitus expetens tantum donum. Illa vox, *petentibus*, est opposita, securis, repugnantibus, indulgentibus dubitationi, peccantibus contra conscientiam. Tu non debes cogitare: *Deus convertet me, quando ipsi videbitur. Et, cum me volet convertere, infundet mihi novos motus, sicut aqua in ollam infunditur.* Imo vero Deus instituit ministerium verbi sui, vult te audire doctrinam; vult te exsuscitari voce sua, ut habeas desiderium, quo petas conversionem tui, et Spiritum sanctum. Requiritur ergo cogitatio, meditatio, studium doctrinae. Ad hoc studium oportet te afferre mentem compositam, abiicere propositum malum perseverandi in peccatis contra conscientiam; quia peccatores Deus non exaudit, videlicet, qui retinent propositum peccandi. Haec sunt realia; non sunt inanes speculationes. Et considerandus est modus procedendi contrarius in Physica, et in rebus spiritualibus. Medicus videt prius et experitur, quod vinum calefaciat: sequitur igitur assensio experientiam. Sed in Ecclesia experientia sequitur assensionem. Tu debes audire vocem Evangelii, et ei assentiri. Postea sequitur pax et gaudium in Spiritu sancto. David audit hanc vocem: *Dominus abstulit peccatum tuum.* Huic voci assentitur, gemit ad Deum: paulatim incipit acquiescere, incipit sentire lucem, et flammam; sentit consolationem, et vitam, quae sunt effectus Spiritus sancti: Scio multos delectari praestigiis contrariarum disputationum; sed haec sunt utilia conscientiis. Sinamus alios contradicere, quantum volunt. Tamen res ostendit, quantum impedimentum fidei, et quanta corruptela disciplinae sit, quod aliqui indulgent istis cogitationibus: Ego me dedam voluptatibus: indulgebo cupiditatibus, Deus me bene trahet, quando volet. Talia confirmare velle, simpliciter est insania et furor.

Tertia quaestio est: *Quid efficiat Spiritus sanctus?* Ut intelligi possit, quare detur Ecclesiae: Libenter autem repeto dulcissimam promissionem, quae apud Zachariam exstat, quae complectitur praecipua beneficia Spiritus sancti: *Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum.*

Nominat *domum Davidis*, quia ibi debuit conspici illa visibilis missio Spiritus sancti. Hunc vocat *Spiritum gratiae*; id est, testificantem in ministerio Evangelii, et in singulorum cordibus de gratia; quia, quando de beneficiis Spiritus sancti dicimus, simul complecti debemus, ministerium publicum, et effectionem in corde. Multa autem comprehenduntur appellatione *gratiae*, videlicet, remissio peccatorum, reconciliatio, donatio iustitiae et vitae aeternae: Item, liberatio ab ira Dei, a tyrannide Diaboli, a morte aeterna. Hanc gratiam annuntiat Spiritus sanctus in Evangelio, et simul accendit in cordibus laetitiam, qua acquiescimus in Deo propter mediatorem, et vivificamur.

Ad hanc appellationem Spiritus gratiae, congruunt illa dicta Apostoli: *Credentes Evangelio obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est arrha haereditatis nostrae.* Ephes. 1. et Rom. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum: Hic enim Spiritus dat testimonium Spiritui nostro, quod simus filii Dei.* Et 2. Corinth. 1. *Unxit nos Deus, et obsignavit nos, et dedit arrham Spiritus in cordibus nostris.* Item, Rom. 14. *Regnum Dei est iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.*

Postea addit, *Spiritum precum seu invocationis.* Quia, quando corda agnoscunt misericordiam Dei per Evangelium, et vivificantur Spiritu sancto, non iam fugiunt Deum, sed accedunt ad eum, et invocant eum fiducia mediatoris; petunt et exspectant ab eo auxilium, et omnia beneficia corpori et animae necessaria. Est autem invocatio summus cultus, et totam obedientiam novam complectitur; quia invocatio non potest fieri sine conversione, sine fide, sine bono proposito, sine gratiarum actione. Ideo pertinent huc dicta, quae docent nos impelli ad invocationem a Spiritu sancto, postquam agnovimus Deum nobis placatum esse, et ab eodem renovari, seu accendi ab eo in nobis virtutes Dei, et cultus Deo placentes: ut, cum Paulus inquit, Rom. 8. *Spiritus opitulatur infirmitati nostrae, et interpellat pro nobis gemitibus ineffabilibus.* Et ad Galat. *Misit Deus Spiritum filii sui in corda nostra, clamantem: Abba Pater.* Item, *Non dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis, et castificationis.* Et, *Transformamur ad imaginem eandem a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.* Item, *Fructus Spiritus sunt dilectio, gaudium, pax, longanimitas, humanitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia.*

Haec dicta declarant et illustrant appellationem *Spiritus precum.* Est mirabile, quod ille Spiritus, qui est vere persona divinitatis, ita se nobis copulat, et sic in nobis agit, ut quasi induat nostros affectus, et vicissim mutet nos in suos affectus. Dolet tecum, quando tristia accidunt, quando incidis in calamitatem aliquam: quando contingunt scandala. Dolet tecum propter publica dissidia Ecclesiae, propter vastationes generis humani: et in his doloribus exsuscitat te ad invocationem. Exhilarat praeterea cor tuum, inflammat te ad dilectionem Dei, ad confessionem veritatis, ad benefi-

centiam erga alios, ad modestiam. In promulgatione legis, fuit scripta lex in tabulis saxeis: sed Spiritus sanctus efficit tales motus in corde, qualem Deus se expressit in lege. Ipse regit nos, flectit ad obedientiam, prohibet, ne ruamus in tetros furores, etc.

Quarta quaestio est: *Quomodo retineatur.* Iterum hic removete furores Stoicos. Non cogitate, retineri Spiritum sanctum etiam ab invitis, repugnantibus, temere ruentibus, delinquentibus contra conscientiam. Non dubium est, quod in Adam et Eva habitaverit Deus, quod habuerint Spiritum sanctum; sed cum libertate voluntatis abusi, et a Diabolo decepti, peccarunt contra mandatum Dei, scientes et volentes, senserunt se destitui luce, iustitia, vita. Sic de Aaron dicitur: *Dominus voluit conterere eum.* Quando Deus vult conterere hominem, iam est destitutus gratia; et dono per gratiam, id est, inhabitatione viva et efficaci per Spiritum sanctum. Item Paulus inquit: *Propter haec venit ira Dei. Nolite errare: Qui facit talia, non videbit regnum Dei.* Item: *Si secundum carnem vivetis, moriemini;* id est, si quis volens et sciens ruit in peccatum contra conscientiam, effundit gratiam, expellit Spiritum sanctum. Non retinetur Spiritus sanctus, quando homines petulanter delinquunt contra conscientiam. Ideo traditur discrimen peccatorum, quorum alia sunt regnantia, alia non regnantia. Manent in sanctis peccata, sed non contra conscientiam. Cum regnat in eis peccatum, id est, cum scientes et volentes indulgent peccatis, desinunt esse sancti, sive incidant in errores contra fundamentum, ignorantia affectata, sive labantur in vita et moribus, contra conscientiam.

Retinetur autem Spiritus sanctus ab his, qui repugnant peccato; qui resistunt vitiosis inclinationibus, dubitationibus, erroribus: sicut Paulus dicit: *Si actiones carnis Spiritu mortificabitis, vivetis.*

Cur dicit *Spiritu*? Quando Ioseph repugnat amoribus, facitne id tantum suo consilio et voluntate? Sicut Scipio absistens ab aliena coniuge, quadam praestantia virtutis repugnat illecebris? Non: sed iuvatur et regitur a Spiritu sancto. Ostendit ei Spiritus sanctus magnitudinem irae Dei; si faciat contra castitatem mandatam a Deo sciens et volens, videt se amissurum esse gratiam in praesentia, et postea ruiturum in aeternas poenas, se scandalo futurum doctrinae. Exuscitat item in voluntate et corde vivum motum ad reprimendas flammas amoris illiciti. Hoc est multo excellentius quidpiam, quam in Scipione.

Hippolytum invitat Phaedra noverca ad incestam consuetudinem. Erat enim Hippolytus Thesei filius ex priore coniuge. Non voluit autem assentiri Hippolytus, quamquam ei iurasset, se, quidquid peteret, facturum. Sed *Lingua*, inquit, *iuravi, mentem iniuratam gero.* Quando facta est promissio in genere, non debet intelligi in specie de turpi facto. Aversatus est igitur Hippolytus incestam consuetudinem cum noverca, et praeclare fecit. Sed haec continentia fuit motus naturalis; quia in homine non monstroso natura abhorret ab incestu. Illa virtus in Hippolyto est sine agnitione Dei, et sine motu Spirituali, qualis fuit in Ioseph. Aliud est igitur Spiritu mortificare actiones carnis, aliud ratione frenare impetum affectuum.

Cum autem iubet Paulus Spiritu mortificare affectus, simul praecipit, ut petamus nos regi Spiritu sancto. Sic prophetae petunt se gubernari Spiritu sancto, ut cum in Psalmo dicitur: *Spiritus tuus bonus deducat me in via recta.* Item: *Ne proiicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Eodem modo et nos petamus. Sed hic obstrepit nobis nostra indignitas. Res est nimis magna petere a Deo Spiritum, qui est de essentia ipsius. Ego saepe offendi Deum. Item, cogitamus alia petenda esse, quae sunt nobis ad hanc vitam necessaria, ut habeamus victum, hospitia, pecuniam. Ista putamus satis nobis esse, si petamus a Deo. Non existimamus ita necessarium esse petere Spiritum sanctum.

Adversus hanc caecitatem confirmemus nos mandatis divinis, quae iubent petere Spiritum sanctum. Et cogitemus hoc donum maxime necessarium esse: sicut Ecclesia nunc canit: *Sine tuo numine, Nihil est in homine. nihil est innoxium.* Cogitemus etiam hoc dono dato cetera non defutura esse, iuxta illud: *Timenti Dominum, non deerit omne bonum.*

Sit igitur quotidiana haec nostra petitio, coniuncta cum gratiarum actione ad Deum. Ago tibi gratias aeterne pater, Domini nostri Iesu Christi, quod nos redemisti per filium, quod constituisti eum mediatorem et salvatorem, et vis propter eum, et per eum dare Spiritum sanctum, et omnia beneficia alia animae et corporis: Oro te, ut miserearis mei propter Dominum nostrum Iesum Christum, et regas me Spiritu sancto tuo: Colligas tibi semper aliquem coetum, recte te invocantem, et servientem tibi in veritate et Spiritu: Non sinas fieri barbaricam vastationem: non sinas grassari Diabolos, ut nulla pars sit generis humani te invocans, etc. Haec saepe debetis repetere, et meditari doctrinam huius festi; et eam transferre ad usum in exercitiis fidei, invocationis, et modestiae.

APPENDIX.

Duo sunt summa genera doctrinarum in Ecclesia: Vox legis divinae, et Evangelium. Utram-

que vocem Deus confirmavit illustribus testimoniis. Ac legem quidem tot ac tantis miraculis ante, et post promulgationem factam in monte Sina confirmavit; sicut in primo praecepto inserta est mentio totius eductionis ex Aegypto, ut sciamus, quod lex sit sapientia Dei, sit voluntas Dei, quam velit nobis notam esse, ut sciamus, quos cultus approbet, quid velit fieri, quid non velit fieri.

Quamquam nulli sunt homines, qui prorsus nullam habeant legis notitiam, tamen aliqua pars ita effera est, ita barbara, ut amiserit aliquam partem legis. Horribile est institutos esse cultus idolorum. Horribile est, quod Romani instituerunt ludos gladiatorios. Nunc etiam vivunt homines in Africa, et novis insulis, qui parum de lege retinuerunt. Omnes fere gentes olim miscuerunt libidines sacrificiis, et putarunt cultum esse. Cogitemus igitur, quantum bonum fit scire sapientiam Dei in lege expressam, et retinere eam, ut aliqua distinctio retineatur recte et secus factorum. Deus non sine causa se et sapientiam hanc suam patefecit, ut esset nota. Et tamen tanta est potentia Diaboli, ut in multis illam notitiam obruat. Aspiciamus igitur opera illa extraordinaria seu miraculosa, quae facta sunt in eductione ex Aegypto, quibus Deus voluit ostendere, hanc legem esse suam sapientiam, et quod haec sapientia sit mansura in sua Ecclesia.

Non satis est autem in Ecclesia legem sonare: Oportet etiam notam esse vocem Evangelii, ut sciamus, quomodo habeamus remissionem peccatorum, et quomodo lex fiat in hac infirmitate. Ad hanc doctrinam confirmandam facta est donatio Spiritus sancti conspicua et manifesta.

Quamquam autem ista illustris missio Spiritus sancti facta est ad inchoationem ministerii propagandi in toto orbe terrarum, tamen simul testimonium est, quod mittatur in corda singulorum agentium poenitentiam.

Huius beneficii magnitudinem ut aliquo modo cogitemus, consideremus e regione miseriam et imbecillitatem humani generis. Videmus, quantum sit horribilium furorum in genere humano, quantae confusiones errorum, idolorum, caedium, furtorum. Ista cogitantes, sciamus homines, ne quidem in ista externa vita satis cavere sibi ab istis scandalis sine auxilio divino. Multo magis verum est de interiori obedientia, quod Christus inquit: *Sine me nihil potestis facere:* scilicet salutare, Deo placens. Illam magnam et tristem imbecillitatem hominum cogitemus, ut possimus vicissim magnifacere hoc beneficium; videlicet donationem Spiritus sancti. Deus dedit doctrinam, ex qua vult agnosci, et coli. Sed doctrina non subit animos, nisi simul Filio Dei movente corda Spiritu sancto: qui et consolatur nos, quod simus in gratia Dei propter Christum, et flectit corda ad invocationem et obedientiam.

Hoc magnum beneficium Dei vera intentione animi, et seria pietate cogitandum est: et sciendum, quod tantum ille coetus sit Ecclesia Dei, in quo coetu hoc beneficium petitur et magnifit. Homines Epicurei, Cyclopici, Mahometistae, non sunt Ecclesia Dei. Dolendum est autem, quod etiam inter eos, qui sunt adiuncti Ecclesiae, pauci curant hoc Dei beneficium.

Nonne tu saepius sic cogitas? O Domine Deus, da mihi sanitatem, da cetera bona corporalia, quam ut serio petas Spiritum sanctum. Ardentius ergo petis externa bona, quam illud ingens et ineffabile donum Spiritus sancti. Quam multi sunt, qui cogitant: Ego bene me regam mea diligentia. Tales sumus nos homines; praesertim illi, qui sentiunt se maiori aliqua virtute praeditos esse, quam vulgus hominum, sic cogitant: Ego me industria mea muniam et tuebor. Fuit Atheniensium dux Timotheus, quem pinxerunt aemuli eius dormientem, et circa eum Fortunam ducentem reti insulas. Voluerunt significare, fortuna eum magis, quam virtute res magnas gerere. Timotheus aegre ferebat se hac pictura derideri. Venit in concionem semel, et dixit: *Hoc ego feci, non fortuna.* Postea scribitur, semper infelix fuisse. Omnes habemus naturaliter multum fiduciae nostri, praesertim in consilio, sapientia, virtute. Putamus nos esse sapientes, cum simus fatui. Agnoscimus a Deo petendam esse sanitatem, vires corporum, victum, amictum, pluviam. Ista utcunque melius agnoscimus, quam petendam esse sapientiam, fortitudinem, gubernationem, robur virtutis. Debebamus autem scire multo magis nobis opus esse Spiritu sancto in vita spirituali.

Psalmus inquit: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini:*
Nemo est immaculatus: Et nemo ambulat in lege:
Ergo nemo est beatus Et sic non erit distinctio inter homines: erit confusio inter Ecclesiam et coetus Turcicos.

Respondeo: Nego minorem: Dictum Psalmi et similia sunt intelligenda non legaliter tantum, sed secundum interpretationem Evangelii. *Immaculatus*, Hebraica consuetudine non significat eum, qui est sine omni macula et naevo, sed qui est integer, sicut in sacrificiis requirebatur, quod esset integrum, non claudum, non caecum. Significat igitur *Immaculatum esse*, hominem non habentem errorem in fundamento, nec perseverantem in aliquo scelere contra conscientiam: sed vera fide amplectentem filium Dei, et habentem initia novitatis, ac bonam conscientiam. *Ambulare in lege Domini*, est

regi verbo Dei, et militare bonam militiam, ut Paulus inquit, et retinere fidem et bonam conscientiam.

Placet autem Deo, et est membrum vivum Ecclesiae, omnis habens fidem et bonam conscientiam; et, qui talis non est, agat poenitentiam et fiat talis.

Non sunt ista dicta similia illi comminationi legis: *Maledictus omnis, qui non manet in his, quae scripta sunt in lege*: sed sunt promissiones et consolationes dulcissimae propositae Ecclesiae ad excitandam et confirmandam fidem et invocationem. In dicto: *Beati immaculati.*] *Beati*, est praedicatum. Et, *immaculati*: item, *ambulans in lege Domini*, est subiectum. Ita in dicto Christi: *Si quis me diligit, sermonem meum servabit*: subiectum est, *Servans sermonem*: praedicatum est, *Ille me diligit.* Qui est custos sermonis, ille sine dubitatione diligit Deum: et vicissim diligitur a Deo: id est, habet remissionem peccatorum, est reconciliatus Deo, est iustus propter Filium. Sed non solum diligitur Paulus conversus, id est, est iustus, et reconciliatus, sed venit etium ad eum divinitas, habitat in eo. Pater et Filius dant Spiritum sanctum in corda credentium: sic corda fiunt habitacula Dei. Quae corda non sunt domicilia Spiritus sancti, illa sunt Diabolorum. Quod si vis esse templum Dei, habitaculum Spiritus sancti, teneas hoc, ut serves sermonem Dei, amplectaris fide vocem Evangelii. Agnito Filio recipimur, et reputamur iusti. Per Filium datur Spiritus sanctus.

Singuli pii accommodent ad se hanc consolationem. Cogitent ad se pertinere istam concionem. Audiant Evangelium, et credant voci Evangelii.

Adiungenda sunt etiam cetera dicta, in quibus promittitur et reconciliatio per Filium, et Spiritus sanctus. Nec tamen satis est cogitare illa dicta, sed accedere debet invocatio, qua petamus ista beneficia a Deo: Ut autem petamus, oportet in nobis esse poenitentiam. Unusquilibet potest scire, an habeat aliqua initia conversionis, aliquam contritionem, ut doleat se peccasse, et quando exercetur doloribus, an acquiescat in Deo, sicut dicit Augustinus: *Credens scit se credere*: *alius plus, alius minus.* Sed tamen oportet esse aliquam scintillam illius lucis in nobis.

Non contemnamus haec summa beneficia Dei. Non putemus nihil ad nos pertinere. Quam minime decet Christianos ita vivere, ut cogitent: Deus dicitur misisse Filium, quid hoc ad me? Dicitur donasse Spiritum sanctum, quid hoc ad me pertinet? Talis dubitatio est tetrum peccatum. Sciamus vere missum esse Filium, ut esset pro nobis victima: Ergo invocemus eum, et accedamus fiducia huius Filii ad Patrem. Sciamus missum esse Spiritum sanctum; quia Deus nos vult regere petentes et invocantes. Hanc invocationem experiemur non esse irritam. Maxima pars hominum sic vivit, ut cogitet: *Nescio, an ad me pertineant haec beneficia.* Istud est summum peccatum; et multo maius, quam si committantur externa delicta; quamquam si illa committuntur, sunt inde, quod non regimur a Spiritu sancto.

Ἀχήδεια unde venit? *χῆδος* est *cura, solicitudo:* ut cum Achilles inquit ad Phoenicem: *Tu cures me? ego te curem.* *Ἀχηδείας* vocabulo multum usi sunt in Ecclesia. Significat neglectionem per ignaviam. Atrocius aliquid est, *Neglectio per contemptum*, quae est peccatum blasphemiae. Non sit in nobis ista *ἀχήδεια*: repugnemus ei. Cogitemus, quae sit voluntas Dei. Deus vult esse apud homines, et in hominibus; et praecipue est in Ecclesia. Servat reliquum genus humanum propter Ecclesiam, sicut dicitur Psal. 16. *Tu es qui sustentas haereditatem meam.*

Ego non possum plus facere, quam quod commonefacio me, et vos.

Spiritus sanctus docebit vos omnia.] id est, faciet, ut affectu intelligatis meum verbum; ut cogitetis esse Dei verbum, et esse tanti momenti, quanti est, non negligatis, non contemnatis. Spiritus sanctus vere adest in credentibus, figit cor in cogitatione de Deo: ciet cor flatu suo, movet corda, ut affectu accipiant verbum: accendit veros motus, ut apprehendant Deum. Quid potest cor intelligere, quando dicitur: *Iustificati fide, pacem habemus*: si cor est in dubitatione, si non accensa est scintilla fidei in corde per Spiritum sanctum?

Ista discuntur non otiosis speculationibus, sed in conversione. Quando Nathan obiurgavit Davidem, sensit cor Davidis acerrimum dolorem. Iste terror conscientiae est primum opus, in quo ostendit ei Spiritus sanctus magnitudinem peccati: sed est adhuc opus alienum: Quia etiam damnati sentiunt terrores horribiliter: postea Spiritus sanctus addit consolationem: quando erigitur cor Davidis voce Evangelii: *Abstulit Dominus peccatum tuum:* id est proprium opus Spiritus sancti. Similiter transformamur postea ad imaginem Dei; id est, ad Filii archetypum per Spiritum sanctum.

Non est humanarum virium, quod David adolescentulus proeliatur cum Goliath; quia ratio naturalis ita argumentatur: *Tu non debes congredi cum robustiore: sed David incitatus a Spiritu sancto procedit et dimicat.*

Spiritus sanctus armat Samsonem et movet eum, ut apprehendat columnas, et evertat domum.

Est motus Spiritus sancti, quod mater virgo est spectatrix mortis filii.

Dabo legem meam in corda eorum.] Quare dicit *Legem*? Ut complectatur iustitiam universalem.

Significat autem se daturum Spiritum sanctum, qui ciet tales motus, quales praecipit lex.

Dabo iustitiam universalem congruentem toti legi meae.] Cur dicit: *Dabo aliam legem*? scilicet quae sit in cordibus, non tantum in notitia, sed in affectu. Aliud est enim litera, id est, verba ipsa legis; aliud Spiritus.

Pontanus scribit cuidam amico: *Deus det mihi valetudinem; det prosperitatem in rebus agendis, cetera petam a me ipso.* Sic Plato dixit: *Ille est magnus, cui pendent omnia non ex alio, sed a sese.* Sed haec non recte dicuntur. Debent omnia nostra pendere a Deo. Non simus Pelagiani, non Pharisaei, tumentes fiducia nostrae sapientiae. Agnoscamus nostram infirmitatem, petamus nos regi a Spiritu sancto. Consideremus in historiis magnorum virorum, quam horribiliter in eis punita sit admiratio virtutis et sapientiae propriae. Nabuchodonosor, qui dicebat: *Haec est illa Babylon, quam ego feci*, opprimitur horribili furore; vagatus est instar pecudis. Hanc insaniam praecessit etiam alia insania, cum erexit statuam, et voluit eam coli. Aiax dicebat: *Timidis et ignavis opus esse auxilio divino: se vero vel sine Deo vincere posse.* Postea furens se ipsum interficit. Alexander etiam insolescit constituto imperio. Furit ebrius, quando interficit praestantissimos duces et consiliarios suos. Ipse tandem ex ebrietate incidit in morbum laetalem. Hercules ita insanit, ut interficiat coniugem et filios. Hi sunt heroici furores; qui sunt poena insolentiae, quae exsistit in magnis viris ex admiratione suae virtutis.

Quando dicimus: *Adveniat regnum tuum.*] Petimus Spiritum sanctum; quia, etsi multa alia complectitur illa petitio, tamen hoc etiam comprehendit: Gubernes tu nos; inchoato tu in nobis sanctificationem dato Spiritu sancto: Dominus vult peti hoc donum: Ergo vult agnoscere, nobis esse opus hoc rectore.

Non relinquam vos orphanos.] Nos sumus in hoc mundo revera orphani; sed habemus advocatum Filium Dei. Ille dat in corda nostra Spiritum sanctum, ut non frangamur propter illam orbitatem. Est enim paracletus, qui adest consilio, consolatione et gubernatione: Figit mentem in cogitatione verbi Dei, et confirmat corda ad bonos motus, et retrahit a malis motibus: fert opem imbecillitati nostrae, interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Contra: *Christus interpellat pro nobis: Ergo non Spiritus sanctus.* Respondeo. Christus est interpellator: quia est mediator: Intercedit igitur, ostendens patri sua merita pro nobis: et pater propter Filium nos exaudit, qui sua obedientia placavit iram aeterni patris. Spiritus sanctus non nominatur Mediator. Interpellat, id est, inclinat nos ad invocationem, et iuvat nos invocantes: Non offert pretium pro nobis, ut Filius.

EXPLICATIO SECUNDI CAPITIS ACTORUM.

Cum complerentur dies Pentecostes, etc.

Multa sunt in hoc capite; sed principalis doctrina est de visibili missione Spiritus sancti, quam exhibuit Deus, ut ostenderet Spiritum sanctum esse personam distinctam a Patre et Filio; et ut doceret verissime Ecclesiam regi, sanctificari, gubernari, et regnerari per Spiritum sanctum, et non colligi tantum humanis viribus, humana sapientia, humanis consiliis, sed Ecclesiam veram esse coetum, qui colligitur per Spiritum sanctum: et vera membra Ecclesiae esse, in quibus Spiritus sanctus accendit novam lucem, novos motus, et initia vitae aeternae. Haec est principalis doctrina in hac historia.

Estque diligenter cogitandum, quod facta sit illa missio visibilis, ut esset illustre testimonium, quod Spiritus sanctus sit persona distincta a Patre et Filio, sicut alibi in Baptismo Christi, in illa visione, quam vidit Iohannes, Pater inquit: *Hic est filius meus dilectus, quo delector.* Filius stat in flumine, et lavatur: Spiritus sanctus descendit singulari ac visibili specie columbae, et acquiescit supra Filium. Inde sequitur, quod sit distincta persona a Patre et Filio.

Si nomen *Spiritus* significaret motum creatum, vel Patrem agentem, non appareret Spiritus sanctus singulari specie. Si significaret Patrem agentem, Pater non clamaret de Filio: *Hic est Filius meus dilectus.* Si esset motus creatus in homine, sicut multi exposuerunt, et sicut in Psalmo dicitur: *Terribili et potenti, qui aufert spiritum Principum*: tunc esset Accidens: Accidens vero non apparet singulari specie: quia Accidens non est quiddam sine subiecto: Ergo oportet esse personam singularem, distinctam a Patre et Filio.

Haec sunt pia meditatione consideranda, et simul accendenda sunt corda ad precationem, et gratiarum actionem. Ideo Ecclesiae datur Spiritus sanctus, ut per eum accendatur in nobis lux agnoscens aeternum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum: Quia infinitum non potest apprehendi a finita natura, nisi illa ipsa infinita natura ostendat se, et moveat, ac trahat illam finitam. Datur igitur Spiritus sanctus, ut per eum corda exsuscitentur et inflammentur, et accendatur lux, qua agnoscatur Deus. Agamus igitur gratias Deo, quod ita regit Ecclesiam Spiritu sancto suo, et petamus etiam nos regi.

Quod autem in hac historia tam longa est enumeratio gentium: ea ad hunc finem recitatur, ut ostendat Ecclesiam esse publice collectam magno numero. Adduntur et miracula, quae facta sunt in missione Spiritus sancti, quibus moti sunt homines, ut adiungerent se Ecclesiae: ut cum in textu dicitur: *Audimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.*

Neque vero opus est longa declaratione, quale fuerit hoc miraculum; fuit donum linguarum. Quod ipsum tamen aliqui calumniati sunt: Dixerunt Apostolos tantum locutos esse sua lingua Hebraica, et ab omnibus intellectos esse; quasi loquerentur linguis illarum gentium: ut, quamquam Petrus locutus sit sua lingua Hebraica, tamen dicunt eum intellectum esse ab omnibus sua ipsorum lingua.

Sed sentiendum est Apostolos revera locutos esse non sua tantum, sed aliarum quoque gentium linguis. Credo Petrum cum Cornelio Graece locutum esse; quia Romani tenebant linguam Graecam, quae erat usitata in Syria. Credo non esse usum illa lingua vulgari, qua Israelitae utebantur, quam vocant *Chaldaicam*, id est, Hebraicam aliquantulum corruptam: Sicut nunc Italica lingua potest dici Latina, sed corrupta. Secuta est illa corruptio linguae Hebraicae post reditum ex Babylone, *man hats gemengt.* Plerumque addiderunt in fine nominum, vocalem *A*, ut *Erez*, Hebraice est *terra*, lingua Chaldaica *artza*. *Ciph* est *petra*; Chaldaice *Cepha*. *Es ist so eine grobe frenckische* afformatio.

Nobis nullum dubium esse debet, quin miraculum hoc fuerit donum linguarum. Hoc donum dat Deus omnibus, etiam hodie, etiamsi non semper eodem modo. Excitavit etiam nostra aetate studia linguarum ad hunc ipsum usum, ut legantur fontes. Etiamsi sumus miseri homines, tamen cogitemus esse magnum bonum. Est valde parum, quod ego scio de linguis, tamen tanti facio, ut non velim carere ista quantulacunque cogitatione pro toto regno. Malim habere istam cogitationem, quam regnum quantumvis opulentum et magnum. Est valde magnum beneficium donum linguarum, ut possis scire, quid sit in fontibus. Quomodo potest aliquis esse certus de doctrina, si prorsus ignoret fontes? Ideo debetis amare studia linguarum; Deus excitavit ea nobis hanc ipsam ob causam, ut legamus fontes.

Ideo autem recitat textus hoc miraculum, ut ostendat, quod Deus testimonia addat suae revelationi, ut sciamus, quod sit divina; faciat opera inusitata, ut sciamus Deum esse omnipotentem, conditorem naturae, qui possit mutare naturam, et possit efficere ea quae promittit, sicut alicubi addidit resuscitationem mortuorum, quae est opus extra ordinem naturae nobis notum. Talia miracula facit Deus, ut sciamus, quod ipse adsit in Ecclesia, et ut sciamus hanc ipsam doctrinam ab ipso traditam esse. Debemus cogitare, Deum esse, qui nobiscum loquitur. Non cogitemus in angulo Deum locutum esse, et revelationes eius ad nos nihil pertinere. Imo vero ad nos singulos pertinent, quae dicuntur in promissionibus et comminationibus divinis.

Sequitur textus Ioelis: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.*] Erat manifestum miraculum missio Spiritus sancti, et donum linguarum, et multa alia miracula concurrebant: tamen Petrus adiungit testimonia Scripturae: sicut etiam in conversione Cornelii. Nam et ibi erant miracula: et tamen adiungit testimonia Prophetarum. Citat hic Prophetam recitantem promissionem Novi Testamenti, et illius aeterni regni propriam, videlicet de donatione Spiritus sancti. Et docet hoc esse tempus, quo ista fiant, quae praedicta sunt.

Recte et dextre citat Prophetam. Dicit initio: hoc iam fieri, quod sit dictum in prophetis: et orditur ab illo ipso beneficio Evangelii, quod promissum est, videlicet a donatione Spiritus sancti. Quae cum nominatur, omnia complectimini, remissionem peccatorum, imputationem iustitiae, donum Spiritus sancti, et vitae aeternae. Ista omnia simul continentur etiam in hoc dicto, quando Christus dicit: *Sinite parvulos ad me venire, illorum est regnum coelorum.* Nemo est in regno coelorum, nisi habeat remissionem peccatorum, et imputatam iustitiam, et nisi sit donatus Spiritu sancto. Non igitur pueriliter et exiliter intelligite. Multa in uno brevi dicto comprehenduntur.

Ipsa concio Ioelis est valde pulchra. *Effundam de Spiritu meo.* Est Emphasis in dictione *Meo*: quia Spiritus est aliquid de substantia eius, cuius est Spiritus. Dixi alias vobis ista adumbrata esse in natura.

Quare Filius nominatur λόγος?

Quia cogitatione nascitur. In homine sunt duae potentiae, cognoscens et volens: illae etiam sunt in Deo. Sunt haec optima et summa, cognoscere et velle in Deo et creaturis intelligentibus: Filius nascitur cogitatione. Cogitatio est potentiae cognoscentis: Pater sese intuetur, et ita se intuens, gignit imaginem: quia cogitatio format imagines. Ista oportet utcunque cogitari, ut discernantur personae. Deus vult nos scire, quod sint tres personae divinitatis, et quod Filius assumpserit humanam naturam, sit Mediator, sit passus, non Pater, non Spiritus sanctus. Vult se agnosci frementibus et furentibus diabolis, tumultuantibus et oppugnantibus haereticis. Vult nos confirmari ma-

gis magisque in agnitione, confessione et invocatione aeterni Patris, Filii, et Spiritus sancti, et nos credere, nos recipi propter Filium, et sanctificari Spiritu sancto, sicut illa traduntur in Baptismo nostro: *Ego baptizo te in nomen*, id est, agnitionem, et invocationem, *Patris, Filii et Spiritus sancti.* Si credimus aliquid esse Ecclesiam, oportet nos ista magnifacere, *Wenn wir das ding ein mahl gehort haben, so meinen wir, es sey genug, und wollen ihm nicht weiter nachdencken.* Haec negligentia faciet, ut accidat nobis, sicut scriptum exstat: *Quia repulisti scientiam, ideo repellam ego te.*

Filius dicitur *λόγος*; quia cogitatione nascitur, et nasci est a potentia cognoscente, quae vocatur mens: Etsi vocabulum *mentis* interdum aliter quoque usurpatur: Potentia volens seu appetens habet motus: ita Spiritus sanctus est agitator et motor, qui est a potentia volente, sicut in homine Spiritus est a corde, cor gignit spiritum. Id sentimus et experimur in nobis ipsis, sed penitus videre non possumus, quanta res sit, quam mirabilis, quod cor ex sanguinis massa cocta gignit spiritum vitalem, et quod ille spiritus vitalis postea in cerebro alteratur et mutatur in spiritum animalem, qui est instrumentum illarum mirabilissimarum actionum. Quomodo haec fiant, non scimus; et tamen illa ita fiunt. Naturam foris et procul aspicimus, non introspicimus penitus. Scimus, spiritum esse quiddam agitans. *Wie ein athem, das da treibt.*

Cum autem in concione Ioelis dicitur: *Effundam de meo spiritu*: significatur, quod spiritus sit substantiale quiddam, et quod sit de eius substantia, cuius est Spiritus. *De meo spiritu*, inquit, ut significet non esse quiddam creatum, sed esse quiddam consubstantiale Patri et Filio.

Est autem et hoc magnum aliquid, quod Spiritus sanctus efficit lucem, et motus similes seu congruentes luci, et motibus divinis, ut dicitur in Ieremia: *Dabo legem meam in corda eorum.* Qualis est Deus? quomodo discernis Deum a Diabolo? cum neutrum videas, sed cogitatione oporteat utrumque discernere? Quoties vis cogitare, qualis sit Deus, tum cogita Decalogum. Deus est talis, qualem se describit in Decalogo; id est, est essentia intelligens, immensae sapientiae, iustitiae, bona, casta, verax, et quae praeterea virtutes in Decalogo continentur. Hanc doctrinam virtutum cogitate, quoties cogitatis de Deo. Scitote doctrinam de virtutibus esse cognoscendam, ut sciamus quod sit Deus, et qualis sit. Ideo enim vult Deus exstare notitias virtutum, ut nos moneant de ipso.

Sumite exemplum ab una illa virtute, quae est Castitas: quia vitium huic virtuti oppositum melius intelligitur. Diabolus odit castitatem, est auctor teterrimarum et horribilium confusionum, eas excitat tantum odio Dei. *Es kompt ihm nicht zu nutz, er macht schendliche unfletige und grausame* confusiones, tantum ut aegre faciat Deo. Deinde cor humanum etiam non est castum, est vagabundum, *es fladdert hin und wider*: sed Deus est castus, fons castitatis, fons ordinis; et quia voluit hominem sibi ipsi similem esse, condidit eum talem, ut intelligat castitatem, et sanxit leges in Paradiso: *Erunt duo in carne una.* Non errent amores, non vagentur corda, non vagentur libidines, sed sit ordo ille, ut unus amet unam. Iste fuisset ordo in natura, si mansisset integra. Sed tamen nunc quoque castitas est quiddam conveniens cum voluntate Dei, cum ordine, quem Deus sanxit in natura.

Quando igitur cogitatis de Deo, tum cogitate castitatem; cogitate Deum esse mentem castam. Deus est castus: Ergo est aliquid aliud quam Diabolus. Sic cogitate de ceteris virtutibus. Talis est Deus, qualem se describit in Decalogo. Facit autem et Spiritus sanctus tales motus, qui congruunt voci et doctrinae Decalogi. Ideo inquit textus: *Dabo legem meam in corda eorum*; id est, dabo Spiritum sanctum, qui excitabit motus congruentes cum lege Dei.

Spiritus sanctus est flamma, qua Pater amplectitur Filium ingenti amore; et est flamma, qua Filius amplectitur Patrem ingenti amore, et eadem flamma Pater et Filius amplectuntur hominem, et vicissim homo Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. Haec nulla creatura potest ulla oratione satis exprimere. Tamen debemus discere illa prima initia, seu elementa, seu alphabetum illius immensae doctrinae; postea in aeternitate illa clarius videbimus. Ibi natura erit perfusa Spiritu sancto, et ideo plenius agnoscet Deum. In hac vita sunt parvae scintillulae fidei, sicut Christus dicit: *Si habueritis fidem ut granum sinapis.*

Magna et tristis est infirmitas nostra; sed hoc tristius est, quod indulgent homines furoribus et cupiditatibus. Praeterea illi, qui simulant singularem sanctitatem, habent trabem in oculis, indulgent sibi in magnis et pessimis furoribus. Deus liberet Ecclesiam, et sanet omnes invocantes eum. Vos in pronomine illo *Meo*, observate, quod primum moneat nos de substantia Spiritus sancti. *De Spiritu meo*, id est, de mea substantia. Postea, *Meo*, id est, congruente cum mea notitia, lege, et voluntate. Utrumque in hoc comprehenditur. *Meo*, id est, consubstantiali; et, *meo*, id est, congruente cum mea lege, notitia, et voluntate. Praeterea, *meo*, id est, aeterno, ipse vivificat nos vita aeterna.

Est autem dulcis promissio, cum dicitur: *Super omnem carnem.* Utitur universali particula: sicut postea etiam inquit: *Omnis qui invocaverit nomen*

Domini, salvus erit. Est autem hoc oppositum imaginationi Iudaeorum, qui somniabant solos Iudaeos esse Ecclesiam, et populum Dei: Sic et invocatio est opposita cultibus Iudaicis. Cum nominat *nomen Domini*: intelligit Deum, agnitum hoc modo, sicut se patefecit: Patrem, Filium et Spiritum sanctum. *Qui invocaverit nomen Domini*:] id est, illum Deum qui se patefecit; et invocationem intelligit hanc, quae fit fide, iuxta illud: *Quomodo invocabunt, nisi credent?* Non loquitur de invocatione hypocritica, de qua Christus dicit: *Multi dicent: Domine, Domine. In nomine tuo daemonia eiecimus.* Non loquitur etiam de externis cultibus: loquitur de vera invocatione. Est autem magna consolatio. Dicit nos salvos fieri invocatione Domini: Ergo non salvamur nostris operibus, vel propter nostram dignitatem. Nos salvari invocatione Domini, est idem, quod dicit Esaias: *Notitia eius iustificabit multos.* Item quod est in concione Petri ad Cornelium: *Huic omnes prophetae testimonium perhibent, in nomine eius accipere remissionem peccatorum, qui credunt in eum.* Eadem sunt ista: id est, significatur, quod recipiamur agnitione huius Domini, qui se ostendit voce Evangelii, missum esse Filium, qui sit natus de substantia Patris, qui assumpsit naturam humanam, ut esset Mediator et victima, per quem, et propter quem datur Spiritus sanctus, et vita aeterna.

Ita repetita, inclusa et comprehensa est doctrina de iustitia fidei in hoc dicto: *Omnis qui invocat nomen Domini, salvus erit.* Et Paulus exaggerat universalem in hac ipsa sententia: *Dives est Deus in omnes, et super omnes invocantes eum.* Bis repetit universalem *Omnes*: et commonefacit nos, promissionem vere esse universalem. Sic igitur cogitemus singuli: Deus tecum loquitur, te ipsum alloquitur: Vult, ut te includas in promissionem universalem. Non tantum concionatur illi tempori, sed concionatur universo generi humano omnibus temporibus. Promissio data Adae et Evae pertinebat ad universum genus humanum, et iterum repetita semper pertinet ad totum genus humanum; ut, cum Deus inquit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.*

Cogitemus igitur ad nos quoque pertinere illa summa beneficia Evangelii, quae sunt missio Filii et passio, per quam placatur ira Patris, et satisfit iustitiae Dei: Item: quod propter Filium datur Spiritus sanctus, et vita aeterna. Haec sunt illud novum regnum, quod Prophetae praedixerunt. Suntque opposita illa imaginationi Iudaeorum de regno mundano. Vos existimatis Messiam allaturum esse mundanum regnum. Non hoc fiet, sed erit aliud regnum aeternum, quod inchoabitur per Spiritum sanctum, et per vocem Evangelii.

Ideo sequitur in textu: *Et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae*, etc. Intelligite praedicationem Evangelii, et omnia miracula coniuncta cum praedicatione Evangelii, quae fient in illo regno. *Prophetabunt*, id est, sonabunt doctrinam, concionabuntur, habebunt illuminationes, habebunt miracula, sicut semper edita sunt testimonia, et Ecclesia nunquam est sine miraculis, etiamsi non cernuntur oculis, tamen valde multa fiunt miracula quotidie, quae multo maiora sunt, quam si sanetur aliquis claudus. Quod nos servamur, quod Deus non permittit Diabolo, ut faciat vastationes universales, est magna bonitas et misericordia Dei. Certe non humanis praesidiis servamur, sed potentia Filii Dei, sedentis ad dextram aeterni Patris. De his ergo hic loquitur: sonabunt doctrinam, et habebunt testimonium.

Antequam veniat dies Domini magnus.] Prophetae complectuntur utrumque adventum, adventum primum Messiae, in quo passus est, et adventum secundum, in quo iudicabit illa, quae facta sunt, et fient haud dubie multa miracula ante novissimum diem, priusquam frangatur natura rerum. Videmus signa, Eclipses, Cometas, et alia signa, sed adhuc alia venient, credo extra naturalem ordinem Eclipsium. Sicut Eclipsis in passione Domini fuit extra ordinem naturae: ita multa tetra et horribilia fient extra ordinem.

Cometarum non potest reddi ratio sufficiens; sed tamen pertinent inter Physica signa. Sed erunt etiam signa non Physica: *Virtutes coelorum quassabuntur. Virtutes*, id est, exercitus coelorum, stellae, agmina stellarum, et totus ordo corporum coelestium; qui, quamquam est sui similis, tamen hoc animadversum est, distantiam veram Solis a terra aliam nunc esse, quam fuit tempore Ptolomaei. Intra quod intervallum, anni circiter 1400 ad nos usque elapsi suunt. Mutatam autem esse distantiam Solis a terra, est signum senescentis et labentis naturae.

Nos pauca intelligimus de istis; sed aliquanto plura intelligeremus, si essemus diligentiores, et studiosiores, tum plura possemus invenire: studia iacent, negliguntur, non iuvantur. *Honos alit artes*: sed potentes non curant, oderunt nos; et postea nos inter nos etiam mira rabie impedimus studia, et nos ipsos atterimus, distrahimus, et dissipamus, et conculcamur praeterea a potentibus, et a vulgo.

Inserit autem hanc memorabilem sententiam, de qua antea dixi, consolationis loco, qua docet, quomodo in tantis malis postremi temporis serventur homines. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* In hac promissione bene considerate universalem particulam, et includite vos in illam, et adiungite hoc dictum: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Quam dulce hoc est, quod maiestas divina se ita

demittit, ut ultro alliciat et invitet nos! Non potest ullus hominum tam amanter colloqui cum alio homine, sicut immensa illa maiestas demittit ac deiicit se, et tam blande nos alloquitur, invitat, et attrahit nos ad se.

Nos ista ne cogitamus quidem; tantum petulantia delectamur: vivimus pro libitu, et iactitamus interea libertatem Christianam. Hoc iam pulchrum est, et fortitudo, facere peccata, ubi non sunt peccata, et quae gravissima peccata sunt, ea pro peccatis non habere. Sicut aliquis nuper dixit, *Se malle homicidium facere, quam induere vestem lineam.* Quale, quaeso, hoc est? Et tamen palleamus ista summa specie sanctitatis et iustitiae. Ista mala deploremus: Invocemus Deum in timore, et in agnitione Filii Dei, et petamus nos regi Spiritu sancto. Ita vere pertinebit ad nos quoque promissio. Nos servabimur, et gubernabit nos Spiritus sanctus. Quid est, quod in mutuas clades irruimus? laceramus Ecclesias et Respublicas? incendimus odia, bella, vastationes? Postquam autem Petrus citavit dictum Ioelis, docet ulterius, quomodo Deus sit invocandus. Vult hoc dicere: Deus misit Filium suum, et agnitione filii illius dabit Spiritum sanctum, et allegat testimonia ex Psalmo, quod oportuerit Filium resuscitari, et simul complectitur promissiones omnes de Messia.

Valetne consequentia:

Oportuit regnare semen David:
Ergo oportuit resuscitari Christum.

Ita. Contra: Potuisset regnare divina potentia: Divinitas autem non est mortua; item potuisset anima regnare, etiamsi corpus non fuisset resuscitatum. Respondeo. Textus clare dicit, regnaturum esse semen Abrahae, et semen David. Promissio clare affirmat Messiam oportere esse hominem, et hominem regnaturum esse, natum ex semine Abrahae, ex semine David, natum de lumbis Abrahae, de lumbis David. Oportuit ergo resuscitari Christum secundum carnem, et non tantum animam, non tantum potentiam divinam regnare, sed regnare Christum etiam secundum carnem. Hoc expresse hic dicitur; et est bonum argumentum, quod diligenter est considerandum: *Oportuit regnare semen Abrahae: Ergo oportuit Christum resuscitari:* quia ita regnat semen Abrahae, ita sedet super solium David, natus ex lumbis David, quando ille Christus indutus corpore humano, sedet in regno promisso, qui assumpsit naturam humanam ex lumbis Abrahae, et qui est natus ex posteritate, seu ex lumbis David.

Hoc argumentum proponit sibi David, et in spiritu vaticinatur de Messia. Psalmus ipse est valde elegans: et quamquam in translatione antiqua non multum est errorum, tamen in principio est obscurites: *Conserva me Domine, quoniam speravi in te: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ibi varias expositiones finxerunt, sicut nuper etiam diximus, de Psalmo illo: *Exsurgat Deus.* Est insania, velle aliquid interpretari, si nescias textum et fontes, ideo debetis amare studia linguarum, ut fontes intelligatis, et sitis certi de principali doctrina cuiusque loci. Vult autem hoc dicere: *Domine Deus meus es tu, propter te non est mihi bene.* Volumus sequi simplicem expositionem; id est, affligor propter te. Filius affligitur propter confessionem veritatis: quia patefacit voluntatem Dei. Deinde affligitur propter decretum divinum, propter quod assumpsit naturam humanam, ut sustineret poenam pro genere humano. Prior pars Psalmi est precatio filii Dei, precantis pro se, et pro tota Ecclesia, et in illa precatione, primum ponit narrationem, prophetiam, doctrinam de passione.

Postea dicit de fructa passionis, seu de causa finali, cum dicit: *Propter te*; est causa impulsiva; id est, faciam hoc propter confessionem veritatis, et praeterea ut solvam debitam poenam iustitiae tuae: Postea sequuntur finales causae de fructu: *Mea passio proderit omnibus credentibus*: et sic discernit Ecclesiam veram a non Ecclesia: facit antithesin. Tertia pars Psalmi est vaticinium de resuscitatione. Ita sunt tres partes Psalmi: Passio, fructus pro Ecclesia, et vaticinium de resuscitatione.

Sunt pulcherrima poemata Psalmi, si observetur ordo membrorum. David fuit eloquens. Cogitate Spiritum sanctum, fontem linguarum, posse loqui. Multi cogitant Psalmos tantum esse confusaneos et ineruditos sermones: Cogitate Spiritum sanctum esse fontem eloquentiae; Ipse facit eloquentes, angelos et homines: quanto magis ipse est eloquens! *Es ist fein eigentlich, schön und lieblich, und* ordine *alles geredt.*

Sanctis qui sunt in terra.] Hic incipit secunda pars, *Ich hab mein wolgefallen an den* sanctis, *an denen* qui credunt in me. *Multiplicantur dolores illorum:*] id est, aliorum, qui non sunt sancti: multa sunt idola illorum, qui accelerant. Hoc pronomen Relativum *qui*, inserendum est, sicut alibi etiam saepe est omissum.

Non libabo libamina.] Haec est distinctio Ecclesiae a non Ecclesia. *Alii, qui accelerant post alium.*] Est Emphasis in verbo *accelerant.* Totum genus humanum vagatur, quaerit alios Deos, alia numina, et alios cultus: non agnoscit hunc filium, non consistit in hoc Filio, non consistit in hoc uno Domino. *Horum nomina non assumam*: id est, non volo pro illis orare. Sicut etiam dicit in Iohanne: *Oro pro eis tantum*: Pro persecutoribus non orat; persecutores non sunt Ecclesia. Est autem

terribilis haec oratio: *Libationes eorum non accipiam: Ihr Opfer wil ich nicht annemen.* Videtur quasi digito monstrare cultum Missarum; sed simul damnat synagogam persecutricem.

Dominus pars haereditatis meae.] id est, dabis mihi Ecclesiam, haereditatem, portionem: promiscue utuntur Hebraei istis vocabulis: *haereditas, portio, sors. Calix* significat demensum; *ein geordnetes mas, ein bescheiden theil, es sey in* afflictione, *oder* in rebus laetis. Ecclesia colligitur, servatur, sustentatur divinitus, non colligitur humanis viribus. *Funes*, id est, sortes, *das man hat abgemessen mit den* funibus; pars divina funiculis, limitibus distincta: Metaphorae sunt et Metonymiae: ut, fasces pro imperio dicimus. *Haereditas praeclara est mihi.*] id est, ego habeo praeclaram partem, vel haereditatem in genere humano.

Castigarunt me renes mei.] Paulatim accedit ad vaticinium de resurrectione: *Benedicam Domino, qui in illa tentatione affuit mihi:* docuit, erexit, sustentavit, et confirmavit me. Sicut etiam Deus misit angelum ad eum sudantem sanguinem, ut confirmaret eum, et potentia divina sustentatus est Christus. Nulla creatura potuisset sustinere illum dolorem, sicut saepe dicimus de causis, quare Filius Dei sit Mediator; quia nulla creatura fuisset par ferendae irae Dei.

Posui Dominum in conspectu meo.] id est, in illa passione, in illo ingenti dolore et tentatione, quando effusa est ira tua; Invocavi te, sustinui illam obedientiam invocatione tui.

Non concutiar.] Non cadam, μὴ σαλευθῶ.

Caro requiescet in spe.] id est, moriar quidem; sed caro mea non videbit corruptionem. Nominatim dicit de sua carne: nostra caro videt corruptionem, prius corrumpitur, et postea restituitur, sed illius caro ne quidem pervenit ad corruptionem.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno.] Non possumus hoc satis explicare. Christus descendit: nec dubium est, quin Diabolis incusserit terrorem, et resuscitatis multis mortuis se ostenderit in illa immensa potentia, et ostenderit eis regnum, quod iam essent habituri.

Notas mihi fecisti vias vitae.] id est, ego vivam; deinde habebo aeternam gloriam et vitam: sicut autem ipse vivit: ita tota Ecclesia vivificatur. Ita videtis, quam pulchra descriptio sit hic Psalmus passionis Christi et resurrectionis. Relegite hodie Psalmum diligenter, et considerate Grammaticam. Addam adhuc unam commonefactionem.

Est mandatum divinum, ut concordiam foveamus, et Christus ante agonem petit: *ut simus unum in ipso.* Item: *Deus est dilectio*; *et qui manet dilectione, in Deo manet.* Videte, quam sit hic sermo sublimis, quam sanctum sit hoc praeceptum de tuenda concordia, ne quaeramus petulanter occasiones ad turbationes faciendas. Sed hic dicitur, quod etiam habuerint bona communia, quod omnia vendiderint et distribuerint postea in egentes.

Sic argumentor:

Exempla Apostolorum sunt imitanda:
Communio rerum fuit illis in usu:
Ergo nobis quoque debet esse in usu.

Respondeo ad Maiorem: Exempla Apostolorum sunt imitanda, et quidem in illo intellectu, sicut ipsi fecerunt, et servaverunt. Ipsi servabant communionem, non quia esset res necessaria, sed quia erat commoditas eius temporis: quia bona eis eripiebantur, ideo malebant vendere, et partiri inter sese. Fuit signum, quod non diu habitaturi essent Hierosolymis. Non faciebant tamquam cultum, tamquam rem necessariam, sed propter commoditatem illius temporis. Non satis multa habemus, quae imitemur in Apostolis: fidem, dilectionem, patientiam, et cetera opera ipsorum, quae habent mandatum: Item sumamus ab ipsis doctrinam: nam et doctrinae puritas est mandata. Est mandatum, ut credamus, diligamus, sicut severissime praecipit vox divina. *Hoc est mandatum meum, ut diligatis vos invicem.* Ista ergo sunt facienda a nobis.

Sed sic quae alia res fuerunt extra illa mandata, ut quod ipsi fecerunt magna miracula, quod Petrus occidit Ananiam verbo, illa sunt peculiaria opera; sunt opera divina, quae non sunt imitabilia. Ea quae sunt mandata, imitabilia aliquo modo sunt. Non comminiscamur illa fatua somnia, quale est hoc in iure Canonico: *Optima est politia Platonica.* Imo maxima phantasia est. Apostoli non voluerunt esse Platonicam communionem. Non faciamus tam insulsas cavillationes. Sed talia fiunt extinctis studiis, ideo amate studia, ne fingatis eiusmodi absurditates. Et quamquam non multum est, quod assequimur, tamen est initium, ianua, et aditus ad aeternam sapientiam, quam in omni aeternitate discemus: quia oportet hic inchoari doctrinam, sicut saepe auditis: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Si debent mori in Domino, oportet eos hic inchoate doctrinam.

EX RHAPSODIIS ALIORUM ANNORUM.

Scitis ad confirmationem fidei spectare omnia testimonia patefactionum divinarum, inde usque ab initio generis humani. Semper autem cogitandae sunt illae patefactiones, et simul voluntas Dei, quare illas tradiderit. Quam mirabile est, quod legem tradidit tot miraculis et signis! Sed Deo sic placuit, ostendere generi humano et se et legem suam. Nam illa lex est ipsa sapientia Dei. Postea

etiam se aliis modis patefecit. Tradidit promissionem de Filio Salvatore, misit Filium: patefecit etiam personam Spiritus sancti, ut in baptismo Christi: item in hac historia. Hae patefactiones verissime testantur, quod Deus velit sibi colligere Ecclesiam et nos salvare.

Cogitemus visibili specie factam esse hanc, et alias patefactiones, non tantum propter illos, qui tunc vixerunt, sed etiam propter nos. Et quamquam illi habuerunt hanc praerogativam, quod illis visibilis illa species exhibita est, tamen Deus se nobis etiam saepe ita exhibet, ut in corde convincamur esse Deum, non minus ac illi convicti sunt illis visibilibus signis. Teneamus regulam: *Beati qui non vident, et tamen credunt.* Deo placuit ita ostendere Spiritum sanctum, et simul docere, qualis sit regeneratio et renonvatio. Exhibuit igitur in magna multitudine hoc signum, et addidit diversitatem linguarum: Postea etiam alia miracula, et sanationem claudi, et resuscitationes mortuorum. Vide autem, quid fiat.

Cum audirent illi diversas linguas, alii agnoverunt esse miraculum, alii deriserunt: Sic manifesta etiam opera Dei, tamen non movent omnes. Tanta est potentia Diaboli in cordibus hominum, ut manifestis miraculis tamen non moveantur, imo horribili furore contradicant.

Petrus apte citat testimonium Ioelis de Spiritu sancto, et observate consuetudinem Prophetarum. Qui, etsi describunt duos adventus: alterum adventum ad praedicationem, passionem, et resurrectionem: alterum ad iudicium, seu glorificationem post resurrectionem, ubi Ecclesia glorificabitur, seu ornabitur aeterna gloria; Diabolus ac hostes Ecclesiae abiicientur: tamen tales sunt saepe narratione in Prophetis, ut coniungant illos adventus brevi intervallo. Petrus dicit hoc dictum: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem;* pertinere ad tempus missi Christi, ad praedicationem, passionem, et resurrectionem. Et Propheta tamen statim dicit postea de altero adventu, in quo Dominus veniet ad iudicandum. Dicit circa illud tempus fore mirabiles mutationes naturae, praedicit fore multa portenta.

Scitis alibi discerni tria tempora mundi: Primum est ante diluvium, quod credo fuisse pulchrum. Aetas hominum fuit longaeva; quia natura fuit firmior. Altera aetas ab initio quatuor Monarchiarum, fuit aetas gladiatorum; habuit tamen sapientiam, quia fuit tunc Ecclesia Prophetarum et populi Israel. Helias incidit in mediam aetatem mundi: translatus est in coelum, circa tertium millenarium. Tertia mundi aetas, est ista postrema confusio, ruentibus Monarchiis, ubi debiliora sunt corpora, debiliores sunt etiam homines animis et consilii.

In istis magnis confusionibus tamen consolatio pulcherrima traditur: *Effundam de Spiritu meo.* Item, *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Si conferantur haec duo dicta; apparet discrimen trium personarum: *Effundam,* dicit aeternus Pater: deinde nominatur persona Spiritus sancti, *de Spiritu meo:* tertio nominatur Filius: *Omnis qui invocaverit nomen Domini.* Comprehendendae sunt autem etiam ceterae praedictiones Prophetarum; quia hoc dicit Dominus: Postremis temporibus mittam Filium, et gentes vocabuntur ad societatem aeternae Ecclesiae. Hoc est mysterium absconditum, praesertim si cogitemus, quale tempus praedicationis habuerint Apostoli; videlicet pollutissimum, et contaminatissimum: quale nunc in genere humano non existimo esse, quamquam multum est miseriarum, deformitatum, et confusionum, multum etiam insaniae. Ista oportet non ferre, et petere, ut Dominus servet Ecclesiam, et mitiget poenas.

Si vultis praecipuos locos doctrinae ex hac historia excerpere; tum inprimis considerate hanc sententiam, quae simul continet promissionem: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* 2. Considerate dictum: *Effundam de Spiritu meo.* 3. Exemplum quod illi sunt donati Spiritu sancto. Ubi habetis formam novae Ecclesiae, seu regni novi, quod inchoatur per Apostolos, vel potius per ipsum Dominum Iesum Christum, dantem Spiritum sanctum, sed ministerio Apostolorum. Antea somniaverant imperium, quale erat Augusti. *Itzt sahen sie es anderst.*

Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Considerate Antithesin cultuum Novi Testamenti, et ceremoniarum, mactationum, et cultuum legalium. In Novo Testamento praedicatur invocatio nominis Domini: id est, sicut se patefecit; quia *nomen* significat notitiam illius Domini, sicut nobis patefactus est, videlicet quod per misericordiam propter Filium Dei remittantur nobis peccata, tantum valet, quantum illa Psalmi sententia: *Omnis qui confidit in eo, non confundetur.* Haec est doctrina Novi Testamenti, quae dicit per Filium Dei remitti peccatum; et hanc remissionem peccatorum fide accipiendam esse, et sanctificari homines, atque ita praestari Deo veros cultus in agnitione Filii.

Emphasis est in verbo *invocandi.* Deus mittet Filium, et qui invocabunt eum fiducia huius Filii, praestabunt ei veros cultus. Quando autem dicitur de invocatione, oportet simul comprehendi fidem: et vicissim, quando dicitur de fide, oportet simul comprehendi invocationem. Semper oportet invocationi praelucere agnitionem huius Domini. Haec est antithesis cultus Novi Testamenti, et cultus Veteris Testamenti.

Additur autem Universalis, *Omnis qui invocaverit: Ergo erunt multi, qui invocabunt:* Quamquam prae multitudine pereuntium videbuntur esse pauci. Hanc universalem saepe repetit Paulus, et est magna consolatio; quia sunt duae praecipuae tentationes, quae maxime repellunt hominem a Deo. I. de magnitudine peccati nostri: Ah, tu habes nimis magna peccata. Diabolus cuilibet facit vulnus, quod eum excruciat, et languefacit fidem et invocationem. Si in hoc peccatum non incidisses, haberes, quo niti posses: posses secure accedere ad Deum. Hic oportet te credere promissionem de Filio Dei esse gratuitam. Adam in morte non debuit dicere: Domine, abeas a me, sicut Petrus stulte dicit. Sed debet obedire Domino, offerenti remissionem peccatorum.

Altera tentatio est de particularitate: Cogitamus Deum habere catalogum nobis ignotum, in quo scripti sint, qui sunt salvandi: et dubitamus, utrum nos pertineamus ad illum numerum salvandorum. Sed debemus assentiri verbo, etiamsi non omnia possumus conciliare, quae se in contrarium offerunt. Debemus opponere promissionem universalem: *Omnis qui invocaverit.* Item: *Venite omnes qui onerati estis.* Item: *Conclusit omnes sub peccato, ut omnium misereatur.* Talibus dictis debemus nos exsuscitare, ut repugnemus diffidentiae. Quod cum facimus, etsi sumus trepidi et infirmi, tamen experiemur per meditationem talium dictorum dari Spiritum sanctum: qui mentes confirmat et corroborat.

De dicto: *Effundam de Spiritu meo.*

Aeternus Pater et Filius spirant Spiritum sanctum in tuum cor, copulant te sibi, vivificant te, et efficiunt motus similes sibi. Significat autem inchoationem novitatis per vocem ministerii, quia dicit: *Prophetabunt*: id est, erit ministerium Evangelii. Ita inchoatur novitas spiritualis in hac vita: per Evangelium illucescit nobis notitia Dei, sed Spiritus sanctus addit motum.

Sicut scitis discrimen: Notitiae sunt in cerebro, cor autem gignit spiritus; qui sunt flammulae, et organa praecipua omnium actionum corporis, et instrumenta affectuum: ut quando irascimur, quanta fit inflammatio halitus et impulsio. In homine θυμὸς est concursus venularum et arteriarum. In isto loco sentimus insignem dolorem, quando irascimur: item rubescit tota facies, quando fit impulsio spirituum. Ita cogitemus Spiritum sanctum esse agitatorem. Ille effunditur in corda hominum, et permiscetur tuis spiritibus vitalibus et animalibus. Non possumus iam post lapsum perscrutari opus creationis, sed tamen in reparatione sentimus in consolatione nos vivificari Spiritu sancto. Diaboli permiscentur impiorum spiritibus in corde et in cerebro; iniicit Diabolus furores, tumultuatur in ipsorum animis, iuxta illud: *Intravit in eum Satanas.* Item: *Diabolus tenet captiva corda eorum.*

Iam cogitate, utrum velitis esse domicilia Spiritus sancti, regi ab isto vivificatore, an velitis fieri cloacae tetrorum illorum et incestorum spirituum Diabolorum? Sed oremus Filium Dei, ut per suam magnam misericordiam defendat nos contra furores Diaboli, det nobis Spiritum sanctum, quem ipse et aeternus Pater effundunt in corda hominum.

Ὃν ἐποίησε, dicit hic Petrus, quem fecit Salvatorem:
Ergo recte Ariani dicunt Filium esse factum.

Respondeo. Non loquitur de generatione substantiae, sed de constitutione officii, id est, constituit eum Salvatorem.

Baptizetur unusquisque.] Ibi videtis, quale fit regnum Christi, collectio Ecclesiae: item qualis sit vera conversio, et poenitentia. Textus inquit: *Compuncti sunt corde.*

Μετανοεῖν est reprehendere priorem sententiam. Complectitur 1. contritionem, 2. fidem, 3. novam obedientiam. Si quis habet distinctionem commodiorem, habeat sane, dummodo illa sit accommodata ad docendos iuniores. Oportet esse aliquos dolores, et pavores, iuxta illud: *Initium sapientiae, timor Domini.* Ubi hoc fit, quod est apud Prophetam, *Erubescere nescierunt*, ibi prope est condemnatio. Quod autem in istis etiam fuerit fides, ostendunt haec verba Petri: *Baptizetur unusquisque in nomine Christi.*

Quid respondes ad argumentum: *Apostoli mutant formam baptismi: Ergo licet Episcopis facere mutationes in Sacramentis?*

Respondeo. Apostoli hic loquuntur de effectu; item de doctrina. *In nomen Christi:* id est, in agnitionem Christi. Sic etiam Roman. 6. *Baptisati in resurrectionem Christi.*

Estne propositio vera: *Divinitas est mortua?*

Respondeo. Non, Estne vera, *Deus est mortuus?* Ita. Quid interest? Quando dico: Divinitas est mortua; ibi in abstracto nominatur natura secundum se considerata. Divinitas autem non

est mortua. Petrus est usus particula *κα τὰ, secundum.* Ea particula Paulus etiam usus est, quando ad Romanos dicit: *secundum carnem.* Quando dicimus de Christo: *Deus est mortuus.* haec propositio est vera, communicatione idiomatum.

Quid est Communicatio Idiomatum?

Est forma loquendi, quando proprietates, quae conveniunt alterutri naturae, tribuuntur personae in concreto, propter unionem hypostaticam. Non intelligite Physicam communicationem, *wie etliche schendtlich reden.*

Valetne consequentia: *Christo promissum est regnum: Ergo necesse fuit illum resurgere ex morte?*

Valet. Contra: Poterat regnare etiam non resuscitatus. Respondeo. Sed non secundum humanam naturam: Imo secundum humanam naturam: quia anima est pars humanae naturae. Idque dico, ut argumentum videatur esse firmius. Respondeo. Textus dicit promissionem factam esse, ut natus ex lumbis David habeat regnum aeternum. Hoc pertinet ad totam humanam naturam. Et corpus nascitur ex lumbis David, quicquid sit de animae traduce. Promissio dicit: *Regnum habebit natus ex lumbis Davidis: Ergo homo resurget.*

Quid est exaltatio, de qua Petrus dicit: *Hunc exaltavit Deus?*

In Scholasticis Scriptoribus dicitur: *Glorificatio continet impassibilitatem et immortalitatem.*

Estne satis dictum?

Non: Quia unusquilibet homo sic glorificabitur. Tu sic glorificaberis, ut resuscitatus, deinceps non sis subiectus morti, sed futurus ἀπαθὴς, id est, qui nullo modo laedi possit. Moises, qui est in coelo, Helias, et multi sancti, qui cum corporibus suis resurrexerunt cum Christo, et sunt in coelo, sic sunt glorificati. Corpus Heliae est invulnerabile, mors ei non dominatur: Ergo nondum est satis dictum: quia Heliae corpus non regnat ut Christus.

Quid est ergo exaltatio Christi?

Est eum esse Sacerdotem et regem perpetuum. Iste homo Christus, stat in conspectu Patris, in arcano consilio Patris, interpellat pro nobis: item colligit ac defendit Ecclesiam. Haec est exaltatio in regno et sacerdotio, propria Christi. Immortalitas et impassibilitas non sunt tantum Christi propria. De solo Christo dictum est: *Tu es Sacerdos in aeternum.* Item, *Sede ad dextram meam, et dominare in medio inimicorum tuorum.* Haec non fiunt gloriose. Et quamquam regnat Christus divina potentia; tamen regnat in humana natura, et multa corpore suo facit. Haec reverenter sunt cogitanda. Sciamus intercessionem pro nobis esse partem exaltationis in sacerdotio Christi, stantis in consilio aeterni Patris, deprecantis pro nobis, et applicantis suum meritum. Sic exaltationem Christi in regno sciamus esse, quod ista persona colligit Ecclesiam, defendit nos adversus Diabolos, est noster propugnator. Nisi ipse nos tegeret, multis cladibus assidue afficeremur. Quam prope factum esset, ut in hac nocte multae caedes fierent, nisi Filius Dei nos texisset? (Ea vero ipsa nocte defenderat se Philippus contra Polonum, armis, in eum irruentem, qui postea ex Academia exclusus est.) Cogitate nos filio Dei esse insitos, et esse membra Ecclesiae. Ipse defendit nos, sustentat, quamquam miseros. Defensio est regni. Item, Vivificare ex morte, dare vitam aeternam, resuscitare ex morte, pertinent ad exaltationem in regno. Discite ergo invocare Christum, non otiosum, sed stantem in consilio Patris, intercedentem pro nobis, colligentem Ecclesiam, servantem, vivificantem, et defendentem nos.

Exempla visibilis praesentiae Spiritus sancti.

Sed venio ad historiam, quae est narratio de visibili missione Spiritus sancti. Scribitur de Ambrosio, quando dictavit enarrationem Psalmi, in quo sunt haec verba: *Sicut oves mortificavit nos tota die.* Ibi scriba vidit flammam circa os eius. Idem de Helia scriptum est, quando visus est infantulus lambere papillas, et ubera matris, mater et alii homines viderunt eum capere una cum lacte flammam. Significatum est, futurum in eo Spiritum sanctum, et actiones Spiritus sancti in eo futuras esse eximias et singulares.

Quam ob causam facta est visibilis missio?

Ut sciamus, sine ulla dubitatione, Ecclesiae dari Spiritum sanctum. Secundo, ut sit testimonium, quod Spiritus sanctus sit ὑφιστάμενος.

Essetne Spiritus sanctus quiddam subsistens, si esset motus creatus?

Non; quia Accidens non potest esse sine subiecto. Idololatria illa in adoratione panis, quando dicitur, quod ibi sint accidentia sine subiecto, est mendacium horribile. Si Spiritus sanctus esset motus creatus, non esset quiddam seiunctum a corde hominis: quia omne Accidens est in subiecto. Illa missio est testimonium, quod Spiritus sanctus sit ὑφιστάμενος, distincta persona a Patre et Filio.

Filius clare dicit: *Mittam Spiritum sanctum;* ut distinguat a se Patrem et Spiritum sanctum. Spiritus est agitator et est laetitia, sed substantialis laetitia; ut, Filius est λόγος, sed ὑφιστάμενος λόγος.

Gradus hominum in prima Ecclesia.

Distinguuntur hic tres differentiae hominum: Iudaei, Proselyti et Religiosi. Urias, maritus Bathsebae, erat proselytus. Erat magnum scandalum inter Idumaeos, fieri proselytum; tamen multi fiebant proselyti, ut eo placabilius viverent inter Iudaeos. Viri religiosi innumerabiles fuerunt inter gentes. Deus ideo sparsit Iudaeos inter gentes, ut sic converterentur; et quia multi Iudaei fuerunt inter Germanos, credo multos ex maioribus nostris conversos esse, etiam ante praedicationem Evangelii. Quod fuerint Ratisbonae Iudaei antiquissimis temporibus, eius rei inveniuntur testimonia non obscura. Ratisbona fuit colonia deducta Tiberii tempore. Dicta fuit *Augusta Tiberia.* Ego habeo hanc opinionem, quod multi ex Iudaeis, qui abducti erant ex decem tribubus in Colchicam, inde transiverint cum Germanis in hanc oram: quia gens Germana fuit eis acceptior, quam aliae; et est semper valde laudata propter hospitalitatem, ut est apud Tacitum, qui vixit sub Traiano et Domitiano.

Cornelius expresse scribitur fuisse unus ex religiosis, ideo dicitur, quod Cornelii oratio exaudita sit, et eleemosynae eius placuerint Deo. Non fuit ergo sine fide in Christum: quia sine fide non placent opera Deo. Cornelius fuit fidelis ante visibilem missionem Spiritus sancti: fuit εὐλαβής, habuit legem moralem, et promissionem de Messia. Unde sciebant isti promissionem de Messia pertinere ad gentes? Quia sciebant in promissione ad Abraham dici: *In semine tuo benedicentur omnes gentes: Das solt ihr mercken.*

Tempore Pentecostes plurimi venerunt Hierosolymam: quia potuerunt navigare eo ex Italia, ex littore Asiatico, ex Cyrenaico. Romae multum Iudaeorum fuit propter imperium. Illi Iudaei, qui erant in provinciis, proficiscebantur in festis Hierosolymam, et maxime in Pentecoste, propter commodam navigationem. Est enim tunc minus tempestatum, quam initio veris, vel in autumno: Ducebant secum alios sanctos amantes doctrinae, qui videbant collegia Hierosolymitana; audiebant doctores, ut adhuc boni cupiunt videre tales coetus. Et quid est dulcius, quam conferre cum aliis de doctrina? Utinam nunc ita esset! Sed tale venenum iam est inter Theologos, ut non audeat alter alteri communicare aliquid: Omnia rapiuntur in calumniam: *Es kan keiner mit dem andern reden.* Qui exerceant et inflamment ista odia, notum est. *Man siehets undt erfehrets alzu wol.*

Cum igitur convenisset ingens multitudo ex diversis gentibus, Iudaei, proselyti et viri religiosi; voluit Deus ostendere testimonia de Evangelio. Talia testimonia fuerunt donum linguarum, visibilis missio Spiritus sancti, sanatio claudorum, excitatio mortuorum. Item, quod Petrus Ananiam interfecit verbo. Horum aliqua conspecta fuerunt etiam primo illo die Pentecostes, quo sunt conversi 3000 hominum. Cetera sequentibus temporibus magis magisque facta sunt.

Petrus in concione sua citat Scripturam, ut doceat, quale sit futurum regnum Christi; quasi dicat: vos Iudaei putatis Messiam habiturum regnum politicum, sit partiturus vobis provincias, opes, aurum, potentiam Ethnicorum. Erratis; tale erit regnum Messiae, ipse surrexit, et colligit Ecclesiam per nos, et dat Spiritum sanctum, ut hic dicitur: *Ipse exaltatus, mittit Spiritum sanctum.* Et antea, *Stans post resurrectionem, afflavit Spiritum sanctum Apostolis.* Haec congruunt cum vaticiniis prophetarum. *Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum.* Item, *Effundam de Spiritu meo.*

Cum inquit: *De meo;* significat consubstantialem Spiritum, quia in Deo nihil est, quod non sit ὁμοούσιον. Iam cogitate, quale donum hoc sit? quid potest tibi Deus maius dare quam se ipsum?

Sicut Pater mittit Filium, amore substantiali sibi copulatum, sic effundit amorem substantialem Pater in tuum cor, ut confirmet te, quod sis acceptus Deo propter Filium. Filius propterea assumpsit humanam naturam, ut inserat te sibi: Is afflat tibi Spiritum sanctum, qui est consubstantialis Patri et Filio. Ideo in Iohanne scriptum est: *Non sumus in eo, et ipse in nobis: quia de Spiritu suo dat nobis.*

Quid est in dicto Ioelis: *prophetabunt*?

Idem est, quod praedicabunt, profitebuntur, invocabunt, celebrabunt Deum, confitebuntur eum, enarrabunt mirabilia opera Dei, gratias agent. Ita simul comprehendit veram doctrinam, veram invocationem, celebrationem Dei, veros Dei cultus, de quibus et in his verbis dicit: *Omnis qui invocaverit nomen Domini.* Non est ibi praerogativa legis. *Omnes,* tam Ethnici, quam Iudaei.

Nomen Dei, est agnitio Dei, sicut se patefecit, ut, cum in precatione Dominica dicitur: *Sanctificetur nomen tuum:* id est, agnoscatur tuum nomen, scilicet iuxta promissiones. Sciatis Deum invocandum esse iuxta patefactiones per Filium.

Paulus urget particulam: *Omnis. Est dives Dominus in omnes qui invocant eum,* tam Ethnicos quam Iudaeos. Igitur abrogat ceremoniales cultus, et instituit verum cultum, qui est vera invocatio, quam et *prophetium* nominat.

Postea incipit concionari de Christo: affirmat verum esse, quod Christus resurrexerit, praedicat poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine Christi, ut hoc modo regnum eius inchoetur inter ipsos.

Quod peccatum in illis taxat?

Vos crucifixistis Christum; quia consenserant in mortem. Multi adfuerant, aperte et palam assentientes Pharisaeis. Alii adhuc erant blasphemi, quamquam ex ignorantia. Iam vero nos omnes crucifiximus Christum: quia sumus causa mortis. Sed hoc tamen singulare peccatum est, persequi Christum et Ecclesiam. Differunt autem gradus persequentium. Multi sunt, qui ex ignorantia hoc peccatum habent, qui convertuntur. Alii dedita opera blasphemi sunt, qui scientes oppugnant articulos fidei, qui non convertuntur. *Compuncti sunt.*] Confossi sunt in corde, id est, consternati sunt, acceperunt magnum dolorem in corde: ibi clamant: *quid agemus?* Ibi Petrus dicit: *Agite poenitentiam, et credite Evangelio, et baptizetur unusquisque in Christum.* Non mutat formam Baptismi, sed loquitur de effectu.

Suntne partes Conversionis hic expressae?

Ita. *Compuncti sunt corde.*] est contritio; postea, cum quaerunt: *quid faciamus?* et Petrus respondet, *Agite poenitentiam,* comprehenditur fides, et bonum propositum. *Μετάνοια* est mutare propositum: *Qui furatus est, non furetur amplius:* est contritio, ad quam accedit fides, et initium novae obedientiae. Similiter cum dicit: *Baptizetur unusquisque ad remissionem peccatorum;* comprehendit fidem. Videtis igitur recte a nobis tradi puerilem illam doctrinam de poenitentia. *Wer es wil anders machen, der fahre hin, wie es Osiander macht.* Primum videbatur dicere de vocabulo: deinde paulatim progressus est, ut inde aliud extrueret.

Qui procul sunt.] Hic gentibus etiam offertur illa ingens et innenarrabilis gratia, quod sic colligit Ecclesiam per ministerium.

Quoscunque advocaverit.] Videtis Ecclesiam colligi verbo, et eam excerpi ex multitudine impia: Tam diu servabit Deus genus humanum, donec compleatur numerus electorum.

Tria millia.] Fuit magnum miraculum tot hominum conversio uno die; et dicit: *sua vendebant.*

Quaero, an necessaria sit communio rerum?

Non. Contra:

Exempla Apostolorum sunt imitanda:
Apostoli fecerunt communionem:
Ergo nos quoque debemus istam facere.

Respondeo. Exempla Apostolorum sunt imitanda, scilicet ea, quae sunt praecepta; quia, *non exemplis, sed legibus est iudicandum.* Habuerunt autem omnia communia, neque semper, neque ubique, sed Hierosolymae. Et fuit probabilis ratio: quia melius erat in tempore bona vendere, quam ut eriperentur per vim. Excutiebantur enim ex facultatibus; sicut vidi similes literas inquisitionis Caroli in Belgio, *das man solte den* Lutheranis *nemen die güter, und sie daraus stossen.* Hoc fiebat ad incutiendum terrorem: quia nemo amittit libenter facultates. Deinde hoc agebatur, ut, si qui facti essent Christiani, fierent exules amissis facultatibus. Tertio, ut inescarentur scelerati ho-

mines praeda ad prodendos Christianos. Illa sciebant Christiani, et erant cautiores: vendebant bona, et iuvabant inde quos poterant. Ista debetis discere, vos adolescentes; quia memini grandiores non bene in adolescentia institutos, non potuisse erudiri de illis rebus.

Evangelium illa, quae sunt politica et oeconomica, non abolet; ut, non abolet curam corporis, artem medicam, architectonicam, culinariam artem, concedit corporalia: *das ist* de exemplo Apostolorum: *darnach kommet,* Petrus interfecit Ananiam, quod non contulit omnia sua.

Sic argumentor:

Hoc est peccatum, propter quod homo interficitur:
Petrus interfecit Ananiam non conferentem:
Ergo non conferre, est peccatum.

Nego Minorem: quia Petrus interfecit eum, non propter collationem non factam, sed propter mendacium. *Quare mentitus es Spiritui sancto?* inquit, *Potuisses tamen retinere.*

Petrus interfecit Ananiam verbo:
Ergo idem licet cuilibet pastori contra inobedientes auditores suos.

Respondeo. Concedo, quando sciunt, sicut Petrus, verbo occidere. Hoc opus Christi fuit loquentis in Petro; et fuit opus Spiritus sancti, qui fuit efficax per illum sermonem. Quando autem dicitur: *Pastori non licet interficere inobedientes auditores,* hoc est intelligendum de vi corporali.

De Proselytis.

Christus reprehendit Pharisaeos, quod faciant proselytos. Quare hoc reprehendit? Respondeo. Reprehendit opinionem necessitatis. Pharisaei imaginabantur, quod Ethnici non possent esse sancti, nisi acciperent circumcisionem. Postea etiam accesserunt alii errores de iustitia et merito. Fingebant eos esse iustos propter legem. Sed quia Ethnicis non erat data lex politica Mosi, id est, doctrina ceremonialis, et forensia iudicia, illa nihil pertinebant ad Ethnicos.

Circumcisio non erat necessaria nisi illis, qui erant nati ex posteritate Iacob: quia Deus voluit politiam illam tantisper manere, donec veniret Messias: et stante politia, oportuit illum populum circumcidi, ut esset discrimen Iudaeorum et gentium: quia Messias nasciturus erat in populo Iudaico. Apostoli Actor. 15. condiderunt decretum, ut quando gentes reciperentur, non imponeretur illis circumcisio, neque alii ritus. *Non imponamus,* inquiunt, *Ethnicis circumcisionem, sed ut abstineant ab idolis, a scortatione, a suffocato et sanguine.* Sumptum est hoc decretum ex veteri forma; quando Iudaei expugnabant oppidum extra suos limites, tamen non cogebant illos ad circumcisionem, sed ad doctrinam ipsorum amplectendam

Tempore Iulii multi fuerunt Iudaei Romae, noti illustribus familiis, sicut etiam Ciceronis tempore aliquibus obiectum fuit, quod *Iudaizarent:* id est, fuerunt aliqui, qui ipsos audierunt, amplexi sunt eorum doctrinam. Ideo dicit Cicero de lege, quae prohibet ferri pecuniam ex provinciis in Hierosolymam; quia sancti viri conferebant pecuniam ad templum. Etiam apud Iosephum fit mentio Germanorum, qui fuerunt inter stipendiarios Herodis. Mihi non dubium est, quin multi ex patribus nostris Germanis fuerint conversi; quia verum est, quod plurimi Iudaei fuerint sparsi in Germaniam etiam illis antiquissimis temporibus Ego habeo hanc coniecturam, quod Iudaei ex illis decem tribubus sparsi in Colchica, transierunt cum Germanis in haec loca, tempore Darii.

Unde habent nomen Germani?

Nomen Germanorum non est Latinum. Quid significat Latinis *Germanus?* Latina vox dicitur a germine: significat aliquid nativum. Inde est germanus frater, germanum aurum, *natürlich golt.* Nostri homines non habent nomen a Latina appellatione. Nomen Germani est antiquius, quam ut ab eo tempore tantum fuerit, cum Romani venerunt in ista loca. Alii deducunt ab *Heerman,* filii exercitus: *Wie die alten haben* Hermiones *geheisen haben ein hart* h *gemacht.* Ex *h* fecerunt *g,* vel *c.* Gallici scriptores dicunt *Clodoveus,* pro Ludovicus: Sicut adhuc Helvetii faciunt. Sed illud est bellum, si deducatur a *Gerim anim,* id est, exsules miseri. Fuerunt multi sancti viri sparsi inter gentes, qui sparserunt doctrinam de Deo: et Deus collegit sibi Ecclesiam ex gentibus, etiam illis temporibus. Credo etiam disciplinam apud Germanos fuisse modestiorem, propter tales viros, sicut videtis eam laudari a Cornelio Tacito. Valde laudat fidelitatem in hospitibus, in vitandis caedibus et homicidiis. Dicit apud hanc solam gentem esse connubia casta, praeter caeteras gentes. Magna laus est. Utinam eam possemus nunc tueri!

Locutis sunt variis linguis.

Aliqui hoc interpretantur, quod Apostoli locuti

sint tantum sua Hebraea lingua, et quod sint tamen intellecti a diversis: quasi loquerentur linguis alienis. Hoc non vult textus; quia illud esset miraculum in audientibus, non in dicentibus. Textus clare dicit: *Audiebant eos singuli sua lingua loquentes.* Et postea dicit: *Coeperunt loqui diversis linguis.* Est miraculum loquentium, non audientium. Illi, qui ex una gente fuerunt, coniunxerunt se, conterranei cum conterraneis. Apostoli ibant ad agmen, quod loquebatur Syriace, Graece, etc. alii ad aliud agmen. Credo non fuisse ibi multos Latinos. Et puto Romanos Graece locutos; quia Romanis non erat nota lingua Hebraea: nolebant discere illam linguam; potius discebant Graecam, quae erat nota et usitatissima in Asia.

Distributio Temporum cibi capiendi apud veteres.

Hora diei tertia, est septima vel octava hora antemeridiana apud nos. Non fuit mos istarum gentium, haurire vinum adustum, *branten wein*, sicut nostri homines faciunt. Habuerunt ordinata tempora cibi et potus capiendi. Credo etiam iuniores non habuisse ἄριστον, (tempus edendi indefinitum) sive ientaculum, sed δεῖπνον, id est, coenam. *Die da arbeiten, die hatten* prandia: tamen non credo tam mane, ut nostri.

Effundam de Spiritu meo.

Quam dulcis est oratio, quod ait: *de meo!* Alius est Spiritus, qui est in Deo, et qui est ipse Deus: alius vero est motus extra Deum. Quid significat Spiritus, cum dicitur [Psalm. 75.]; *Terribilis et potens qui aufert Spiritum Principium, der da macht, das kein muth da ist, das nichts von staden geht.* Pompeius quando vincitur, frangitur animo. *da er siehet, das das gluck weg ist, verzagt er.* Ibi *spiritus* significat magnitudinem animi. Deus potest dare magnitudinem animi principibus, et rursus eripere. Cogitate de Mario et similibus, quando fortuna reflavit, tunc conciderunt animi. Spiritus in talibus significat motum creatum. Textus autem hic dicit *de meo*, qui est in Deo. Ergo Spiritus est Deus, et tamen est alia persona, quam Pater et Filius; quia dicitur Ioelis 2. cap. et Esaiae 44. *Effundam de Spiritu meo.*

Super omnem Carnem.

An omnes acceperunt Spiritum sanctum? Respondeo. Universalis hic significat genera, non significat individua. Omnium hominum genera salvabuntur. Propositio est intelligenda distinctive: *Als wenn ich sage:* Omne animal fuit in arca Noae: Omnis Iudaea exivit ad Iohannem: ibi Synecdoche est, id est, ex omnibus partibus Iudaeae aliqui, non significantur omnia individua. Alibi vere est universalis, quando comprehendit singula individua.

Et prophetabunt.] id est, sonabunt verbum Dei docendo, confitendo, agnoscent illa arcana promissa Dei. Signa quorum hic facit mentionem, potestis conferre, et ad primum et ad secundum adventum; quia resurrectio Christi, et hominum mortuorum fuerunt magna signa. Item patiente Christo factus est terrae motus, et Eclipsis conspecta est contra naturam, etc.

Impossibile erat teneri.

Quare erat impossibile? Quia erat λόγος persona divina, quae non poterat mori, quae sustentavit naturam humanam, ne dissolveretur. Deinde etiam erat ideo impossibile; quia constitutum et praedictum erat, ut revivisceret, Psalmo 16.

Sequitur in textu: *Propheta igitur, cum esset, et sciret secundum carnem resurrecturum esse Christum.* Cetera includite parenthesi: (*Quia iureiurando iurasset illi Deus, quod de fructu lumborum eius, quantum ad carnem, Christus exoriretur, ac sederet super sedem eius*) *praescius locutus est de resurrectione Christi.* In his verbis habetur, quod divinitas non sit passa. Et sic Petrus in priori sua Epistola, capite 4. dicit: *Passus est carne.* Item Roman. I. *Natus ex semine Abrahae secundum carnem, κατὰ σάρκα.* Non semper exprimitur particula *κατὰ*, sed simpliciter etiam dicitur casu instrumentali, *σάρκα*, id est, *carne.*

Non videbit corruptionem] id est, non dissolvetur, sicut nostra corpora dissolvuntur.

Dextra Dei exaltatus.] Videtis valde concinne tres personas nominari: et est insigne hoc, quod dicit Christum accepisse hoc donum a Patre, ut alludat ad dictum Psalmi: *Ascendit in altum, accepit dona pro hominibus.* Quando petis Spiritum sanctum, debes eum petere propter Christum, et per eum.

Christum fecit Deus.

Estne propositio recepta in Ecclesia: *Deus fecit Christum; Christus factus est?* Hae non sunt receptae in Ecclesia, *Christus factus est, Christus est creatus, Christus est creatura.* Quod autem hic dicit: *quem fecit Deus*; *facere* significat ordinare

hoc loco, non creare. Non loquitur de essentia, sed de ordine officii, quia Christus est nomen officii. *Fecit Christum*, id est, constituit illum regem: sicut in Epistola ad Hebraeos dicitur: *Fecit eum summum sacerdotem.*

Hunc quem crucifixistis.] id est, vos Iudaei exspectatis Regem. Ille vero non est alius, quam is, quem crucifixistis. Est valde terribilis concio et tristis. Iam cogitate: Non in illis tantum fuit peccatum, qui crucefixerunt Christum, quamquam ignorantes: sed in nobis etiam est multiplex peccatum. Est in omnibus hominibus magna infirmitas, quod non ita firmiter credimus, quod Deus voluerit nos per et propter Filium redimere. Quando aliquis fecit caedem, vel commisit magnum scelus; ille qui fecit, cogitat esse magnum peccatum. et valde angitur, et dolet. Non autem cogitamus esse peccatum, non credere Filio, non agere gratias pro donato Filio.

Compuncti sunt corde.] *Das hertz ist ihnen durchstochen:* id est, valde perterrefacti sunt, consternati; expaverunt, indignati sunt sibi ipsis. *Das heist* spiritus compunctionis, et irae, *wenn man sich hefftig erzürnet, und unsinnig wirdt uber einem dinge:* est mixta insania luctu. Aliqui disputant contritionem esse meram passionem. Sed ita fit: *Stultitia semper est coniuncta cum malitia*, ut cum vociferantur: Bona opera sunt perniciosa ad salutem, non volunt pati propositionem: *Bona opera sunt necessaria.* Dicunt: Nova obedientia non est necessaria; quia est voluntaria. *Es ist eine Bacchantische rede.* Nova obedientia est voluntaria: Ergo non est necessaria; quasi, quod voluntarium est, non sit necessarium: ut, voluntarium est solvere creditori, et tamen etiam necessarium est me solvere. Quando non est voluntarium, tunc non est virtus.

Quid respondes ad argumentum:

Apostoli mutarunt formam baptismi:
Ergo Papae etiam licet mutare ritus et cultus in Ecclesia.

Respondeo. Textus loquitur de affectu Baptismi, non de forma. Deinde aliter respondeo: Episcopi habent potestatem circumscriptam, a quo non debent discedere: Apostoli autem illustrandi causa potuerunt aliquid facere. Et certe auctoritas Apostolorum maior est quam Episcopalis.

Erant perseverantes.

Quae res sunt necessariae ad unionem in Ecclesia? Consensus in vera doctrina, id est, in doctrina Apostolorum, *wie es hie stehet.* Postea, consensus in fractione panis, id est, in usu Sacramentorum. Mihi bene placet in *fractione panis*, intelligi usum coenae Domini, sed inde non sequitur; Ergo nos opus est altera specie. Tertio, communicatio officiorum, ut alter alterum ferat et iuvet.

Habebant omnia communia.

Sunt narrationes breves. Non cogitate, illa subito sic constituta esse, sed paulatim sic processerunt. Apostolorum exempla sunt imitanda, sed quae habent praecepta. Hoc autem exemplum de communi marsupio, non habet praeceptum. Instituerunt communitatem bonorum probabili causa. Quamquam mandata est divinitus et sancita distinctio dominiorum; tamen saepe aliter potest fieri probabili causa. Sic Apostoli utilitatis causa vendebant possessiones: alias fuissent eis ereptae. Deinde habuerunt alias causas, ut darent pauperibus. Non est dandum stellionibus et fucis, qui, ut scitis, obsident alveos, et absumunt apibus mel. Fuci non sunt alendi aliorum miseriis et laboribus. Validi mendicantes sunt hirudines, *die das blut aussaugen. die da ein Land umbher lauffen, gedencken, man sol sie ernehren. Man kan es nicht thun, und man sol es nicht thun.* Paulus dicit: *Laboret quisque suis manibus, ut possit vivere de suo.* Communicatio illa inter discipulos non fuit cultus Dei, sicut Anabaptistae fingunt, qui includunt suos filios in unum communem locum, et volunt videri, omnes alere communiter. Interea non curant liberos, qui negliguntur multi. Mater non ita afficitur cura peregrini filii, ut proprii. Aristoteles dicit: *Proprium est charum.* Illa quae per alios agenda sunt, videtis, quod segniter agantur, si non infideliter. Iurisconsulti dicunt: *Naturale est, ut negligatur, quod aliis committitur.*

HISTORIA DE CORNELIO,

Actorum 10. explicata in feriis Pentecostes.

Vir quidam erat in Caesarea, nomine Cornelius, etc.

Primum considerate historica, et quae ad Grammaticam pertinent. Loca inspicite in tabulis; Petrus dicitur fuisse in Ioppe; Cornelius in urbe Caesarea. Utraque fuit urbs littoralis. Ac Ioppe nomen habet a Iaphet, qui *Iapetus* dicitur apud

poetas. Fortassis nos sumus a Iapeto, ut certe Graeci sunt ab illo orti, et multi Asiani. Potest fieri, ut ex hoc portu, qui postea dictus est *Ioppe*, et adhuc hodie vocatur *Iapha*, enavigarit Iaphet, aut eius posteritas, et inde venerit in Asiam. Inter filios Iaphet nominatur expresse *Gomer*, et huius filius fuit Ascanes. A Gomer habent nomen *Cimmerii*, vel *Cimbri*. Ascanes, vel Tuisco, pater fuit Teutonum.

Caesarea ista, non est Caesarea Philippi, cuius fit mentio in Matthaeo. Ea fuit mediterranea, prope Ituraeam, vel Trachonitidem. Utrumque nomen Ituraeae et Trachonitidis significat locum scopulosum, asperum, confragosum rupibus. Herodes dedit hanc regionem Philippo, cuius uxorem rapuit frater Herodes Antipas. Sed hic altera Caesarea intelligenda est, quae vocatur Stratonis. Haec distabat decem miliaribus a Ioppe, et poterat iter confici biduo.

Petrus aliquamdiu commoratus est in Ioppe, et ibi excitavit viduam Thabaeam. Fuit inde occasio opportuna, late propagandi testimonia de doctrina Evangelii.

Fit autem et mentio horarum in hac historia; videlicet horae nonae, et horae sextae, veteres distinxerunt diem unamquamlibet in horas duodecim, sive esset aestiva, sive hiberna, sive solstitialis, sive brumalis, sive longa, sive brevis. Illae horae fuerunt inaequales; et dictae sunt *καιρικαὶ*, id est, quae alio tempore aliter se habent. In aestate circa solstitium fuerunt longiores, quam in bruma. Nos hodie utimur horis aequalibus.

Hora nona quota est?

Est tertia pomeridiana, quia sexta est meridies. Circa horam nonam plerumque solebant coenare veteres. Et paulo antequam sumatur cibus, homo maxime est idoneus ad orandum. Mane post somnum aliquid adhuc est fumorum et halituum, quibus impeditur intentio cogitationis. Illi halitus postea absumuntur motu et agitatione. Quare ante illud tempus, quo consuevit homo edere, maxime est appositus ad invocationem. Veteres semel tantum accubuerunt mensae quotidie. Usi sunt coena, postquam tribuerunt aliquid temporis ambulationi. Fuit eorum vita bene ordinata; nostra est agrestis et barbarica. Non servant nostri homines debita tempora sumendi cibi: nec servant ordinem in aliis rebus iusto tempore agendis. Inprimis in precando sumus magna ex parte negligentes. Vera exercitia precationis requirunt temperantiam, ut possit esse meditatio, et consideratio doctrinae, quae non potest esse, ubi dominantur crapulae, et ingurgitationes assiduae.

Cornelius hic dicit, *se quartum iam diem ieiunare*. An fuerit continuum ieiunium, nihil refert. In scriptioribus Ecclesiasticis vocatur *ξηροφαγία*, qua veteres usi sunt circa Parasceuen. Non comederunt tunc cibos coctos, non biberunt vinum: ederunt ficus, poma, vel tale aliquid ad necessitatem, vel somni, vel egestionis. Si quis non utitur liquidis, aut prorsus non bibit, non tantum hoc incommodum sequitur, quod non alitur natura, sed homo etiam non habet egestiones: quod est maximum damnum valetudinis. Noster Hubertus Languetus Burgundus, vir doctus, quem nostis plurimi, saepe mihi dixit, se toto mense in Italia non bibisse. Interrogabam de beneficio ventris: Respondebat, *Se solitum frui pomis persicis, quae sunt valde humida*. Ea sunt in Italia meliora, quam apud nos. Ibi percoquuntur melius. Inde dicebat se habuisse refrigerationem, et beneficium ventris, et aliquam rigationem corporis.

Non loquitur autem Cornelius de superstitioso ieiunio, quasi mereamur aliquid coram Deo abstinentia nostra: sed dicit se ieiunasse *propter precationem*; quia certe mens magis est intenta precationi, quando sumus ieiuni. Postquam homo comedit, natura est occupata coctione. Singuli in nobis ipsis sentimus, quod antea dixi: Non sumus vegetiores, quam hora illa, quae antecedit coenam vel prandium, ut nostra fert consuetudo. Paulo post prandium obrepit somnus lenis et placidus; et, si quis vel brevissimo tempore fruitur illo somno, experitur quietem esse dulcissimam: quia coctio tum est perfecta, et fit suavis rigatio cerebri. Omnia membra corporis sunt vegetiora tum, et alacriora. Ista considerate: et sumite vobis idonea tempora ad preces. Petrus inquit: *Sitis sobrii ad precationem.* Et hic dicitur Petrus ipse, cum esuriret, *voluisse gustare*. Hac phrasi significatur temperantia in cibo et potu. Prandia aut coenae nostrae potius debent esse gustatio, quam crapula. Corpus debet ali, non onerari supra vires, nimia ingestione cibi, aut ingurgatione.

Quid est, quod nominatur Cornelius *Centurio cohortis Italicae*?

Centuriones fuerunt sicut capitanei, seu praefecti in oppidis: habuerunt iudicia et executionem. Talis fuit etiam centurio ille in Capernaum, qui fuit familiaris Christo. Iudaei tunc temporis habebant *αὐτονομίαν*: habebant etiam iurisdictionem inferiorem; sed non habebant superiorem iurisdi-

ctionem, sicut dicunt: *Non licet nobis interficere quemquam.* Nos in Academiis habemus etiam iurisdictionem inferiorem. Erphordensis civitas, quamquam opulenta est, tamen tantum inferiorem iurisdictionem habet. Episcopus Moguntinensis habet iurisdictionem in illa civitate superiorem. Sic centuriones, qui in praesidiis erant nomine imperii Romani in Iudaea, habebant superiorem iurisdictionem.

Non possumus certo affirmare, utrum Cornelius iste fuerit ex familia Cornelia, id est, Scipionum. Tota familia Cornelia habuit praestantes viros. Scipiones illi fuerunt non solum fortes, sed etiam modesti homines. Nomen *Scipionis* significat baculum, quo quis innititur. Vere Scipiones fuerunt baculus imperii, id est, qui sustentarunt imperium.

Hoc certum est, quod Cornelius iste fuerit homo Italus, et habuerit sub se milites Italicos. Apud hos plus fuit disciplinae, quam apud alios stipendiarios milites, inter quos erant Arabes, Cretenses, et magna colluvies variarum gentium. Hodie etiam magnum est discrimen militum. Hispani ne quidem amicis suis parcunt: rapiunt honestas matronas et virgines, et per vim eas stuprant. Germani ebrii tumultuantur. Imperator Carolus V. dixit ante hoc oppidum, quando audivit scelera Hispanorum: *Ego valde metuo, ne cladem accipiam aliquando propter nequitiam meorum hominum.* Ante magnam illam pugnam, in qua Franciscus Rex vicit Helvetios, scribitur fuisse quosdam Helvetios, qui, cum hospes attulisset vinum, quod non placebat eis, ipsi descenderunt in cellam, et gustato vino meliori, iniecerunt hospitem in vas, ex quo attulerat illis vinum. Hanc petulantiam punivit Deus. Victi sunt enim magna clade, et occisa sunt aliquot millia Helvetiorum.

Iste Cornelius fuit vir honestus. Non fuit temulentus, non ebrius, non rapax, non iniustus. Nominantur hoc eleemosynae, quae non significant tantum liberalitatem in dandis fragmentis panis, aut distribuenda pecunia inter egentes, sed simul complectuntur defensionem, quam Magistratus praestare debet oppressis, adversus iniustos: *Das man den armen leuten schutz halte.*

Cum Daniel hortatur Regem Nabuchdonosor ad poenitentiam, praecipit ei, ut se liberet a peccato, iustitia, et eleemosynis. Vult eum discedere a consuetudine peccandi, cessare a peccatis, quibus indulsit hactenus. Magni Domini non habent levia peccata: Ὁ πολλὰ πράττων, πολλὰ καὶ ἁμαρτάνει. Deinde vult eum fieri iustum. Significat autem iustitia non tantum opera erga homines, sed simul comprehendit totum cultum primae tabulae. Nam iustitia universalis pertinet ad omnia praecepta legis: Et quo modo inchoanda sit haec iustitia, sic ut prius persona placeat Deo, et ei sit reconciliata, id haud dubie ex Evangelio docuit Daniel Regem suum.

Eleemosynam nominat beneficentiam erga subditos. Sicut non vult eum esse idololatram: ita non vult esse tyrannum. Erant tum Iudaei exules in regno Nabuchdonosoris; hos non vult prorsus opprimi. Est concio, quae potest commonefacere gubernatorem non stolidum de multis magnis rebus: imo de summa gubernationis. Cogitate, quanta res sit, ubi est in regno, aut exercitu gubernator talis, praeditus his virtutibus: pietate in Deum, iustitia erga homines, beneficentia erga miseros. Tales plerumque Deus armat auctoritate.

Pulchrum est etiam, quod in hac historia scribitur, Cornelium fuisse pium, et Dei timentem cum omni domo sua. Item quod miserit ad Petrum duos domesticos suos, et militem pium ex his, qui illi parebant. Est usitatum dictum: *Qualis Dominus, talis servus: talis familia, tales ministri.* Et *Quales dominae, tales catellae, et ancillae.* Apud Claudianum sunt haec dicta:

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Item,

Utque ducum lituos sic mores castra sequuntur.

Et,

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Item,

— sed non inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.

id est, non edicta tantum valent, quantum exempla seu vita gubernatoris. Tota vita regitur partim regulis, partim exemplis. Sed exempla sunt magis efficacia in utrumque partem. Nos Germani dicimus: *Wann der Abt die wurffel legt, so ist dem Convent erlaubt zu spielen.*

Forte cubos primus posuit cum futilis Abbas:
Tunc sese Monachi ludere iure putant.

id est, quales sunt mores superiorum, tales sunt mores inferiorum. Hoc plerumque fit. Videtis hic pium patremfamilias Cornelium. Is habet etiam ministros pios; contrarium est in Salomonis dicto: *Omnes ministri regis impii, etiam ipsi sunt impii.* Item, *Mali domini, mali sunt servi.*

Debetis autem et hoc discere in ista historia: quod militia non sit genus vitae pugnans cum voluntate Dei, et quod milites quoque possint placere Deo. Potest aliquis esse pius, et tamen miles: sicut tu potes esse scholasticus, et placere Deo, si es pius. Econtra potest aliquis esse minister Evangelii impius: sic potest etiam miles esse

impius. Illa externa genera vitae sunt distinguenda a iustitia Christiana, et interioribus cultibus.

Valetne consequentia:

Iste miles, qui mittitur a Cornelio, est pius, et Deo placens:
Ergo militia est res concessa Christiano?

Respondeo. Valet; quia approbatio rei in subiecto, approbatur res in genere. Militia non est damnata per se, et suo genere; sed est talis res, qua bonus bene uti potest. Loquor non de latrociniis, sed de militia legitima, de bellis ordinatis.

Mera somnia sunt, quod aliqui dicunt: Iohannes Baptista concessit militiam imperfectis; sed Christus dedit legem perfectiorem: *Si quis te percusserit in maxillam unam, obverte ei et alteram.* Ista sunt corruptelae doctrinae Legis et Evangelii. Christus non fert novam legem, sed annuntiat Evangelium, et sancit ac confirmat legem: sicut Paulus inquit: *Lex stabilitur per fidem.* Lex semper manet lex; non tollitur, nec abrogatur per Christum. Sicut supplicia homicidarum in politia sunt necessaria; sic legitima defensio contra hostes est necessaria. Principes debent vitam in discrimen adducere pro defendenda patria, contra latrones Turcicos et alios grassatores.

Quam turpe est hodie, quod nostri Principes venantur, helluantur, rixantur inter se de rebus non magnis, et sinunt Turcam grassari in dies latius, sicut nuper multa millia hominum abducta sunt a Turcis. Magnum peccatum est praetermissio officii, quod magistratus debet subditis in defensione necessaria. Aliqui se excusant, quod soli nihil praestare possint absque aliorum auxiliis, sicut est apud Euripidem: *Μιᾶς χειρὸς ἀσθενὴς μάχη: Eine hand kan allein nichts thun:* sed debebant singuli facere, quantum in se esset, et hortari alios, ut similia facerent. Non est opus hac disputatione, *An gerere bellum sit res concessa Christianis*; sed optandum erat, ut Principes memores sui officii gererent bella necessaria, et defenderent suos subditos.

Non memini me alibi in Bibliis legere Epitheton hoc, quod expresse ponitur in hac historia, cum dicitur Cornelius misisse *στρατιώτην εὐσεβῆ*, Militem pium. Tales sunt rati. Ideo in versibus dicitur:

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur;
Venalesque manus, ibi fas, ubi maxima merces.

Estne hoc universaliter verum? Non est universale, sed est hyperbole poetica. *Es seint dennoch viel frommer krigsleute.* Erat hic quidam noster amicus Blanck; qui dicebat: *die fromen Münniche seindt an die wende gemahlet: Es seind wol viel krigsleute, die da frömmer seindt, als die heiligen Münche*: id est, Monachi probi pinguntur in pariete. Possunt autem milites esse aliqui probiores, ipsis Monachis, qui se solos nominant sanctos. Lucani versus loquuntur de plerisque militibus, qui tantum mercedem quaerunt, non causam iustam.

Quaestiones Variae de conversione Cornelii.

Iam venio ad disputationes illas, quibus multi se alios excruciant, cum occasione historiae de Cornelio, quaerunt, *An Ethnici honeste viventes salventur: an mereantur gratiam et Spiritum sanctum operibus? an Spiritus sanctus fuerit in Cornelio ante manifestam illius effusionem, quae postea facta est, concionante Petro in eius domo?* Recens de istis quaestionibus disputarunt Colonienses aliqui scriptores: Et apud Pontificios hoc receptum est, Honeste viventes mereri gratiam de congruo; id est, congruere iustitiae Dei, ut honeste viventibus det gratiam et Spiritum sanctum; et hoc accepto, mereri postea homines posse de condigno: id est, quando donati sunt Spiritu sancto, tum bona opera, quae faciunt, tantae dicunt dignitatis esse, ut mereantur vitam aeternam.

Suntne haec vera?

Non sunt vera: quia faciunt confusionem membrorum Ecclesiae et aliorum, qui sunt extra Ecclesiam. Deinde Pharisaica imaginatio est, fingere homines sive ante, sive post acceptam gratiam Spiritu sancti satisfacere legi Dei, et mereri posse aliquid apud Deum, quod ad aeternam salutem spectet. Denique falsum est, quod Cornelius non habuerit Spiritum sanctum ante, quam visibiliter in eum effusus est. Quomodo enim vere potuit invocare Deum sine Spiritu sancto, qui est Spiritus gratiae et precum? Quomodo potuerunt preces eius exaudiri, nisi factae in Spiritu et veritate?

Multi sic cogitant: Augustus, Traianus, Scipio, Fabius fuerunt honesti viri: Ergo nihil interest inter eos, et Ieremiam, Esaiam, Petrum, Paulum, et alios, qui fuerunt membra Ecclesiae. Non dicam iam de vitiis eorum in privata vita. Augustus fuit bonus et iustus gubernator, sed vita privata eius fuit contaminata multis magnis vitiis. In ipso etiam imperio, nemo est tam iustus, quin multa peccet.

Debemus autem hanc regulam tenere: *Omnis, qui credit in Filium, habet vitam aeternam: Qui non*

credit in Filium, iam iudicatus est, et ira Dei manet super eum. Nemo venit ad Patrem, nisi per Filium: Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Iuxta hanc regulam oportet nos iudicare de salvandis, aut non salvandis. Nihil fuit modestius, gravius, diligentius in officio, Pomponio Attico, qui propter virtutes charus fuit omnibus patribus, etiam inimicissimis. Augustus cum eo contraxit affinitatem. Est insertus familiae Augusti, etiamsi tantum fuit equestri loco natus. Mansit in vita privata, non accessit ad ullos magistratus. Intus tamen mens eius est Epicurea, aut certe Academica. Nescit, quid sit Deus; dubitat, an sit providentia; aut, si sit aliqua, disputat secum, an ad ipsum quoque pertineat. Cogitat providentiam esse quiddam arcanum, quod regat imperia: non autem regat singulos. Tales confusiones disputationum sunt in Ethnicis etiam sapientissimis ac moderatissimis. Nihil autem prorsus sciunt de promissionibus divinis, quae sunt traditae de mediatore. Non sunt igitur tales membra Ecclesiae, et non sunt salvandi.

Contra:

Angelus venit ad Cornelium, et dicit: Orationes tuae exauditae sunt:
Fuit autem Cornelius Ethnicus:
Ergo etiam Ethnici placent Deo, quamquam non norunt Christum.

Respondeo ad Minorem: Cornelius, quamquam erat Ethnicus, tamen norat promissionem et doctrinam de mediatore. Fuit ex illo genere membrorum Ecclesiae istius temporis, qui dicebantur *Religiosi*, seu *Timentes Deum.* Erant enim tria genera hominum in Ecclesia veteris Testamenti: primum Israelitae, seu Iudaei nati ex posteritate Abrahae; deinde Proselyti, qui erant nati ex Ethnicis, sed receperant ceremonias Iudaicas, circumcisionem et alios ritus. Id non erat necesse fieri: quia ceremoniae proprie pertinebant tantum ad Israelitas. Ideo reprehendit Christus Iudaeos, qui falsas persuasiones inserebant Ethnicis; ut, si qui vellent esse membra Ecclesiae istius populi, cogitarent, se cogi ad servandos ritus Iudaicos: *Vae vobis*, inquit, *qui circumitis, ut faciatis unum proselytum.*

Tertio erant *viri religiosi;* id est, homines Ethnici, conversi ad Deum patefactum in isto populo, et doctrinam de Messia amplexi, etiamsi non reciperent circumcisionem, nec servarent alias ceremonias Iudaicas.

Daniel multos tales convertit in Assyria et Persia. Credo Nabuchdonosor, Evilmerodach, Darium, Medum, et Cyrum vocatos fuisse ad societatem Ecclesiae, sicut postea Elisaeus, Naaman Syrum convertit. Non cogitate illos ita negligentes fuisse, ut nihil inquisiverint de doctrina.

Quando igitur Pelagiani illi obiiciunt:

Iste fuit Ethnicus: et fecit bona opera:
Ergo bona opera merentur gratiam.

Respondete: Quamquam fuit Ethnicus, tamen fuit conversus, fuit fidelis, norat beneficia Messiae. Erat cultor veri Dei: sciebat se propter venturum Dominum exaudiri, et placere Deo. Quomodo potuisset alioqui precationem dicere, si non habuisset aliquam notitiam mediatoris, et promissionis gratuitae de Remissione peccatorum? Non est precatio, quando cor reclamat: *Nescio, an exaudiar, an non exaudiar? Quomodo invocabunt,* inquit Paulus, *nisi credant?*

Contra: *Si fuit in Cornelio fides in Christum, cur iubetur ad se accersere Petrum, qui eum doceat de Christo?* Respondeo: Fuerunt in eo initia fidei, quamquam aliquid adhuc erat obscuritatis, quoad notitiam Messiae, seu quoad circumstantias aliquas exhibiti Messiae. Novit doctrinam promissionum, etiamsi nondum explicate intelligebat, Messiam iuxta promissiones esse exhibitum. Invocavit verum Deum, qui in illo populo notus et patefactus erat, fiducia mediatoris promissi; sed nondum norat personam Messiae. Fuit in eo illa lux Evangelii, quod sciebat nasciturum Christum in Israel; sed quando, vel quod venisset, et quae persona esset, hoc nesciebat. Ignorabat adhuc articulum de praeterito, de quo postea audiet testimonium Petri.

Etiam in Apostolis fuit notitia obscura initio: Multa non intellexerunt ante resurrectionem Christi. Sic alii multi tenebant promissionem in genere, etsi nondum tenebant prorsus explicatam in specie, seu in circumstantiis. Et hi tamen vere habebant initia Spiritus sancti et fidei. Illud autem monet exemplum Cornelii: quod ubi sunt initia, ibi provehat Deus scintillulam fidei; accendat magis magisque, et augeat dona Spiritus sui, sicut dicitur: *Arundinem quassatam non confringet Dominus.* Item: *Deus qui efficit in vobis velle, dabit etiam perficere.* Item, *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam: quia replebuntur.*

Sic igitur discite explicare argumentum, de quo dixi: *Cornelius Ethnicus fecit bona opera, et per haec opera est meritus gratiam et Spiritum sanctum:* sicut inquit textus: *Ascenderunt eleemosynae tuae in memoriam in conspectu Dei:*

Ergo opera moralia hominis Ethnici, seu homo vivens secundum legem naturae, meretur remissionem peccatorum, meretur, ut inseratur Ecclesiae, ut accipiat Spiritum sanctum, ut fiat haeres vitae aeternae.

Respondeo ad antecedens: Cornelius non merebatur suis operibus remissionem peccatorum, sed auditis promissionibus accipiebat remissionem peccatorum; et erat fidelis, iustus, placens Deo, etiam

antequam ad eum venit Petrus; habebat agnitionem mediatoris ex promissionibus, alioqui non diceretur in textu: *quod fuerit pius, et timens Deum.* Sic autem vocabantur illi, qui erant adiuncti Ecclesiae, qui norant promissiones, qui invocabant Deum in fide harum promissionum.

Postea verum est, quod, ubi sunt initia fidei, ibi Deus ea provehit: sicut in isto centurione et familia eius, accendit per concionem Petri illustriorem agnitionem, ut discat istum articulum, quod Messias ille, quem exspectabant, apparuerit; et quod ille vir crucifixus, et resuscitatus, sit Messias.

Recens etiam hoc anno disputatum est hac de re in Anglia, ubi tamen tot annis fuit Evangelium. Quidam ad stabiliendam legem contra doctrinam Evangelii, sic sunt argumentati:

Cornelius homo Ethnicus, meretur exaudiri:
Ergo homo Ethnicus ignorans mediatorem, et tamen vivens secundum legem naturae, meretur remissionem peccatorum.

Respondeo autem, ut antea: Cornelius non prorsus ignorabat Christum: quia fuit ex illo genere religiosorum, qui norant isti populo promissum Dominum, propter quem homines exaudiuntur, etiamsi adhuc habuit obscuram notitiam. Non meretur ergo Cornelius operibus rationis gratiam, sed credebat promissioni, erat cultor veri Dei, statuebat propter venturum Dominum, exaudiri, et salvos esse homines.

Diligenter autem consideretur, ex quo fonte sit orta imaginatio: quod Cornelius satisfecerit legi naturae. Qui hoc sentiunt, ii non intelligunt, quid sit lex naturae, et lex Dei, et quid requirat utraque. Est stulta, barbarica, Pharisaica imaginatio; quod homo satisfaciat legi naturae. Lex naturae est lex Dei. Nullus homo est, qui non sentiat in animo suo multas errantes cupiditates. Cornelius habuit peccata, quae ipse intelligere potuit: sed credidit sibi remitti peccatum propter mediatorem.

Thammerus etiam nunc abutitur exemplo Cornelii. Disputat Cornelium exauditum esse a Deo, cum nondum audivisset Petrum. Inde infert Ecclesiam esse omnes homines, moraliter bonos et honeste viventes etiam apud Ethnicos. Sed respondeo, ut iam saepe dixi: Cornelius didicerat doctrinam de Christo venturo: nondum sciebat eum apparuisse. Invocabat igitur verum Deum, qui dederat promissionem de Messia, propter quem sciebat se exaudiri: etiamsi notitia illa Messiae adhuc erat obscura. Hoc est, quod toties dicimus, *Magnum quiddam esse, quando habemus initia.* Sed ea oportet crescere, oportet ea excitari precatione et exercitiis fidei

Petri infirmitas et ignorantia in quibusdam circumstantiis vocationis gentium.

Etiam in Petro Apostolo adhuc obscura fuit cognitio aliquarum partium doctrinae Evangelii; praesertim quod ad vocationem universalem gentium attinet. Idque valde mirum est: quia viderat Petrus Christum post resurrectionem apud ipsos versantem. Sciebat regnum eius non fore politiam, Christum non fore regem politicum: vidit eum ascendentem. Dictum est ei: *Sic redibit.* Dederat mandata Christus: *Baptisate, praedicate;* non dixerat: Constituite politiam. Ipse Petrus iam praedicavit aliquot annis, collegit Ecclesiam, et vidit non constitui novum regnum. Haec cum sciret, Evangelium non esse politicum regnum, sed esse inchoationem regni coelestis et vitae aeternae, et Ecclesiam esse subiectam cruci, tamen adhuc habet illud somnium: *Non debeo vesci immundis.*

Haec consideremus ad consolationem nostram, et ad eruditionem. Manet in sanctis etiam ignorantia aliqua, in aliis minor, in aliis maior. Petrus non vult vesci immundis, nisi iussus. Est aliquid ignorantiae: est etiam aliquid diligentiae, quod non vult facere aliquid novi, nisi mandato divino iussus. Unius facti possunt esse multae causae et circumstantiae: videt rem spectare ad abolendam politiam istam. Cogitate, quam difficile sit moderatis hominibus admittere, quae spectant ad evertendas politias. Petrus non vult attingere cibos prohibitos in Lege; non vult praebere exemplum dissipandae illius politiae. In synodo Hierosolymitana post multos annos demum fit decretum de delenda politia, quod non sint servandi ritus. Hoc erat re ipsa abolere politiam. Haec debemus diligenter considerare. Sunt magnae res.

Petrus iussus mandato divino vescitur. Hic usurpatur nomen *commune* de cibis: *Commune non comedo:* et postea, *Quod Deus sanctificavit, tu non commune dicas. Commune* significat prophanum, non sanctum, non concessum sancto populo, qui est dedicatus Deo. Est oppositum sancto.

Sanctum simplicissima definitione quid significat?

Romani fuerunt milites: Non habent multa vocabula idonea religionibus. Sanctum est a sancite: *ἅγιον* de persona: *ὅσιον* de re plerumque dicitur. Utrumque significat *Deo dicatum.* Persona sancta

est, in qua Deus operatur, in qua Deus est efficax, in qua Deus habet actionem, quae ostendit hanc personam esse Deo dicatam. Sic pecus dicitur sanctificata, id est, destinata, ut sit victima. De Spiritu sancto dicitur, quod nos sanctificet; quia Spiritus sanctus facit, ut simus tales, qualis est ipse, ut congruant nostrae voluntates cum voluntate Dei, et nostrae mentes cum mente Dei. Ille populus erat sanctus, dicatus Deo. Solus ille populus erat Ecclesia Dei visibilis in genere humano, habebat promissionem, externos cultus, ibi erat sedes Ecclesiae, hanc nominabant populum sanctum. Postea erant cibi sancti, ordinati a Deo. Quidam cibi erant prohibiti: hi dicebantur non concessi, prophani, abominandi. Ita hic dicitur: *Non gustavi quidquam commune*: id est, non concessum populo, non sanctum.

Paulus dicit: *Sanctificatur cibus per orationem et verbum.* Sanctificatur, id est, fit concessus homini sancto. Ita etiam sanctificatur infidelis per mulierem, id est, fit concessus usus coniugii. Ego in hoc ipso loco sedens argumentatus sum contra Carolostadium, qui contendebat de hoc dicto: Exponebat, *Sanctificatur vir per mulierem*: id est, convertitur: et contendebat, quod nullum coniugium esset concessum, nisi esset similitudo religionum. Cum esset convictus de errore, respondebat: Vos habetis principium, quod non teneo, *quod Evangelium non aboleat, politias et oeconomias.*

Contra:

Non omnes erant sancti, qui erant Iudaei.

Respondeo. Est usitata synecdoche. Populus dicitur sanctus, quia ibi est Ecclesiae, in qua aliqui sunt sancti. Ecclesia tota usitate dicitur sancta; quia semper ibi sunt aliqui sancti et electi, ubicunque est vera Dei notitia, et ubi est vera invocatio Dei. Erat promissio divina, in illo populo fore et mansuram esse Ecclesiam usque ad adventum Messiae: Paulus etiam postea dicit: *Non excidit promissio.*

Quo tempore historia ista facta fuit?

Post ascensionem Christi, circiter annum 7. vel 8. regnante Caio Caligula, cum essent maximi tumultus in urbe Hierosolyma; quia caius volebat statuam suam in templo adorari. Et credibile est Petrum cum aliis discessisse tunc ex Hierosolymis. Puto etiam haec facta esse post mortem Mariae: quia Maria circiter annis 7 post ascensionem Domini mortua est. Non debuit esse spectatrix istarum seditionum. Ideo autem Petrus discessit in portum in Ioppe: quia ille locus fuit opportunus discessuro, quocunque vellet.

Loci doctrinae praecipui in historia Cornelii.

Historiam Cornelii saepe debetis legere: quia habet testimonia, quod nos nati ex Ethnicis, simus vocati ad societatem Ecclesiae, sicut nati in Israel: quia simili modo Spiritus sanctus effusus est super Ethnicam Ecclesiam, sicut super Apostolos. Ista prorsus sunt similiter facta. Est igitur ista velut altera Pentecoste visibilis missionis Spiritus sancti in coetum gentium. Prius enim est missus Spiritus sanctus in coetum Apostolorum, et multorum aliorum, qui simul fuerunt, et haec annis circiter 7 antecessit.

Praeterea est in hac historia doctrina de Ecclesia. Viderunt Apostoli, qualis esset collectio Ecclesiae. Habebant antea somnia, Regnum Christi fore politiam domitis gentibus, deletis Pharisaeis, et malis hominibus, et se Apostolos dominaturos esse, et in templo praedicaturos, fore pulchram politiam: Sed vagantur ibi, saepe in vinculis docent, colligunt Ecclesiam, sicut nunc colligitur Ecclesia. Si sunt aliqui homines pii; sunt miseri, sustinent afflictiones, manent in suis opificiis. Petrus ad apud coriarium, ille hospes Petri manet coriarius, venit postea ad militem: Miles manet miles. Debetis considerare illam primam collectionem Ecclesiae: quia multum adfert lucis multis disputationibus.

In concione Petri etiam sunt aliqui loci insignes. Asseveratio de aequalitate Dei, et interpretatio summae omnium propheticarum concionum.

Petrus venit ad Cornelium, audit narrationem Cornelii, quam valde miratur. *In veritate agnosco,* inquit, *quod Deus non est προσωπολήπτης.* *Προσωποληψία* quid est? Estne iustitia? Non: quia est inaequalitas. Iustitia est aequalitas, vel Arithmetica, vel Geometrica. Deus est aequalis universaliter. Quare iustitia est aequalitas? De iustitia erga homines facile hoc potest intelligi, sicut dicitur: *Dilige proximum sicut te ipsum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Sed reducamus ad primum principium. *Bonum est conservativum sui et similium.* Est igitur Deus bonus bonis, ut dicitur: *Cum bono bonus eris.* Adiungit sibi bonos, servat sibi similia. Contra vero, punit malos, et destruit non similia. Vult autem et nos colere aequalitatem. Est vulgare dictum, *Einem wie dem andern, so geschicht keinem unrecht:* quod tamen debet intelligi, servata distinctione aequalitatis Arith-

meticae et Geometricae. Item est Graecum proverbium: *ἴσα πόλεμον οὐ ποιεῖ.* Apud Homerum est reprehensio inaequalitatis. *Ἐν δὲ ἴσῃ τιμῇ πέλεται κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός.* inquit Achilles, reprehendens regimen Agamemnonis. *In simili honore est malus et bonus. Wenn die Herren bose buben hoch halten,* tunc destruitur regimen. Haec non est aequalitas; quia Princeps debet esse bonus bono; malus, malo. Debes reducere ad illud principium: *Bonum est conservativum sui.* Sunt huius rei imagines in natura.

Quae est praecipua qualitas?

Calor conservat proportionata, et dissipat non convenientia. Naturalia sunt imagines mortalium. Debemus nos erudire de hac re; quia multi habent imaginationes Stoicas, quae tribuunt Deo inaequalitatem; iubent dubitare, an omnes, qui credunt, recipiantur. Apostolus igitur dicit: *Deus non est acceptor personarum.* Idem dictum est in Deuteron. et nominatim in Esaia de Christo: *Christus recipiet omnes ad eum confugientes.* Deus constituit hunc modum salvationis: et Christus ipse dicit: *Venite ad me omnes.* Et Paulus: *Idem Deus dives in omnes.*

Sic tu debes accedere ad eum confirmatus hac promissione, quod tibi sit exhibita illa promissio, tu debes te includere in illam universalem.

Contra:

Deus dat aequalibus inaequalia.

Non facit te Iosuam, non facit te Davidem. Vellesne habere filium, qui moveret contra te seditionem? Non. Sed velles te regem esse. Deus dat aequalibus aequalia; id est, necessaria ad salutem offert omnibus agentibus poenitentiam et credentibus Sed postea dona singularia dantur propter utilitatem aliorum. Non dat Davidi regnum propter suam salutem, sed propter aliorum utilitatem. Non possumus omnes esse reges. Davidem, Alexandrum facit reges potentes: alium facit Doctorem: Danielem facit clariorem, quam Zachariam: Iosephum facit praestantiorem, quam Iudam fratrem: et tamen Iudas etiam fuit magnus vir, sed habet Iudas multa magna peccata. Oportet esse discrimina, dat illa propter aliorum utilitatem. Ita manet Deus verissime aequalis. Dat nobis aequalibus aequalia, omnibus confugientibus ad filium dat remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, vitam aeternam; iustificat, regenerat credentes: damnat omnes non confugientes ad Filium

Estne aequalis Davidi et Sauli?

Est: damnat peccatum in utroque. Sed recipit Davidem confugientem ad Mediatorem, damnat Saulem; quia reiicit Mediatorem.

Haec sunt utilia, et necessaria, ut considerentur; quia oportet nos iudicare ex verbo. Non sunt abducendae mentes ad alias speculationes. Quando ducis miserum hominem ad patibulum, non dicis illi phantasias Stoicas. Sed dicis: Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis*, etc. Tu es unus ex illo numero: Tu es oneratus: Ergo et tibi Filius est promissus. Tu debes assentiri Filio, non debes eum arguere mendacii. *Omnis qui non credit, arguit Deum mendacii.* Haec sunt magni momenti.

Scitis, quod saepe in Scriptura repetita est haec descriptio. Et est phrasis Hebraica.

Unde est sumpta?

A iudiciis, in quibus saepe non causa, non res, sed accidens consideratur. Ut, si iudex debet iudicare de adulterio, et ipse cogitat, ille est nobilis, est dives, oportet illi parcere. Inde est sumpta Metaphora. In Hebraeo *heists* facies, acceptio faciei. Et *facies* significat externam speciem, vel speciem alienam a re. Iudex debet iudicare de causa, sive sit reus nobilis, vel ignobilis. Sed plerumque fit contrarium: *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

Posteaquam praefatus est Petrus, *quod non sit Prosopolepsia ad Deum*, exponit Evangelium: Dicit, se et caeteros esse testes, quare Messias sit missus, et constitutus iudex vivorum et mortuorum; et addit postea beneficia principalia: *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere in nomine eius, omnes qui credunt in eum.* Hanc sententiam debetis inscribere mentibus; quia est allegatio perpetui consensus prophetarum. Et haec est vera Synodus, cuius testimonium apud nos plurimum valere debet. In eodem dicto est etiam universalis particula *omnes,* et asseveratio, quod detur nobis remissio peccatorum, non propter legem, sed propter filium Dei gratis. Tum Cornelius iam plenius discit agnoscere; et audita illa voce, effunditur Spiritus sanctus; eaque re ostenditur, quod Evangelium sit ministerium Spiritus; id est, quod detur audita, et lecta voce Dei Spiritus sanctus.

Cum videt hoc manifestum testimonium, Petrus adhibet Sacramentum, quo testatur etiam gentes pertinere ad Ecclesiam. Cogitemus autem visibili

specie hic effusum esse Spiritum sanctum, ut testimonium exstaret, quod eodem modo sanctificentur gentes, quo Apostoli.

Quid significat in dicto Petri: *In nomine eius*?

Nomen significat potentiam huius Filii, et per eum, et propter eum. Item, agnitionem ipsius. Haec complectitur omnia. Et addit: *Qui credit.* Ergo oportet fide apprehendere, oportet credere, quod propter Filium habeamus remissionem peccatorum, placeamus non propter opera.

Haec doctrina de gratuita remissione peccatorum, consideranda est etiam in ipsa vocatione gentium. Nullus angelus, imo nullae angelorum et hominum mentes possunt comprehendere, quanta haec sit Dei bonitas et misericordia, quod ex contaminata illa massa gentium Ethnicarum sibi colligit Ecclesiam. Cogitate, qualis sit Creta, Corinthus, Roma, quando Paulus ibi colligit Ecclesiam; fuit contaminatissima turpitudinibus, libidinibus, sceleribus. In illo contaminatissimo loco, tamen colligitur Ecclesia, et aliqui fiunt membra Ecclesiae. Cyprianus fuit magus et obscoenus: sicut cum Magia universaliter sunt coniuncta alia scelera. Nullus invenitur magus, qui non sit pollutus magnis sceleribus.

Ubicunque habitat Diabolus, ibi tetrae sunt libidines. Magi profitentur se esse socios et confoederatos cum Diabolo.

Illa est igitur immensa bonitas Dei, quod ex hac miserrima massa generis humani colligit Ecclesiam. Et haec ipsa collectio est manifestissimum testimonium, quod gratis homines vocentur, et iustificentur.

EX ALIORUM ANNORUM RHAPSODIIS.

Sicut in die Pentecostes testificatus est Deus manifesto testimonio, se dare Spiritum sanctum Ecclesiae, quando effudit Spiritum sanctum visibiliter in Apostolos, et coetum his adiunctum, ita nunc effundit Spiritum sanctum in coetum Ethnicum, ut ostenderet testimonium colligi Ecclesiam ex toto genere humano inter Iudaeos et Ethnicos. Nec est minus magnifica revelatio, facta in domo Cornelii, quam quae fuit facta in congregatione Apostolorum; Non fuit multum dissimilis, sicut illi agnoscunt et fatentur, qui adfuerunt. Voluit Deus aliquot adesse, qui essent testes dati Spiritus sancti Ethnicis eodem modo. Valde hoc mirum eis fuit, Ethnicos aequari Iudaeis; quia erant in hac persuasione, regnum Messiae pertinere ad Iudaeos. Haud dubie multi habuerunt hoc somnium, Spiritum sanctum tantum quandam praeparationem esse ad illud pulcherrimum regnum, quod essent aliquanto post collecta aliqua multitudine, inchoaturi in hoc mundo, tamquam politiam aliquam.

De visione Petri sic argumentor:

Apostoli non errant:
Petrus hic erravit:
Ergo non erat Apostolus.

Probo Minorem; quia adhuc dubitat, an liceat vesci immundis: *Er hat noch die phantasey, Er sei ein Iude, und müsse* legem Mosaicam *halten, und müsse nicht Schweinefleisch essen.* Est sine ulla dubitatione error.

Respondeo rotunde et breviter, ad Maiorem: *Apostoli non errant*, scilicet in doctrina, sed errant aliquando in applicatione doctrinae. In privato usu est aliquid infirmitatis: sic in actionibus externis etiam saepe mirabiles fuerunt Apostoli. Paulus et Barnabas *seind uneins gewesen*, sed non fuit error doctrinae. Petrus reprehensus est a Paulo: non fuit error doctrinae, sed fuit infirmitas, aut quoquo modo vocandum est: Petrus recte docebat, et sentiebat, fuit tamen infirmitas in usu. Ita hic quoque in Petro est infirmitas. Apostoli non errant in doctrina, neque gignunt novum genus doctrinae.

Illa doctrina, quam sonat hic Petrus, cuius est? *Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* Item, Petrus ipse sic dicit: *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent.* Nonne idem dicit, quod omnes Prophetae ante dixerunt? Non gignit novam doctrinam. Omnes Prophetae hoc dixerant antea, quod Filius Dei sit futurus victima pro genere humano, et quod aeternus Pater velit recipere homines credentes in hunc Filium, et restituere iustitiam et vitam aeternam, et quod politia Mosaica condita sit, ut esset tantisper schola doctrinae, donec Filius veniret: quia Deus voluit filium certo loco conspici, crucifigi, resuscitari, ideo voluit certam esse sedem et scholam, ubi illa fierent.

Fuit eis res dulcissima et gratissima, quod sciebant in sua gente mansuram scholam. Haec fuit ingens praerogativa, magnum donum et beneficium Dei. Videtis, quomodo iam circumspectent animi omnium sapientum: ubi erit Ecclesia, sedes doctrinae? Nos non scimus, illi tamen hoc sciverunt.

Petrus eadem docuit, et tunc, et postea quae audivit a Filio Dei, et quae sciebat esse in prophetis tradita: non parit novam doctrinam, sed ad-

huc erat tyro; nondum asseverat, quod gentes essent recipiendae. Magna est vis consuetudinis. *Consuetudo est altera natura, was einer gewohnt ist, das ist ihm starck eingebildet, wie das* antiquum dictum *heist: Quid est difficile? consueta relinquere.* Erat eis persuasum, politiam illam mansuram esse; et eos, qui nati essent in illa politia, debere servare illa politica. Deus Petrum docet utrumque, et recipi gentes, et illa politica non esse aeternam iustitiam. Id docet eum visione illa, in qua exhibet ei speciem immundorum animalium, et interpretatur Deus visionem.

Dignum est etiam consideratione, quod Deus mittit angelum ad Cornelium, et iubet accersere Petrum, et quod significat Petro vocari eum a Cornelio. Ita utrinque prius erudiuntur, ut uterque sit certus.

Ubi est in Bibliis vocabulum προσωποληψία?

In Moise bis ponitur, cum inquit ad iudices: *Non accipite personas.* Inde intelligi potest, quid significet. *Persona* significat propriissime Latina consuetudine *eine Larve*: habet nomen a *per* et *sonando: das einer dadurch redt, als wann die leute fastnacht laufen, so ziehen sie die larven an; das heist* persona antiqua lingua Latina. Sed in Hebraeo *stehet ein wordt, das heist, facies*: id congruit cum voce personae, quando pro larva ponitur. Iudex non accipiat personam; id est, causam, aequaliter in omnibus, seu eodem modo iudicet, sine respectu accidentium aliorum; sive persona sit dives, sive paupercula, sive nobilis, sive ignobilis, sive potens, sive humili loco.

Est optima et maxime rotunda definitio: *Acceptio personarum, est dare aequalia inaequalibus, et inaequalia aequalibus: da man nit ansicht* rem, *sondern sicht etwas anders an*: ut in aula *solt man einem iedern lohnen, wie ers verdienet.* Sed hoc non fit; saepe aliquis optime meritus negligitur; et alius nihil meritus, donatur magnis opibus: sicut dixit Dominus Fridericus *Khün*, ad Dominum Cancellarium, cum videret eius assiduitatem et diligentiam: Domine Cancellarie, non est opus tanta diligentia in aula: *Eadem est gratia cacanti in medium conclave, quanta everrenti: Man dancket einem eben wie dem andern, der in die stuben hofieret, und der sie auskeret.* Ita sane fit in aulis: imo et in vita communi homines sunt ingrati. Tales hyperbolae communis sermonis sunt intelligendae cum quadam dexteritate. *Es ist fein geredt*, παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις, ἀμνήμονες δὲ βροτοί, id est. Antiqua gratia dormit, et homines sunt immemores. *Man hat eins dings bald vergessen; und sonderlich die* merita. Quod dolet, meminit; quod placet, obliviscitur. *wenn einer einen gen Rom tregt, und setzt ihn ein mahl unsanft nider, so ist alle wolthat vergebens.*

Haec dico, ut consideretis, quid significet acceptio personarum. *Es stehet auch im Esaia: Messias non erit acceptor personarum: Ecce servus meus, quo delector, non clamabit in plateis, et non accipiet personam. Es stehet auch* Rom. 2. et in Actis hoc loco. Saepe repetitum est hoc dictum in Scripturis: *Deus non est acceptor personarum.* Acceptio personarum est quaedam inaequalitas, et inaequalitas est iniustitia quaedam, est tyrannicum quiddam. *wenn man ungleich handelt, als wann man einen dieb auff einen sammet Pful setzt, und den andern hengt man an den galgen; das ist ungleich, wie man sonst saget, Was einem ein todtsund ist, das ist einem andern ein ablass.* Isti sunt proverbiales sermones, qui ostendunt, qualis sit acceptio personarum.

Petrus hic vult dicere: *Deus est aequalis.* Id congruit cum hac sententia: *Promissio est universalis.* Deus edidit promissionem toti generi humano statim a principio; postea renovavit eam toti generi humano: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Promissio est universalis. Sed Iudaei existimabant, se solos esse populum Dei: Huic errori Petrus opponit hoc dictum: *Non est apud Deum acceptio personarum. Apud omnes gentes placent ei, qui invocant eum, qui amplectuntur Evangelium.* Hinc et nos discamus, quod promissio sit universalis, et debemus nos includere in illam promissionem: Deus concionatur toti generi humano; non vult singulis dare novam revelationem. Primum tradidit promissionem Abrahae; postea per filium et Apostolos praedicari voluit Evangelium, ut toti generi humano annuntiaretur hoc beneficium. Singuli debent statuere, Deum secum loqui, ac si solus esset in genere humano, *Als wann kein mensch mehr auff erden were.* Non dubitemus, quin ad nos pertineat promissio, et omittamus disputationem illam, Deus habet quendam catalogum fatalem, Ego non scio an sim in illo catalogo. Deus mandat, ut assentiaris promissioni; et non assentiri promissioni, est Deum contumelia afficere, est arguere Deum mendacii, ut Iohannes inquit.

Narratio Principalis in concione Petri.

Post praefationem in concione Petri, recitatur

historia, quod venerit ille Dominus, de quo loquuntur promissiones. Dicit, quod multa miracula fecerit, quod sit crucifixus et resuscitatus, et quod ipsi cum eo comederint et biberint, et fuerit familiaris conversatio post resurrectionem, et quod acceperint mandatum, ut praedicent hunc esse Messiam, hac voce colligi Ecclesiam. Postea addit de beneficiis Messiae, et dicit eum esse iudicem vivorum et mortuorum. Item amplius dicit: *Huic testimonium perhibent omnes Prophetae, per nomen eius*, id est, per agnitionem ipsius, agnito eo, *accipere remissionem peccatorum omnes, qui credunt in eum.*

Haec congruunt cum illis dictis: *Omnis qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui non credit, manet ira Dei super eum.* Item: *Notitia eius iustificabit multos.* Allegat autem testimonia universae Ecclesiae, et veluti synodum cogit omnium prophetarum. Antea allegavit miracula, et testimonia, quae ipse viderat. Iam addit amplius Scripturae testimonia, et nominatim allegat prophetas: Simul etiam est interpres Scripturae; vult dicere: Nos Iudaei intelleximus de regno mundano; sed aliter se res habet: Habemus mandatum, ut praedicemus poenitentiam, et remissionem peccatorum, quod ipse sit Messias, et quod detur propter ipsum remissio peccatorum agnoscentibus eum, et credentibus in eum.

Hic vero simul comprehendenda est particula *gratis*, quam inculcat Paulus; quod remissio peccatorum detur nobis indignis, non meritis, alioqui non posset esse fides. Promissio est gratuita, ut Paulus dicit: *Ideo gratis, ut sit firma promissio.* Si esset conditionalis, si fueris meritus, etc. nihil esset.

Vos adolescentes, quibus nondum est familiaris illa sententia, inscribite hoc dictum mentibus et pectoribus vestris. *Huic omnes prophetae testimonium perhibent: es ist ein schone* consolatio, et declaratio omnium prophetarum, et summa doctrinae, *und sagt*, quis sit Filius Dei, et quae beneficia afferat.

Totum Symbolum recitat Petrus in sua concione: Loquitur de Deo, de Filio, et de Spiritu sancto: Dicit de colligenda Ecclesia, et de passione et resurrectione Christi, et de venturo iudicio. Homines, qui volunt recte docere, quaerunt summas rerum. Ita Apostoli, tamquam artifices in suo genere, etiam sapienter tradiderunt summas rerum.

Non sunt fanatici sermones, aut phantasticae confusiones, sine fine, sine principio, sine ordine conciones Christi, prophetarum et Apostolorum: sunt sapientissimi sermones, explicantes hoc quod voluerunt explicare vere, ordine, perspicue, categorice, assertive, *ὁριστικῶς*, asseveranter, definitive. Graeci nominant hoc *ὁριστικῶς*, quod nos dicimus, *assertive, definitive, categorice.* Ita *ὁριστικῶς* hic dictum est, *Huic testimonium perhibent omnes prophetae*, etc.

Haec doctrina confirmatur hic miraculosa effusione Spiritus sancti. Hoc miraculum testatur, quod Deus sine ulla dubitatione est efficax per vocem Evangelii, vult dare Spiritum sanctum; sicut dicitur: *Ut accipiatis promissionem Spiritus per fidem*, etc. Quando sustentamus nos voce Evangelii, sine ulla dubitatione datur Spiritus sanctus.

Proba. Quia textus clare dicit, *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* Item: *Evangelium est ministerium Spiritus.* Item: *Pater, sanctifica eos in veritate, Sermo tuus est veritas.* Item: *Qui credit in me, fluent ex ventre eius flumina viva. Hoc dixit de Spiritu sancto, quem accepturi essent credentes in eum.* Ubicunque est fides, ibi sine ulla dubitatione est Spiritus sanctus, et ibi sunt initia motuum Spiritus sancti.

Semper in vera poenitentia, quando ex doloribus et pavoribus homo erigitur consolatione per fidem, tunc revera datur ei Spiritus sanctus, et non est otiosus in mentibus: sed est Spiritus gratiae et precum clamans *Abba pater*, qui exsuscitat mentes ad invocationem. Ubi non sunt sensus timoris ubi non est pugna et lucta cum timore et pavoribus; ubi non est invocatio, ubi non est desiderium consolationis, ibi non est Spiritus sanctus: sed cum adest Spiritus sanctus ibi sine ulla dubitatione illa quoque fiunt: sentitur timor, et dolor, et displicentia de peccato, sentitur consolatio et invocatio.

Fuit tunc in domo Cornelii magna frequentia. In Propheta Osea [c. 13.] dicitur: *Inter fratres fructificabit.* Ubi unus est homo pius, est propagator doctrinae, convertit alios, si non multos, tamen aliquos. Oseas [c. 14.] loquitur de illis pulcherrimis fructibus, qui sequuntur fidem: *Aufer omnem iniquitatem, et redde bonum, et offeremus tibi vitulos labiorum:* id est, sacrificia labiorum, invocationem, gratiarum actionem, confessionem, doctrinam. Haec omnia comprehenduntur, cum dicit: *Fructificabit inter fratres.* In nostro textu est: *divites.* Sed erravit interpres in litera. Cornelius fuit studiosus doctrinae verae. Invitavit etiam familiam, postea se adiunxerunt vicini etiam, et alii homines istus loci, et in illa frequentia effusus est Spiritus sanctus publice, visibili specie, sicut antea effusus erat in Apostolos.

Nos ita utamur hac historia, ut agamus Deo gratias, pro vocatione gentium; et discamus doctrinam de remissione peccatorum gratuita, discamus etiam promissionem universalem esse. Exsuscitemus nos, ut apprehendamus promissionem fide, et credamus nos recipi et exaudiri, et invocemus

et celebremus Deum. Non satis est audire, si non applicemus nobis, oportet applicari nobis singulis; singuli debemus nobis applicare. Ideo ista divinitus tradita sunt, ut in singulis excitetur fides, ut singuli incipiant agnoscere Deum, invocare, glorificare et celebrare Deum.

In fine cogitemus etiam de usu Baptismi.

Valetne consequentia: *Illi acceperunt Spiritum sanctum: Ergo sunt baptizandi?*

Respondeo. Valet: quia omnes electos oportet inseri Ecclesiae. Baptismus est insertio in Ecclesiam. Sicut de infantulis dicimus: *Talium est regnum coelorum: Ergo sunt inserendi Ecclesiae.* Baptismus est necessarius, *wann mans haben kan:* quia debemus esse membra Ecclesiae. Augustinus commemorat fuisse duos in navi, quorum unus baptizatus erat, sed peccata habebat contra conscientiam, alter non baptizatus; hic ab illo petivit baptizari, et ille rursus ab isto absolvia peccatis suis. Haec non fuissent necessaria, quia alias fide quilibet esset salvatus.

EXPLICATIO BREVIS QUINTI CAPITIS ACTORUM,

proposita in feriis Pentecostes.

Vir quidam nomine Ananias etc.

Eratne porticus Salomonis?

Porticus haec non erat Salomonis, sed nova, condita ab Herode; quia porticus Salomonis erat devastata, quando templum conflagravit, et deleta a Nabuchdonosor, ante annos plures quam 500. Nominabant autem porticum Salomonis odio Herodis: nolebant aliquam partem templi habere nomen a rege impio, qui ad imitationem alterius porticus eam aedificaverat.

Fueruntne Apostoli educti per carcerem clausum?

Non. Dicitur angelus aperuisse et clausisse carcerem. Saepe debetis legere istas historias. Ego sumpsi quintum caput ex Actis, propter varietatem rerum, quas continet, potestis distribuere hoc in sex locos, quamquam multo plures sunt.

I. Locus, est de communione facultatum.

II. de poenis, quibus contumaces afficiuntur a Ministerio.

III. Persecutio et mirabilis liberatio. Talis est Ecclesiae species, quamquam est in persecutione, tamen mirabiliter conservatur. Apostoli vagantur prorsus sine ullis praesidiis, tamen liberantur et servantur; sicut nunc plerique servamur: et nescimus, quomodo servemur. Sumus in odio omnium, et non habemus ulla certa praesidia, servamur tamen; Deus dat nobis defensionem, concedit tranquillitatem aliquam. Id dicitur apud Zachariam: *Non in exercitu, non in robore*, etc. Venerat misera multitudo ex Babylone, et tota vicinia erat illis infesta. Erant miserae mulieres, pueri, puerperae, non habebant tecta, nondum erant oppida aedificata, paulatim aedificant tuguriola. Propheta interrogat Dominum, quomodo defenderentur? respondet Dominus: *Non in exercitu.* Item: *Ego ero murus igneus.*

IV. Locus, Doctrina de ordine, seu gradibus obedientiae: *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.*

V. Locus valde insignis est: *Dat Spiritum obedientibus ipsi.*

Contra:

Nemo obedit:
Ergo nemini datur Spiritus sanctus.

Respondeo. Non intelligatur legaliter, sed secundum Evangelium. Loquitur de audientibus Evangelium, amplectentibus fide, habentibus initita poenitentiae, non persequentibus.

VI. De currentibus extra vocationem, de quibus apud Ieremiam dicitur: *Currebant, et non mittebam eos.* Multi volebant esse assertores libertatis Evangelicae. Theudas concitavit multitudinem: Iudaei volebant defendere patriam, asserere se in libertatem, habebant promissionem divinam, illam politiam mansuram esse, et habituros regnum usque ad adventum Christi. Sunt valde insignes loci, continent multiplicem doctrinam. Pauca dicemus de singulis.

De primo Loco

Illa phantasia saepe in Ecclesia sparsa est, quod omnia debeant esse communia, et illi miseri homines Anabaptistae multum delectantur illa specie; quia inprimis est grata illa communio, putant esse signum benevolentiae. Est laudata illa phan-

tasia etiam in iure Canonico. Dicunt esse optimam politiam Evangelicam.

Apud antiquos fuit definitio iustitiae, quae recitatur a Clemente, quam debetis bene meminisse, quia est valde pulchra, sed depravata a phantasticis; haud dubie tamen accepta a sanctis; opposita iustitiae carnis, seu externorum operum legis.

Quid est iustitia operum legis?

Est disciplina externa secundum legem Dei. Haec disciplina est frenatio externorum motuum. Ac manet in hac corrupta natura adhuc facultas illa liberi arbitrii, ut homo possit regere locomotivam: est autem disciplina frenatio locomotivae, quae est perinde atque cum sessor regit equum. Sessor ille regit utcunque motum externum equi. Sic gubernatio locomotivae tantum ad externos motus spectat.

Sed alia est iustitia novitatis Spiritualis. De hac ideo dixerunt: *Δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία Θεοῦ: Iustitia est communicatio cum Deo, μετ' ἰσότητος.* Addiderunt aliquid legale, de externis operibus, cum nominant *aequalitatem.* Quare dicitur *societas cum Deo?* Quia illa spiritualis iustitia est lux accensa in nostris mentibus, et motus divini a Spiritu sancto accensi in cordibus nostris; sicut inquit Iohannes: *In hoc scimus, quod nos in eo manemus, et ipse in nobis: quia de Spiritu suo dedit nobis,* etc. Illa novitas est lux et vita in cordibus accensa per Spiritum.

Μετὰ ἰσότητος. Hoc fanatici homines voluerunt superstitiose intelligere, ut esset summa aequalitas, voluerunt facere aequalitatem rerum omnium, atque adeo etiam uxorum. Non debetis dubitare ista facta esse, quia videtis exempla nostrae aetatis. Quando vincit Diabolus, habet captivas mentes: ideo simus ardentiores in precatione, sit tota vita modestior, ne invitetur Diabolus, non indulgeamus cupiditatibus, ut est de Anania hic exemplum.

Sic argumentor:

Iustitia est μετ' ἰσότητος:
Ergo debet esse aequalitas bonorum.

Respondeo. Non sequitur: In antecedente dicitur de aequalitate, scilicet ordinata, sicut Deus eam ordinavit. Quae est aequalitas bonorum ordinata? *Non furtum facias.* Tu retineas tua: ego mea. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Aequalitas in bonis est haec: *Non furtum facies.* Ita eritis aequales tu et vicinus tuus, quando tu abstines a rebus ipsius, et ille a tuis. Hic iam oportet vos communissimam doctrinam scire.

Exempla Apostolorum sunt imitanda:
Apostoli habent communionem rerum, et tota illa prima Ecclesia:
Ergo et nos debemus habere communionem rerum.

Respondeo. Exempla Apostolorum sunt imitanda, scilicet congruentia cum praeceptis. Est saepe usurpatum a iureconsultis, et est bonum dictum: *Non exemplis, sed legibus iudicandum est.* Apostoli habent quaedam, quae non sunt praecepta, id est, non sunt talia, quae necesse sit fieri ab omnibus: ut habent miracula, quae non est necesse imitari. Vita debet regi praeceptis. *In praeceptis meis ambulate,* inquit Dominus apud Ezechielem. Apostoli habuerunt omnia communia. Eratne hoc praeceptum? Respondeo. Neque praeceptum est, neque consilium. Evangelium non abolet politias, neque oeconomias. Quare non abolet? Quia Evangelium concionatur de iustitia aeterna. Interim nos sinit uti rebus praesentibus, sicut sunt ordinatae a Deo. Evangelium est doctrina de remissione peccatorum, et inchoatione vitae aeternae in tuo corde, non est doctrina politica, quamquam emendat quaedam, ubi ratio discedit a lege. In sola Ecclesia fuerunt legitima coniugia. Sicut videtis Papam multipliciter contaminare et conturbare hanc doctrinam. Tenete hanc regulam: *Sola Ecclesia servat castitatem in coniugiis.* Ideo oportet Evangelium aliqua reformare. Interea tamen manet regula: Evangelium concedit nobis uti politiis, sicut diversis temporibus, hieme, aestate, et dissimilibus spatiis dierum.

Hanc doctrinam tenere, est res magni momenti, quamquam multi negligunt. Non est opus procul ire. Ite tantum Lipsiam. Videte, quomodo iste bonus homo vult renovare ius secundum Evangelium, omisso iure Romano, deinde miscet illa: neque Evangelium, neque sua intelligit. Quando homo non est recte institutus, tunc fiunt tales confusiones. Tales fuerunt ante hoc tempus flagelliferi, et nunc Anabaptistae. Tales fuerunt veteribus temporibus Carpocrates, Manichaei, Marcionitae.

Ubi est sancita proprietas?

In praecepto: *Non furtum facies*; Item, in Salomone: *Tu Dominus eorum maneto.* Item: *Pondus et libra iudicia Domini sunt:* id est, ordinatio divina sunt. Quando exercetis contractus, in quibus fit communicatio rerum; cogitetis vos versari in re divina, non defraudetis alios.

Quare Apostoli usi sunt communione?

Respondeo. Apostoli fuerunt homines sapientes, non phantastici, vel stolidi, sicut multi imaginantur. Voluerunt occurrere practicis quadruplatorum et sycophantatarum. Quadruplatores apud Cornelium Tacitum et Suetonium, dicebantur Sycophantae, qui accusabant alios, ut ad eos perveniret quarta pars bonorum. Sicut hodie fit in Belgio, Gallia, et inquisitione Hispanica. Apostoli igitur, cum viderent suos excuti ex bonis, antevertebant; malebant illos, qui vellent, vendere aliquid suorum, et conferre illam pecuniam in commune, unde viverent. Oportuit pios singulos paratos esse ad quotidiana exilia, quae sunt usitata in Ecclesia. Et quia alioqui eis eripiebantur facultates, malebant sponte vendere cum suo commodo. Istis fundamentis consideratis, multa possunt iudicari.

De secundo Loco.

Ministro Evangelii neminem licet occidere:
Petrus occidit Ananiam:
Ergo non recte facit.

Maior est vera ex definitione potestatis Ecclesiasticae. Potestas Ecclesiastica est ministerium docendi Evangelii, et administrandi Sacramenta, puniendi sine vi corporali. Et habetis textus multos. *Regnum meum non est de hoc mundo,* etc. *Sicut misit me pater: ita ego mitto vos.*

Respondeo ad Maiorem: Ministro non licet uti corporali gladio, fame, carcere. Sed Petrus occidit istum *verbo*, per quod efficax fuit Spiritus sanctus. Is occidit istum Ananiam. Et est exemplum satis triste, sicut credo totam Ecclesiam esse consternatam: plurimos fuisse motos, ut deinde essent modestiores. Est exemplum excommunicationis. Vera excommunicatio non est inanis sonitus. Corinthius ille male vexatur in corpore a Diabolo, ideo ut commonefactus illa poena, rediret ad poenitentiam. Petrus non occidit Ananiam vi corporali.

Manet regula: Minister Evangelii non debet punire vi corporali, sed verbo: debet autem excommunicare contumaces. In ista excommunicatione fert istam tristem sententiam: *Cui benedices, benedicam; cui maledices, maledicam et ego,* inquit Dominus ad Abraham. *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt eis.* Sunt sententiae magni momenti; ideo non debetis ista contemnere. Aliud est loqui de poenis magistratuum. Deus vult magistratum esse disciplinae custodem severum, ut dicitur: *Non parcas ei.* Et principaliter Ananias punitur *propter mendacium;* non, quod non attulerit pecuniam, ut Petrus ei dicit: *Poteras universam retinere.* Videtis, qualis fuerit imbecillitas in illo, qui bene coeperat. Fortassis tamen salvatus est et ipse, et uxor. Subeunt poenam corporalem. Sed illa relinquamus Deo.

Tertius Locus.

Hic incipiunt persecutionem Saducaei. Hi erant magis infesti Apostolis, quam Pharisaei: quia in totum negabant resurrectionem, et animae immortalitatem. Erant Epicurei, sentiebant nihil esse reliquum post mortem; et, quia Apostoli dicebant de resurrectione palam, fremebant suam sectam premi odiis. Est mirabile, quod, cum Filius Dei ediderit testimonia resurrectionis mortuorum tam illustria; item, cum magna multitudo viderit ipsum Dominum et alios sanctos, qui erant resuscitati, tamen dominatos fuisse in populo Dei pontifices, Saducaeos, qui aperte profitebantur, neque resurrectionem esse, neque animae immortalitatem. Sed agamus Deo gratias, quod non sinit totum genus humanum perire, sed ostendit testimonia manifesta contra Epicureos. Etiam nostri Episcopi debebant esse defensores doctrinae: sed sunt inter hos quoque, qui aperte profitentur Epicureismum.

Hic rursus videtis, qualis sit Ecclesia, quae sit species. Est iste coetus Apostolorum et multorum credentium; quia iam erant multa millia hominum, qui amplectebantur Evangelium, sentiebant cum Apostolis, invocabant cum eis Deum, erant sparsi per totam regionem Iudaicam, Cyrenaicam, Cyprum, per Asiam inter Ethnicos, in tota vicinia. Erat coetus dissipatus, alicubi erant Scholae quaedam. Certo tempore conveniebant ad Apostolos tamquam ad summos doctores: conferebant cum iis de partibus doctrinae, emendabant sua iudicia illis auditis, et conferebant cum illis, sicut necesse est fieri. Non conferens cum aliis, multipliciter errat. Sunt magni lapsus singulorum; ideo dicit Dominus ad Petrum: *Et tu conversus, confirma fratres.* Et Paulus inquit: *Verbum Dei habitet in vobis*: id est, sit tuus contubernalis, sit tibi valde familiariter notum: Moises, David, Esaias, Hieremias, Apostoli, Paulus sint tibi contubernales. Et quando id fit tunc revera apud te habitat Deus. Observate verbum *habitandi.* Sed addit Paulus: *In omni sapientia:* id est, recte discatis, *docentes et emendantes vos mutuo*, alius alium debet commonefacere. Oportet conferri sententias.

Talis fuit tunc Schola, et nulla habuit praesidia humana; quia non habebant defensionem a

suis, id est, a Iudaeis, non ab Ethnicis; quia paulo post coepit eos etiam persequi Magistratus Romanus. Herodes interfecit Iacobum. Fuit orta persecutio a Iudaeis et Ethnicis. Sicut Petrus inquit: *Ecce, duo gladii hic;* id est, Ethnicus gladius, et Iudaicus. Sicut nunc vexamur duobus gladiis, Pontificio et Caesareano, id est, gladio potestatis Ecclesiasticae, qui sic nominatur; et gladio potestatis politicae. Christus dicit: *Satis est:* illi duo gladii bene possunt vos excruciare; non accersite vobis plures gladios.

Semper erunt persecutiones; inter has tamen Deus servat Ecclesiam; ut dicitur: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Item: *Ego gestabo vos, sicut pastor gestat agnos.* Quando oves edunt agnos in campo, aut etiam in viis, pastores imponunt primum, in gremium, quando nondum possunt incedere; postea ponunt in foeno: sic Dominus dicit: *Ego vos gestabo.* Talem defensionem expectemus vera fide, patientia, et spe; feramus multa, simus modesti, expectemus defensionem, non moveamus tumultus, non faciamus conspirationes adversus potestates. Non ad nos pertinent arma: simus assidui in precatione, et simus modestiores.

Angelus Act. 16. aperit carcerem, et rursus claudit, ne possint esse suspiciones, eos fregisse carcerem; sed ut appareret, eos esse liberatos divinitus. Angeli sunt substantiae finitae; et unaquaelibet substantia finita agit ordinate: Angeli non possunt esse in diversis locis simul non possunt etiam facere in corporibus dimensionum penetrationem: non possunt facere, ut duo corpora simpliciter sint in uno loco. Sed hoc possunt facere, aperire fores, et rursus claudere. Videtis hic, quod angeli serviant Ecclesiae, sint custodes, sint *πνεύματα λειτουργικά. λειτουργοὶ* erant, qui curabant bona publica a λεῖτον, *praeda.* λιτὴ est *precatio.* Quae vox plane est diversa ab illa priori.

Angeli custodiunt vobis istos parietes, videtis, qualia sint incendia. Schweidnitz ante annum manifeste accendebatur de coelo; sunt poenae, quibus Deus punit homines. Quando custodimur, custodimur divinitus per angelos, sicut antea citavi ex Zacharia: *Non in exercitu, non in robore,* etc. Proponite vobis istam historiam. Erat ibi multitudo puerorum, puerperarum, infantium miserrimus grex: aegroti multi non habebant defensionem, hostes in eos faciebant incursionem. Quomodo defendebantur? *Deus erat murus igneus.* Sic apud eundem Prophetam dicitur: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Sic petite, ut Deus vos, vestros fratres, parentes, cognatos conservet. Ista est unica consolatio: nos non habemus defensionem humanam: nos bene scimus voluntates hominum. *Wir wissen wohl, wie feste wir sitzen:* sed habemus custodem filium Dei, illum pastorem, qui nos portat in gremio suo. Si venit lupus aliquis, et rapit unum agnum ex grege, Dominus tamen custodiet coetum universum.

Quartus Locus.

Pontifices prohibuerunt Apostolis, ne docerent. Illi respondent breviter: *Oportet nos Deo magis obedire, quam hominibus.* Haec est regula valde memorabilis. Quandocunque concurrunt praecepta divina et humana et humanum pugnat cum divino, oportet negligere humana praecepta. Nullus angelus, nullus homo, nulla potestas, Episcopi, Pontifex habent auctoritatem condendi leges contra Legem divinam: et, si condunt, nihil valent. Haec doctrina est manifesta. Obligatio, qua obligati sumus hominibus, cedit obligationi, qua sumus obligati Deo.

Quintus Locus.

De dicto: *Dat Spiritum sanctum obedientibus ipsi:* dixi antea intelligendum esse secundum Evangelium, non legaliter: quia Legi nemo satis facit. Lex semper accusat, semper condemnat. Isti sunt obedientes, qui audiunt Evangelium: et illi obedientes sine ulla dubitatione accipiunt remissionem peccatorum, et Spiritum sanctum fide: quia Fides est illud ipsum initium novae et aeternae vitae. Est illa consolatio, de qua dicit textus: *Iustus sua fide vivet.* Et observate hoc dictum summa cum diligentia. Dat Spiritum sanctum obedientibus ipsi: congruit cum illo: *Quanto magis dabit Spiritum sanctum petentibus.*

Sextus Locus.

Postremus locus est de seditiosis, de currentibus extra vocationem. Magnae sunt inter homines differentiae voluntatum. Aliqui sunt aperte seditiosi, qui palam rapiunt vel capiunt arma contra potestatem, et movent tumultus, etiam in causa, quam ipsi sciunt esse iniustam: ut, Catilina scit se oneratum aere alieno, non posse stare in iudicio, mavult sicut gladiator sortis movere tumultum, et fortiter cadere quam condemnari, sicut postea Milo condemnatus est. Mavult movere tumultum, quia, etiamsi esset quietus, tamen eiiceretur propter aes alienum. Tales sunt multi.

Postea alii sunt homines zelosi, qui habent speciem bonae causae; dicunt se pugnare pro libertate, pro religione, pro patria, sicut anno pro-

ximo, aliqui scribebant, *Zu schutz der Christlichen religion, der Teutschen nation freyheit, und auffnehmung des adels.* Illi voluerunt habere pulchrum praetextum. Sed pertinent ad regulam: *Currebant, et nemo mittebat eos.* Homines nihil debent facere, nisi iuxta vocationem; et mementote regulam: *Quando fit aliquid, et fit recte, fit divinitus.* Sed ego loquor nunc de deliberatione. Tu in deliberatione nihil debes proponere transiens extra vocationem.

Proba. Paulus dicit: *Studeatis esse quieti, et propria facere. Unusquisque in vocatione, ad quam vocatus est, in ea ambulet.* Arguit deserentes vocationem. Postea venit conscientia, et accusat eos. Tu facis contra mandatum Dei. Totum principium capitis 12. ad Romanos loquitur de ista re. *Sapite unusquisque secundum mensuram vestram.* Nos debemus manere in vocatione, intra septa, et simul debemus invocare Deum, ut ipse nos regat, iuxta dictum: *Commenda Deo viam*, id est, vocationem tuam, *et ipse faciet.* Catilina non potest dicere, illam esse viam: *es ist ein abweg*, non est via. *So stehet: Scio Domine, non est hominis via eius:* id est, vocatio. Ah Domine, tu collocas nos in vocationem, et certe illa non potest regi tantum humanis praesidiis.

Haec duo sunt coniungenda: Oportet videre, quae sit vocatio, et simul addere invocationem. Videte gravidam iuvenculam, ista gestat uterum, est in via, in qua Deus eam vocavit. Sed illa non regi potest tantum humanis consiliis. Sic miles stans in acie: Sic etiam nos sumus in via Dei, omnibus horis ac momentis. Petamus, ut regat studia et consilia nostra: quia sine Deo non est felix successus.

Sine Deo non est felix humana sapientia; quia plerumque tentat Deum, facit quendam irregularia ex calliditate, ex metu, ex diffidentia, vel aliis modis impellitur cupiditate. Sicut hic Ananias labitur diffidentia: diffidit Apostolis; cogitat, si fortassis Apostoli non fideliter tractarent pecuniam, volo retinere, ut etiam habeam viatici aliquid.

Omnes habemus multa et varia peccata. Sed discamus hic: Homines debere manere in vocatione. Et oremus: *Scio Domine, quod non est hominis via eius.* Saepe sic clamare debemus: quia illa est sapientia rectrix vitae, quam Deus ostendit, non est rectrix vitae doctrina philosophica, vel aulica: Nam in aula volunt progredi plus ultra. Volunt ascendere, donec tandem ruant. Mementote dictum Pindari: *Qui vult progredi ultra columnas Herculis, stulte facit.* Ter hoc est in Pindaro. Nos debemus manere intra metas nostrae vocationis. Scholasticus sit scholasticus; concionatur sit concionator, non misceat se practicis bellorum, vel tumultibus: *lass sie kriegen, denen es befohlen ist.* Armorum tractatio nihil ad me attinet. Ego debeo vos docere illas literulas, quas Deus vult nos sonare in genere humano. Haec est mea vocatio.

Fuerunt tunc quoque tales homines, ut Teudas. Non recte accipiebant promissiones. Dicebant Ecclesia habet promissiones, quod sit mansura. Ipsi inferebant: Ergo debemus nos armis eam defendere, et Deus nobis aderit. Postea afferebant exempla. Sic David, sic Maccabaei pugnarunt pro hac sede Ecclesiae. Expellamus igitur Romanos, qui nos premunt, qui grassantur in nostra corpora, sicut illa disputantur et exaggerantur.

Promissiones Dei sunt irritae:
Illi populo erat promissa libertas:
Ergo debebat retinere libertatem.

Minor probatur: Quia dictum est: *Non auferetur sceptrum a Iuda.* Item: *Vos estis regnum sacerdotale.*

Respondeo ad minorem. *Libertas erat promissa.* Sed promissiones corporales omnes sunt intelligendae cum exceptione castigationis, et crucis: sicut ipsa lex declarat: *Castigabo vos in virga: Veruntamen promissiones meas non auferam a vobis.* Deus aliquando servituti subiecit illum populum, fuerunt in exsilio, ubi multi sunt facti impii, cogitarunt promissiones esse inanes: imo sunt ratae promissiones. Promissio gratiae est simpliciter rata omnibus agentibus poenitentiam, et fide apprehendentibus. Deinde promissiones corporales etiam sunt simpliciter ratae omnibus, sed cum exceptione castigationis et crucis.

Libertas est bonum corporale: Ergo potest ad tempus amitti; sed non sequitur: *Ergo ego debeo recuperare.* Est plus in conclusione, quam in praemissis. Missus divinitus debet recuperare; ut, cum Deus mittit Samsonem, vel Gedeonem, depellitur servitus. Quando Deus mittit Cyrum, populus remittitur ex Chaldaea; non autem missus divinitus, non conficiet, quod molitur. Quando erant Israelitae in Aegypto, filii Ephraim volebant egredi in Canaan, ante Moisen. Sic argumentabantur: *Terra Canaan est promissa semini Israel: Ergo nos debemus accipere terram.* Sed victi, adduxerunt haud dubie magnam multitudinem secum in periculum. Habetis historiam in Paralipomenis. Sancti sciunt exspectandam esse vocationem divinam, donec sit aliquis, qui sit missus divinitus. Est doctrina utilis vitae, et magna sapientia, in qua est exercenda fides et invocatio.

Hanc totam historiam cogitate his diebus, et simul exsuscitate vos ad precationem; quia

videtis, quantae sint communes miseriae. Deus regat nos Spiritu sancto, ut simus solliciti pro communi statu, et simus ardentiores in precando.

EX RHAPSODIA ALTERIUS ANNI.

Considerandae sunt personae in hoc capite: sunt hic Apostoli: postea mendax Ananias: deinde Saducaei. Est etiam Gamaliel, qui dicit: *Si est ex Deo, non supprimetis.* Mercurinum audio idem suasisse Carolo, cum primo deliberaret, *An statim bellum sit movendum contra Saxonicum ducem;* dixit ad Carolum: *Si consilium est ex Deo, manebit; si non, brevi sponte ruet.*

FINIS PARTIS II.

Brunsvigae,

Typis expressum M. Bruhnii.

